UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

# Cautela Confessarii Pro Foro Sacramentali Occasione Decretorum S. M. Alex. VII. Innoc. XI. Et Alexandri VIII. ...

Matthaeucci, Augustín

Francofurti Ad Moenum, 1711

urn:nbn:de:hbz:466:1-40684


Visual Library

Th. 2179.

G. IV
6.


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# CAUTELA
## CONFESSARII

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# CAUTELA CONFESSARII

## PRO FORO SACRAMENTALI

*OCCASIONE DECRETORUM*

## S.M. ALEX. VII. INNOC. XI. ET ALEXANDRI VIII.

Eidem,

Ac cæteris Animarum Rectoribus exhibita,

*Ad Sacrorum Canonum, Conciliorum, ac Apostolicarum Constitutionum Præscriptum, & Legem aptata,*

AC QUATUOR LIBRIS REPARTITA:

*AUCTORE*

P. FR. AUGUST. MATTHÆUCCI LUCENSE,

Ordinis Minorum Regularis Observantiæ, Romanæ Provinciæ, Sacræ Theologiæ Lectore Jubilato.

Collegij soc: Jesu Paderborn Ao 1712

OPUS

*Theologis, & Canonistis utile; Confessariis, ac Parochis proficuum, & necessarium.*

*SUPERIORUM PERMISSU*

FRANCOFURTI AD MOENUM.

Sumptibus JOANNIS GEORGII MUFFAT,

Bibliopolæ Brunnensis in Moravia. Ann. 1711.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# LECTOR.

*Miraberis, cur tot post illustrium Virorum in Theologia Morali edita miræ eruditionis, & pietatis Scripta, omnibus numeris absoluta, hæc ipsa ego luci commiserim; quæ proindè singulis supervacanea, meque rem actam egisse dixeris; cùm potuerim nil edicere, quod pluries non recenseatur prælo submissum. Quod quidem, fateor, me studioso ab incœpto subtraxisset labore, nisi Amicorum accessisset authoritas; eoque corripuisset timorem, recepto communi principio, quod, ideò vetitum non præsumitur, quin plures pio æquè, ac utili scribendi hoc occupentur in munere, ut Librorum frequentia genium hominum expleant: cùm non omnes uno, sed alio alius delectetur Scriptore, prout brevi, diffusove utitur stylo, clara, vel confusa loquitur methodo. Hisce victus, refectusque (quamquàm inter cæteros cinis) calamo commendavi provinciam, credens fortasse non singulos fore, ut pigeat legere Opus, quod, juxta vulgatam paræmiam.*

Omnia longa solent cunctis fastidia ferre,
Quæ comprehensa brevi sunt, benè culta placent.

*Animarum Curatoribus, & sacris pro Foro Pœnitentiæ Judicibus paravi, nec nimia brevitate minutum, nec fastidiosa prolixitate prægrave. Ea referens ad praxim Confessariis idonea in unum redacta, quæ dissitis, sejunctisque Voluminibus leguntur dispersa; ut quos tædet, prægrandes Doctorum excurrere Codices, præsens, velut ipsorum Epitome, lectitet.*

*Nec reprehendar, quia brevis: cùm non eam brevitatem amaverim, in quam illis Horatius invehitur:*

Dum brevis esse volo, obscurus fio.

*Sed potiùs piger, tacensque, ad phrasim Ausonii,*

Nemo silens placuit, multi brevitate loquendi:

*debuissem damnari. Dum, non tam brevi, quàm clarè dubia resoluta pro viribus tangam.*

*Quòd si nec uni utilis fuero: sat est, mihi nonnihil profui; dum hac in occupatione defixus, otium abegi, devici socordiam, sequens sententiam Hieronymi* in cap. Nunquam, de Consecrat. distinct. 5. *ubi*: Scribantur & Libri: & manus operetur cibos, & Anima saturetur lectione: In desiderijs est omnis otiosus.

*Sed*

*Sed, duo notes, velim. Unum, hìc meum non fuìsse in examen vocare, quo sensu fuerint à Summis Pontificibus Alexandro VII. Innocentio XI. & Alexandro VIII. Theses proscriptæ quoniam id S. Sedis judicio reservari non dubito; sed solùm in utilitatem Animarum, ad praxim, & usum Sacræ Confessionis, occasione Decretorum, per quæ prætactæ damnantur, referre, & solvere dubia, quæ examinantur non rarò in ea ipsa materia, quam respectivè aboleti tangunt errores. Quod si, favente Deo, evenerit, voti compos ero, & operæ pretium me fecisse arbitrabor.*

*Alterum, quòd mediocritatem delegens, quæ sedes virtutis, & veritatis unicè nescitur, extrema opinionum vitavi: sciens æquè vitium, tum eorum esse, qui ad opinionum, & morum laxitatem divertunt: tum cæterorum, qui in oppositam, nimiamque rigiditatem deflectunt; nam sicut noxia indulgentia laxior exurgit, ita immoderata in perniciem conscientiæ serpit rigiditas. Enimverò hæc à præceptis non discernens consilia, Homines ad nimis ardua compellit; dum audita rigidiore doctrina, dubitant, creduntve culpam mortalem ibi esse, ubi nec minimùm levis est umbra. Illa verò propugnans, etiam in atrocissimis licentiam, ipsa fovet peccata. Hac propterea glìscit malitia: illa nil proficit virtus. Utraque itaque cavenda, & Regia procedendum est via, juxta doctrinam Divi Bonaventuræ* Tom. 7. Lib. 2. Compend. Theol. Verit. cap. 52. *ubi*: Cavenda est conscientia nimis larga, & nimis stricta; nam prima generat præsumptionem, secunda desperationem: item, prima sæpè dicit malum, bonum; secunda è contra, bonum, malum; *& infrà*: Error conscientiæ causatur ex singularitate, qua Homo sequens sensum proprium, non conformat se aliis, nec sequitur vias bonorum.

*Utramque declinare satagi. Hinc communi Doctorum judicio me conformans, per Canonum, Conciliorum, Sedisve Apostolicæ Decreta sæpè dubiis responsa reddidi: & non semel auream, quavis laude majorem, Divi Thomæ doctrinam adhibui, ac juxta magis receptas Casuistarum sententias quæstiones aperui, Cautelam instituì.*

*Habes, quod sentio. Intereà iis utere, quæ exhibeo; &, si quid boni deprehenderis, non meo tribuas ingenio, non labori: sed Deo omnium Authori, qui aperit os mutorum, & linguas Infantium facit esse disertas, gratias repende; sin aliquid animadversione dignum offendas, veniam infirmitati non deneges, imbecillitatem damna, & Deum mihi propitium exora. Vale.*

APPRO-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# APPROBATIONES ORDINIS.

DE mandato Reverendiſſimi Patris Cæleſtini à Mediolano totius Ciſmontanæ Familiæ Minor. de Obſervantia S. P. N. Franciſci Vice-Commiſſarii Generalis, attentè perlectis Additionibus factis ab Adm. R. P. Auguſtino Lucenſi Lectore Jubilato ſuomet Operi, cujus Titulus *Cautela Confeſſarii*, jamdudum Romæ Typis mandato, ſummoperèque commendato; & cùm per omnia noverim ſanam, & undequaque ſolidam ſapere Doctrinam, Fidei orthodoxæ, bonisve moribus conformem, & Confeſſariis, cæterisque legentibus perutilem; propterea Typis mandari, & in lucem ex integro denuò prodire cenſeo. Romæ ex Aracæli die 13. Maji 1709.

*Fr. Lucius à Tunicella Lector Jubilatus, &c.*

DE ordine Reverendiſſimi P. N. Cæleſtini à Mediolano, in tota Ciſmontana Familia Minor. de Obſervantia S. P. N. Franciſci Vice-Commiſſarii Generalis, accuratè perlegi additiones factas ab Adm. Rever. P. Auguſtino Lucenſi Lectore Jubilato ſuomet Operi; cujus Titulus *Cautela Confeſſarii*; jamdudum approbato, Romæ Typis dato, ſummoperèque commendato: cùmque, per omnia noverim, ſanam, & undequaque ſolidam Doctrinam ſapere, majoris ſemper Animarum profectus exiſtere, ac legentibus eruditionis incrementum: propterea in lucem ex integro prodire cenſeo. Romæ ex Aracæli die 13. Aprilis 1709.

*Fr. Joannes Chryſoſtomus ab Alexandria Lector Jubilatus, &c.*

FACUL-

# FACULTAS ORDINIS.

*Frater Cœlestinus à Mediolano in Cismontana Familia Minorum de Observ. etiam Discalceatorum, &c. Vice-Commissarius Generalis, &c.*

CUpiente Rever. P. Fr. Augustino Lucensi hujus nostræ Ob. Romanæ Provinciæ Lectore Jubilato, & ex-Custode edere in lucem Additiones Operi, cujus Titulus est, *Cautela Confessarii*, quæ de Mandato nostro à duobus Patribus Theologis revisæ, & approbatæ fuerunt, tenore præsentium eidem debitam facultatem impartimur, quatenus servatis omnibus de jure servandis Typis mandare possit. Dat. ex Aracæli die 8. Maji 1709.

*Fr. Cœlestinus Vice-Commissarius Generalis, &c.*

ORDO

# ORDO

## Capitum, & Paragraphorum.

### LIBER PRIMUS.


Cap. I. Obligatio credendi, sperandi & diligendi Deum. p. 1
§. I. Obligatio eliciendi actum fidei supernaturalis. p. 3
§. II. Obligatio eliciendi actum spei Theologicæ. p. 6
§. III. Obligatio eliciendi actum charitatis circa Deum. p. 8
Cap. II. Duellum. p. 9
Cap. III. Absolutio ab Hæresi. p. 12
Cap. IV. Obligatio denunciandi Hæreticos. p. 20
Cap. V. Solicitatio ad turpia. p. 28
Cap. VI. Stipendium Missæ. p. 37
Cap. VII. Confessionis integritas. p. 44
Cap. VIII. Facultas quoad reservata. p. 48
§. I. Immunitas Ecclesiastica. p. 54
§. II. Clausura Monialium. p. 55
§. III. Duellum, Vid. supra cap. 2.
§. IV. Manus violenta in Clericum. p. 59
§. V. Simonia realis scienter contracta. p. 63
§. VI. Confidentia beneficialis, seù Simonia fiduciaria. p. 68
§. VII. Summa casuum reservatorum in Bulla Cœnæ. p. 70
Cap. IX. Approbatio ad Confessiones. p. 76
Cap. X. Præceptum Confessionis. p. 79
Cap. XI. Pœnitentia Sacramentalis. p. 83
Cap. XII. Approbatio ab Ordinario. p. 86.
Cap. XIII. Occisio ad defensionem vitæ, & honoris. p. 97
Cap. XIV. Restitutio fructuum beneficii. p. 91
Cap. XV. Beneficia Ecclesiastica gratis conferenda. p. 95
Cap. XVI. Præceptum jejunii Ecclesiastici. p. 96
Cap. XVII. Distinctio numerica, & specifica peccatorum. p. 101
§. I. Odium. p. 107
§. II. Acedia, & invidia. p. 108
§. III. Discordia, Contentio, Rixa, & seditio. p. 109.
§. IV. Schisma. p. 110
§. V. Scandalum. p. 110
§. VI. Bellum. p. 116
§. VII. Justitio. p. 122

§. VIII. Virtutes ad justitiam reducibiles. p. 122.
§. IX. Vitia per excessum religioni opposita. p. 124
§. X. Idololatria. p. 125
§. XI. Divinatio Dæmoniaca. ibid.
§. XII. Divinatio per sortes. p. 129
§. XIII. Magia superstitiosa. p. 130
§. XIV. Maleficium. p. 131
§. XV. Vana observantia. p. 132
§. XVI. Vitia religioni per defectum opposita. p. 139
§. XVII. Sacrilegium. p. 140.
§. XVIII. Fortitudo. p. 143
§. XIX. Temperantia. p. 148
§. XX. Prudentia. p. 156
Cap. XVIII. Circumstantiæ peccatorum. 157
Cap. XIX. Judex quoad munera. p. 168
Cap. XX. Opinio probabilis, & conscientia. p. 171
Cap. XXI. De legis humanæ obligatione. p. 181
Cap. XXII. Excusati à lege jejunii. p. 184
Cap. XXIII. Jejunium Quadragesimæ. p. 187
Cap. XXIV. Remissivè ad c. 14. p. 189
Cap. XXV. Horæ Canonicæ. 189
Cap. XXVI. Privilegia Regularium. p. 195
Cap. XXVII. Indulg. & Jubilæum. p. 198
Cap. XXVIII. Dispositio sacrificantis. p. 208
Cap. XXIX. Oscula, & tactus impudici. p. 211.
Cap. XXX. Concubinatus. p. 213
Cap. XXXI. Usura. p. 217
Cap. XXXII. Legatum. p. 226
Cap. XXXIII. Praxis quoad absolutionem à censuris. p. 242
Regula unica. Quam plures excommunicationes reservatæ Pontifici. p. 253
§. I. Ex decretalibus Greg. IX. 253
§. II. Ex sexto Decretalium. p. 254
§. III. Ex Clementinis. p. 255
§. IV. Ex Extravagantibus communibus. p. 255
§. V. Ex Bullario Cherubini. p. 256
Cap. XXXIV. Libri prohibiti. p. 260

## LIBER SECUNDUS.

Cap. I. Opinio tutior circa valorem Sacramentorum. p. 268
Cap. II. Judicium juxta probabiliora ferendum. p. 273
Cap. III. Opinio tenuiter probabilis. p. 279
Cap. IV. Infidelis. p. 280
Cap. V. Dilectio Dei. p. 286
Cap. VI. Gula, & Ebrietas. p. 289
Cap. VII. Debitum conjugale. p. 294
Cap. VIII. Dilexio proximi. p. 304
Cap. IX. Eleemosyna. p. 314
Cap. X. Præceptum diligendi parentes. p. 324
Cap. XI. Fides divina. p. 332
Cap. XII. Confessionis Fidei præceptum. p. 335
Cap. XIII. Certitudo Fidei Divinæ. p. 342
Cap. XIV. Fides necessaria ad salutem. p. 345
Cap. XV. Fides dispositio ad justificationem. p. 353
Cap. XVI. Juramentum. p. 354
Cap. XVII. Mendacium, & Amphibologia. p. 373
Cap. XVIII. Administratio Sacramentorum non simulata. p. 385
Cap. XIX. Homicidium ad defensionem rerum. p. 390

Cap. XX.

Cap. XX. Abortus. p. 396
Cap. XXI. Furtum. p. 402
Cap. XXII. Restitutio quoad bona fortunæ. p. 413
Cap. XXIII. Contractus. p. 436
§. I. Contractus census. p. 438
§. II. Contractus cambii. p. 442
§. III. Contractus societatis. p. 445
§. IV. Contractus mutui, commodati, locati, & depositi. p. 449
§. V. Contractus pignoris. p. 453
§. VI. Contractus Emphyteusis. p. 455
§. VII. Contractus feudalis. p. 456
§. VIII. Contractus fidejussionis. 456
§. IX. Contractus donationis. p. 457
§. X. Contractus dotalis. p. 458
§. XI. Contractus promissionis. p. 458
§. XII. Contractus ludi. p. 462
§. XIII. Contractus sponsionis. p 466
§. XIV. Contractus emptionis, & venditionis. p. 468.
§. XV. Contractus assecurationis p. 478
Cap. XXIV. Lucrum usurarium p. 479
Cap. XXV. Detractio, & peccata linguæ p. 497
Cap. XXVI. Simonia. p. 510
Cap. XXVII. Electio ad dignitates Ecclesiasticas. p. 521
Cap. XXVIII. Species luxuriæ. p. 529
Cap. XXIX. Adulterium. p. 541
Cap. XXX. Famuli inservientes luxuriæ. p. 548
Cap. XXXI. Præceptum servandi Festa, & audiendi Missam. p. 550
Cap. XXXII. Excusati à recitatione Breviarii. p. 561
Cap. XXXIII. Præceptum Communionis. p. 564
Cap. XXXIV. Contritio, & Attritio. p. 573
Cap. XXXV. Absolutio Sacramentalis. p. 583
Cap. XXXVI. Confessio dimidiata. p. 595
Cap. XXXVII. Propositum emendationis. p. 600
Cap. XXXVIII. Occasio proxima peccandi. p. 606

## LIBER TERTIUS.

Cap. I. AMor Dei. p. 619
Cap. II. Peccatum philosophicum. p. 621
Cap. III. Instructio miscellanea. p. 626
Cap. IV. Votum. p. 650

## LIBER QUARTUS.

Cap. I. DE Sacramentis in genere. p. 670
Cap. II. Baptismus. p. 675
Cap. III. Confirmatio. p. 681
Cap. IV. Eucharistia. p. 683
§. I. Eucharistia, ut est Sacramentum. 684
§. II. Eucharistia, ut est Sacrificium. p. 689
§ III. Constitutio Innoc. XII. super celebratione Missarum. p. 701
Cap. V. Sacramentum Pœnitentiæ. p. 716
Cap. VI. Extrema Unctio. p. 722
Reg. I. De testamentis. p. 723
Reg. II. Sepultura. p. 730
Cap. VII. Ordo. p. 733
Cap. VIII. Matrimonium. p. 737
§. I. De natura matrimonii, forma, materia, & ministro. 737
§. II. De impedimentis matrimonii. p. 741
§. III. De impedimentis merè impedientibus. 748

§. IV. Impedimentum erroris. p. 743
§. V. Impedimentum conditionis. p. 744
§. VI. Impedimentum voti. p. 744
§. VII. Impedimentum cognationis. 745
§. VIII. Impedimentum criminis. p. 749
§. IX. Impedimentum disparitatis cultus. p. 749
§. X. Impedimentum metus. p. 751
§. XI. Impedimentum ordinis. p. 752
§. XII. Impedimentum ligaminis. p. 752
§. XIII. Impedimentum publicæ honestatis. p. 753
§. XIV. Impedimentum affinitatis. pag. 754
§. XV. Impedimentum impotentiæ. 754
§. XVI. Impedimentum clandestinitatis. 754
§. XII. Impedimentum raptus. p. 763
Reg. un. Instructio Parochorum, & Confessariorum pro casibus, quorum absolutio, seù dispensatio impetratur à Sacra Pœnitentiaria. p. 764

SYL-

# SYLLABUS
## PROPOSITIONUM DAMNATARUM,
*Quæ in hoc opere continentur ad majus commodum legentis suo ordine digestæ.*

## IN PRIMO LIBRO.
Illæ ab Alexandro VII. proscriptæ.

1. HOmo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium. pag. 1
2. Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat. p. 9
3. Sententia asserens, Bullam Cœnæ solùm prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1569. 18. Julii in Consistorio S. Congr. Emin Card. visa, & tolerata est. p. 12
4. Prælati Regulares possunt in foro Conscientiæ absolvere quoscunque sæculares, ab hæresi occulta, & ab excommunicatione propter eam incursa. p. 12
5. Quamvis evidenter tibi constet, Petrum esse hæreticum, non teneris denunciare, si probare non possis. p. 20
6. Confessarius, qui in Sacramentali Confessione tribuit Pœnitenti chartam postea legendam, in qua ad Venerem incitat, non censetur sollicitasse in Confessione, ac proinde non est denunciandus p. 28
7. Modus evadendi obligationem denunciandæ sollicitationis est: si sollicitatus confiteatur cum sollicitante, hic potest ipsum absolvere, absque onere denunciandi p. 28
8. Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licitè accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet Celebranti correspondentem, idque post Decretum Urbani VIII. p. 37
9. Post Decretum Urbani potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta. p. 37
10. Non est contra justitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, & sacrificium unum offerre. Neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam promissione, etiam juramento firmata,

danti ſtipendium, quòd pro nullo alio offeram. pag. 38

11. Peccata in confeſſionu omiſſa, ſeu oblita ob inconſtans periculum vitæ, aut ob aliam cauſam, non tenemur in ſequenti confeſſione exprimere. p. 44

22. Mendicantes poſſunt abſolvere à caſibus Epiſcopis reſervatis, non obtenta ad id Epiſcoporum facultate p. 48

13. Satisfacit præcepto annuæ confeſſionis, qui confitetur regulari Epiſcopo præſentato, ſed ab eo injuſtè reprobato. p. 76

14. Qui facit confeſſionem voluntariè nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ. p. 79

15. Pœnitens propria auctoritate ſubſtituere ſibi alium poteſt, qui loco ipſius pœnitentiam adimpleat. p. 83

16. Qui beneficium curatum habent, poſſunt ſibi eligere in Confeſſarium ſimplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario. p. 86

17. Eſt licitum Religioſo, vel Clerico Calumniatorem, gravia crimina de ſe, vel de ſua Religione ſparpere minantem, occidere, quando alius modus defendendi non ſuppetit; uti ſuppetere non videtur, ſi calumniator ſit paratus, vel ipſi Religioſo, vel ejus Religioni publicè, & coram graviſſimis Viris prædicta impingere, niſi occidatur. p. 87

18. Licet interficere falſum accuſatorem, falſos Teſtes, ac etiam Judicem, à quo iniqua certò imminet ſententia, ſi alia via non poteſt innocens damnum evitare. p. 87. ſq.

19. Non peccat Maritus occidens propria auctoritate Uxorem in adulterio deprehenſam.

20. Reſtitutio à Pio V. impoſita Beneficiatis non recitantibus non debetur in Conſcientia ante Sententiam declaratoriam Judicis, & quod ſit pœna. p. 91

21. Habens Cappellaniam collativam, aut quodvis aliud Beneficium Eccleſiaſticum, ſi ſtudio litterarum vacet, ſatisfacit ſuæ obligationi, ſi officium per alium recitet. p. 91

22. Non eſt contra Juſtitiam beneficia Eccleſiaſtica non conferre gratis, quia collator conferens illa Beneficia Eccleſiaſtica, pecunia interveniente, non exigit illam pro Collatione Beneficii, ſed veluti pro emolumento temporali, quòd tibi conferre non tenebatur. p. 95

23. Frangens jejunium Eccleſiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, niſi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta, quia non vult ſe ſubjicere præcepto. p. 96

24. Mollities, Sodomia, & beſtialitas ſunt peccata ejusdem ſpeciei infimæ, ideòque ſufficit dicere in Confeſſione ſe procuraſſe pollutionem. p. 101

25. Qui habuit copulam cum ſoluta ſatisfacit Confeſſionis præcepto, dicens: commiſi cum ſoluta grave peccatum contra caſtitatem non explicando copulam. p. 156

26. Quando litigantes habent pro ſe opiniones æquè probabiles, poteſt Judex pecuniam accipere pro ferenda ſententia in favorem unius præ alio. p. 168

27. Si Liber ſit alicujus junioris, & moderni debet opinio cenſeri probabilis, dum non conſtet, rejectam eſſe à Sede Apoſtolica tanquam improbabilem. p. 171

28. Populus non peccat, etiamſi abſque cauſa

causa non recipiat legem à Principe promulgatam. p. 181

29. In die Jejunii, qui sæpius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium. p. 184

30. Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio. p. 184

31. Excusantur absolute à præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcunque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, & etiamsi iter unius diei conficiant. p. 184

32. Non est evidens, quòd consuetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadragesima obliget. p. 187

33. Restitutio fructuum ob omissionem horarum suppleri potest per quascunque eleemosynas, quas antea Beneficiarius de fructibus sui beneficii fecerat. p. 189

34. In die Palmarum recitans Officium Paschale satisfacit Præcepto. p. 189

35. Unico Officio potest quis satisfacere duplici præcepto pro die præsenti, & crastino.

36. Regulares possunt in foro Conscientiæ uti privilegiis suis, quæ sunt expressè revocata per Concilium Tridentinum. pag. 195.

37. Indulgentiæ concessæ Regularibus, & revocatæ à Paulo V. hodiè sunt revalidatæ. p. 198

38. Mandatum Tridentini factum Sacerdoti Sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali confitendi quam primum, est consilium, non præceptum. p. 208

39. Illa particula *quamprimùm* intelligitur, cùm Sacerdos suo tempore confitebitur. p. 208

40. Est probabilis opinio, quæ dicit esse cùm veniale osculum habituri ob delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, & pollutionis. p. 211

41. Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgò *Regalo*, dum deficiente illo, nimis ægrè ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent; & alia famula nimis difficile inveniretur. p. 213

42. Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem, usque ad certum tempus. p. 217

43. Annuum legatum pro Anima relictum non durat plus quam per decem Annos. p. 226

44. Quoad forum Conscientiæ, Reo correcto, ejusque contumacia cessante, cessant censuræ. p. 242

45. Libri prohibiti, donec expurgentur, possunt retineri, usque dum adhibita diligentia corrigantur. p. 260

## IN II. LIBRO.

*Illæ ab Innocentio XI. proscriptæ.*

1. NOn est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc Sententia probabili tantùm utendum non est in collatione Baptismi,

tissimi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis. p. 268
2. Probabiliter existimo, Judicem posse judicare juxta opinionem etiam minùs probabilem. p. 273
4. Generatim dum probabilitate, sive intrinseca, sive extrinseca quantumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus. p. 279
4. Ab infidelitaae excusabitur Infidelis non credens ductus opinione minùs probabili. p. 280
5. An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus. p. 268
6. Probabile est, ne singulis quidem rigorosè quinquenniis per se obligare præceptum Charitatis erga Deum. p. 286
7. Tunc solùm obligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, qua justificari possumus. p. 286
8. Comedere, & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modò non obsit valetudini, quia licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui. p. 289
9. Opus Conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitùs caret culpa, ac defectu veniali. p. 294
10. Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali. p. 304
11. Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos. p. 304
12. Vix in Sæcularibus invenies, etiam in Regibus superfluum statui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantùm ex superfluo statui. p. 314
13. Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci effectu petere, & desiderare; non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum. p. 324
14. Licitum est absoluto desiderio cupere mortem Patris, non quidem ut malum Patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas p. 324
15. Licitum est filio gaudere de parricidio Parentis à se in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias indè ex hæreditate consecuturas. p. 324
16. Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, & secundùm se. p. 332
17. Satis est actum fidei semel in vita elicere p. 332
18. Si à potestate publica quis interrogetur, fidem ingenuè confiteri, ut Deo, & fidei glorioſum, consulo; tacere, ut peccaminosum per se non damno. p. 335
19. Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in se ipso sit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum ad assensum impellentium. p. 342
20. Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat supernaturalem. p. 342
21. Assensus fidei supernaturalis, & utilis ad salutem stat cum notitia solùm probabili revelationis; immò cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus. p. 342
22. Non nisi Fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita Remuneratoris. p. 345

23. Fi-

23. Fides latè dicta ex testimonio Creaturarum, similive monito ad justificationem sufficit. p.353
24. Vocare Deum in testem mendacii levis non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem. p.354
25. Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis. p.354
26. Si quis, vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocunque alio fine juret, se non fecisse aliquid, quod revera fecit; intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quod vis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus. p.373
27. Causa justa utendis his amphibologiis est, quoties id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, itaut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, & studiosa. p.373
28. Qui mediante commendatione, vel munere ad Magistratum, vel Officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato Regis à similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum. p.373
29. Urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi. p.385
30. Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit; idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, & post impactam alapam, vel ictum fustis fugiat. p.390
31. Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei. p.390
32. Non solùm licitum est defendere defensione occisiva, quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus. p.390
33. Licitum est tam Hæredi, quàm Legatario contra injustè impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere, sicut & jus habenti in Cathedram, vel Præbendam contra eorum possessionem injustè impedientem. p.390
34. Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne Puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur. p.396
35. Videtur probabile, omnem fœtum, quamdiù in utero est, carere anima rationali, & tunc primùm incipere eandem habere, cùm paritur, ac consequenter dicendum erit in nullo abortu homicidium committi. p.396
36. Permissum est furari non solùm in extrema necessitate, sed etiam in gravi. p.402
37. Famuli, & famulæ domesticæ possunt occultè heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt. p.402
38. Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcunque sit magna summa totalis. p.413

39. Qui alium monet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio non tenetur ad restitutionem illius damni illati. p.413

40. Contractus Mohatra licitus est etiam respectu ejusdem Personæ, & cum contractu retrovenditionis prævie inito cum intentione lucri. p.436

41. Cùm numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quàm futuram, potest creditor aliquid ultra sortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari. p.479

42. Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur, tamquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, sed solùm si exigatur tanquam ex justitia debitum. p.479

43. Quidni non nisi veniale sit, detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere. p.497

44. Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam, & honorem defendat. Et si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia. p.497

45. Dare temporale pro spirituali non est Simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed dumtaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut è contra. p.510

46. Et id quoque locum habet, etiam si temporale sit principale motivum dandi spirituale, immò etiam si sit finis ipsius rei spiritualis, sicut illud pluris æstimetur, quàm res spiritualis. p.510

47. Cùm dixit Concilium Tridentinum, eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui nisi quos dignores, & Ecclesiæ magis utiles, ipsis judicaverint ad Ecclesias promovent; Concilium vel primò videtur per hos digniores non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum sumpto comparativo pro positivo; vel secundò locutione minùs propria ponit dignores, ut excludat indignos, non verò dignos; vel tandem loquitur tertiò, quando fit concursus. p.521

48. Tam clarum videtur, fornicationem secundùm se nullam involvere malitiam, & solùm esse malam, quia interdicta, ut contrarium omninò rationi dissonum videatur. p.529

49. Mollities jure naturæ prohibita non est. Unde si Deus eam non interdixisset, sæpè esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali. p.529

50. Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium; adeòque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum. p.541

51. Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam Virginem, & multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta. ne à Domino malè tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur. p.548

52. Præceptum servandi Festa non obligat sub mortali, sepositio scandalo, si absit contemptus. p.550

53. Sa-

53. Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, immò quatuor simul à diversis celebrantibus audit. p.550
54. Qui non potest recitare Matutinum, & Laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem. p.561
55. Præcepto Communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem p.564
56. Frequens Confessio, & Communio, etiam in his, qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis. p.564
57. Probabile est, sufficere attritionem naturalem, modò honestam. p.573
58. Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem. p.583
59. Licet Sacramentaliter absolvere dimidiatè tantùm confessos ratione magni concursus Pœnitentium, qualis V. G. potest contingere in die magnæ alicujus Festivitatis, aut Indulgentiæ. p.595
60. Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, & si emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodò ore proferat, se dolere, & proponere emendationem. p.600
61. Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere, quinimmò directa, & ex proposito quærit, aut ei se ingerit. p.606
62. Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit. p.606
63. Licitum est quærere directè occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi. p.606
64. Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia Mysteriorum fidei, & etiamsi per negligentiam, etiam culpabilem, nesciat Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini nostri Jesu Christi. p.614
65. Sufficit illa Mysteria semel credidisse. p.614

## IN III. LIBRO

*Illa ab Alexandro VIII. proscripta.*

BOnitas objectiva consistit in convenientia objecti cum natura rationali: Formalis verò in conformitate actus cum regula morum. Ad hoc sufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretativè. *Hunc homo non tenetur amare, neque in principio, neque in decursu vitæ suæ moralis.* p.619

Peccatum philosophicum, seù morale, est actus humanus disconvenions naturæ rationali, & rectæ rationi. Theologicum verò, & mortale est transgressio libera divinæ legis. Philosophicum, quantumvis grave in illo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum. p.621

*Alia ejusdem Alexandri in eodem.*

1. IN statu naturæ lapsæ ad peccatum formale, & demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium, ac liberum fuit in causa sua, peccato originali, & libertate Adami peccantis. p.626
2. Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa, non excusat à peccato formali. p.627
3. Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam. p.628
4. Dedit semetipsum pro nobis oblationem Deo, non pro solis Electis, sed pro omnibus, & solis fidelibus. p.628
5. Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omninò accipiunt à Jesu Christo influxum, adeòque hinc rectè inferes in illis esse voluntatem nudam, & inermem, sine omni gratia sufficienti. p.628
6. Gratia sufficiens statui nostro, non tam utilis quàm pernicioſa est, sicut proindè meritò possimus petere, à gratia sufficienti *Libera nos, Domine.* p.629
7. Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio, vel mundi, si Dei Charitas Patris est, & Mundi, concupiscentia carnis, hoc est,

mala est. p.630
8. Necesse est infidelem in omni opere peccare. p.630
9. Revera peccat, qui odio habet peccatum merè ob ejus turpitudinem, & disconvenientiam cum natura rationali, sine ullo ad Deum offensum respectu. p.630
10. Intentio qua quis detestatur malum, & prosequitur bonum, malè ut cœlestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens. p.631
11 Omne, quod non est ex fide Christiana supernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum est. p.631
12. Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides, & etiamsi videantur credere, non est fides divina, sed humana. p.631
13. Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licèt beatitudinis operatur. p.631
14. Timor gehennæ non est supernaturalis. p.632
15. Attritio, quæ ex gehennæ, & pœnarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus, ac supernaturalis. p.633
16. Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia, aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex, & præscriptio naturæ rei idipsum quodammodò dictante. p.633
17. Per illam praxim mox absolvendi ordo pœnitentiæ est inversus. p.634
18. Consuetudo moderna quoad administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed abusu. p.634
19. Homo debet agere tota vita pœnitentiam pro peccato originali. p.635
20. Confessiones apud Religiosos factæ, plerque vel sacrilegæ sunt, vel invalidæ. p.636
21. Parochianus potest suspicari de Mendicantibus, qui eleemosynis communibus vivunt, de imponenda animis levi, & incongrua pœnitentia, seù satisfactione, ob quæstum, seù lucrum subsidii temporalis. p.636
22. Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad Communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis suis pœnitentiam egerint. p.636
23. Similiter arcendi sunt à sacra Communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus, & omnis mixtionis expers. p.637
24. Oblatio in templo, quæ fiebat à B. Virgine Maria in die Purificationis suæ per duos pullos Columbarum, unum in holocaustum, & alterum pro peccatis, sufficienter testantur, quod indiguerit purificatione, & quòd filius, qui offerebatur, etiam macula matris maculatus esset, secundùm verba legis. p.637
25. Dei Patris sedentis Simulacrum nefas est Christiano in templo collocare. p.638
26. Laus, quæ defertur Mariæ ut Mariæ, vana est. p.638
27. Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus, *in nomine Patris, &c.* prætermissis illis. *Ego te baptizo.* p.640
28 Valet Baptismus collatus à Ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus verò in corde suo apud se resolvit. *Non intendo facere, quod facit Ecclesia.* p.643
29. Futilis, & toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium Oecumenicum auctoritate, atque in fidei quæstionibus decernendis infallibilitate. p.645
30. Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clarè fundatam, illam absolutè potest tenere, & docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam. p.647 sq.
31. Bulla Urbani VIII. *In eminenti*, est subreptitia. p.648

LIBER

# LIBER PRIMUS
## CONTINENS PROPOSITIONES AB ALEXANDRO VII. PROSCRIPTAS.

Quadraginta quinque Propositiones, quas ALEXANDER VII. duobus respectivè decretis, altero, edito die 24. *Septembris* 1665. & altero, 18. *Martii* 1666. damnavit, hoc libro referimus, relaturi posteà, aliis duobus, cæteras ab INNOCENTIO XI. & ALEXANDRO VIII. proscriptas; quibus pro praxi à Confessariis in Sacro Tribunali exercenda, resolutiones, & dubia, ad ipsorum Decretorum præscriptum, adnectimus.

### CAPUT I.

*Prima propositio ab Alexandro damnata. Obligatio credendi, sperandi, & diligendi Deum.*

1. PROP. 1. Ab Alex. damnata. *Homo nullo unquam vitæ suæ tempore, tenetur elicere actum fidei, spei, & Charitatis, ex vi Matthæucci Cautela Confess.*

*præceptorum Divinorum, ad eas virtutes pertinentium.*

Authores propositionis putarunt hominibus non fuisse imposita præcepta divina credendi, sperandi, & diligendi Deum, *directè, & per se* exigentia illos actus, prout dixit Thom. *Tamb. to.* 1. *in decalog. lib.* 2. *cap.* 1. *de fide* §. 1. *num.* 9. sed solùm ad id teneri *indirectè*, & per *accidens*, quando, nimirùm, urget præceptum exercendi actus aliarum virtutum,

tutum, ut ostendit clausula: *ex vi præceptorum Divinorum ad eas virtutes pertinentium*, contra quos Alex. VII. decretum edidit. Occasione cujus eum DD. noto, hominem teneri ad eliciendos actus supernaturales fidei, spei, & Charitatis, aliquando *per se*, & *directè*; & aliquando per *accidens*, & *indirectè*.

2. Quæritur, *quando obligetur per se, & directè?*

Resp. Cùm debet eos actus elicere, obligatione proveniente ab ipsa respectivè virtute, vel fidei, spei aut Charitatis. Et tunc omissio actus est peccatum per se, & directè contra hujusmodi virtutes, in confessione explicandum, sic, *quòd non crediderit, nec speraverit, aut dilexerit, quando ad similes actus directè, & per se obstringebatur*; Nam regula generalis est, cùm ad actum alicujus virtutis datur obligatio directa, & per se, omissionem actus esse peccatum contra virtutem, cujus actus est per se sub præcepto.

3. Quæritur, *quando obligetur per accidens, & indirectè?*

Resp. Cùm actus Fidei, Spei, & Charitatis non præcipiuntur, nisi in ordine ad exercendos actus alterius virtutis; adeò ut, si hic, & nunc actus istius virtutis non esset per se, & directè sub præcepto, in ista circumstantia nulla daretur obligatio credendi, sperandi, & diligendi: V. G. obligatur quis gratiam per peccatum amissam, per contritionem perfectam extra Sacramentum, vel per attritionem in Sacramento, recuperare, non poterit hos actus elicere, nisi credat ea, sine quibus similes actus doloris haberi nequeunt: hoc est, *nisi credat in Deum: nisi ab ipso veniam speret: nisi credat Deum esse summum bonum, quem offendisse se doleat: vel pœnas inferni, cujus timore atteritur: nisi credat Sacramentum confessionis, cujus perceptione liberari à peccato intendit:* Hic actus Fidei, & Spei non præcipitur, nisi ratione contritionis, vel attritionis, & non per se: ideò omittens tunc eos actus doloris non peccat contra præceptum Fidei, vel Spei, sed solùm contra præceptum contritionis, vel attritionis, & satisfacit, si in Confessione dicat, se non elicuisse actum contritionis, vel attritionis, dum debuit, Layman. *Theol. Moral. lib. 1. tract. 1. cap. 10. in fine, & tract. 2. cap. 2. à num. 1.* Nam est commune, cùm obligatio V. G. credendi provenit ab alia virtute, quàm à virtute fidei, omissionem actus fidei non esse peccatum diversum ab eo, quod committitur contra illam aliam virtutem; quia illa virtus ad actum proprium per se, & directè, ad actum verò Fidei solùm per accidens, & indirectè obstringit.

4. Esse hominibus adultis impositum à Deo præceptum speciale obligans per se ad eliciendum actum fidei supernaturalis, constat Matth. ult. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur.* Neque enim quis damnaretur ob omissionem alicujus actus, nisi præceptum de illo eligendo esset impositum. De quo etiam *lib. 1. cap. 11.*

5. Pariter à Deo est adultis fidelibus impositum præceptum speciale spei, obligans *per se* ad actum supernaturalem spei eliciendum, ut ex Psal. 4. *Sperate in Domino* 1 *Petri* 1. *Sperate in eam quæ offertur vobis, gratiam,* &c. & alibi sæpè.

6. Item:

6. Item: Præceptum diligendi Deum super omnia, est speciale à cæteris distinctum per se obligans ad eliciendum actum amoris supernaturalis erga Deum, ut Matth. 22. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo:* ubi à Christo dicitur *primum, & maximum mandatum.*

7. Tandem hæc præcepta leguntur etiam in Augustino *Enchiridion de fide, spe, & charit.* ubi cap. 3. & 6. dixit *Fide, spe, & charitate Deum colendum.* Colitur Deus fide, firmiter credendo esse verum quidquid Deus dixit Ecclesiæ. Hac enim firma fide, quam ejus verbis præstamus, ipsum recognoscimus, & cultu intellectuali adoramus, tamquam ens summæ veracitatis in loquendo; ac tamquam infinitè sapientem, & bonum, à quo habet, ut nec ipse falli, nec nos fallere possit, & velit.

8. Colitur Spe, dum ab ipso certò expectamus beatitudinem, & cætera alia quæcumque bona salutaria, hoc est, ad salutem consequendam necessaria, aut utilia, sivè sint spiritualia, sive corporalia. Hac enim firma fiducia eum recognoscimus, confitemur, & adoramus, ut infinitè misericordem, Omnipotentem, & fidelem in suis promissis erga nos.

9. Tandem colitur amore charitatis; quia dum eum super omnia diligimus, protestamur, & confitemur ipsum esse summum, & infinitum bonum propter se amandum, cui nos ipsos ita subjicimus, ut parati simus potius velle omnes alias res perdere, quam ejus amorem, quando ad eum super omnia diligendum per illas impediremur. Legendus Catechismus Concil. Trid. p. 3. *de præcept. Decalog. nu.* 12. Vanni *t.* 2. *il Catechis.* 12. *pract. istr.* 41.

10. Cæterum duo respectivè sunt præcepta fidei, spei, & Charitatis. Negativum unum, affirmativum alterum.

## §. I.

### *Obligatio eliciendi actum fidei supernaturalis.*

11. QUæritur. *Quando per se, & directè obligat præceptum negativum fidei divinæ, hoc est, ut non adhibeamus fidem erroribus divinæ revelationi contrariis, & ab Ecclesia proscriptis, nec negemus ea, aut voluntariè, & cum advertentia dubitemus de veritate eorum, quæ Deus revelavit, & ut talia nobis ab Ecclesia proponuntur.*

Resp. Semper, & pro semper. Quia quodlibet est intrinsecè malum, ideò semper prohibitum; Perinde enim est, ac protestari, Deum mentiri posse, & firmam fidem suis dictis non mereri. Quod esse non potest absque gravissima injuria in ejus infinitam perfectionem, & summam veracitatem.

12. Quæritur. *Quando per se, & directè obliget præceptum affirmativum fidei; seu quo nam tempore teneatur quis ad aliquem actum fidei iterùm exercere?*

Resp. Primo: Cùm quis primò venit ad plenum usum rationis, eique sufficienter proponuntur mysteria fidei esse à Deo revelata cum obligatione credendi. Layman. cit. *cap.* 17. *nu.* 3. Illsung. *Theol. pract. t.* 3. *disp.* 11. *art.* 1. §. 4. *n.* 153 Abelly Medul. *Theol. p.* 2. *t.* 2. *cap.* 4. *sect.* 1. §. 1. Campionus *p.* 2. *instruct. pro confes. cap.* 1.

*n.* 19. Hujusmodi obligatio fundatur in debito colendi Deum ut veracem, cui, statim ac nobis Ecclesia proponit ipsum aliqua dixisse (tunc enim sufficienter proponitur) debemus cultum supremum intellectualem exhibere per assensum firmissimum submittendo intellectum ejus locutioni, credendo esse vera infallibiliter quæ revelavit. Per omissionem enim assensus præsumeretur judicare ipsum firmissimam fidem non mereri, vel Ecclesiam proponentem nobis locutionem Dei, falli posse, & non esse *columnam, & firmamentum veritatis, contra primam ad Timoth. 3.*

Secundò. In periculo mortis; nam id est tempus opportunum implendi hoc præceptum, & profitendi se christianum; maxime quia, tunc quisque tenetur omnem, quam potest, curam adhibere, ut suæ saluti certò consulat, & Deum colere assensu fidei supernaturalis, quæ est virtus Theologica, cujus actus est necessarius necessitate medii.

Tertiò. Sæpiùs in anno. Verisimile enim est, quòd Christus in institutione præcepti fidei id voluerit. Nam, cùm actus interni fidei necessarii sint ad nutriendam, & conservandam vitam spiritualem, juxta illud Pauli ad Roman. 1. *Justus ex fide vivit*, visetur necessarium, & divino præcepto injunctum, ut frequenter eliciantur. Quemadmodum præceptum naturale de vita corporali conservanda obligat ad sumendum sæpiùs cibum corporalem.

Quare diù intra annum differre est mortale; nec censetur diù differre, qui semel saltem pro quolibet bimestri actus fidei elicit, Campion. *cit. & cap. 8. nn. 18. instruct. per gl' ordinar.* adeò ut sexies ad minùs in anno fideles adulti ex divino præcepto, & ratione præcepti fidei ad credendum teneantur. Nisi dicas, & non improbabiliter, quod sint ad id obstricti, ut minimum semel in mense. Principalior enim cura fidelium esse debet, ut se exerceant in actibus virtutum Theologicarũ propter ipsarum excellentiam, & præstantiam cultus, qui per actus ipsarum Deo exhibetur; minus autem proptiè diceretur aliquis illarum exercitio incumbere, si saltem semel in mense non crederet, non speraret, nec ut oportet, diligeret.

13. Observat ubi supr. Campionus Christianos toties teneri per se ad actum fidei de illis mysteriis, quorum fides explicita est necessaria necessitate medii ad salutem, quoties tenentur ad implendum præceptum fidei, directè obligans ad credendum; adeò ut in illis casibus debeant explicitè credere Unitatem, & Trinitatem Dei: Incarnationem, mortem, & resurrectionem Domini nostri Jesu Christi, & Deum remuneratorem remunerando decedentes in gratia, vita æterna in Cœlo; & morientes in mortali pœna æterna in inferno.

14. Quapropter partes Confessarii esse debent, pœnitentes instruere de debito credendi, (& sperandi, ac diligendi Deum) eosque monere, ut quoties eliciunt actum fidei divinæ, exprimant rationem formalem credendi: hoc est: *firmiter credo Deum esse Unum in essentia, & Trinum in personis, quia Deus revelavit Ecclesiæ, & Ecclesia id nobis credendum proponit.* Ratio motiva, & formalis credendi, est divina revelatio. Ratio verò, & regula nobis proponens reve-

revelationem divinam est auctoritas Ecclesiæ. Unde Augustinus Lib. *contr. Epistol. Manichæi*, quam vocant fundamenti, *cap.* 5. dixit: ibi. *Ego verò Evangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret auctoritas.* Et ideò, propositio Ecclesiæ est conditio *sine qua*, non crederetur; divina verò revelatio est ratio formalis credendi, ut dixi *tr. de fide.*

15. At quæritur. *Quare Confessarii non interrogant pœnitentes, an præcepto fidei satisfecerint?*

Resp. Quia supponunt satisfeciſſe, & de obligatione instructos esse à Parochis. Quod si dubitarent, an ignorantia laborarent, essent tunc etiam instruendi. Maximè quia supposita notitia obligationis; videtur moraliter impossibile, quod dum adsunt sacro, recitant symbolum, orant, signant se Crucis signo, ea mysteria non crediderint.

16. Quartò. Cùm urget gravis tentatio contra fidem. Actus enim virtutum medicamenta sunt, ut actus vitiorum contrariorum impediantur. Tunc exclamandum est: *Credo, Domine*, adjuva incredulitatem meam, *Marc.* 9.

17. Quæritur. *Quando præceptum affirmativum fidei obliget per accidens?*

Resp. 1. Cùm eliciendus est actus supernaturalis cujuscumque alterius virtutis, & præcepti, ut timoris, spei, doloris, amoris, & similium. Requiritur enim actus fidei supernaturalis, tamquam regula prævia proponens voluntati objectum, in quod tendere debet. Hujusmodi necessitatem agnovit Augustinus ubi *supr. in Enchirid. cap.* 7. *ibi. Fides credit, spes, & charitas orant, sed sine fide esse non possunt; ac per hoc & fides orat..... Quid autem speravi potest, quod non creditur? & cap.* 8. *in fin. Nec amor sine spe, nec sine amore spes, nec utrumque sine fide.*

II. Cùm urget gravis tentatio ad aliquid peccatum, cui sine actu fidei non possumus resistere, juxta illud Apostoli ad Ephes. 5 *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias Diaboli..... In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere.* Tunc præceptum fidei non per se obligat, sed ratione alterius præcepti, ne succumbamus tentationi. Campion. *p.* 1. *cap.* 38. *num.* 16.

III. Cùm accipienda sunt sacramenta, & præsertim Eucharistia; nam Christi carnem manducare, & sanguinem bibere debemus, non sacramentaliter duntaxat, sed etiam spiritualiter, ut nobis prosit ad salutem, & ad vitam æternam. Spiritualis autem illa manducatio fit actu fidei vivæ, quæ per dilectionem operatur. Unde ex antiquissima Ecclesiæ consuetudine, Sacerdoti porrigenti, & dicenti: *Corpus Domini nostri Jesu Christi*; Fidelis quisque ipsum recipiens, respondebat: *Amen*: hoc est: *Verum est, ita credo.* Juvenin. *Theol. to.* 6. *dissert.* 4 *p.* 7. *c.* 6. *art.* 3.

IV. Cum in die festo tenemur præcepto Ecclesiæ audire Sacrum: cui non possumus satisfacere, nisi credamus Christum verum Deum esse sub Hostia, quam audientes Missam adoramus, *ibidem*, Campion.

V. Quoties tenemur ad justificationem nos disponere consequendam, sive per baptismum, sive per Pœnitentiæ Sacramentum, sive extra, si, urgente pericu-

lo,ea ſuſcipi non poſſint. Et Trid. *Seſ. 6. cap.6. de juſtif.* Eſt tunc neceſſarius actus fidei conducens ad excitandam voluntatem ad reliquos actus diſponentes ad juſtificationem, timorem ſcilicet, ſpem, dolorem de peccatis, & amorem Dei; ille nimirum quo creditur Deus eſſe juſtiſſimus Judex, miſericors, infinitè bonus; quod Chriſtus ſatisfecit pro nobis, & meruit omnibus gratiam, & gloriam ſufficientem. Poncius *Theol. diſp. 35.q.2.num.8.*

18. Formula *eliciendi actum fidei eorum myſteriorum, quorum fides explicita eſt neceſſaria neceſſitate medii ad ſalutem.*

*Firmiter credo, quia Deus revelavit Eccleſiæ Catholicæ, eſſe unum Deum, & remuneratorem ſupernaturalem eſſe; ac tres eſſe divinas perſonas, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, quarum qualibet eſt Deus; ſed non ſunt tres Dii, ſed unus Deus; atque Filium propter nos eſſe hominem factum, mortem ſuſtinuiſſe, & à mortuis reſurrexiſſe.* De quo etiam *lib.2. d.cap.13.*

## §. II.

### *Obligatio eliciendi actum ſpei Theologicæ.*

19 QUæritur. *Quando per ſe obliget præceptum negativum ſpei, hoc eſt, pro quo tempore homo teneatur non deſperare, & non præſumere.*

Reſp. Semper, & pro ſemper. Utrumque enim eſt ab intrinſeco malum: Et proinde pro quovis momento prohibitum, quia malum morale numquam operari licet.

20. Deſperatione offenditur divina Miſericordia,& Omnipotentia; quatenus,qui deſperat,de illis diffidit amplius remiſſionem peccatorum, aut beatitudinem æternam,& media ad illam neceſſaria,à Deo non expectans; quaſi Deus ea nolit,& non poſſit ea ſibi conferre. Propter quod deſperatio ſecundum defectum opponitur ſpei. Nam ſperans firmam fiduciam juxta illius promiſſionem à Deo beatitudinem, & cætera dona ſupernaturalia expectat; deſperans verò, quia beatitudinem, & remiſſionem peccatorum ſibi impoſſibilem apprehendit, ideò eas non expectat. Hinc etiam, qui deſperat, injuriam facit fidelitati divinæ, judicans in ſuis promiſſis Deum fidelem non eſſe.

21. Præſumptione verò offenditur divina Juſtitia, quæ adultis decrevit dare gloriam, per merita ab eis auxilio gratiæ elicita: & gratiam ſanctificantem, ac remiſſionem peccatorum conferre, præviis diſpoſitionibus,quibus ſe,divina gratia adjuti, ad eas ſe præparent, & diſponant. Quare præſumit, qui expectat gratiam ſanctificantem, aut gloriam æternam ex ſe ipſo, & naturæ ſuæ viribus conſequi poſſe; vel,ſe ex ſola divina miſericordia conſecuturum remiſſionem peccatorum ſine ullo actu doloris, aut æternam beatitudinem ſine ullis operibus divina gratia productis confidit. Conſequenter præſumptio opponitur ſpei ſecundum exceſſum, quia ſpes expectat beatitudinem,& remiſſionem peccatorum modo, quo obtineri debet. Præſumptio

sumptio verò modo, quo obtineri non potest, & à Deo non præfixo.

22. Observandum cum Toleto *l.4.c.7.* desperationem aliquando cum hæresi conjungi, ut si quis existimet, & pertinaciter sibi persuadeat, Deum aut nolle, aut non posse peccata commissa remittere, vel beatitudinem conferre. Pariter cum hæresi præsumptio conjungitur, si pertinaciter credas, te adultum posse sine tuis meritis, vel cum solis meritis naturalibus salvari. Quod est in confessione specialiter declarandum. Confessarius enim ordinarius non potest à peccato desperationis, & præsumptionis absolvere, quando cum hæresi non purè interna conjungitur, licèt per se præsumptio, & desperatio aliàs non sint peccata Papæ reservata. Ut notavit etiam Campion. *d. p. 2. cap. nn 4.*

23. Quæritur, *quando per se, & directè obliget præceptum affirmativum spei, hoc est, sperandi beatitudinem?*

Resp. Primò, statim ac homo usum rationis adeptus, sufficienter instruitur de rebus fidei, eique Deus, ut nostra beatitudo, & finis, ad quem bonis actibus tendere debet, proponitur, Layman. *cit. tract. 2. cap. 2. à num. 1.* Mastrius *disp. 10. qu. 2. art. 1. num. 35.* Joan. de la Cruz *direct. consient. primum præceptum art. 2. de spe*; Quilici *cit. art. 2. num. 2.* Obligatio videtur fundari in debito colendi Deum, ut Bonum, Misericordem, & Omnipotentem, promittentem nos aliquando consecuturos beatitudinem, si usque in finem perseverabimus; quem sic colimus, dum ab ipso, bene operantes supernaturaliter, speramus, expectam usque beatitudinem, sic promissam; quod ipse videtur exigere statim, ac nobis constat ipsum esse ultimum finem, & nostram beatitudinem.

Secundò. Quando urget gravis tentatio contra spem, quæ vinci non potest, nisi animus contrario actu spei Theologicæ ad Deum elevetur. Quilici, & Layman.

Tertiò. In articulo Mortis, tùm ob tentationes desperationis, quæ tunc solent graviores insurgere; tùm quia id est tempus opportunius, etiam per actum spei, accedendi ad Deum, ut ad nostrum ultimum finem, in quo maximè sperandæ est venia, & gloria.

Quartò. Ad minùs sexies in anno; sed censeo probabile ad minus semel in mense; quia videtur indignum homine fideli, credente Deum proposuisse vitam æternam bene operantibus usque in finem, integrum percurrere mensem, quin ipsam, sic propositam, ut minimum semel in eo, à Deo speret; hoc enim perinde est, ac ipsam beatitudinem per tempus notabile, judicio prudentum, parvi pendere; & revera Deo denegatur cultus, (qui exhibetur per actum spei) ipsum, ut bonum nostrum, non diligendo; quod esse non potest absque gravi irreverentia in ipsum, & contemptu salutis, & licèt ignorantia invincibilis, vel opposita opinio posset à peccato excusare, tamen diù differri non debet.

24. Quæritur, *quare igitur Confessarii pœnitentes non interrogant, an tempore adducto, præcepto spei satisfecerint, nec pœnitentes se de omissione accusant?*

Resp. Quia supponunt satisfeciisse, & non tantùm semel, sed, & frequentius in Mense

Mense actum spei elicuisse ? vel, dum orant, sperando id, quod petunt; vel, dum de peccatis dolent, sperando à Deo veniam; vel, dum Conciones audiunt, & recitant Symbolum, sperando vitam æternam.

25. Quæritur, quando *obliget per accidens, & indirectè ?*

Resp. Quoties præcipiuntur actus aliarum virtutum, qui sine actu spei Theologicæ exerceri non possunt; sic, qui orat, tenetur sperare, quod petit; ne vaga sit oratio, sed Deo placens, debet juxta fidei regulas esse conjuncta cum confidentia, & spe obtinendi, quod petitur; qui dolet de peccatis, & verè pœnitentiam agit, debet veniam sperare: qui accedit ad Deum, ut justificetur, tenetur sperare Deum sibi fore propitium, ut exprimit *Trid. sess.6. cap.6.* alia vide apud Lauræam *tom.4. disp.4. de spe, & infr. lib.3. cap.1.*

26. *Formula eliciendi actum spei Theologicæ.*

*Deus meus, quia infinitè misericors, & Omnipotens es, firmissimè spero ob merita D.N. Jesu Christi te mihi daturum beatitudinem æternam, si usque in finem bene cum tuo auxilio operabor, sicut operari, te auxiliante propono.*

## §. III.

### *Obligatio eliciendi actum charitatis circa Deum.*

27. QUæritur. Quando præceptum negativum charitatis de non odiendo Deum, & nihil agendo, quod ejus dilectioni, & amicitiæ repugnet per se, & directè obliget.

Resp. Semper, & pro semper. Nam semper est malum Deum offendere, & ipsum odio habere, ut patet ex terminis.

28. Quæritur. Quando præceptum affirmativum charitatis, & diligendi Deum super omnia per se, & directè obliget.

Resp. Primò. Cùm quis primò veniens ad usum rationis sufficienter instruitur de mysteriis fidei, ac proponitur Deus ut bonum infinitæ amabilitatis, & præceptum de amando Deum super omnia, ut D.D. communiter. Id exigens infinita ejusdem amabilitas, & excellentia, ac innumera ab ipso in nos collata beneficia.

Secundò in morali periculo vitæ. Nam illud est tempus opportunius, ut fidelis per actum amoris conjungat se Deo auctori suo, ne in æternum ab ipso, quem sequi sperat, separetur. Tum quia pro eo tempore tenetur suæ saluti tutò consulere; tutò autem sibi consulere non potest, quin eliciat actum charitatis Dei super omnia, quo Deum rebus omnibus creatis anteponat, & in Deum se convertat. Juvenir *cit. cap.4. art.1. §.3. conc.2.*

Tertiò. Frequenter intra annum, ita ut ad prudentum æstimationem homo diù non sit, quin ad Deum per charitatis actum se convertat. Non enim frustra hoc tanti momenti præceptum à Christo dicitur *primum, & maximum.* Ideòque vel semel in mense, ut mihi est probabile; vel ad minus sexies in anno juxta superius dicta de præceptis fidei, & spei. Videtur enim per se valdè rationi conforme, ut infinita amabilitas Dei per actum tantæ excellentiæ super omnia diligatur. Maximè quia ingratum se præbet,

bet, qui ultra id temporis differret, se per actum dilectionis convertere in Deum, à quo continuis beneficiis afficitur.

29. Quæritur. *Quando præceptum affirmativum diligendi Deum obliget per accidens, & indirectè.*

Resp. Quoties obligat ratione alterius virtutis, & præcepti. Sic obligat, cum quis sacrificaturus, vel Sacramentum administraturus, habet conscientiam peccati mortalis sine copia Confessoris. Nam tunc tenetur elicere actum contritionis perfectè, adeòque actum charitatis. Siquidem perfecta contritio debet esse charitate formata, ut ex Trid. *sess.* 14. *c.* 4. Abellii *cit.* §. 4. & Layman. *cit. tract.* 3. *cap.* 2. *artic.* 6.

30. *Formula eliciendi actum dilectionis Dei.*

*Deus meus, quia infinitè bonus propter te amabilis es super omnia te diligo, & omnibus creaturis te præfero: & paratus sum potiùs vitam perdere, quàm tibi displicere.*

## CAPUT II.

### *Prop. 2. ab Alexandro VII. damnata. Duellum.*

1. PROP. 2. *Vir equestris ad Duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.*

Duella sub excommunicationis censura, aliisque pœnis prohibuit Trid. *sess.* 25. *cap.* 19 *de ref.* quas approbat, & confirmat, ac habere locum ubique Gentium, & terrarum declarat Clemens VIII. *Const. Illius vices, la* 11. *Bullar. to.* 3.

2. Quæritur, *an absolutio excommunicationis, qua duellantes, ipso facto, absque alia monitione, aut declaratione, judicis decreto, aut ministerio*, ex Alleg. *Const. Clement.* §. *Quinimò, ligantur, sit reservata Romano Pontifici?*

Resp. Affirmativè, ut idem Pontifex eodem, §. firmat.

3. Quæritur, *an soli duellantes ea censura, & pœnis innodentur?*

Resp. Negativè, quia Clemens, §. *Quinimò excommunicat omnes, & quoscumque publicè, vel privatim, palàm, vel occultè, in quibuscumque locis, modis, & formis, ac casibus sub præsenti nostra, vel aliis prædictis constitutionibus, & decreto comprehensis, singulare certamen (quod duellum vulgò dicitur) ex composito ineuntes, nec non id scelus suadentes, aut provocantes; opem, consilium, vel favorem præstantes; equos, arma, & commeatus præbentes, aut comitantes; vel circa cartulas, seu libellos, literas, nuncios, aut quacunque alia scripta hujusmodi quomodolibet peccantes, hujusque delicti socios, de industria spectatores* (hoc est, qui non casu, sed ex proposito duellantes aspiciunt) *Patrinos, fautores, Defensores, &c.*

4. Quæritur, *an ad incurrendam prætactam censuram, & cæteras pœnas debeat realiter, & cum effectu pugna committi?*

Resp. Negativè, ex clausula adjecta in Const. Greg. XIII. *ad tollendum la* 78. *Bull. to.* 2. ac ex alia in d. const. Clementis §. *Præterea*, ibi: *volentes, etiamsi neque pugna aliqua, nec certamen, aut effectus, nec accessus, aut actus ad pugnam proximus, neque expressa, & aperta pro-*

*vocatio subsecuta fuerint; neque scriptiones prædictæ, quæ manifesta dicuntur, in publicum prodierint, aut cuiquam intimatæ extiterint, si per eos non steterit, quo minus publicatio, aut denunciatio fieret.*

Dices, Const. Clement. est pœnalis, & propterea restringenda ad actum consummatum juxta *regul. 15. jur. in 6. odia restringi, &c.* præsertim, quia per DD. cùm pœna propter actum imponitur, hæc non incurritur, nisi actu sequuto; quod exigitur ut censuræ incurrantur?

5 Resp. Dumagitur de salute animæ, & evitando peccato, ut in casu, debet fieri extensio etiam juris pœnalis. Quarant. *sum. ver. casus reservati. Additio quoad primum.* Nota: in casu duelli ad effectum incurrendi censuram, duplex consideratur effectus; alter est ipsa provocatio, vel acceptatio per principales, & ad ipsum cooperatio per complices; & alter est ipsa pugna, vel mors, & vulnera ex ipsa; iste nullatenus est necessarius ad censuram incurrendam (licet sufficiat:) & ideò innodantur Complices, Patrini, & alii, de quibus supra, quamvis non perficiatur conflictus; ille verò debet esse consummatus, & perfectus; debet nimirum ex parte principalium adesse provocatio, & acceptatio, & ex parte aliorum cooperatio.

6. Quæritur *quid sit duellum?*

Resp. Est pugna *duorum, vel plurium facta armis, seu instrumentis, aptis ad ferendam mortem, grave vulnus*, vel *mutilationem ex condicto; mutua scilicet, & spontanea conventione suscepta, designatis loco & tempore pugnæ.* Condicere ex Calvino, *Lexicon* importat diem, locumque communi consensu constituere.

8. Quæritur, *quotuplex sit duellum?*

Resp. Duplex, solemne, & privatum: illud dicitur, quod fit ex vi provocationis ex condicto ad certum locum, & diem, cum armis, Chartellis, coram testibus, & patrinis; alterum est conflictus cum loci, & temporis deliberatione cum armis, sed sine Chartellis, Testibus, & Patrinis; quod committunt, qui, postquam inter se convenerunt comparere intra tot horas in tali loco cum armis, ad effectum certandi, juxta conventionem conveniunt, & pugnant; Utrumque prohibetur sub excommunicatione reservata in Const. Clement. §. *quas pœnas, & §. Quinimmò*, sive *publicè*, sive *occultè* committatur.

8. Quæritur, *an duellum differat à rixa?*

Resp. Affirmativè, quia rixa est pugna, quæ oritur ex subita ira, eodem calore iracundiæ, animo alterato, non ex deliberata, & spontanea loci, & temporis conventione, nec interposito aliquo tempore inter contentionem & pugnam, quæ duello non aptantur ex dictis.

9. Quæritur, *an committant duellum duo inter se verbis contendentes, quorum unus, quia caret ense, in domum propriam properat, & dicit*, expecta me, donec arma, uttu, habuero; & alter respondet: vade, & fer gladium tuum, nolo te proditoriè, & inarmatum aggredi, *& sic redit, & pugnant?*

Negat Marchant. & non improbabiliter, alias omnes ferè rixæ, & pugnæ rusticorum & hominum infimæ plebis duella reputabuntur, excommunicationi sub-

subjecta; quod durum apparet: solent enim tales, modò inter Choreas, modò inter pocula, & ludos, à verbis injuriosis incipere, & pugnis sese mutuò percutere, ac deinde quia impediuntur, mutuò se provocant, ut uterque gladium ferat, & ex illo primo impetu ad gladios currunt, redeunt, & pugnant; pugna videtur prioris rixæ prosecutio, & continuata actio præcedentis quæstionis.

Verum esse subjecta dicerem, si ex incontinenti non redirent, hoc est, nullo actu contrario intermedio, juxta Glos. *ad cap. quia propter de elect. in ver. mox.* vel, non intra tempus, in quo potest prudenter præsumi, in eis eumdem impetum iracundiæ durare.

10. Quæritur, *an incurrant pœnam duellantium, qui conflictum suscipiunt hac lege, & pacto inito de non continuanda pugna, cum primùm quis eorum aliquod vulnus receperit, vel sanguinem fuderit, aut post certum ictuum numerum?*

Resp Affirmativè sic Clemens, §. *Nec non iisdem pœnis decreto.*

11. Quæritur, *an Titius duellum committat, qui à Cajo armato aggreditur, & stricto gladio, sic provocatur: tecum hic, & hac hora pugnare, duello certare volo, si non acceptes, & gladium exeras, te occido.*

Resp. Negativè cum Bonaccina, Peregrino, Filliuccio apud Barbosam *in Trid. cit. n.* 13. Boyvino *t. 3. Theol. cap. 3. de fortit. quæst. ult.* ratio est, quia duellum sponte, & non per vim, & coactè suscipi debet, juxta *text. in cap. Porro de Cleric pugnant. in duello*: sponte autem à Titio non suscipitur; ex parte cujus est potius justa defensio contra injustum aggressorem; *vid. infr. cap.* 15 *n.* 10. sed Cajus pœnis duellantium tenetur, quia per eum non stetit, quin duellum fuerit commissum.

12. Quæritur, *an, sic provocans, & alteri intimans, ut ense accinctus incedat, & ei, ad finem evadendi pœnas duelli, locum, tempusque non assignans: provocatusque ense armatus incedat, non ad solam defensam, sed ad dimicandum cum provocante, & ad hunc effectum unus alium quærat, pœnas duellantium incurrant?*

Resp. Affirmativè, quia intervenit conditio loci, & temporis, ac armorum sufficientissima determinatio; utriusque enim mens est simul ense pugnare, quocunque tempore, & in quocunque loco sibi obviabunt. Ameno *de pœnis.*

13. Dubitatur, *an Ecclesiastica sepultura sit privandus, qui in duello, accepto vulnere, non statim, sed alio die moritur?*

Resp. Negativè, si impœnitens non decesserit, quia pœna privationis sepulturæ Trid. *cit.* infligit, *si in ipso conflictu decesserint*: & Clemens, *si in ipso conflictu obierint*: par dispositio habetur *cap. Felicis de torneament.*

14. Sed quid *dicendum de eo, qui ante mortem dat signa pœnitentiæ, vel à Presbytero absolutionem recipit, sed in loco conflictus moritur?*

Resp. Non esse sepeliendum in loco sacro, quia de eo verificatur; quod *in conflictu moriatur*; denegatio enim sepulturæ non est præcisè ob decessionem in peccato, sed in pœnam, & detestationem duelli commissi; vel, ut loquitur

Glos. *ad alleg. cap. in ver. careat sepultura: ut potius consulatur vivis, quam defunctis, ut alii terreantur, & abstineant à similibus, cùm viderint illos sepeliri in campis.*

15 Quæritur, *quomodo se gerere debeat Confessarius cum duellante, ex vulnere in conflictu recepto, constituto in articulo mortis, dolente, & petente absolutionem, quam habere non potest ab eo, cui censura reservatur?*

Resp. Dum de peccatis verè doleat, debet ab his eum absolvere, & censura, quæ in eo articulo non est reservata, juxta §. *cit. quinimmò vid. Trid. sess.* 14. *de pœnit. cap.* 7. sed nonnisi impositio prius onere, & recepto juramento de stando mandatis Ecclesiæ (hoc est, quod similia amplius non sit commissurus) & recepta sanitate, ac impedimento cessante, de comparendo coram Summo Pontifice, vel eo, cui ipse absolutionem commiserit, juxta *text. in cap. de catero; cap. ea noscitur; cap. quod de his de sent. excom.* non ut iterùm à censura absolvatur sed, ut pro ea satisfactionem præstet: vel: ut obedientiam præbeat Ecclesiæ, & majorem pœnitentiam recipiat; vel, ut etiam in foro externo satisfactionem exhibeat. Quia, ut notat Engel. *lib.* 5. *tit.* 39. §. 4. *num.* 115. ea absolutio à privato sacerdote data, valet tantùm pro foro animæ, & in foro externo non potest præjudicare superiori; sub pœna reincidendi in similem excommunicationem, ut expressè *text. in cap. eos, qui de sent. excom. in* 6. si, cum primum possit, non compareat.

Est etiam ab eo exigenda cautio pignoratitia, vel fidejussoria, seu promissio jurata de satisfacienda parte (si tum non potest) si quæ sit læsa, Layman. Theol. *lib.* 1. *tr.* 5. *p.* 2. *cap.* 2. *num.* 8. & Pueronius *in Bullam Cœnæ cap. final. nu.* 19. & 20.

Et est cautela in praxi à Confessariis tenenda, cum absolvunt similes, & ligatos censura reservata.

16. Quòd si scienter omittant ea cum pœnitente exequi, quamvis is validè absolvatur (excipitur à casibus Bullæ Cœnæ per dicta *cap sequen. num.* 26.) mortaliter peccant, quia in re gravi operantur contra sacros Canones. Felix. *tom.* 1. *exam. num.* 3363.

## CAPUT III.

*Propositio tertia, & quarta. Absolutio ab hæres.*

PROP. 3. *Sententia asserens Bullam Cœnæ solum prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno* 1629. 18. *Julii in Consistorio S. Cong. Eminentissimorum Cardinalium visa, & tolerata est.*

PROP. 4. *Prælati Regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscumque sæculares ab hæresi occulta, & ab excommunicatione propter eam incursa.*

1. Bulla Cœnæ (sic dicta quia quolibet anno, Papa præsente, Romæ legitur feria 5 in Cœna Domini) est processus casuum, quibus annexa est excommunicatio, summo Pontifici reservata, cum derogatione privilegiorum, quibuscunque concessorum; cujus transumptum, nisi

nisi memoriter sciant, debent apud se habere Confessarii omnes, ad effectum, ut excommunicationes, in ea contentas, cognoscant, & distinguant, ne errent absolvendo eos, ad quos eorum non extenditur jurisdictio.

2. Quæritur, *an mortaliter peccent, si illud non retineant?*

Resp. Affirmativè cum Quilici *confes. manud. quæst. 4. art. 3. à num. 1.* Ratio est, quia exponunt se in re gravissima periculo invalidè administrandi Sacramentum pœnitentiæ, & faciunt contra præceptum Pontificis expressum, §. *Cæterum Patriarchæ* in fine.

Quarum propositionum occasione plura, & quidem ad praxim necessaria, ad hæresim, & hæreticos spectantia breviter adnotamus.

3. Quæritur, *quinam censendi sint hæretici?*

Resp. Omnes, qui, post susceptam fidem Catholicam, contra illam pertinaciter in aliquo errant: Sousa *Aphorismi Inquisitorum lib. 1. cap. 8. num. 2.* differt hæreticus ab *hæresiarcha*, quia iste errores contra fidem invenit, seminat, & defendit, & ideò Princeps hæresis appellatur: Sousa *ibid. cap. 4. num. 1.*

4. Quæritur, *quid sit hæresis?*

Resp. *Est voluntarius error intellectus contra aliquam fidei Catholicæ veritatem cum pertinacia, assertus ab eo, qui fidem recepit.* Sic DD. apud Carena *de offic. S. Inquisit. part. 2. tit. 1. §. 1. num. 2.* Error itaque in intellectu est hæresis initium, & pertinacia in voluntate ejusdem complementum. Fagn. *in 1. ad cap. damnamus de sum. Trinit. n. 11. vid. Clement. de sum. Trin.*

5. Quæritur, *in quo pertinacia consistat?*

Resp. In eo, quod quis sciens suam sententiam esse contra Ecclesiæ Universalis auctoritatem, & definitionem, nihilominus eam tenet, Layman. vel in hoc, quod quis sciens, vel volens, & cum advertentia consentiat in id, cujus contrarium scit à Sancta Matre Ecclesia determinatum, Carena *ibid. §. 2.* quare pertinacia in hæresi, *est consensus deliberatus in errorem cum certa cognitione, quod sit contra id, quod Ecclesia tenet;* & ideò pertinax est, *qui, non obstante, quod cognoscat ab Ecclesia teneri, quod aliquid sit de fide, non vult credere.* Poncius *disp. 30. quæst. 2. in fine*, ad pertinaciam in casu, vel, ut quis pertinax dicatur, & sui propositi tenax, vel, indocilis, & obstinatus sit, ut legit Glos. ad *Clement. cit. in ver. pertinaciter*, non requiritur temporis mora, vel, quòd per spatium temporis in errore perseveret, sed sat est, quòd unico momento sciens, & volens errori contra fidem adhæreat. Carena *ibid.* aliique.

6. Quæritur, *quando hæresis dicatur interna, seu purè mentalis, & quando externa?*

Resp. Interna, cùm quis ei mente solùm assentitur, & exterius eam nullo signo manifestat; quo casu dicitur, etiam per se occulta; externa verò, quando quis eam mente tenet, & verbo, vel facto exterius ostendit.

Ut hæresis, etiam externa dicatur, de necessitate per DD. requiritur: 1. Ut signum externum sufficienter sua natura, vel institutione, aut circumstantiis hæresim internam manifestet, ita quod, si

ibi aliquis adesset, vel ad ipsum advertet, arguere posset proferentem esse hæreticum, eique sufficienter hæresim manifestaret; ex quo sequitur hæreticum mentalem, qui, nemine audiente, vel vidente, sed secretò suam hæresim ore profert, vel scribit, etiamsi statim se retractet, percutiendo os, lacerando schedam, effici hæreticum formalem & externum, quia signa de sua natura eam manifestant. II. Quòd actus externus, quo quis suam hæresim declarat, sit de se malus; qua propter sequitur, hæreticum mentalem Confessario hæresim suam verbis exprimentem, vel alteri, causa capiendæ instructionis, aut consilii, ad effectum eam deponendi, non effici hæreticum externum, quia eam non exprimit animo eam docendi, aut profitendi, sed fine bono, Sousa *cap.* 15. *num.* 7.

7. Quæritur, *quomodo se gerere debeat Confessarius cum hæretico, verè pœnitente?*

Resp. Animadvertat, an ejus hæresis fuerit purè mentalis, & interna: quo casu non habet annexam excommunicationem Bullæ Cœnæ; ideò hæreticus purè mentalis à quocumque Confessario approbato potest absolvi. Carena §. 7. *n.* 45. Aliique. sed, si etiam externam invenerit, eum absolvere nequit, ex quo fit cum excommunicatione Bullæ conjuncta, Summo Pontifici reservata; etiamsi secretò, & nemine audiente, vel vidente, eam exeernam fecisset; quòd si esset solùm hæreticus externè, credens internè omnia, quæ S.M. Ecclesia credit, absolvi posset, juxta dicenda *num.* 9.

8. Advertas, facultatem absolvendi ab hæresi externa, etiam occulta, datam Episcopis à Trid. *sess.* 24. *cap.* 6. *de refor.* esse sublatam per Bullam Cœnæ, juxta sæpius resoluta à *S.C.C. apud Piasec. prax. Episc. par.* 2. *cap.* 1 *art.* 3. *nu.* 5. *& num.* 18. & me ipsum Offic. Cur. *cap.* 38. *nu.* 26.

9. Quæritur, *quomodo Confessarius se gerere debeat cum blasphemo hæreticali, verè pœnitente?*

Resp. Animadvertat, an non modo protulerit verba blasphemiæ hæreticalis, verùm etiam habuerit errorem in intellectu contra fidem, quia tunc erit verè hæreticus formalis, & externus, innodatus excommunicatione Bullæ, Summo Pontifici reservata. Si in intellectu nullum habuit errorem, videat, an hæreticalis blasphemia sit reservata Episcopo: & ubi invenerit esse, nec tunc poterit absolvere (nisi facultate recepta) licet blasphemus reservationem ignoraverit; si autem nulla erit blasphemiæ adjuncta reservatio, à quolibet Confessario approbato absolvi poterit, Carena ibid. *tit.* 7. §. 19. *num.* 98. debet etiam interrogare de numero blasphemiarum, an in Deum, B.V. vel in Sanctos fuerint, quia graviores sunt juxta diversitatem objecti: an unico impetu in plures Sanctos blasphemaverit, ut in duodecim Apostolos, quo casu duodecim sunt peccata, quia duodecim sunt injuriati; an habuerit expressam voluntatem injuriandi Deum: de consuetudine blasphemandi, &c.

Sed quid, *si pœnitens dubitet, an habuerit, cum blasphemavit, errorem in intellectu?*

Resp. Cum Homobono apud Carenam *nu.* 95. Confessarium, utpotè de sua jurisdictione dubium, non debere eum absolvere, sed eum Superiori remittere.

10. Quæ-

10. Quæritur, *in quo differat blasphemus hæreticalis ab hæretico?*

Resp. In hoc, quod hæreticus, etiam internè contra fidem sentit: Blasphemus autem hæreticalis solum ore profert verba hæretica, & contra fidem mente nil negat, sed omnia tenet, quæ credit Sancta Mater Ecclesia. Quare qui loquitur contra Deum, vel ei tribuendo, quod ei non convenit, ut esse *injustum*: aut tollendo, quod convenit, ut non *esse sapientem*; vel tribuendo Creaturæ attributum proprium Dei, ut esse *Omnipotentem*, si internè non credat, ut loquitur, est dumtaxat blasphemus hæreticalis, non hæreticus.

In blasphemia hæreticali duplex est malitia: una, qua opponitur virtuti Religionis, altera, qua repugnat externæ Confessioni fidei; utà Deo tollit debitam reverentiam, & honorem, virtuti Religionis opponitur; quatenus verò affirmat, vel negat, quod de Deo fides docet, est contraria confessioni fidei. Carena *cit. tit.* 7. §. 1. *num.* 6. Sousa *cap.* 19. *l.* 1. *num.* 6. *vide lib.* 2. *cap.* 4.

11. Quæritur, *an dubius in fide sit hæreticus?*

Resp. Affirmativè, textus *in cap.* 1. *de hæret.* ubi: *dubius in fide infidelis est*; & Clement. *cit.* §. *porro*, habetur, doctrinam, quæ vertit in dubium, quod anima rationalis sit forma corporis, esse inimicam fidei Catholicæ, & eum, qui ei pertinaciter adhæret, esse hæreticum. Carena *tit.* 1. §. 3. Sousa *cap.* 11. Layman. Poncius, & Pueronius *in Bulla Cœnæ.*

Et procedit, tam de Dubio, qui positivè cum advertentia, & voluntariè judicat articulum aliquem fidei, quem scit ab Ecclesia Catholica teneri, & proponi fidelibus credendum, non habere tantam certitudinem, ut tutum sit ei sine hæsitatione assentiri (qui non est, tam formaliter dubius, sed etiam positivè errans in fide, quia positivè cum advertentia pertinaciter judicat, ea, quæ proponit Ecclesia fide Divina credenda, esse incerta, vel non certò à Deo revelata; & sic Ecclesiam falli posse, contra fidem) quàm de Dubio negativè, qui omnem actum suspendit circa aliquem articulum fidei ab Ecclesia propositum, putans non habere motivum sufficiens ad firmissimè credendum, quasi propositio Ecclesiæ non sit infallibilis.

12. Quæritur, *quid sit Apostasia à fide?*

Resp. Est *recessus in totum à fide Christi.* In hoc differt Apostata ab Hæretico, quod hic unum, vel aliquos solum articulos fidei negat, ille autem omnes, & ad aliam sectam, putà, Turcarum, Judæorum, Atheorum, &c. se confert. vid. Carena *tit.* 3. §. 1. *num.* 3.

13. Quæritur, *quomodo Confessarius debeat se gerere cum Apostata pœnitente?*

Resp. Eo modo, quo supra diximus cum hæretico; animadvertat, quòd si Apostasia sit tantùm exterior, & intellectu suo rectè pœnitens senserit de Catholica fide, poterit à quocumque Confessario approbato absolvi, nam excommunicationem Bullæ Cœnæ non incurrit, Carena §. 15. *nu.* 67.

Et si quæratur, *an circumstantia Apostasiæ sit in Confessione necessariò explicanda, vel sufficiat dicere contra fidem voluntarium errorem habui?*

Resp.

Resp. Explicanda est, quia ad minus importat circumstantiam notabiliter aggravantem peccatum intra eandem speciem, & mutantem judicium Confessarii, de necessitate in Confessione aperiendam, Quilici *qu.* 16. *art.* 11. *num.* 39.

Quæritur, *quid sit schisma?*

14. Resp. *Est voluntaria, & pertinax separatio ab unitate, & obedientia Ecclesiæ Universalis, ejusque Capitis, Romani Pontificis, ut Pontifex est, & Caput visibile Corporis Mystici, constantis ex universis fidelibus.* Carena *tit.* 3. §. 10. Sousa *lib.* 1. *cap.* 20. Dicitur, ut *Pontifex* est, per quod Schismaticus non reputatur, qui renuit Papæ obedire, eique non vult subjici, ut Domino temporali. V. G. Civitatis Bononiæ, Perusiæ, &c. Sousa *cit.*

Schismatici sunt in duplici differentia; alii divisi sunt ab Ecclesia, quoad obedientiam solùm, & nullum errorem habent in fide; hujus generis sunt, qui, licèt credant Summum Pontificem esse Caput visibile Ecclesiæ, & cæteros fidei articulos, ex propriæ tamen voluntatis malitia nolunt Pontifici, quà tali, obedire, & ligantur excommunicatione Bullæ, ut clarè textus.

Alii verò sunt divisi ab Ecclesia & quoad obedientiam, & quoad fidem, & hi sunt formaliter hæretici. Hujus generis sunt Græci schismatici nostri temporis, qui non solùm nolunt credere, Summum Pontificem Romanum esse Christi Vicarium, & Caput visibile Ecclesiæ Catholicæ, sed etiam credunt Ecclesiam Orientalem, & Constantinopolitanam non esse sub Ecclesia Romana, ac Patriarcham Constantinopolitanum non esse inferiorem Romano Pontifice, ut patet ex actis *Conc. Florentini sub Eugenio IV.* & habent errorem in fide cum pertinacia contra articulum, & *unam Sanctam Ecclesiam, cap. inter hæresim* 24. *quæst.* 3. Fagnan. *in* 5. *ad cap. quod à Prædecessore de schismat. numero* 16. hi excommunicatione Bullæ ligantur, sicut alii hæretici.

15. Quæritur, *an ligetur excommunicatione Bullæ Catholicus, qui in Anglia obedientiæ signa exhibet erga Regem, uti caput Ecclesiæ, quamvis firmiter credat, non ipsum, sed Romanum Pontificem esse Christi Vicarium, & Ecclesiæ Caput?*

Resp. Affirmativè, Carena §. 12. *nu* 46. & Sousa *cap.* 20. *num.* 16. Quilici *q.* 10. *art.* 11. *num.* 40. Ratio est, quia, ut schismatis crimen committatur, & censura incurratur, sufficit se subtrahere ab obedientia Papæ, ipso effectu, seu opere externo, etiam sine animo se subtrahendi ab obedientia ipsius, ut est Ecclesiæ Caput.

16. Ideò notet Confessarius differentiam inter excommunicationem latam ob hæresim, & ob schisma: prima copulativè requirit errorem in intellectu cum manifestatione illius externa; secunda, solùm opus externum, DD. communiter. Differentiam inter hæresim, & schisma habes: nam hæresis consistit in errore contra fidem, & sic opponitur fidei: schisma verò in separatione ab unitate corporis Ecclesiæ, & sic principaliter opponitur Charitati.

17. Quæritur, *quomodo Confessarius se debeat gerere cum schismatico pœnitente?*

Resp.

Resp. Si schismaticus sit, etiam hæreticus, eo modo, quo diximus cum hæretico.

Si verò non sit hæreticus; videat, an schismaticus sit purè internus, & tunc poterit eum absolvere, quia in casu censura non incurritur; si autem reperiat esse, etiam externum, eum absolvere nequit, utpotè innodatum censura Bullæ, Papæ reservata.

18. Quæritur, *quid agere debeat in praxi, cum in Ecclesia eodem tempore duo reputantur Summi Pontifices?*

Resp. Si constet de Canonica electione unius, & de non canonica alterius, Confessarius consulat, & pœnitenti præcipiat, ut pro vero Pontifice eum agnoscat, quem constat canonicè electum, & Ecclesia recipit. Si verò res sit dubia, & ignoretur, quis eorum sit legitimè electus, est pœnitenti injungendum, ut teneat se, tamquam Ecclesiæ Catholicæ membrum, sub uno ipsius Capite Christo, & ejus Vicario, qui in conspectu ipsius est legitimè electus, quisquis ille sit; & promptum se exhibeat ad illum pro vero Pontifice agnoscendum, quem pro tali approbabit Concilium Generale, vel Ecclesia susceperit.

19. Quæritur, *an, qui negaret hunc numero Papam V. G. Clementem XI. esse verum Pontificem, & Ecclesiæ Catholicæ Caput visibile, esset schismaticus, vel hæreticus?*

Resp. Affirmativè, quia de fide est, Clementem esse verum Pontificem; ratio est, quia, sicut est de fide, quòd *omnis ritè, & canonicè electus in Pontificem, sit verus Pontifex, & Ecclesiæ Caput; ita est de fide, quòd hic numero homo, ritè, & canonicè electus, sit verus Pontifex:* in ea enim propositione omnes singulares revelantur; quemadmodum in ista: *omnes homines resurgent, revelatur, quòd ego, & alii resurgemus*; Clemens autem XI. est ritè, & canonicè electus in Pontificem: quod morali evidentia, & certitudine innotescit, ex quo eligentes, & universalis Ecclesiæ consensus, eum in verum Pontificem recipiant, & teneant. Quilici, Carena, *& ego ipse alibi in tract. de fide.*

20. Quæritur, *quinam dicantur hæreticis Credentes?*

Resp. Qui hæreticorum errores credunt. Quorum aliqui in particulari, & explicitè eos credunt, & hæresim profitentur; & hi sunt formaliter hæretici; contra quos, ut contra formaliter hæreticos, proceditur. Aliqui verò solùm implicitè, ut dicendo: vera *sunt dogmata, quæ Calvinus contra Ecclesiam Romanam docuit; Calvinistæ in sua fide salvari possunt, &c.* licèt in particulari nesciant, quænam dogmata sunt. Et licèt hujusmodi Credentes sint formaliter hæretici (sicut Catholici, etiam sunt, qui fidei articulos implicitè credunt, credendo, *quidquid credit Ecclesia Catholica*) tamen, ne quis de eorum excommunicatione dubitare posset, eorum etiam specifica mentio in Bulla facta est.

Quidam ex factis exterioribus præsumuntur, & judicantur credentes *hæreticorum erroribus*, ut loquitur Cardinalis Guido Fulgodius (qui fuit Clemens IV.) *q. 9. quindecim qq. ad Inquisitores.* Hinc notes, alia esse facta spectantia ad ritus hæreticorum, ut sunt *cœna Valdensium, Lutherana, & Calvinistica: frequen-*

*tia audiendi eorum conciones, & similia.* Qui in cœna Calviniſtica communicarent, conciones hæreticorum frequenter audirent, eorum *Credentes* judicandi eſſent; quia, ut quis hæreticorum *Credens* dicatur, parum refert, an voluntatem ſuam opere aperiat, an factis; & iſti, etiamſi internum errorem contra fidem non haberent, adhuc in Bulla Cœnæ eſſent excommunicati.

Et alia ſunt facta, quæ non concernunt eorum ritus, ſed potius communem converſationem, & politicam ſocietatem: in his communicans cum hæreticis, non poteſt dici *Credens hæreticorum*; poteſt enim moveri alio fine, quàm eo, quod credat eorum erroribus.

21. Quæritur, *qui nam formaliter ſint fautores, receptatores, & defenſores hæreticorum?*

Reſp. Omnes, qui ſcienter favorem, vel auxilium Hæretico præbent, quatenus Hæreticus eſt, ſive, ut hæreſim ſuam facilius docere, defendere, aut latius diffundere poſſit: v.g. recepi hæreticum, dum à ſuo Principe quærebatur ad necem ob homicidium, materialiter ſolùm ſum receptator Hæretici; recepi verò, dum à S. Inquiſitione petebatur damnandus ad triremes ob hæreſim, ſum formaliter receptator, & fautor, ac excommunicatus in Bulla Cœnæ.

22. Nota, Confeſſarium non poſſe abſolvere Credentes, Fautores, Defenſores, & hæreticorum Receptatores, dum hæreticos, quà tales, recipiunt; & dum fautoria, credentia, vel receptio ſunt in ſubſidium hæreſis; quia excommunicantur in Bulla.

23. Quæritur, *an quando in literis Jubilei apponitur hæc clauſula:* Inſuper, &c. licentiam concedimus, ut ſibi eligere poſſint Confeſſarium, qui ab omnibus peccatis, & cenſuris, etiam in literis die Cœnæ Domini legi ſolitis, contentis, &c. in foro conſcientiæ, & hac vice tantùm, abſolvere, & liberare valeant: *Confeſſario approbato tribuatur facultas abſolvendi pœnitentes, etiam ab hæreſi?*

Reſp. Negativè, niſi ſit purè interna, *vid. cap. 34. num. 29.* Decretum Alex. VII. id prohibentis.

24. Quæritur, *an poſſit abſolvi pœnitens, qui ſcit, ſe lingua hæreſim pronunciaſſe, ſed dubitat, an mente conſenſerit?*

Reſp. Negativè; nam debet hæreticus formaliter, & hæreſis interna, & externa ſimul reputari; ratio eſt, quia, cùm verba ſint naturaliter ſigna intentionis, & nullus ore præſumatur dicere, quod in corde non habet, præſumptio eſt, & poſſeſſio in hoc dubio, quod hæreſis illa proceſſerit exterius, ex vero conſenſu interiori in illam.

25. Quæritur, *an poſſit abſolvi, qui non ſeriò, ſed per jocum ſuam hæreſim profert; ut, ſi quis credens ſub ſpeciebus panis non eſſe Corpus Chriſti, dicat:* ego nolo adorare Deum, qui comedi poteſt à muribus, & dentibus conteri?

Reſp. Negativè, quia revera hæreſim, quam mente tenet, extra ponit: & licèt per jocum, tamen id, quod ſentit, pronunciàt: per jocum ſæpè veritas aperitur. Nec obſtat, quod dicens ex joco, fidem non faciat; quia non eſt neceſſe, quod hæreſis fiat externa, quantum ad judicium aliorum: nam ſufficit, quod

quod signo externo exprimatur, etiamsi, non nisi ipsi loquenti sit notum. Sousa *cap.* 15. *num.* 6. Talis modus loquendi, quamvis sit ex joco, addit circumstantiam contemptus, quod crimen aggravat.

26. Quæritur, *an in articulo mortis Confessarius ordinarius possit absolvere ab hæresi formali, etiam publica, & cæteris censuris Bullæ Cœnæ?*

Resp. Affirmativè, quia Trid. sess. 14. *cap.* 7. *de pœnit.* definit in articulo mortis nullam esse reservationem. Sed nota verba textus: nam Bulla §. *cæterum à prædictis*, id concedit, ut infra: *à prædictis sententiis nullus per alium, quàm per Romanum Pontif. nisi in mortis articulo constitutus, nec etiam tunc* (nota) *nisi de standō Ecclesiæ mandatis, & satisfaciendo, cautione præstita, absolvi possit, vid. cap. præter num.* 16.

Si in eo articulo constitutus possit recurrere ad Superiorem, habentem facultatem legitimam absolvendi, vel eum vocando, media aliqua persona, vel missis literis, possit expectare, ab eo præsente, absolutionem, vel facultatem, ut à Confessario ordinario absolvatur, debet recurrere, Sousa *lib.* 3. *c.* 4. *num.* 3. Si verò mors certò sit imminens, & judicio boni viri tempus pro recursu insufficiens, potest ipsum absolvere, sed non nisi juxta textum modò expressum, & observata cautela, de qua in *cap.* 2. *num.* 15.

27. Quæritur, *an Confessarius sine legitima facultate, & extra mortis articulum, scienter absolvens ab hæresi formali, & cæteris censuris Bullæ, de facto excommunicationis innodetur sententia? & quatenus, an sit reservata?*

Resp. Affirmativè, §. *quod, si forte* per verbum *innodamus*, de facto excommunicatur, qui *præsumpserit* absolvere, hoc est, qui sciens non posse de jure absolvere, temerè, & imprudenter absolvit; is enim dicitur præsumens; propterea non præsumit, qui bona fide, ignoranter, sive inadvertenter aliquid agit. Barbosa *dict.* 235. *num.* 2.

Censura expressè reservatur, in decreto de casuum reservatione, edito à S.C. Episcop. de mandato Clement. VIII. *sub die* 9. *januarii* 1601. & in extravag. *Sixti IV. Et si Dominici Gregis de pœnit. & rem.*

28. Quæritur, *an Superiores Regulares ad minus possint suos subditos ab hæresi formali, & aliis censuris Bullæ Cœnæ, sive publicis, sive occultis, absolvere sine speciali facultate?*

Resp. Negativè: de la Cruz *lib.* 1. *de stat. Religionis cap.* 6. *dub.* 14. *conc.* 2. Carena *tit.* 4. §. 14. *num.* 102. & Alii plures, quos cumulavi adducto *cap. off. Curiæ num.* 17. Ratio est, quia Bulla Cœnæ quolibet anno renovatur, & publicatur, & in illa §. *non obstantibus privilegiis, &c.* revocantur omnia privilegia, & indulta, etiam Ordinibus Mendicantium, sub quavis forma concessa, eidem contraria; observa modum loquendi Bullæ: *Cæterum à prædictis sententiis nullus per alium, quam per Romanum Pontificem, &c.* Nullus: ergo non Secularis, non Religiosus, contra Felicem *to.* 1. *examen nu.* 3377. alioque, quos ipse sequitur. Et dixi Offic. Cur. *Cap.* 38. *numer.* 24.

29. Quæritur, *an Confessarius ordi-*

*narius possit à crimine hæresis Sacramentaliter absolvere pœnitentem, qui in foro exteriori, seu extra Confessionem; prævia abjuratione, fuit ab Inquisitore, vel Superiore legitimo absolutus à censura, hæresi annexa?*

Resp. Affirmativè, cum Carena *tit.* 2. §.7.*num.*48. Quilici *qu.*16 *art.un.nu.*36. *ver.quare:* quia non sequitur, quòd eum absolvat à sententiis Bullæ, aut talibus laqueatum, quod ipsa Bulla prohibet, §. *quod si fortè: vide Campionum instr.* 1. *par.cap.*18.*num* 17.& nota cum Quilici, *& Ilsung.tract.*6.*disp.*6.*art.*3.§.1.*nu.*107. Pontificem reservare sibi quidem certa peccata, sed tantùm ea, & tandiù, quæ, & quandiù, habent annexam censuram, sibi reservatam.

An autem Papa reservet sibi peccata, etiam independenter à censura?

Consule Constitutiones Apostolicas.

30. Quæritur, *an ordinarius confessarius possit absolvere à peccato, quod consineri dubitat in Bulla Cœnæ?*

Resp. Negativè ex enunciato decreto sub Clemente VIII.9.*Januarii* 1601. revocante facultates absolvendi ab ullo ex casibus clarè, vel dubiè in Bulla, die Cœnæ Domini legi consueta, & contentis, contra Felicem *tom.*1.*num.*3 3 13. Ponderet Confessarius hæc verba 2. decreti sub Clement. *S. Congr. vult, & mandat dictum decretum*, hoc est editum 1601. *in sua firmitate, & pristino robore permansurum:* quoad ea nimirum, in quibus per secundum non moderatur, sed non moderatur quoad prohibitionem absolvendi ab ullo ex casibus clarè, vel dubiè contentis in Bulla Cœnæ. Textus decretorum est satis apertus.

## CAPUT IV.

### *Prop.*5.*ab Alex.*VII.*&c.*
### *Obligatio denunciandi Hæreticos.*

PROP.5. *Quamvis evidenter tibi constet, Petrum esse hæreticum, non teneris denunciare, si probare non possis.*

1. Hæresis ex D. Thoma apud Pegnam *prax. Inquisit. cap.* 2. *num.* 4. tendit ad spiritualem multitudinis corruptionem, & ex *l.Manichæos C.de Hæret.*in omnium fertur injuriam, quatenus omnibus Catholicis vera credentibus, per eam, & hæreticos aliud, quam credendum est, proponentes credendum, injuria infertur. Ipsi verò Hæretici apud *alleg.cap.*1. *num.*3. sunt organa diaboli, vasa iræ, Rei læsæ Majestatis Divinæ, *& ex c. vergentis de Hæret.* Christianæ Religionis conantur fundamenta convellere, omnesque Catholicos in errorem contra fidem trahere: propterea omnes debent Judicibus fidei, Inquisitoribus, vel Episcopis respectivè denunciari, ut similia damna reparentur, & hæresis in sua radice opprimatur.

2. Quæritur, *unde oriatur obligatio denunciandi hæreticos?*

Resp. Oritur, ex naturali ratione, qua quælibet persona, cùm sit pars Reipublicæ, tenetur, quasi pars toti, ei succurrere, dum viderit eam contagione infici, vel sceleribus corrumpi, Genuen. *Prax.cap.*18.*num* 1.Carena *p.*2.*tit.*9 §.1. Item ex jure canonico id præcipiente, *cap. excommunicamus il primo de Hæret. §. adjicimus:* & ex edicto S.Officii videndo *nu.*10. ac ex PP. authoritatibus apud Pegnam *cap.*3.

§. Quæ-

3. Quæritur, *an denunciationi hæretici præmittenda sit correctio fraterna?*

Resp. Negative cum D. Thoma 2 2. *qu.* 33. *ar.* 1. *in corpore, & ad* 3. ubi habet; *quando imminet periculum multitudini, non habent ibi locum hæc verba Domini* (si peccaverit, &c) *quia tunc frater peccans, non peccat in te tantùm:* maximè, quia sperandum non est, quod, qui ausus est se opponere Ecclesiæ Universali, corrigatur per secretam monitionem unius: *cit. Carena* § 4. Genuen. *num.* 7. itaque, nulla admonitione, aut fraterna correctione præmissa, Hæretici sunt denunciandi: ut dixit Pegna *cap.* 7. *num.* 3. *vid. cap. sequen. num.* 8.

4. Quæritur, *an denunciandi sint Hæretici occulti, quorum crimen nec duobus testibus probari potest?*

Resp. Affirmativè, quia, dum PP. Pontifices, & Inquisitorum edicta firmant obligationem denunciandi Hæreticos, indistinctè loquuntur, & ideò indistinctè intelligendi sunt, tam de manifestis, quàm occultis.

Sed quid. *si Hæreticus sit ita occultus, ut ego solùm sciam eum esse Hæreticum, nec aliter possim ejus hæresim probare?*

Resp. Teneor denunciare, & in his terminis damnatur propositio ab Alex. Ratio est, quia quamvis delictum probari non possit, Superior vigilabit; & potest contingere contra prædictum alias adesse denunciationes, ex quibus de facili possit deveniri ad torturam, & ad alia juris remedia, ac omni meliori modo succurri Reipublicæ; Genuen. *nu.* 5. & Carena *num.* 18.

Nota per denunciationem Reis injuriam non fieri: nam ad bonum commune Reipublicæ expediebat concedi adversùs ipsos, etiam occultos, facultatem, ac jus denunciandi, ad effectum impediendi damna tendentia in periculum multitudinis. Ilsung. *tract.* 4. *disp.* 2. *qu.* 1. *art.* 6. § 2. *num.* 30. Præsertim, quia ex lege charitatis bonum commune, quod per hæresim læditur, præferendum est bono particulari famæ Hæretici, qui in communitatem, & in Deum peccat.

6. Quæritur, *an hæreticus emendatus sit denunciandus?*

Resp. Affirmativè, ratio est, quia hæretici fingere possunt se emendatos; & non est eis credendum, si affirment, sed necessarium est, ut innotescat Judicibus fidei, ut ad juris remedia procedant. Carena §. 6.

6. Quæritur, *an sciens sub secreto, etiam jurato, aliquem esse Hæreticum, teneatur eum denunciare?*

Resp. Affirmativè, nec obstat secretum, aut juramentum: non secretum: quia hujusmodi est mere humanum, nascens ex privato pacto, tacito, vel expresso inter loquentem, & audientem, & ideò non potest præjudicare legi Superioris, præcipientis denunciationem; nec, qui silentium exigit, potest rationabiliter velle, quod de commisso alter non loquatur: vid. Th. 2. 2. *qu.* 6. *art.* 1. *ad* 2. ubi loquens de iis, quæ sunt secretò extrà confessionem commissa, sic pronunciat: quandoque *sunt talia, quæ statim, cùm ad notitiam hominis venerint, homo ea manifestare tenetur: puta, si pertinent ad corruptionem multitudinis spiritualem, vel corporalem, vel in grave damnum alicujus personæ, vel, si quid aliud est hujusmodi, quod*

*quis propalare tenetur, vel testificando, vel denunciando; & contra hoc debitum obligari non potest per secreti commissum, quia in hoc frangeret fidem, quam alteri debet.*

Nec juramentum: quia juramentum juxta regulam 58. *Jur. in 6. non est obligatorium contra bonos mores*; nec de re illicita obligat, cum non sit vinculum iniquitatis, *cap. Inter cætera 22. qu. 4.* Emissum autem esset hujusmodi, quia contra leges canonicas; & ideò invalidum, juxta commune Doctorum; & notat Glos. *in cap. pervenit il 1. de test. cogen. ver. juramen.* vide etiam *cap. constitutis, de test. & attestat.* & Pegn. *cap. 8.* Fulcodium *qu. 8.* & Carena §. 5.

7. Quæritur, *an Confessarius teneatur denunciare Hæreticum, qui accedit ad Confessionem, animo non confitendi peccata, sed pervertendi Confessarium, eum inducendo in hæresim?*

Resp. Affirmativè, quia talis Confessio non est Sacramentalis, sed modus occultè dogmatizandi, ex Carena §. 5. *nu.* 21. & 22. & Genuen. *num.* 17.

Advertas *ex cap. omnis utriusque sexus de pœnit. & remiss.* Confessarios obligari ad sigillum Confessionis, quod aliud *non est, quam particularis obligatio, quam habent Confessarii ad non revelandum ullum peccatum, aut circumstantiam ejus, auditam in Confessione, in ullo prorsus casu; etiamsi sint enormia, contra bonum commune, ut hæreses: etsi pœnitens dicat se non habere animum cessandi ab illis.* Quæ obligatio oritur ex omni, & sola Confessione sacramentali, ex ea nimirum, *facta Sacerdoti, animo se accusandi, & subjiciendi peccata clavibus Ecclesiæ, à Christo Sacerdotibus concessis ad solvendum, & ligandum.* Quam non intendit facere hæreticus, de quo quæsitum; & ideò in casu obligatio sigilli sacramentalis non reperitur per Sylvestrum *ver. Confessio 3. qu. 4.* & de la Cruz *de pœnit. qu. 6. conc. 2.* juxta dicen. *lib. 2. cap. 13.*

8. Quæritur *an audiens à persona fide digna aliquem esse hæreticum teneatur eum denunciare?*

Resp. Affirmativè ad tenorem edicti S. Officii, in quo præcipitur esse denunciandos; *tutti, e ciascuno di quelli, de quali sappiano, abbiano havuto, ò averanno notitia, che siano hæretici, &c.*

9. Quæritur, *an filius teneatur denunciare Patrem hæreticum, & Uxor Maritum?*

Resp. Affirmativè, nam edictum per verba generalissima loquitur; *comandiamo in virtù di S. Obedienza, sotto pena di scommunica di lata sentenza, &c. a tutte, e ciascuna persona di qualunque stato, grado, e conditione, ò dignità, &c.* Ergo generaliter est intelligendum, ut allegatos etiam comprehendat.

Sed quid, *si forent solùm de hæresi suspecti? ut blasphemi hæreticales; malefici, &c.*

Resp. Tenetur, quia edictum præscribit denunciandos omnes, *che siano heretici, ò sospetti, ò diffamati di heresia*, cæterosque, de quibus statim; & quia decretum non distinguit, sed promiscuè, absolutè, & cum disiunctiva loquitur, *ò sospetti di hæresia*, de singulis intelligendum. Carena §. 2. *num.* 7. contra Genuen. *num.* 10.

Quoniam verò edictum Supremæ, & Univer-

Universalis Inquisitionis, omnibus, & singulis personis in virtute S. Obedientiæ, sub excom. pœna, latæ sententiæ, aliisque per sacros Canones, & Pontifices statutis, denunciationem præcipit ideò ejusdem transumptum subjicimus.

„ 10. § 1. Essendo à noi, &c. che fra „ il termine di un mese, dieci de quali „ per il primo, dieci per il secondo, & „ dieci per il terzo, termine perentorio, „ si debbano rivelare, e giuridicamente „ notificare al S. Offizio, overo à gli Ordinarii, tutti, e ciascuno di quelli, de „ quali sappiano, ò abbiano avuto, ò averanno notitia.

„ §. 2. Che siano Eretici, ò sospetti, ò „ diffamati di Eresia, ò credenti, ò fautori, ò ricettatori, ò difensori loro, ò abbiano aderito, ò aderischino à Riti de „ Giudei, ò Maumettani, ò de Gentili, ò „ abbiano apostatato dalla S. Fede Christiana.

„ §. 3. Che abbiano fatti, ò faccino „ atti, da quali si possa argumentare „ patto espresso, ò tacito col Demonio, esercitando incanti, magie, „ sortilegii, porgendovi suffumigii, incensi per trovar Tesori, & altri intenti, chiedendo da lui risposte, & „ invocandolo, & à quest' effetto promettergli obedienza, ò consacrargli „ pentatuli, libri, spade, specchi, ò „ altre cose; nelle quali intervenga il „ nome, & opera sua.

„ §. 4. Che si siano ingeriti, ò ingeriscono in far esperimenti di Negromanzia, di qualsisia altra sorte di Magia, con entrare ne circoli, far l' esperimento della Caraffa, o del Crivello per trovar i medesimi tesori, co„ se nascoste, rubbate, ò perdute, e „ fare altre simili, e superstitiose azzioni ad altri fini, massime con abuso de „ Sacramenti, ò di cose sacre, ò benedette.

„ §. 5. Che senza licenza dovuta ritenghino scritti, che contenghino Eresie, ò libri d' Eretici, che trattino „ ex professo di Religione, ò che gli abbino letti, ò tenuti, ò stampati, e fatti „ stampare; ò li leggano, tengano, „ stampano, fanno stampare, introducano, ò difendino sotto qualsisia pretesto, ò colore.

„ §. 6. Che abbiano libri di Negromanzia, ò Magia, ò continenti incantesimi, sortilegii, e simili superstizioni, massime con abuso di cose „ sacre.

„ §. 7. Che contro il voto solenne, fatto nella professione in qualsivoglia „ Religione approvata, ò doppo haver „ preso l' Ordine sacro, abbia contratto, „ ò contraha matrimonio.

„ §. 8. Che vivendo la prima moglie, „ pigli la seconda, ò vivendo il primo „ Marito, pigli il secondo.

„ §. 9. Che contro i Decreti, e Costituzioni Apostoliche abbino abusato, ò „ abusino il Sacramento della Penitenza, servendosi della Confessione, e „ Confessonario à fini disonesti, sollecitando in essi i Penitenti ad turpia, & „ avendo con essi discorsi di cose illecite, „ e non convenienti al fine, per il quale „ è stato instituito.

„ §. 10. Che abbiano proferito, ò „ proferiscono bestemmie ereticali contro Dio, la Beatissima Vergine, e Santi; „ ò procedino à qualche atto di offesa,

„ ò di-

„ ò disprezzo contro l'imagini,ò figure
„ rappresentanti il medesimo.
„ §. 11. Che abbiano tenute,ò tenghino occultè conventicole, ò radunanze in pregiuditio,disprezzo,ò contro la Religione.
„ §. 12. Che abbiano indotto qualche Christiano ad abbracciare il Giudaismo ò altra setta, contraria alla Fede Cattolica, ò impedito i Giudei, ò Turchi à battezarsi.
„ §. 13. Che non essendo ordinati Sacerdoti, s' abbino con sacrilego ardire usurpato,ò si usurpino di celebrar Messa, ancorche non abbiano profe-
„ rito le parole della Consecratione; ò abbiano presunto di ministrare il Sacramento della Penitenza a'fedeli di Christo, ancorche non si sia venuto all'atto dell'assoluzione.
„ §. 14. In oltre si dichiara; che quelli,i quali non denunciaranno, come ò ordina col presente Editto, non possono essere da alcuno assoluti, se non dal S. Offizio, dopo che averanno in esso giuridicamente rivelato i delinquenti, al che non possono sodisfare con bollettini, ò lettere senza nome, e cognome dell' Autore, ò altri modi incerti,de quali non si tiene conto alcuno nel Santo Tribunale.
„ §. 15. Si dichiara anche, che con la suddetta espressione de casi disopra da noi specificati da rivelarsi, non si escludano gli altri casi spettanti al S. Offizio, che peraltro sono compresi nei Sacri Canoni,Constitutioni,e Bolle de Sommi Pontefici; ne meno col presente Editto s' intende derogato all' altre provisioni Canoniche, Apostoliche, & à gl' altri Editti degli Ordinari,& Inquisitori, &c.

Cujus Edicti occasione aliqua pro praxi breviter adnotabo de pacto expresso, & tacito cum Dæmone,& sortilegiis, remisso fusiori examine ad alibi de hac materia, Deo dante, dicenda; interim videantur Carena *tit.* 12. Sousa Aphorism. *à cap.* 36. *ad* 57. Cobat. *tom.* 3 *oper. moral. part* 4. & nunc.

11. Quæritur, *quinam censeatur implorare auxilium Dæmonis,& operari cum pacto expresso,vel tacito cum ipso?*

Resp Qui expressis verbis ab eo auxilium petit, vel ipsum ad aliquid agendum, vel sciendum consulit, formaliter ipsum invocat, & operatur cum pacto expresso ipsius. Qui verò ad aliquid habendum, vel sciendum, utitur signis indebitis,factis,vel verbis, non habentibus virtutum ad id,nec ex sua natura, nec ex divina institutione, ipsum virtualiter invocat, & operatur cum pacto implicito: utitur quis ampulla, aqua plena, ad inveniendum furem, ad quod aqua, & vitrum ex sui natura virtutem non habent, nec ex divina institutione (nam id nobis per Ecclesiam non constat, sed potius oppositum) necesse est in ea ampulla eam virtutem inesse ex pacto Dæmonis: vide Sousam *cap.* 38. *nu.* 11. & Campion. *p.*2. *c.*36. *nu.* 3.

Hoc tacitum pactum cum Dæmone intervenit, etiamsi utens illis rebus, vel verbis explicitè protestetur se nolle inire pactum, vel convenire cum Dæmone, modò illis rebus indebitis utatur ad effectum, quem intendit; quia factum est contrarium protestationi, & operans virtualiter vult Dæmonis auxilium.

Quem-

Quemadmodum, qui protestatur nolle occidere Petrum, & interim venenum propinat, vel gladio transverberat, dicitur protestari contra factum.

12. Quæritur, *quid sit sortilegium?*

Resp. Est quoddam opus illusorium, & summè noxium, ab homine effectum, Dæmonis ministerio. Carena *tit.* 12. §. 1. *num.* 1. Tres in generali sunt sortilegii species; *prima est* divinatio, *quæ est præ-nuntiatio futurorum, seu occultorum eventuum, indebitis modis, à Divina providentia non constitutis. Secunda*, est Sortilegii amatorii, quod fit ad flectendos animos pudicos mulierum, vel virorum ad libidinem. *Tertia*, est sortilegii malefici, per quod fabricantur infirmitates, & similia in hominibus, vel brutis; ex quibus vel mors maleficiati statim oritur, vel illius corpus paulatim conteritur, & virtus debilitatur: plura alia videas apud alleg. Sousa *à cap.* 38. Et nota, sortilegia, in quibus intervenit abusus Sacramentorum, vel Sacramentalium, vel pactum expressum dici hæreticalia: ea vero, in quibus ea non interveniunt, non hæreticalia, & simplicia nominari, & hæc etiam solent ab Inquisitoribus judicari, Carena.

13. Quæritur, *quinam censeantur de hæresi suspecti.*

Resp. Alios esse de hæresi leviter, & alios de vehementi suspectos; illi dicuntur, qui V. G. blasphemias hæreticales evomunt, sed non ex habitu, sed rarò, in ludo, vel in ira solummodò, & ideò levis conjectura hæresis habetur; alii verò, qui talia agunt, vel dicunt, ex quibus oritur argumentum, & suspicio concludens, ut plurimum, talia proferentes, vel facientes esse hæreticos: hujus generis sunt, qui pluries, tam in ludo, & ira, quàm extra, & ad omnem levem animi motum hæreticaliter blasphemant. Genuen. *prax. cap.* 18. *num.* 11 Piasecus *prax. p.* 2. *cap* 4. *art* 6. *num.* 8. Item invocantes Dæmonem verbis deprecativis, etiam in iis, quæ eius facultatem non superant: pactum expressum cum eo facientes: cultum ipsi exhibentes, & admiscentes in sortilegiis Sacramenta, vel Sacramentalia, aut verba sacra, Hostiam consecratam, Sanguinem Christi, aquam, & candelam benedictam, Sanctorum Reliquias, Agnus Dei, Evangelium, Symbolum fidei, Pater noster, Ave Maria, Psalmum aliquem Davidicum, aut verba Sacræ Scripturæ, aliasque sanctas Orationes; quoniam, nisi crederent præfata habere virtutem ad operationem maleficiorum, scienter illa non adhiberent. Genuen. *cit. n.* 11.

14. Quæritur, *an sit denuncianda mulier, quæ habet malum nomen Maleficæ, ad quamplures pro maleficiis concurrunt, non apparet autem ipsam fecisse, nisi sortilegia simplicia ad curandas infirmitates.* V. G. eadem moneta argentea signasse crysipellim, vel tali hora, tali charta, vel tali atramento scripsisse nomina ignota, obscura, &c.

Resp. Affirmativè, Genuen. *num.* 15. ex clausula illa edicti, *che abbiano fatti, ò faccino atti, da quali si possa argumentare patto espresso, ò tacito col Demonio, esercitando incanti, magie, sortilegii, &c.* maximè, quia negari non potest, ea cum tali pacto fieri solere; nam, nec figura illa artificialis, nec verba ex natura sua vim ad curandum

habent, neque eam ex impressione corporum Cœlestium recipiunt, aut ex divina institutione ad id sunt ordinata, ergo tribuendum est, quod procedat ex pacto, saltem implicito, cum Dæmone; propterea, Ecclesia ea prohibet, & per suos Ministros, Inquisitores, & Episcopos utentes punit, Carena, & Sousa: notantes quasdam, etiam orationes, aliàs piissimas, prohiberi, si permixta habeant nomina incognita, ob pactum implicitum cum Dæmone. Sunt utiles, & efficaces orationes ad petendum necessaria ad salutem; sed ponere vim in numero precum, ita ut credatur, quod non obtinebitur res petita, nisi tot, & non plures, vel pauciores recitentur, est superstitiosum. Christus promittens exaudire preces, etiam peccatoris, pro necessariis ad salutem, non determinavit numerum precum, sed sibi reservavit, ut alium exaudiret citiùs, alium tardiùs, ut optimè Campionus *cit. num.* 4.

15. Pondera ex Sousa, *lib.* 1 *cap.* 54. *num.* 13. sortilegia esse ex suo genere mortalia: nec parvitas materiæ excusat, esto quis operetur cum pacto implicito, nisi ex simplicitate, & ignorantia, quæ crassa, & affectata non sit, procedant.

16. Quæritur, *quomodo Confessarius se gerere debeat cum obligatis ad denunciandum?*

Resp. Animadvertat, an ex non denunciatione inciderint in fautoriam hæreticorum, de qua diximus *cap. priori num* 21. & tunc tales ligantur excommunicatione Bullæ Cœnæ, & absolvi nequeunt propter censuram reservatam; idem dicitur, si non denunciantes omiserint denunciare per totum tempus, ab edicto Inquisitionis taxatum ad incurrendam excommunicationem, quamvis fautores hæreticorum non sint.

Difficultas est de non denunciante, qui in nullam adhuc excommunicationem incidit, *an eum possit Confessarius absolvere, antequam actu denunciet.*

17. Crederem esse distinguendum, si persona sit fide digna, & Confessario benè nota, de cujus fidelitate in promissis experimentum habeat, & alteri Confessario id non promiserit, ac onus ignoraverit, firmum propositum denunciandi videtur sufficere: si verò sit homo ordinarius, curare omninò debet, ut denunciatio præcedat, nisi communicandi urgeret necessitas. Carena §. 10. *num.* 43. *v. cap. sequen. nu.* 25. sed tunc debitum non extinguitur.

18. Sed quid, *si pœnitens Confessario significet sibi ex denunciatione imminere periculum vitæ?*

Resolutio pendet à quæstione, an denunciatio sit facienda cum periculo vitæ; & resolvitur affirmativè à Genuen. *num.* 8. & Carena §. 7. *num.* 34. præcipuè, si tractetur de hæretico formali, dogmatizante in perniciem Reipublicæ, & Malefica, quæ multum noceret Reipublicæ, animos seducendo, & corpora offendendo: ut, si occidat pueros, & similia faciat; nam hic subintrat Axioma fixum à Soto *de just. & jur. lib.* 5. *q* 1. *art.* 6. & 7. apud Genuen. *ibid.* quòd *quilibet pro Patria tenetur ponere vitam:* & id debet Confessarius pœnitenti significare, & cuicumque periculo posse per S. Officium provideri; ideò in omni casu

debitum

debitum agnoſco; de abſolutione ſortilega, *vid. cap.* 18. *nu.* 41.

19. Quæritur, *quomodo Confeſſarius ſe gerere debeat cum Aſtrologo.*

Reſp. Interroget, an ſit Aſtrologus naturalis, an judiciarius; idque, ut percipias, notes, Aſtrologiam judiciariam, per quam *ex aſtris ex pacto tacito cum Dæmone prædicuntur eventus contingentes, pendentes à libero hominis arbitrio,* prohiberi à Sixto V. *conſt. Cœli, & Terræ Creator, apud Quaranta ſum. ver. Aſtrolog.* in qua Epiſcopis, & Inquiſitoribus committitur, ut procedant *contra Aſtrologos, mathematicos, & alios quoſcumque, dicta judiciaria Aſtrologiæ artem, præterquam circa Agriculturam, navigationem, & rem medicam in poſterum exercentes, aut facientes judicia, & nativitates hominum, quibus de futuris contingentibus, ſucceſſibus, fortuitiſque caſibus, aut actionibus ex humana voluntate pendentibus, aliquid eventurum affirmare audent, etiam ſi id ſe non certè affirmare aſſerant, & proteſtentur.*

Ex conſtellationibus, aſtrorumque aſpectu, motu, ac ſitu, poſſunt licitè per Aſtrologiam naturalem conjecturari, & prænoſci effectus neceſſarii, & naturales: in Cœlo Eclypſis, pluvia in aere, in mari tempeſtas, ſiccitas in terra, aliique effectus, qui, vel dependent à ſolo Cœlo, vel ab ipſo, & aliis concauſis neceſſariis. Ubertas terræ poteſt prænoſci ſolùm in univerſali, quatenus hoc anno prænoſcitur talis, vel talis ſtellæ prædominium; quæ multùm ad ubertatem conducit: ſed nequit abſolutè, & infallibiter affirmari, quod ſit ubertas futura; nam id dependet à cultura agri, & ſi per homines ſeminabitur, quod non poteſt ex aſtris prænoſci, an futurum erit; unde ſolùm poteſt prænoſci, quòd terra fructificabit, ſi homo ſeminabit, ſed hoc ſecundum ex aſtris prædici non poteſt. Pariter, quantum importat circulatio Cœlorum, poteſt in univerſali prænoſci aliquem eſſe victurum uſque ad annos ſexaginta, quatenus, cum natus ſit tali hora, ex vi Syderum habet complexionem robuſtam, & optimum temperamentum, ut poſſit uſque ad illos annos vivere, ſed non poteſt abſolutè affirmari, quod priùs mori non poſſit, vel ex fortuito lapſu lapidis, qui non ſubjacet ſtellis; vel, ſi ex propria voluntate ſe interimat, ſe non cibando, vel excedendo in nutrimento, alterante ſuam complexionem, ſic, ut vix poſſit pertingere ad annos pubertatis; maximè etiam, quia temperamentum non à ſolis aſtris pendet, ſed à qualitate ſeminis parentum, à quo poteſt attenuari: immò nec in univerſali videtur id prædici poſſe, quia principia, ex quibus Aſtrologi diſcurrunt, ſunt incerta, & in ipſis variant. Nam alii in 12. partes æquales dividunt Zodiacum, alii Æquatorem: alii ab octava domo ſumunt judicium mortis, alii à ſeptima, & alii alia ſomniant, apud Carenam *p. 2 tit. 12. §. 12. num.* 100. Ideò ex aſtris, nec cum certitudine, nec ſine ea poſſunt prædicere futura contingentia, ut ibid, *num.* 95.

Dices. Sæpè Aſtrologi prædixerunt futuros eventus, & divinarunt matrimonia, filios, dignitates, &c.

Resp. Id effeciſſe ex inſtinctu, & pacto tacito cum Dæmone arg. ex Cap. illud 26. *qu.* 2. Carena *cit. num.* 117. Campion. 2. *par. cap.* 36. *num.* 8. Antonel. *de reg. Eccl. lib* 6. *cap.* 22. *num.* 1. Ut indè homines inducerent ad credendum in ſtellis eſſe vim ad tales effectus inferendos, & cogendum liberum arbitrium. Quæ connexio eſt inter aſtra, & tales eventus? Audias D. Th. 2. 2. *qu.* 95. *artic* 5. *Corpora Cœleſtia non poſſunt eſſe per ſe cauſa operationum liberi arbitrii: poſſunt tamen ad hoc diſpoſitivè inclinare, in quantùm imprimunt in corpus humanum: & per conſequens in vires ſenſitivas, quæ ſunt actus corporalium organorum, quæ inclinant ad humanos actus. Quia tamen vires ſenſitivæ obediunt rationi, nulla neceſſitas ex hoc libero arbitrio imponitur, ſed contra inclinationem Cœleſtium Corporum homo poteſt per rationem operari.* Nam *Sapiens dominabitur aſtris.*

Unde, prius quam Aſtrologus judiciarius abſolvatur, interrogandus eſt, an contra fidem erraverit, credens homines, quia natos ſub tali, vel taly ſydere, cogi, & neceſſitari ad bene, vel malè operandum: & dum, ita reperiatur, quia hæreticus formaliter eſt, negans liberum arbitrium, procedatur cum eo juxta *dicta cap.* 5. *num.* 7. ſi ſine errore fuerit, antè abſolutionem curet Confeſſarius, ut libros aſtrologiæ conſignet Inquiſitoribus, vel Epiſcopis: deceptos de falſitate moneat: ſe retractet, & Aſtrologiam deteſtetur. Optimum erit ei ſuadere, ut Inquiſitoribus ſe præſentet ad effectum, ut gaudere poſſit privilegiis ſponte comparentium, per dicenda *cap. ſequen. nu.* 26.

## CAPUT V.

### *Prop. VI. & VII. ab Alex. VII. &c. Sollicitatio ad turpia.*

PROP. 6. *Confeſſarius, qui in Sacramentali Confeſſione tribuit pœnitenti chartam, poſt eà legendam, in qua ad venerem invitat, non cenſetur ſollicitaſſe in Confeſſione; ac proinde non eſt denunciandus.*

PROP. 7. *Modus evadendi obligationem denunciandæ ſollicitationis eſt: ſi ſollicitatus confiteatur cum ſollicitante, hic poteſt ipſum abſolvere, abſque onere denunciandi.*

1. Scribit Souſa *lib.* 1. *Aphoriſm. cap.* 34. *num.* 2. quod ſoll citare, eſt diligentiam adhibere ad aliquod conſequendum, ſive id fiat verbis, promiſſis, & nutibus, ſive aliis actibus. Uno ore DD. dixerunt pœnitentes, ſive mares, ſive fœminas à Confeſſariis ſollicitatos ad turpia, ad actus nimirum venereos, & carnales, ad eos denunciandos teneri, juxta Conſt. Greg. XV. *incip. Univerſi Dominici Gregis in Bullar. Cherub.* edita contra Confeſſarios, ubivis locorum ſollicitantes ad turpia, ſive ſollicitatio ſit. I. *In actu Sacramentalis Confeſſionis:* II. *Sive antea:* III. *Vel poſt immediatè:* IV. *Sive occaſione:* V. *Vel pratextu Confeſſionis hujuſmodi, etiam ipſa Confeſſione non ſecuta:* VI. *Sive extra occaſionem Confeſſionis in Confeſſionario:* VII. *Aut in loco quocumque, ubi Confeſſiones Sacramentales*

*les audiantur, seu ad Confessionem audiendam electo: Simulantes ibidem Confessiones audire, sollicitare, vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones, sive tractatus habuerint*; ex quibus constat, pœnitentes ad denunciandum obligari, si fuerint à Confessore in uno ex præfatis locis, aut modis sollicitati.

Pro praxi plura declarantur, & referuntur casus, qui frequentiùs possunt occurrere, (cæteris omissis apud Auctores videndis) in quibus pœnitentes sollicitati tenentur Confessarios Inquisitoribus, vel Ordinariis denunciare.

2. Primus casus. Si *immediatè anteà*, antequam, scilicet, pœnitens genuflectat, ut confiteatur; vel *immediatè post*, postquam videlicet, Confessarius absolutionis verba pronunciavit, sollicitetur.

Hinc notabis clausulam, *immediatè ante Confessionem*, importare, quod post sollicitationem factam, nulla alia interposita extranea actione, sequatur Confessio; & *immediatè post Confessionem*, quod præmissa Confessione, & data absolutione, nulla alia simili actione intermedia, & non multo tempore transacto, sequatur sollicitatio: actio talis esse debet, quæ judicio prudentis viri sufficiens non sit ad discontinuanda hæc duo, *Confessionem*, & *sollicitationem*.

II. Si Mulier, ut integrè confiteatur, se accuset de peccato carnis, & Confessarius dicat: de hoc, finita Confessione, erit nobis sermo, &, Confessione terminata, eam sollicitet. Sousa *citat. num.* 36.

III. Si mulieri, accusanti se animum libidinosum habuisse, vel circa ipsum Confessarium, alioswè viros, Confessarius respondeat: de hoc volo tibi loqui extra Confessionem, propterea da mihi licentiam opportuno tempore loquendi; qua accepta, post unum, vel plures dies ad illam accedat, &, capta occasione loquendi de casu in Confessione audito, sollicitet; quia talis sollicitatio refertur ad Confessionem, & ab ea dependet: occasionatur enim à peccato in Confessione audito. Ameno *de pœnis tit.* 4. §. 2. *sollicitatio ad turpia num.* 17. & Bulla habet, *sive occasione Confessionis.*

IV. Si Confessarius post Confessionem, puerum ducat, vel ei dicat: venias hodiè in meam domum, aut cubiculum, & dabo tibi chyrographum Confessionis, & ad nefandam venerem sollicitet; casus iste dependet à Confessione, & traditio Chyrographi ad Confessionem refertur. Sousa ibid. *num.* 39.

V. Si statim post Confessionem pœnitenti, qui se accusavit de peccatis carnis, dicat, quia alteri carnaliter commisceris, mihi quoque copiam tui fac.

VI. Si Confessarius mulieri sibi confessæ pœnitentiam injungat, ut domi à semetipso nuda verberetur: etsi posteà sic non accidat. Sum. *Leandri verb. sollicitat. num.* 8.

VII. Si Confessarius in actu Confessionis pœnitentem de pulchritudine laudet, ibid. *num.* 7. quia Sacerdotes hujusmodi blanditiis Sacramento pœnitentiæ abutuntur, & fœminas illis verbis ad inhonesta, ad minus tacitè alliciunt. Carena *tit.* 6. §. 5. *num.* 37.

VIII. Si in Confessione pœnitentem sollicitet ad peccandum cum alio, ut ex-

preſsè Conſt. *Greg.* per clauſulam, ad *inhoneſta, ſive inter ſe, ſive cum aliis*; & tunc Confeſſarius, etiam lenonis officium exercet.

IX. Si ſollicitet fœminam, ut ſit mediatrix, ſive lena, vulgo *ruffiana*, ad inducendam aliam perſonam, ut in peccatum carnis conſentiat, ſive cum ſe, ſive cum alio: ex clauſula Bullæ, *aut cum eis illicitos, & inhoneſte ſermones, ſive tractatus habuerint.*

X. Si vocatus ad audiendam Confeſſionem mulieris infirmæ, & ei ſollicitanti conſentiat, ad vitandam infamiam, quia eum minis terret, ſe exclamaturam vim ſibi ab eo inferri, niſi conſentiat; quia inhoneſta perficit cum fœmina, occaſione Confeſſionis; & in Bulla comprehenditur, habens tractatus, & ſermones inhoneſtos in Confeſſione Sacramentali, vel occaſione ejuſdem.

Nec ex capite metus poteſt ſe tueri Confeſſarius, quia iſte metus eſt levis; nam, ut in conſtantem virum cadere metus dicatur, debet probabiliter aliquod grave damnum timeri ab eo, qui poteſt, & ſolet minas exequi; in caſu autem Confeſſarius non debet damnum aliquod probabile timere ex acclamatione mulieris, ſed Deum præ oculis habens, potius mortem ſuſtinere, quàm crimen committere. Souſa *num.* 28. & Carena.

Propter quæ cenſeo quoque eſſe denunciandum Confeſſorem, qui domi ſtimulat fœminam, ut ſibi in peccatum conſentiat, ipſa renuente, hoc unico fine, ne à ſuo Confeſſario vociferetur, & reprehendatur; cui alter reſpondet, ad me pro Confeſſione accedas, ego te abſolvam: & propterea adhæret; quia id ſanè factum præſumitur occaſione Confeſſionis, quæ, ut medium, ad peccandum eligitur, & ideò ad ſollicitationem ſufficiens, ex Souſa *num.* 7.

XI. Si Confeſſarius in Confeſſione pœnitenti tribuat chartam provocativam ad venerem, poſteà legendam, quia traditio chartæ eſt verè, & propriè ſollicitatio, & traditur in Confeſſione; ideò oppoſitum Alex. proſcripſit.

XII. Si Confeſſarius fœminam ſollicitet, & iſta non conſentiat, juxta textum Gregorianæ, *ſollicitare, vel provocare tentaverint.* Unde mens Pontificis fuit, ut etiam affectus puniretur, dummodò non eſſet purè internus, ſed extra manifeſtatus, quamvis effectum ſollicitatio non habuerit; quandoque enim ſua attentatio punitur, ex Gloſ. *in cap. ſi quis tam fœminam, de pœnit. diſt.* 1.

XIII. Si Confeſſarius, ſciens mulierem velle confiteri, eam ſollicitet, licèt Confeſſio non ſequatur, vel, quia ipſa noluit ampliùs confiteri, vel, quia Confeſſarius eam noluit audire: ex Bulla, etiam *Confeſſione non ſecuta.*

XIV. Si fœmina accedens ad effectum confitendi, à Confeſſario præveniatur, ut Confeſſionem differat in aliud tempus, & mutato confitendi animo, à Confeſſario ſollicitetur. Souſa ibid. *n.* 32.

XV. Si Confeſſarius ſollicitatus à fœmina, vel puero, in Confeſſione conſentit; ex clauſula Bullæ, aut *cum eis illicitos, & inhoneſtos tractatus habuerint*; cæteros apud Authores videat lector; & interim ad alia non minoris momenti accedamus.

3. Quæritur, *an ſit denunciandus Confeſſarius, qui in Confeſſionario pœniten-*

*nitentem sollicitat, sed revera Confessionem ex condicto non audit, sed solum sollicitationem cum eo intendit?*

Resp. Affirmativè; sivè fingat confessionem audire, ita ut Astantes credant Confessionem excipere, sivè non; prout resolutum fuit Supremæ SS. Inquisit. decreto X. *Julii* 1614. ibi. *Facta relatione, quod multi Confessarii tractant cum mulieribus in Confessionali extrà occasionem Confessionis, de rebus inhonestis: S.S. decrevit, ut contrà hujusmodi Confessarios procederetur in S. Officio*; apud Carenam §. 5. *num.* 32.

4. Sed petitur. *An denunciandus sit Sacerdos non habens facultatem audiendi Confessiones, si in Confessionario ad turpia sollicitat?*

Resp. Affirmativè, ex textu Gregorianæ ibi: *Omnes, & singuli Sacerdotes, tam Saculares, quam quorumvis Ordinum, &c. Regulares.* Ubi Pontifex utitur verbo *Sacerdos*, non Confessarius; quamvis confessionem non audiant, nam in casu etiam, Sacerdos abutitur loco, in quo Sacramentum per Sacerdotes administratur, ita Diana *Coord. tom.* 5. *tr.* 9. *resolut.* 86. & 87. apud quem plures, & Cozza *dubia select. dub.* 37. refert id declaratum esse à S. Congr. S. Officii 11. *Febr.* 1661.

5. Quæritur. *An denunciandus sit Confessarius Monialium, qui monialem sollicitat ad turpia in loco, in quo indifferenter, & ab eo audiuntur Monialium Confessiones, & alia negotia diversa ab aliis pertractantur?*

Resp. Est certum esse denunciandum Confessarium Monialium, qui in Sede Confessionali ad Monialium solùm confessiones deputata ad venerea, & turpia etiam extra occasionem confessionis, provocat, & sollicitat. Nam in casu currit dispositio Constitutionis; cùm similes tractatus in ea prohibiti habeantur in Confessionario: quinimmò videtur in casu etiam concurrere circumstantia Constitutionis: *Simulantes ibidem Confessiones audire.* Quoniam, cùm in eum locum non soleant Moniales, & Confessarius convenire, nisi occasione confessionis, nec de aliis loqui, præsumitur eos ad illum accessisse occasione confessionis, & quot quoteas vident, putant ad eum effectum convenisse. Nec obstat, quod intentionem non habeant simulandi confessionem. Siquidem licèt non habeatur simulatio interna, & ex parte animi, adesset tamen externa ex parte facti, & præsumpta; quòd sufficit, ut Confessarius in crimen solicitationis impingat, ut post Passerin. *in 6. Decretal. ad cap. Ut inquisit. n.* 95. notavit Cozza *cit. dub.* 36. *nu.* 212.

Et indè sequitur, quòd denunciandus sit Confessarius, qui cum Moniali ad sedem confessionalem se transfert, ut liberiùs de inhonestis tractare possint, quamvis animum non habeant simulandi confessionem. Quoniam factum externum est intentioni contrarium, & semper habetur Confessionarium.

6. Quo supposito ad dubium ex eodem Passerino exscripsit allegat. Cozza; quod, si tempore, quo solent eo in loco confessionem audire, una ex Monialibus accedat, quamvis sine intentione confitendi, sed alloquendi dumtaxat Confessarium, & interea Confessarius cum ea de inhonestis tractet, est reus solicitationis

nis, atque ita denunciandus est. Quoniam tunc præsumitur pro confessione; ex facto enim exteriùs, & circumstantia aliarum Monialium accedentium ad eum locum causa confessionis, reputatur quòd ad eum finem illa Monialis accesserit. Concordat Carena *cit.* §. 5. *num.* 32. resolvens, quòd denunciandus sit Confessarius, qui in Parlatorio communi Monialium confessiones audit, si solicitaret pro eo die, quam Moniales haberent destinatam pro confessione.

7. Cæterùm advertant Monialium Confessarii, quòd, licèt locus ille, in quo regulariter excipiuntur Monialium confessiones pro aliis negotiis per alios pertractandis frequenter deserviat, adeò ut quoad istos possit indifferens appellari, indifferens tamen censendus non est respectu Confessarii ipsarum Monialium; sed regulariter præsumendum, quòd accedat, ut in eo confessiones Sacramentales excipiat; & hinc videtur semper haberi simulata confessio.

8. Proindè confessarii in hujusmodi locis de aliis negotiis non tractent. Quinimmò Superiores provideant, ut dictus locus, qui deputatus sit ad audiendas Monialium confessiones, sit quovis alio separatus, cautè sera munitus, ad quem nonnisi Confessario, qui clavem retineat, accessus pateat.

9. Quæritur. *An sit denunciandus Confessarius, qui in confessione Sacramentali ita mulierem alloquitur*, se io non fossi Sacerdote, vi prenderei per moglie.

Resp. Affirmativè cum Diana *cit. resolut.* 49. contra Bordonum in *Sacr. Tribun. p.* 23. *q.* 3. *nu.* 54. Ratio est, quia similia verba sunt maximè excitativa ad venerem; & cum sint impertinentia ad confessionem, præsumuntur proferri ad ostendendum animum, & affectum impudicum; atque ita sapiunt sollicitationem.

10. Nec dicatur, prædicta verba indicare pudicum affectum, cum pro objecto habeant contractum matrimonii sub conditione, quod in omnium sententia est honestum. Quia, quamvis secundùm se non sint mala, tamen ex circumstantia confessionis, (ad quam non spectant) & in qua proferuntur, malitiam contrahunt. Quinimmò, si possunt in bonam partem aliquo modo trahi, ad Inquisitores spectat Confessarium vocare, eumque super intentione interrogare. Ad quorum judicium pertinet in dubiis pronunciare de bono, ac corrupto verborum sensu; ut post Del-Bene, dixit allegat. Cozza *dub.* 42. *num.* 22.

11. Quæritur. *An denunciandus sit Confessarius, qui in confessione mulieri dona, & munera tradit?*

Resp. Dubium excitatur à Diana *resolut.* 50. apud quem Bordonus negavit, quia donum ex sua natura non ordinatur ad venerea; ergò de se non est signum, aut factum sufficiens ad arguendam solicitationem; cum quo ipse concordat, si Confessarius donet mulieri florem, vel donum minimi valoris; secùs, si daret rem maximi valoris; nam tunc est maxima præsumptio contra Confessarium, quòd det animo sollicitandi, & trahendi mulierem ad amorem, cùm collatio doni sit res impertinens ad confessionem: ideò censetur facta tacito animo palliandi sollicitationem, quod etiam in Gre-

Gregoriana prohibetur; cùm ad sensum illius prohibeatur absolutè provocatio ad turpia: atque adeò tam ea, quæ fit signis, & verbis, quàm, quæ fit facto, & muneribus, quibus fœminæ facillimè alliciuntur, & provocantur ad venerem. Unde, quia ex circumstantia confessionis intentio Confessarii donantis non potest ullo modo cohonestari, præsumitur dare ad lucrandum affectum, & familiaritatem mulieris, de quo cit. Cozza *dub.* 6.

12. Quæritur. *An sit denunciandus Confessarius, qui, audita confessione mulieris, quæ venerea aperuit, eam de Ecclesia abeuntem ipse* per se, vel per lenonem sequitur, & eam in itinere, vel domi solicitat?

Resp. Plures apud Dianam *cit. resolut.* 46 *num.* 2. negant, ex eo quòd licet Confessarius utatur scientia confessionis, tamen eam non solicitat in locis, prohibitis solicitare in Gregoriana: hoc est, neque in *Confessionario*, aut *loco ad confessiones audiendas electo*, aut *simulans confessionem audire*, proindè solicitatio, nec moraliter, nec physicè cum confessione conjungitur. Affirmat Pevrin. *de privil. regul. ad const.* 4 *Greg. XV.* §. 2. *nu* 2. ubi scribit: occasione confessionis diceretur solicitare Confessor, qui audiens mulierem in confessione, eamque levem ibi cognoscens, lenonem paulò post ad dictæ mulieris vestigia insequenda mitteret, eamque domum intrantem solicitaret, seu etiam in itinere; & allegat Graffium *to.* 1. *cons. lib.* 4. *de cognat. spirit. cons.* 1. *anum* 37. & *de casib. reservat. lib.* 2. *cap.* 12. *nu.* 30. quam sententiam sequitur Lezana *sum. quæst. regul.* 4. *gul. cap.* 19. *num.* 34. nec dubito esse denunciandum, si statim facta confessione, & fœmina discedente ab Ecclesia, priùs quam ipsa ad actus extraneos divertatur, ipsam sequatur, eamque sollicitet; quia tunc solicitatio censetur facta *immediatè post* confessionem, quod in Constitutione expresè prohibetur.

13. Quæritur. *Mulier à Confessario solicitatur per verba:* io vi voglio gran bene: quando vi vedo, ne godo molto: *Sed tunc non percipit sensum verborum; deinde instruitur ea fuisse solicitationis verba:* petitur, *an mulier teneatur denunciare Confessarium?*

Resp. Affirmativè. Obligatio enim denunciandi statim nascitur, ac quis habet notitiam de tali obligatione. Quæ notitia est in muliere, dum agnoscit verba solicitationem importare.

14. Nec obligatio denunciandi cum lapsu temporis extinguitur; ideò non subsistit eorum sententia, qui dixerunt post triennium cessare debitum denunciandi, ut apud Escobar. *de Confessar. solicitant. p.* 2. *q.* 3. §. 2. *nu.* 10. & post eum Cozza *dub.* 29.

15. Nec obligatio denunciandi in pœnitente solicitato cessat, etiamsi sciat, quòd Confessarius ea de re se præsentaverit S. Officio, & fuerit absolutus. Obediendum est enim legi præcipienti denunciationem, & tunc Inquisitores recognoscunt, an Confessarius sincerè, & per integrum delictum exposuerit. Et ita fuit resolutum in Sacr. Congr. S. Offic. 26. *Julii* 1628. apud *d. Cozza dub.* 45. *num.* 275.

16. Ita denunciandus est Confessarius, quamvis sit emendatus, ut dixit Diana

*cit. resolut. 6. & 7.* Et Carena *cit. §. 22. nu. 128.* Ratio est, quia Confessarius solicitans posset fingere se emendatum. Tum quia emendatio debet innotescere Judicibus Fidei.

17. In casu dumtaxat obitus Confessarii pœnitens solicitatus liberatur ab onere eum denunciandi, ut ex Bordonio in *manual. q. 32. nu. 64.* dixit Cozza *dub. 29. num. 178.*

18. Quæritur. *An sit denunciandus Confessarius Regularis, qui ad effectum obtinendi facilius licentiam à Superiore exeundi è Conventu, eidem significat se debere accedere ad domum agrota, ut illius confessionem excipiat, sed in effectu ad eam accedit, ut ipsam carnaliter cognoscat?*

Resp. Casus proponitur à Bordonio in *Tribunal. q. 7.* ubi resolvit negativè; quia re vera Confessarius nec pœnitentis confessionem audit, nec eam simulat audire, nec cum muliere tractatum habet; sed solùm apud Superiorem confessionem fingit, ut licentiam exeundi extorqueat: unde nec prætextu, neque occasione confessionis pœnitens tenetur eum denunciare. Cozza *cit. cas. 35.*

19. An autem *sit denunciandus Sacerdos non Confessarius, qui in Confessionario ad turpia solicitat?*

Resp. Affirmativè; prout declaravit S. Congr. Sancti Officii 11. *Februar. 1661.* apud Cozzam *dub. 37. num. 228.* propter quod oppositum amplius probabile non est.

20. Quæritur, *An sit denunciandus Confessarius, qui post sollicitationem immediatè dolet, & sollicitationis pœnitet?*

Resp. Affirmativè, quia jam contra legem peccavit, & sollicitatio jam fuit facta: in delicto non consideratur perseverantia, sed, si adfuerit voluntas deliberata factis, vel signis expressa: subita pœnitentia, quando probaretur, potest operari in sacro Tribunali diminutionem pœnæ.

21. Quæritur, *An sub secreto naturali, etiam jurato, sciens aliquem Confessarium sollicitasse fœminam, vel puerum in Confessione, teneatur denunciare?*

Resp. Affirmativè, quia sollicitatio in Confessione est delictum contra bonum publicum, & commune, contra, nimirum, reverentiam Sacramenti pœnitentiæ, & bonum spirituale Fidelium; aliàs admodùm rarò tenerentur pœnitentes ad denunciandum, cum sollicitationis crimen secretissimè committatur. Vid. *cap. super num. 6.*

22. Quæritur, *An ante denunciationem præmittenda sit correctio fraterna?*

Resp. Negativè, juxta ibi dicta *nu. 3.* & interim observa, quod duplex est denunciatio, alia Evangelica, Judicialis altera; ante Evangelicam, quæ fit ad emendationem Fratris, præmittenda est correctio; non verò ante Judicialem, quæ tendit ad punitionem, & exemplum aliorum; denunciatio autem Confessoris sollicitantis, præcepta in Constit. Greg. est Judicialis, ut ibi expressè §. *dantes*, quod, etiam edictum SS. Inquisit. per hæc significat: *che fra il termine di un Mese, &c. si debbano rivelare, e giuridicamente notificare al Sant' Officio, ò vero à gl'Ordinarii, &c.*

23. Quæritur, *An possit excusari pœnitens*

*nitens à debito denunciandi ex parvitate materiæ?*

Resp. Negando suppositum. In crimine, & materia sollicitationis non datur parvitas materiæ, ut optimè Carena §. 5. *num.* 37. & probatur ex dictione Bullæ *quomodolibet*, quæ per Barbos. de diction. *dict.* 282. universalis est, omnes casus comprehendit, omnemque penitus modum includit, & distribuit, Glos. *ad cap. Indemnitatibus de elect. in* 6. §. *si quaverò, in ver. quomodolibet:* semper enim fit injuria, & irreverentia Sacramento; propterea quilibet excessus in hac materia à Greg. dicitur nefarius. Carena ex Sancio dixit, impuritatis verba, quæ fortè aliàs essent venialia, effici mortalia, si contingant in Sacramento pœnitentiæ. Videat Confessarius, ne in hac materia, & rebus venereis laxet habenas, & constanter sustineat in neutra dari materiæ parvitatem.

24. Quæritur, *an excusetur fœmina, quæ Confessario sollicitanti consenserit?*

Resp. Negativè, habetur ex dispositione Sac. Congr. Inquisit. ut legitur in Epistola à Card. Millino transmissa ad Card. Borromæum, Archiepis. Mediol. *die* 27. *Septemb.* 1624. *Dopo &c. N. S. e questi miei Illustrissimi Signori in Congregatione, tenuta avanti la Santità Sua à* 25. *di Luglio passato, dopo haver' inteso il parere d'una particolar Congregazione, deputata per questo effetto, hanno risoluto, che qualsivoglia penitente è tenuto à denunciare il Confessore, dal quale fia stato sollecitato nel luogo della Confessione, ancorche gl'habbia consentito, e non è tenuto à propalare il proprio consenso, &c.* apud Carena §. 10. & Volpi *resol. moral. resol.* 183. *verb. sollicitare num.* 3.

25. Quæritur, *An pœnitens sollicitatus, qui denunciare noluit Confessarium sollicitantem, possit tempore Jubilæi, vel vigore alicujus privilegii absolvi?*

Resp. Negativè; nam privilegium quodcumque, etiam Jubilæi tempore, intelligitur satisfacta parte, & sine præjudicio tertii: in casu autem tertium, & pars læsa est pœnitentiæ Sacramentum, commune bonum Ecclesiæ, & Fidelium; cui censetur pœnitens satisfacere per denunciationem.

26. Quæritur, *quomodo Confessarius se gerere debeat cum Confessario sollicitante?*

Resp. Videat, an in actu sollicitationis habuerit errorem in intellectu, credendo aliquid contra fidem; ut, quod Sacramentum pœnitentiæ non sit institutum ad remittenda peccata: quod licitum sit illud profanare, &c. quatenus invenerit, inabsolutum dimittat, & ad Judices fidei correptum dirigat: si semper Catholicè sensit, inspiciat, an in loco sollicitationis casus confessarii sollicitantis sit reservatus Episcopo, & nec tunc potest absolvi, nisi ab habente facultatem absolvendi à reservatis. Si verò non sit reservatus, quilibet confessarius approbatus poterit eum absolvere. Carena §. 20. nam casus ex parte Confessarii sollicitantis non est reservatus in jure.

Item videat, an docuerit pœnitentem sollicitatum non teneri ad denunciandum, si confiteatur cum Confessario sollicitante; etsi reperiat, non potest eum absolvere, utpotè excommunicatum,

excom. Papæ reservata in præsenti Decreto *Alexandri VII.*

Deinde consulat, ut sponte se deferat Inquisitoribus, quia, si nullius sit præventus indiciis, gaudebit beneficio spontè comparentium, & si erit præventus, gaudebit beneficio comparentium, non citatorum, nec vocatorum.

27. Tandem exigat ab eo juramentum de simile ampliùs non committendo; in enormibus enim esse tale juramentum exigendum, & respectivè præstandum dixerunt Graff. & Beloch: apud Carena *tit. 12. num. 305.* enorme autem Greg. §. *dantes*, vocat crimen sollicitationis; & in casu, quod id præstare nollet, tamquam indispositus, & non paratus ad illud iterùm non patrandum, non esset absolvendus.

28. Quæritur, *quomodo Confessarius se gerere debeat cum pœnitente sollicitata?*

Resp. Ipsam moneat (etiamsi Confessori sollicitanti consenserit) de obligatione denunciandi Inquisitoribus, vel Ordinariis Confessarios sollicitantes, vel sollicitationi consentientes, pro ut expresse præcipitur in alleg. Greg. §. *mandantes*; quod si Confessarius id omittat, vel doceat pœnitentes sollicitatos ad id non teneri, mortaliter peccat, & ab Inquisitoribus punitur, ut in re gravi legis Ecclesiasticæ transgressor.

An autem *sufficiat pœnitentem esse in firmo proposito denunciandi.* Vide *cap. præterit. num. 17.*

Si intra mensem (tempus in edicto SS. Inquisit. ad denunciandum statutum) non denunciet, ipso facto ligatur censura, cujus absolutio est eidem S. Officio reservata.

29. Dubitatur, *an possit ab ordinario Confessario absolvi in mortis articulo?*

Resp. Affirmativè, dummodò non sit tempus sufficiens, ut pœnitens possit vocare Judices fidei, ad effectum recipiendi ab eis absolutionem, vel ad eos dirigere non valeat literas, juratas de veritate, aperiendo in individuo confessarium sollicitantem, & expectando facultatem, ut à confessario præsenti absolvi valeat; sed non nisi, impositio ei onere, & jurata promissione recepta de comparendo, cessante periculo, coram fidei censoribus ad denunciandum, sub pœna reincidentiæ in similem censuram.

30. Quæritur, *quomodo Confessarius se gerere debeat cum Moniali à Confessario sollicitata, quæ Inquisitores, vel Ordinarium adire non potest?*

Resp. Ipsam moneat, ut per literas eis significet, se habere negocia communicanda, ad S. Officium spectantia, & interim ab eis expectet responsum; vel, literis de veritate juratis, proprio nomine, & cognomine firmatis, expresso nomine sollicitantis, eum cum effectu revelet; in quo me remitto S. Tribunali pro praxi, & determinatione.

31. Quæritur, *quomodo se gerere debeat cum muliere virgine, honestissima, & nobili, quæ nullo modo flecti potest pro denunciatione, ut accedat ad Judices fidei?*

Resp. In hoc, etiam me supremo Tribunali submitto; & Confessario ex alleg. *Epist. Eminentiss. Millini*, hæc transcribo: *e quando il penitente tuttavia persistesse nella medesima renitenza, N. S. si contenta, che dal Vescovo, ò dall' Inquisitore,*

*ſitore, ſi dia autorità al Confeſſore di riſcevere per ſcrittura, e con giuramento la denuncia, per portarla ſubito, à chi gl'havera data autorità di pigliarla: e ſe oltre le coſe ſuddette occorrerà altro caſo grave, per il quale non ſi poſſa il penitente indurre à denunciare, vuole la Santità Sua, che ſi ſcriva quì, e s'aſpetti la riſpoſta, e in tanto, ſi ſopra ſeda nell'aſſolutione.*

32. Quæritur, *An, cùm ſollicitata ex denunciatione, grave damnum timet ſibi, vel marito, filiis, aut proximis conſanguineis, debeat denunciare?*

Reſp. Tenetur, quia timori, ſeu præfatis periculis occurri poteſt auxilio Supremi Tribunalis; quamvis alii affirment excuſari. Carena *tit.* 9. §. 7. *nu.* 34. ſed noſtra opinio eſt tutior.

33. Quæritur, *quænam ſint ſigna, quibus reputetur confeſſio ſimulari?*

Reſp. Ex parte Confeſſarii ſunt: *ſedere in loco convenienti: benedicere mulieri: manum ante faciem tenere, modo, quo ſit, dum Confeſſiones audiuntur: & demum, manum ſupra ipſam extendere, fingendo ipſam abſolvere;* ex parte verò mulieris ſunt: *genuflexio: ſignum Crucis: percuſſio pectoris: manuum conjunctio: humilis allocutio cum Confeſſario, quæ exterius appareat, & præſumatur accuſatio peccatorum.* Ameno *de pœn. tit.* 4. §. 2. *num.* 16.

34. Sed quæritur: *an clauſula illa:* ſimulantes ibidem Confeſſiones audire, *referatur, etiam ad confeſſionarium, adeò ut in Bullam confeſſarius impingat, qui in confeſſionario ſollicitat, ſi ibi non ſimulet confeſſionem audire?*

Reſp. Affirmativè, nam verè eſt reus Bullæ, dum in eo ſollicitat, licèt confeſſionem audire non ſimulet; ut ex decreto alleg. *num.* 6. colligitur, ac ipſe textus Bullæ concludit, ex clauſula, *ſivè extra occaſionem confeſſionis in confeſſionario:* per quam excludit expreſsè confeſſionem, habens reſpectum dumtaxat ad injuriam loci, utpotè ad Tribunal ordinarium judicii Sacramentalis; & ſubdens, *aut in loco quocumque, &c.* addit, *ſimulantes ibidem, &c.* ne dicatur, quòd omnia peccata carnis à Confeſſariis, ubique commiſſa, vel tentata, ſint denunciandа, nam in aliquo loco ſunt commiſſa, & attentata, ergo ad effectum denunciationis exigit, ut in loco extra confeſſionarium ſimuletur confeſſio; unde hìc habet reſpectum, non ad locum, ſed ad Confeſſionem, & ejus injuriam: propterea exigit, ſimulationem confeſſionis, ut terminum reſtrictivum clauſulæ: *aut in loco quocumque, ubi confeſſiones Sacramentales audiantur, ſeu ad Confeſſionem audiendam electo:* ut optimè Felix *tom.* 2. *numer.* 523.

## CAPUT VI.

*Prop. VIII. IX. & X. ab Alex. VII. &c. Stipendium Miſſæ.*

1. PROP. 8. *Duplicatum ſtipendium poteſt Sacerdos pro eadem Miſſa licitè accipere, applicando petenti partem, etiam ſpecialiſſimam fructus, ipſimet celebranti correſpondentem, idque poſt decretum Urbani VIII.*

PROP. 9. *Poſt decretum Urbani poteſt Sacerdos, cui Miſſa celebranda tradun-*

*tur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.*

PROP. 10. *Non est contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, & sacrificium unum offerre; neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam, promissione juramento firmata, danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.*

Quarum occasione, ut ad ea accedamus, quæ in praxi magis pro casibus conscientiæ faciunt.

Notetur cum D.D. Missæ sacrificium esse *ex opere operato* propitiatorium, satisfactorium, & impetratorium.

2. Quæritur, *quare dicatur propitiatorium?*

Resp. Quia per ipsum fit, *ut, si cum vero corde, & recta fide, cum metu, & reverentia, contriti, ac pœnitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno: hujus quippe oblatione placatus Dominus, gratiam, & donum pœnitentiæ concedens, crimina, & peccata, etiam ingentia, dimittit.* Trid. *sess. 22. cap. 2.*

3. Quæritur, *cur dicatur satisfactorium?*

Resp. Quia Deus illud acceptat, tamquam satisfactorium pro pœna temporali, sive tota, sive parte ipsius, in quam virtute pœnitentiæ commutata erat pœna æterna, debita peccatis mortalibus, in Sacramento pœnitentiæ remissis, dummodò obex peccati non invenerit; & is, pro quo offertur, sit in statu gratiæ.

4. Quæritur, *quare dicatur impetratorium?*

Resp. Quia per illud impetrantur bona spiritualia gratiæ ad agendam pœnitentiam de peccatis, & perseverandum in accepta justitia: item, temporalia, sanitatem, victoriam, pacem, &c. quatenùs hæc ad salutem conducunt, & si animæ prosint, Trid. *l. c. & Can. 3.* triplex iste fructus *ex opere operato* ex sacrificio provenit.

5. Quæritur, *quare fructus dicatur ex opere operato?*

Resp. Quia provenit ex vi, & virtute sacrificii, sine respectu ad innocentiam, vel Sacerdotis devotionem; seu, in quantum Christus Dominus ex pacto cum Deo Patre inito, voluit, & instituit, ut eo ritè posito, infallibiliter effectus conferatur, independenter à bonitate Ministri; modò ex parte ejus, cui sacrificium applicatur, divinis beneficiis obex non ponatur; Sic D.D. communiter, & cap. Utrum *de consecr. dist. 2. ac Trid. cap. cit. vid.* Fagn. *in 3. ad cap. Fraternitatem de sepult. num. 35.*

6. Quæritur, *An licitum sit, accipere stipendium pro Missa celebranda, & an simoniam contineat?*

Resp. Est licitum, nec simoniam continet; quia stipendium non datur pro ipsa sacrificii applicatione; nec in pretium laboris, & actionum, per se intrinsecè connexarum cum Missa, & per se necessariarum ad tale sacrum Ministerium; ut est labor se vestiendi sacris vestibus, legendi orationes, Symbolum, & alia, ut in Missali, sine quibus Missa celebrari non potest. Si hæc deducerentur in pactum, & pro eis stipendium reciperetur, realiter, & cum effectu simonia committeretur ex dicendis *lib. 2. cap. 26.*

Sed

Sed quid, *si sacerdos sit dives, & aliunde abundantem habeat sustentationem?*

Resp. Et ipse potest licitè recipere, per tex. *in cap. Clerici* 1. q. 2. ubi: *Clerici omnes, qui Ecclesiæ fideliter, vigilanterque deserviunt, stipendia sanctis laboribus debita, secundùm servitii sui meritum, per ordinationem Canonum à Sacerdotibus consequantur*: in his pondera: I. *Omnes*, quod includit, tam pauperes, quàm divites: II. *Stipendia sanctis laboribus debita*, quæ significant esse danda stipendia Sacerdotibus, non propter indigentiam, sed propter labores: III. *Servitii sui meritum*; & non secundùm indigentiæ qualitatem: quia nullus sive dives, aut pauper, tenetur de suo se sustentare, ut alteri obsequatur, & ministret; nam, *quis militat suis stipendiis unquam? quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat.* 1. *ad Corinth.* 9. videatur Fagnan. *in* 3. *ad cap. significatum de præbend. num.* 39.

7. Quæritur, *quodnam reputetur justum, & adæquatum stipendium Missæ?*

Resp Reprobata opinione asserentium non esse justum, nisi tantùm detur, quantum necesse est ad sustentationem unius per integrum diem, dicimus illud esse justum, quod lex, (non laica) vel loci consuetudo taxavit, juxta decret. S. C. C. de celebr. *Missarum ad quintum*; *hic Romæ* Julium est ordinarium stipendium, & consueta eleemosyna pro qualibet Missa privata.

8. Quæritur, *an, crescente pretio rerum necessariarum ad victum, possit licitè sacerdos pauper plura stipendia accipere; & unica Missa pro omnibus satisfacere?*

Resp. Negativè, sed tot debet celebrare, quot stipendia recepit, per expressè disposita ab eadem S. C. ibid. §. *deindè* his verbis; *mandat, & præcipit, ut absolutè tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint, ita ut alioquin ii, ad quos pertinet, suæ obligationi non satisfaciant: quinimmò graviter peccent, & ad restitutionem teneantur.* Ponderandum est sacros Canones in assignatione stipendii non considerasse paupertatem, vel victualium caritatem, sed mercedem laboris, ut *alleg. cap. Clerici.* Operarius vineæ ob paupertatem non potest plus accipere, justa, & pacta mercede, ergo nec Sacerdos justo stipendio.

9. Sed quid, *si stipendium ab uno acceptum non esset justum, sed tenue, an possit ab alio tantùm accipere, quantum sufficit ad justum stipendium, & unica Missa utrique satisfacere?*

Resp. Negativè, quia ibid. Sacr. Congreg. extendit dispositionem, *etiam ad stipendia quantumcumque incongrua, & exigua, sive ab una, sive a pluribus personis collata fuerint, aut conferentur*; à simili de eo, qui acceptat beneficium tenue, qui non propterea excusatur à residentia Glos. *in cap. Clericus victum in ver. vigiliis* 91. *dist.* hinc, ex quo stipendium ab ipso acceptum sit minus congruum, non ideò minùs tenebitur integrum sacrificium illi applicare, dum convenit.

10. Quæritur, *an, cùm Sacrificium sit propitiatorium, satisfactorium, & impetratorium, possint à tribus tria stipendia*

*pendia recipi, & unica Missa tribus obligationibus satisfieri, applicando uni, ut defuncto, fructum satisfactorium: alteri, ut infirmo, fructum impetratorium v.g. sanitatem: & tertio, ut peccatori, vel justo, fructum propitiatorium?*

Resp. Negativè ex allegato S.C. decreto §. *deinde*, & ex alio ejusdem sub die 13. Decemb. 1659. quæsuper simili interrogata, respondit non posse: apud Fagnan. *ad cit. cap. fraternitatem* in fine.

11. Quæritur, *an ultra solitum stipendium possit ab aliquo aliquid accipi pro fructu Sacrificii ex opere operantis proveniente?*

Resp. Negativè, quia dantes stipendium pro Missa exigunt, & deposcunt fructum Sacrificii, quem possunt, tam *ex opere operato*, quam *ex opere operantis*: & sic responderent, si interrogarentur.

Non omitto, quòd similem nundinationem certò Papa prohiberet, si sciret ab aliquo exerceri.

12. Quæritur, *an Sacerdos, qui hodiè à nemine stipendium accepit, possit Missam, quam celebrat, applicare illi, qui primus dabit stipendium?*

Resp. Negativè; quòd legitur prohibitum à S.C. Conc. in responso *dato 15. Novemb. 1605. sub Paulo V. ad Archiepiscopum Hispalensem.* Est communis fidelium mens, stipendium dari non pro Missa, jam dicta, sed pro dicenda; qui sanè eleemosynas pro Missis non tribuerent, si hujusmodi applicandi modum dubitarent, posse à Sacerdotibus ad praxim deduci: abusus igitur reputatur contra usum Ecclesiæ, avaritiam, indignam Ecclesiasticis, sapiens, & propterea communiter à DD. Layman, Gobat, Gavanto, Poncio, Jacobo, Marchant, aliisque, qui agunt de Missæstipendio, reprobatur.

13. Quæritur, *an possit Sacerdos dare Missam alteri dicendam pro minori stipendio, quam ipse receperit?*

Resp. Negativè, ut expressè, S.C. Conc. *in alleg. decretis*: quæ *quoad octavum*: excipit Rectorem Beneficii; qui, si per alium celebrare valeat, ei potest tribuere eleemosynam congruam, secundùm morem Civitatis, & Provinciæ, & non ad rationem reddituum beneficii, nisi in fundatione ipsius aliud fuerit dispositum.

At dubitatur, *an prohibitio comprehendat tam eum, qui, accepto justo stipendio, retenta sibi ejusdem parte, alteri Missam celebrandam committit, quàm eum, qui recepta pinguiori eleemosyna, Missam alteri committit, eidem dato justo stipendio juxta loci praxim, & legem, reservato sibi ejusdem excessu?*

Resp. Utrumque, ut ipsa S. Cong. disponit; à qua id, §. *ac similiter* prohibetur Sacerdoti cum clausula, *qui Missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eandem Missam alteri, parte ejusdem eleemosynæ sibi retenta, celebrandam committat*; in his nota adjectivum *certa*, comprehendens, tam justum, quàm pinguius stipendium; considera etiam ejusdem Congr. responsum *ad septimum*.

14. Quæritur, *an Parochus possit eleemosynam accipere pro Missa celebranda iis diebus, in quibus tenetur ex divino*

*ulno præcepto sacrificium offerre pro suis Parochianis ; pro quibus tenetur singulis diebus , si redditus sint pingues , si verò tenues , saltem diebus festivis , ut in una Lucana* , Sac. Cong. Conc. *die* 10. *Maji* 1681. Ex Trid. sess. 23. cap. 1. de ref.

Resp. Aliqui dixerunt posse , ex eo, quod in Sacrificio Missæ per Scotum *quolib.* 20. *art.* 2. *&* 3. Fagnan. *ad cit. cap. Fraternitatem num.* 94. & Gavantum *p.* 2. *tit.* 3. *lit. P.* ttiplex sit fructus ex opere operato : *generalissimus, specialissimus, & medius, seu specialis :* primus debetur toti Ecclesiæ, & cæteris, de quibus in Canone; quem Sacerdos, ut publicus Ecclesiæ minister, intentione generali, quam habet offerendi Sacrificium pro iis, pro quibus Ecclesia ordinat, ut offerat, illud illis applicat, juxta Trid. *sess. cit. cap.* 6. Qui, ut loquitur Gavantus ibid. à Deo ipsis distribuitur pro eorum capacitate, & devotionis mensura, & ideò in Canone dicitur, *& omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est, & nota devotio.* Secundus est, quo fruitur ipsemet Sacerdos tantùm , qui celebrat, cujus est proprius , & personalis. Tertius verò , cujus dispensatio committitur Sacerdoti , quem illis applicat , pro quibus, vel, stipendio recepto , vel promissione , particulari intentione Sacrificium offert.

Sed licèt adducta divisio fructus optima sit ; eorum tamen sententia est à Concilii , & Sac. Congr. mente aliena : nam hæc in Parocho , in ordine ad offerendum sacrificium pro suis ovibus requirunt, specialem aliquam obligationem , diversam ab illa , quam habent singuli Sacerdotes applicandi fructum Missæ omnibus Christi fidelibus ; sed isti (quemadmodum ipsi Paroch.) tenentur applicare fructum *generalissimum* omnibus fidelibus, ergo suis ovibus ille, ut speciali obligationei satisfaciat, fructum *medium*, seu *specialem :* res est certa, & conformis declarationi S. C. Conc. in alleg. decretis, quæ ad quartum respondit : *Sacerdotes , quibus diebus tenentur Missas celebrare ratione beneficii, seu Capella, legati , aut salarii , si eleemosynas pro aliis etiam Missis celebrandis susceperint , non posse eadem Missa utrique obligationi satisfacere.*

15. Quæritur, *an dato stipendio, ad effectum* , ut Missa determinatè *celebretur in tali Ecclesia, Capella, vel Altari ; teneatur Sacerdos ibi celebrare : & quatenus non ibi, sed alibi sacrificet, peccet mortaliter?*

Resp. Affirmativè, nisi id faciat justa, & rationabili causa. Layman. *cap.* 2. *n.* 15. Gobat *casu* 17. *sect.* 2. *num.* 575. aliique ; quibus addo Pignatellum *tom.* 1. *consult.* 277. allegantem id esse resolutum à S. C. Conc. 17. *Augusti* 1647. *in una Regularium* ; ratio est, quia facit contra suam obligationem in re gravi , & mentem offerentis non implet ; cum quo contractum , ad minus tacitè , celebravit, de ibi celebrando, quando stipendium recepit ; Gavant. *num* 24.

16. An autem , *si sine justa causa alibi celebraverit, teneatur supplere, iterum celebrando in electo?*

Resp. Affirmativè , si altare electum , fuerit privilegiatum ; & sibi imputet , si bis teneatur pro eodem celebrare.

17. Quæritur, *an mortaliter peccet, & ad restitutionem teneatur Sacerdos, qui accepta eleemosyna pro Missa dicenda, V.G. ad impetrandam sanitatem infirmo, aut pro felici expeditione alicujus causa, tandiù celebrationem differt, ut interim mors infirmi sequatur, & causa expediatur?*

Resp. Affirmativè Gobat. *cit. casu* 17. *num.* 596. *sett* 3. Layman. & Bonaccina *mox citand.* Gavant. *part* 3. *titul.* 12. *nu.* 8. ratio est, quia in re gravi peccat contra justitiam, graveque damnum ex sua negligentia tertius patitur; & quamvis videatur posse sub mortali à restitutione excusari tatione stipendii, ex eo, quod defraudatio unius julii, dati pro stipendio, non sit per se materia peccati mortalis, per accidens tamen est, ratione damni, quod offerens patitur ex omissione sacrificii, quod Sacerdos ex justitia tenebatur offerre; ideò radix restitutionis non levis, sed gravissima judicio prudentis reputatur, & ab ea non excusatur.

Caveant Sacerdotes, ne se onerent nimis multis sacris, ad longum duraturis, quia exponunt se periculo, vel, ut numquam ea, morte supervenient, persolvant, vel, ut non persolvant tempore opportuno; & graviter peccant, juxta Roderic. Navar. & *alios* à Bonac. *disp.* 17. *de Euch qu. ult. num.* 7. § 4. *num.* 2. *allegatos.*

18. Quæritur, *quando censebuntur nimis multa?*

Resp. Cum eis, *infra modicum tempus* juxta responsum S.C. *in alleg. decretis ad undecimum*; *vel intra breve tempus moraliter*, ut legitur *in Const. Innoc. XII.* nuper, edita sub anno 1697. ad ea decreta confirmanda, satisfacere non poterunt.

19. Et *si quæratur, quantum tempus importent illæ clausulæ?*

Resp. D.D. non conveniunt; alii unum mensem, duos alii, & quidam tres assignant, quia id tempus, tamquam quid modicum reputatur; verùm semper est considerandæ mens dantis, occurrentes circumstantiæ, & necessitas, pro qua Missa desideratur, ideò aliqui id discernendum remittunt arbitrio prudentis, juxta tex. *in l. si cùm dies, §. intra quantum, ff. de recept. arbitr.* quod fortè innuit clausula *intra breve tempus moraliter*: in quo est relinquenda opinio Peyrini *ad constit.* 9. *Urban. VIII. ad* 10. intelligentis per modicum tempus, spatium trium annorum, ut prorsus improbabilis, nimis laxa, & à mente S. Sedis aliena.

20. Quæritur, *an recipiens stipendium pro legenda Missa in Altari privilegiato pro anima alicujus defuncti, satisfaciat, si in eo Missam de Sancto, & non de Requiem pro ea celebret?*

Resolutio quæsiti pendet à quæstione; *an ad consequendam indulgentiam à Sum. Pontif. Altaribus privilegiatis concessam, necesse sit in eis Missam defunctorum celebrare; an verò sufficiat aliam Missam dicere*; sed facilis est responsio, ex literis Alexandri VII. Clement. IX. & Innocent. XI. *alleg. to*, 1. *offic. Cur. cap.* 6.

21. Itaque Alex. *const. creditæ nobis, sub die* 22. *Januarii* 1667. declaravit ut infra; *quoad Altaria perpetuò privilegiata, & in quibus præcisè quotidie, etiam*

*etiam in duplicibus, celebrandæ sint Missæ de Requiem ex obligatione, auctoritate, &c. declaramus per celebrationem Missarum de festo currenti satisfieri dictis obligationibus, & suffragari, cum eisdem indulgentiis, perinde ac si essent celebratæ Missæ de Requiem ad formam privilegiorum.*

22. Clemens *constit. cum sel. sub* 9. *Septembris* 1669. declarationem Alex. extendit ad Altaria, non in perpetuum, sed ad septennium, seu aliud brevius, vel longius tempus, ac non omnibus, sed aliquo, vel aliquibus tantùm hebdomadæ diebus, privilegiata, & ad Missas, sive ex obligatione, sive ex sola fidelium devotione in eis celebrandas.

23. Deinde Innoc. XI. *Constit. aliàs postquam, sub die* 14. *Maji* 1688. confirmavit decretum S.R.C. editum 3. *April. ejusdem anni*, occasione dubii, *an videlicet, Alex. & Clement. declarationes sibi pariter locum vindicarent, etiam in diebus Dominicis, infra Octavas, Paschatis, Resurrectionis, Pentecostes, & Corporis Christi, aliisque diebus, in quibus, licèt à festo duplici non impediantur, adhuc tamen Missæ defunctorum juxta ritum, & usum Ecclesiæ celebrari nequeunt? Quæ respondit, præfatas Alex. & Clement. declarationes intelligendas esse pro omnibus diebus, quibus juxta rubricas Missæ defunctorum celebrari non possunt: vid. cap.* 27. *in fin.*

24. Quæritur, *an Religiosus possit validè applicare Missam contra intentionem Prælati, præcipientis, ut Missam applicet V. G. pro offerentibus stipendia, qua ceduntin communem Religiosorum sustentationem; & quatenus applicet, an mortaliter peccet; & an valeat pro intentione ipsius, vel Prælati?*

Resp. Mortaliter peccat, sic communiter DD. quia in re gravi agit contra obedientiam.

25. Cujusnam autem, *applicatio valida sit, an subditi, an Prælati?* res est in quæstione; valere illam factam à Prælato per Ministrum infidelem, dixit Gavant. *cit. p.* 3. *tit.* 12. *num.* 28. allegans Fraxinellum, Marchant. *to.* 2. *tribunal. qu.* 2. *ref.* 8. *dub* 4. *respond.* 2. Poncius *disp.* 44. *quæst.* 1. *conc.* 5 *num.* 126. aliique. Quibus arbitror esse adhærendum; ex quo, ut benè discurrit ex Fraxinello Gavantus, possit Superior irritare intentionem subditorum in Missæ celebratione, si secus applicent, ita ut in foro Dei Sacrificium illi valeat, cui à Prælato per subditum applicatur: est enim verisimile, ut Poncius notat, quod statim ac subditus obedientiam Superiori vovet, alliget suam illius voluntati, quantum ad ea, quæ rationabiliter possunt dependentiam habere ab illa Superioris, & pro quibus ipse possit nomine suo subditum substituere; est autem valdè rationabile, quod voluntas subditi, quoad applicanem Missæ, sit ab illa Superioris dependens; aliàs onera Missarum, quæ habent Monasteria, & in diem suscipiunt, subjacerent ex subditorum malitia, periculo, & dubitationi, an persolverentur; de quo Fideles possent prudenter dubitare: & hinc retrahi à sacrificiis adjuvandis animabus fidelium.

Nec relevat dicere, effectum sacrificii pendere ab intentione, etiam injusta

celebrantis, vel authoritatem offerendi sacrificium pro hac, vel illa intentione esse datam Sacerdoti à Christo, & consequenter limitari non posse à Prælato quocumque, Christo inferiore, ad aliam intentionem, quàm ad illam subditi celebrantis.

Nam, vel, id cum Gavanto intelligitur de Sacerdote Seculari libero, non de Regulari, cujus voluntas à Prælato pendet; vel cum Poncio, non esse verisimile, quod Christus dederit eam authoritatem Sacerdoti Regulari, nisi cum dependentia à voluntate ejus, qui potest ei præcipere, & solet applicare Missam ipsius pro sua intentione: propter ipsam Religiosi conditionem, & ad evitanda adducta incommoda.

Duo distinguas, *consecrare, & pro hoc, vel illo applicare sacrificium*: in primo subditus à voluntate Prælati non dependet; benè verò in secundo, propter superius dicta, & à me alibi *Offic. Cur. tom. 1. cap 12.*

Quare sententia contraria, quamvis esset probabilis, tamen, quia est minus tuta, quàm nostra, ad praxim non est deducenda, juxta doctrinam communiter receptam: quòd non sit licitum sequi opinionem partis minùs tutæ, quando ex ejus sequela, dato, quòd à parte rei non esset vera, notabile, & irreparabile damnum tertio adveniret, ut in casu.

11. Quæritur, *an Fr. Min. de Observ. sint capaces legatorum annuorum cum onere Missarum?*

Resp. Negativè; quoad ea, quæ sunt ipsis Fratribus directè relicta, Vespignan. in compend. *priv. R. Fab.* benè verò, quoad ea, quorum proprietas manet apud Hæredes; a quibus Fratres possunt recipere per viam simplicis eleemosynæ, quidquid ab eis sponte pro celebratione Missarum traditur. Sac. Cong. Epis. in una Lucana 26. Martii 1677. sed in pecunia debet à Syndico recipi; nec possunt per se, vel Syndicum, vel alium in judicio ea petere; & si scienter id faciant, excommunicantur ipso facto: juxta decretum. R. Fabr. *sub.* 14 *Febr.* 1633. vide infr. cap. 32.

## CAPUT VII.

### *Prop. XI. ab Alex. VII. &c. Confessionis integritas.*

1. PROP. 11. *Peccata in Confessione omissa, seu oblita ob instans periculum vitæ, seu ob aliam causam, non tenetur in sequenti confessione exprimere.*

2. Propositio integritatem Confessionis tangit; ideò hic, ejus occasione speciales quæstiones, quæ ad hujusmodi integritatem conducunt, possibili brevitate subnectimus, de qua re dicendum etiam *lib. 2. cap. 36.*

3. Quæritur, *in quo consistat integritas Confessionis?*

Resp. Materialis in hoc, quod quis *prævio examine omnia peccata, qua post baptismum commisit, nondum confessa, secundum numerum, species, & circumstantias, in Confessione exponat*; Formalis verò per hæc explicatur, *quod pœnitens, omnia peccata, secundum numerum, species, & circumstantias, qua sibi, post sufficiens examen memoria occurrunt, & moraliter potest hic, & nunc*

*nunc in Confessione aperire, cum formali dolore omnium, aperiat.*

4. Quæritur, *an possit dari casus, in quo Confessio sit materialiter integra, & non sit valida?*

Resp. Affirmativè, in casu, quo quis omnia peccata, numerum, & circumstantias ipsorum in Confessione exprimat, non præmisso diligenti conscientiæ examine: vel cum isto, sed sine eorum formali dolore, proposito non peccandi, fide in Deum, spe veniæ, &c. propter periculum, cui se exponit, non confitendi omnia, ut requiritur: quod omnia tunc aperiret, casu esset & propterea Confessio invalida, & sacrilega, in sequenti Confessione cum cæteris aliis peccatis aperiendum.

5. Quæritur, *an Confessio formaliter integra possit esse invalida?*

Resp. Negativè: nam ad integritatem formalem necesse est: *primò*, quod omnia peccata, quæ post sufficiens examen occurrunt memoriæ, & quæ hìc, & nunc moraliter possunt, in Confessione aperiantur; *secundò*, quod adsit animus, & propositum, tempore opportuno, & cessante impedimento, in alia Confessione exponendi, quæ tunc omittuntur; *tertiò*, quod adsit dolor formalis omnium peccatorum commissorum ex fide supernaturali regulatus cum proposito non peccandi, &c. propterea, si hæc non desint, valida est confessio, de quo etiam, *lib. & cap. cit.*

6. Quæritur, *quanta diligentia debeat adhiberi in examine conscientiæ?*

Resp. Quanta permittit humana fragilitas, & à viro prudenti solet adhiberi in negocio gravis momenti, quod sibi multum cordi esset, juxta Scotum *in 4. dist. 17. quæst. unic.* & DD. in quo est ponderanda conditio personæ, quæ confitetur, qualitas officii, temporis intervallum, à quo Confessio non est facta: certè enim minori examine indigent, qui frequenter, quàm qui rarò confitentur: qui vitam quietam ducunt, quàm qui variis detinentur negociis.

7. Quæritur, *quomodo se gerere debeat Confessarius, advertens pœnitentem non præmisisse examen conscientiæ?*

Resp. Debet illum dimittere, ut examine se præparet, ut posteà paratus redeat; cùm imparatus absolvitur, Sacerdos peccat, & pœnitens in sequenti Confessione debet, cum peccatis invalidè confessis, & illud sacrilegæ Confessionis, examine præmisso, aperire; si esset rudis, & imperitus, ignorans modum discutiendi conscientiam, esset super eo à Confessario instruendus, & quatenus inveniret aliqualem diligentiam adhibuisse, posset ad completam, & integram suis interrogationibus eum juvare; numquam tamen permittatur abusus in pœnitente nil confitendi, nisi interrogetur. Verùm cautè Confessarius in interrogationibus procedat, nè sibi, vel pœnitenti periculum gravium tentationum paret.

8. Quæritur, *an ad integritatem materialem Confessionis pertineant peccata dubia*; quod est idem ac quærere, *an quando quis dubitat, an commiserit peccatum v. g. furtum, vel est certus se commisisse, sed dubitat, an sit mortale, vel veniale ita, ut, post diligens examen propter insufficientes rationes hæreat intellectus, vel suspensus maneat*

*sic, ut in neutram partem contradictionis inclinare, vel de una præ alia judicare possit* (quod est eum esse dubium, dubio negativo, & propriè dicto) *teneatur illud peccatum confiteri, & peccatum sic dubium sit materia necessaria Confessionis?*

Resp. Affirmativè, ratio est, quia in dubio, ubi agitur de salute animarum, *tutior pars est amplectenda*, tutius autem est, ut quis de peccato illo sub dubio se accuset, ut, si fortè illud commiserit, remissionem per Sacramentum pœnitentiæ obtineat, Islung. *tract. 6. disp. 6. qu 4. art. 4. per totum.* Layman. *l. 1. tract. 1. cap. 5. §. 4. à num. 37.* & debet esse communis resolutio D.D. juxta conclusionem communiter receptam inter Canonistas; quod, qui dubius est in morali materia, in his, quæ salutem respiciunt animæ, teneatur ex præcepto sequi partem tutiorem, ut perdoctè probat Fagnan. *in 1. de constit. ad cap. cum innotuerit num. 161.* & sequen. *vid. lib 2. capit. 34.* & ibi peccata dubia esse materiam necessariam, sed non sufficientem Sacramenti pœnitentiæ.

9. Et si quæratur, *an debeat illud confiteri absolutè, & ut certò commissum?*

Resp. Negativè, sed debet dicere: *dubito, an commiserim furtum, &c.* quia sic est in memoria, & non, ut certum; & ideò, ne Sacramentum exponatur periculo nullitatis ob defectum materiæ, si forsan non fuisset commissum, debet addere aliud peccatum certum, numquam confessum; quòd si non habeat, est de necessitate cum eo in Confessione exponendum, vel peccatum mortale certum, jam confessum, vel peccatum veniale.

10. At dubitatur, *an peccatum mortale expressum in Confessione, ut dubium, debeat iterùm, ut certum confiteri, si postea cognoscatur ut certum?*

Resp. Affirmativè cum communi DD. habetur ex Trid. *sess. 14. cap. 5.* statuente de necessitate esse à pœnitentibus *confitenda peccata omnia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent:* sed, quando peccatum confessum ut dubium, hac forma, vel simili, *dubito, an hoc fecerim*, cognoscitur ut certum, de eo habetur memoria esse certò commissum, ergo, ut certum debet exponi.

11. Dices: peccatum illud sub dubio expressum, jam fuit directè absolutum, & dimissum: ergo non est iterùm confitendum.

Resp. Negando consequentiam: nam licèt fuerit directè absolutum, semper est in peccatore debitum illud subjiciendi clavibus assertivè, & distinctè, & quomodo est in ejus memoria; cui debito nisi satisfaciat, peccatum novum committit.

12. Quæritur, *an semper sit confitendus numerus peccatorum? an sufficiat dicere in genere, peccavi:* Accedit Rudis dicens: à Festo B. V. in æstate non sum confessus: fateor me miserum peccatorem, attamen nil sum furatus, numquam me inebriavi, diebus Festis, & Dominicis præceptum explevi de audienda Missa: nil aliud scio; & ad interrogationes Confessarii: an numquam fuerit iratus? numquam malum alteri impre-

imprecatus; numquam inter orandum cogitaverit de rebus non pertinentibus ad orationem, &c. *ad omnia respondet negativè, & solùm peccavi?*

Resp. Semper cùm moraliter potest, ex Trid. *cit. Can.* 7. omnia, & singula sunt confitenda; ideò, qui centum aureos, centum vicibus furatus est, debet specificare illos centum actus repetitos, quia quilibet peccaminosus est, & proximo in re gravi injuriosus; qui unico actu bombardæ decem homines occidit, decem peccata committit, quia decem offendit; tot peccata scandali committis, quot scandalizas, Campionus *instr. per gl ordin. cap.*40. *à num.* 26. si numerus peccatorum aperiri non potest, aperienda est consuetudo, qualis, & quanta fuerit, juxta dicenda *cap.*10. *n.*21.

Rudis itaque Confessionem nullo modo integram facit; quippè nec unum in specie, vel numero, peccatum significat: proindè capax absolutionis non est, (excipio mortis articulum) quia Sacramenti materiam, quamtumvis examinatus, non proponit. Layman. *lib.*5. *tr.*6. *cap.*8. *num.*8.

13. Quæritur, *quid agendum Confessario cum fœminâ, quæ post significatum peccatum detractionis, & scandali*, subdit, Pater, me premit adhuc conscientia duorum peccatorum antiquorum, quæ ob verecundiam numquam fum ausa confiteri, & jam vix audeo; primum, quod ætatis meæ anno decimo furata fim in Ecclesia unum obolum (*un bajocco:*) alterum, quod die Paschatis ante auditionem Missæ ovum comederim?

Resp. Interroget, an, quando ea peccata commiserit, putaverit Deum graviter offendere; si affirmet: petat à quanto tempore ea commiserit, & an semper, quando voluerit confiteri, venerint hæc eadem peccata in mentem, judicans eo silentio, graviter in Deum delinquere; & quatenus id item affirmet, est significandum, teneri ad exquirendum numerum Confessionum, & Communionum, ai tempore reticentiæ duorum peccatorum, sacrilegè factarum, easque in proxima Confessione, cum cæteris peccatis, quoad speciem, & numerum, clavibus denuò, cum vero eorum dolore submittere. Si responderit, se solùm quadriennio sensisse remorsum conscientiæ, quando confitebatur, ob silentium illorum duorum, reliquo autem tempore inculpabiliter nunquam ea sibi venisse in mentem: obliganda est, ad Confessiones, & Communiones cum cæteris peccatis eo quadriennio confessis, in nova confessione aperiendas, Gobat *tract.*7. *cas.*5. *num.*559. Quilici *q.*9. *art.*2. *num.*3. resolventes, eum, qui facit Confessiones voluntariè sacrilegas, & postea hujus rei oblitus, bona fide, multas alias legitimè facit, non teneri repetere illas, quas bona fide fecit, sed illas solùm volenter sacrilegè factas.

14. Quæritur, *quomodo Confessarius se gerere debeat cum pœnitente, qui interrogatus de peccatorum numero, respondet, se in prioribus Confessionibus non fuisse solitum illum exprimere, nec super hoc interrogari?*

Resp. Interroget, an fuerit ipsi notum, *di* exprimere, esse necessarium ad integritatem, & validitatem Confessionis; & quatenus affirmet; compellendus est

ad

ad repetitionem omnium Confessionum; si verò alleget se id ignorasse (super quo, nec à Parocho instructus, neve in Concione, vel ab alio fuit edoctus) licèt propter bonam fidem fuerit integrè formaliter confessus, est ei significandum, ad implendum præceptum de exponendis peccatis in Confessione distinctè teneri, quantum sibi est moraliter possibile, post diligentiam adhibitam, supplere defectum, verisimilem numerum explicando: V. G. à tribus *annis confiteor: semel in anno confessus sum; peccata, quæ, ut plurimum exposui, fuerunt mollitiei, à quibus nulla hebdomada fui immunis, sed modo ter, modo quater peccavi; blasphemavi in Deum, & Sanctos, ad minus semel in die; omnes cujuscumque generis mihi occurrentes mulieres concupivi, &c.* ex quibus Confessarius poterit ad cætera, & verisimilem numerum discurrere.

15. Quæritur, *an, qui mentitur in Confessione, peccet?*

Resp. Affirmativè, & quidem mortaliter, si in ea ex proposito mentiatur circa materiam gravem, & per se necessariam Confessionis: ut, si scienter neget peccatum mortale commissum, vel circumstantiam gravem, quam hìc, & nunc tenetur confiteri; nam est mendacium pernicioſum, & circa rem per se spectantem ad substantiam Sacramenti, propter quod efficitur Sacramentum irritum, & falsa redditur absolutio; venialiter verò, si mendacium sit circa peccatum veniale, quod sit solùm materia partialis Confessionis; nam, si totalis foret, ut, si quis sibi imponeret veniale, quod non commisisset, & nullum aliud in Confessione aperiret, esset mortale mentiri, quia falsa ex integro redderetur forma absolutionis, per defectum materiæ debitæ. De la Cruz, Layman, & Gobat. In quo mendacio est duplex malitia, una sacrilegii contra reverentiam Sacramenti, & alia contra veracitatem: gravis, vel levis juxta qualitatem illius.

18. Tandem, instruantur pœnitentes, ut peccata dicta sub numero incerto, & confuso, vel sub ista clausula: *duadecies circiter, plus, vel minus:* dum postea certò, & distinctè cognoscuntur esse commissa, sic in alia Confessione explicent: nam id tutius esse, & juxta Triden. *supr. cit.* dubium non est.

## CAPUT VIII.

### *Prop. XII. ab Alex. VII. &c. Facultas quoad reservata.*

1. PROP. 12. *Mendicantes possunt absolvere à casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.*

Occasione propositionis speciales, & communiores casus, qui solent super hujusmodi absolutione occurrere, in examen vocabimus: itaque.

1. Quæritur, *an solis Mendicantibus sit prohibitum absolvere à reservatis Episcopis, ad id ab eis facultate non obtenta, an etiam cæteris Sacerdotibus secularibus?*

Resp. Omnibus sine Episcoporum licentia ex Trid *sess. 14. cap. 7. de reservatione: extra quem articulum* (mortis) *Sacerdotes* (infectores) *cùm nihil possint*

*sint in casibus reservatis, id unum pœnitentibus persuadere nitantur, ut ad Superiores, & legitimos Judices pro beneficio absolutionis accedant*; ubi dispositio est generalis; ibidem legitur in decretis S.C. Episc. & Regul. editis sub Clemente VIII. super casuum reservatione, *die 9. Maii 1601. & 26. Novemb. 1602.* Regularibus, etiam interdicitur in constit. *Superna Clementis X.*

2. Quæritur, *qua pœna ligentur, si ab eis absolvant?*

Resp. In primo decreto sub Clement. prohibetur sub *pœna excommunicationis, privationis officiorum, dignitatum, aut beneficiorum* (inhabilitas audiendi Confessiones in eo apposita in secundo tollitur) *& ad quæcumque officia, Prælaturas, & beneficia in posterùm obtinenda, ipso facto, &c. super quibus à nemine, nisi à Rom. Pontif. habilitatio, dispensatio, aut absolutio, præterquam in mortis articulo, possit impertiri*; pœna imponitur præsumentibus; quod verbum requirit per D.D. scientiam legis in absolvente.

3. Quæritur, *an Sacerdos approbatus possit absolvere à reservatis Episcopis, quando in literis Jubilæi datur facultas absolvendi à casibus, etiam Sedi Apostolicæ reservatis?*

Resp. Negativè, nisi id etiam in literis exprimatur: ubi enim non exprimitur, non intelligitur concessum per DD. communiter, juxta regul. 18. *jur. in 6. in generali concessione, illa non veniunt, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus.*

4. Sed quid, *si Episcopus alicui in-*

*dulgeret, ut sibi posset eligere Confessorem?*

Resp. Nec tunc, ut expressè textus in cap. *si Episcopus de pœnitentia, & remissione in 6.*

5. Quæritur, *an Sacerdos approbatus in Diœcesi Tiburtina possit pœnitentem, ad eam ex Diœcesi Tranestina accedentem, absolvere à reservatis in Tranestina, non vero in Tiburtina?*

Resp. Affirmativè, ut in *alleg. const. Clemen.* Regularibus conceditur; immò quilibet, etiam Sacerdos secularis, approbatus potest, modò pœnitens in fraudem reservationis non accedat; in fraudem autem accedere censetur, cùm Prænestæ V. G. committit homicidium, ibi reservatum, vel, cum animo recipiendi absolutionem à Sacerdote Tiburtino, vel alibi, ubi non sit reservatum; & sic declinandi judicium Ordinarii. Campionus *instr. Ord. cap. 40. à numer. 38.* Fagnanus *in 5. cap. omnis de pœnit. & remiss. nu. 78. & seq.*

6. Propter quod D.D. communiter tradunt, quemlibet Sacerdotem approbatum posse absolvere Peregrinos, Scholares, & vagabundos à casibus reservatis illorum Episcopis, quia juxta Glos. *in Clement. Religiosi de privil. ver. Parochialis*, præfati sortiuntur forum pœnitentialem, ubi moram trahunt, & solent judicari juxta leges loci, in quo reperiuntur: modò id de industria non faciant in fraudem reservationis; quia tunc æquum non est, ut fraus, & dolus eis patrocinetur; & non delinquant in Diœcesi, in qua sunt, & ibi peccatum sit reservatum.

7. Sed quid, *si homicidium V. G. pa-*

*tratum à pœnitente, haberet adjunctam excommunicationem, ipsi Episcopo Præneſtino reſervatam?*

Reſp. A nullo Confeſſario poſſet abſolvi ſine Prænestini facultate, juxta cap. *Nuper de ſent. excom. & cap. Dum intra in Conc. Lateran. ſub Leone X.* nam excommunicator propter cauſam in ſuo foro incæptam jus ſemper habet in excommunicatum, privativè quoad alios; facit tex. *in cap. propoſuiſti de foro competenti*, & optimè ibi Gloſ. *in ver. citatus.*

8. Quæritur, *quid agendum Confeſſario ordinario cum pœnitente, qui accedens cum duplici peccato, quorum unum eſt ſine cenſura reſervatum, & alteri annexa eſt excommunicatio reſervata, fatetur ſe invincibiliter utrumque ignoraſſe?*

Reſp. Eum, non à peccato, ſine cenſura immediatè reſervato, bene verò ab eo reſervato dependenter à cenſura reſervata, poteſt abſolvere; ratio eſt, quia reſervatio non eſt pœna pœnitentis, ſed reſtrictio juriſdictionis Confeſſarii, quem immediatè reſpicit, ejuſque manus ligat, ita ut ſive peccator ſciat peccatum eſſe reſervatum, ſivè non, ſemper ſit reſtricta; nam, non ignorantia pœnitentis confert juriſdictionem, ſed authoritas, & ſuperioris voluntas; excommunicatio autem eſt pœna, quæ ab ignorante inculpabiliter non incurritur, ut communiter D.D. recipiunt, ſcribentes ad incurrendam excommunicationem requiri contumaciam, contemptum nimirum, & inobedientiam legis, quæ in legem inculpabiliter ignorante non reperitur; & ideò, quamvis committens tale peccatum, habens annexam cenſuram coram Deo peccet, tamen ipſa cenſura apud Eccleſiam non ligatur; propterea quolibet Confeſſario approbato abſolvi poteſt à peccato, dependenter à cenſura reſervato.

9. At dubitatur, *poterit ne abſolvi, qui hæreſim internam externè manifeſtat, ſi inculpabiliter ignoret eſſe hæreſi annexam excommunicationem in primo Canone Bullæ Cœnæ?*

Reſp. Negativè: nam ad incurrendam cenſuram, ſat eſt, quod quis ſit pertinax, & hæreſim internam externè manifeſtet: quinam verò pertinax dicatur: Vide *cap. 3. num. 5.*

10. Quæritur, *an, cum pœnitens eſt in neceſſitate confitendi ad vitandum ſcandalum, quia, vel eſt celebraturus, vel communicaturus, & ordinarius Confeſſarius caret facultate ſuper reſervata, debeat eidem aperire tam reſervata, quàm non reſervata?*

Reſp. Affirmativè, & tunc ſuper non reſervata abſolutio cadit directè, & reſervata indirectè ſolùm abſolvuntur; nam in caſu non datur ſufficiens ratio ad dimidiandam Confeſſionem, cujus integritas non adeò facilè frangi debet; verùm, ſic abſolutus onus habet comparendi coram Superiore pro directa abſolutione à reſervatis, per Gobat. caſu 8. *tract. 7. num. 380.* & Sylveſtrum *ver. Confeſſ. 1. num. 19.* & caſu, quo comparere culpabiliter omitteret, novum peccatum committeret, à quo, vel ab ipſo Superiore, aut ejus delegato, & non alio, deberet abſolvi: de qua re, etiam *lib. 2. cap. 36.*

11. Sed quid, *ſi cum reſervato nullum aliud mortale commiſiſſet?*

Reſp.

Resp. Deberet necessariò manifestationi reservati addere Confessionem alicujus mortalis, aliàs confessi, vel venialis de novo commissi, Gobat. *num.* 381. aliàs non poneretur materia idonea pro directa absolutione; propter quod veniale in casu per accidens deberet necessario confiteri.

12. Nota, Superiorem non posse in Confessione audire reservata, aliis omissis, sed omnia debet: vel reservationem tollat, aut facultatem concedat inferiori Confessario ad absolvendum.

13. Quæritur, *an, qui confitetur alicui potenti directè absolvere à reservatis, & inculpabiliter obliviscitur alicujus reservati, possit postea à quovis Confessore directè absolvi ab illo reservato oblito?*

Resp. Affirmativè, sic communiter DD. Poncius *disp.* 46. *qu.* 10 *conc.* 5. *nu.* 13. Tambur. Method. *Confes. lib.* 2. *cap.* 10. §. 3. *num.* 55. ratio est, quia Confessarius supponitur velle pœnitentem suum in integrum restituere, & judicium finire, quantùm vi suæ jurisdictionis potest, ac pœnitens indiget, juxta clausulam, *in quantum possum, & tu indiges*; Sed Confessarius potest à peccatis reservatis liberare, & pœnitens indiget, & liberari vult; ergo reservatio tollitur.

Observa, pœnitentem ante absolutionem à reservatis esse, quasi triplici debito gravatum: scilicet, *debito culpæ, debito confitendi peccatum, & debito comparendi coram Superiore.* Quando nullius peccati obliviscitur, & habenti facultatem confitetur, à quolibet ex prætactis debitis directè absolvitur; Si verò alicujus reservati obliviscitur, quoad istud est indirectè absolutus à debito culpæ, & directè à debito se sistendi Superiori, sed non à debito illud confitendi, quando memoriæ occurrerit. Dum autem confitetur non habenti facultatem super reservata, indirectè à reservatis absolvitur, sed tenetur postea comparere coram Superiore, & eidem reservata exponere pro directa absolutione.

14. Sed, quid, *si Confessio esset voluntariè invalida, & sacrilega?*

Resp. Debet postea, tam non reservata, quàm reservata, quorum inculpabiliter obliviscitur, in nova Confessione aperire coram Confessario prædito facultate super reservata; ratio est, quia à nullo remanet absolutus, consequenter nec directè, nec indirectè tollitur reservatio; nam, ubi sententia Judicis est nulla, Reus non absolvitur.

15. Quæritur, *an in articulo mortis possit quilibet Sacerdos absolvere à reservatis Episcopis?*

Resp. Affirmativè, per disposita à Trid. cit. ubi legitur, *in Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis.*

16. Sed dubitatur, *an id etiam possit Sacerdos simplex, præsente approbato?*

Resp. Negativè; & in casu, quo absolveret, nec licita, nec valida absolutio reputaretur; ratio est, quia simplici Sacerdoti potestas absolvendi in articulo mortis ab omnibus peccatis committitur ab Ecclesia propter necessitatem, ne hac occasione (si absolutio non detur) *aliquis pereat*, ibid. Trid. ergo, dum necessitas cessat, & facultas cessare intelligitur: propter regulam, quod, *cum aliquid conceditur propter necessi-*

*tatem; durat concessio, quatenus necessitas urget*; sed, præsente approbato, minimè necessitas urget, ut simplex absolvat. In quo articulo simplici Sacerdoti præferendus est Confessarius approbatus, & huic Parochus; nam in eo non est dubium semper esse tutiora amplectenda.

17. Verùm, quando cum Parocho, esset præsens Regularis approbatus, censerem per hunc, illo relicto, validè eum absolvi; quemadmodùm validè absolvitur, & præcepto annuæ Confessionis satisfacit, qui, non Parocho, sed Religioso ab Ordinario approbato, confitetur, per dicenda *cap.* 10. *à nu.* 15.

18. Quæritur, *quinam censeatur esse in articulo mortis?*

Resp. DD. in hac materia confundunt articulum, & mortis periculum, licèt ille de rigore sermonis ab isto differat, ut refert. Gobat *tract.* 4. *cas.* 12. *n.* 182. *& tract.* 7. *cas.* 3. *num.* 125. Quilici *qu.* 1. *art.* 2. *num.* 4. omninò videndi.

Itaque articulus mortis, strictè dictus, est status, *quo mors immediatè, proximè instat, est moraliter certa, ferè inevitabilis, & non multùm distans, propter ultimam partieulam temporis vitæ*; articulus autem, in sensu magis amplo, acceptus pro periculo mortis, *est status, & occasio, in qua, spectata rerum natura, & iis, quæ solent in simili occasione evenire, mors, etsi non proximè sequitur: vel certò, vel probabiliter, & prudenter potest, & debet timeri*: adeòq; etiam, quod, si quis tunc non confiteatur, non possit confiteri postea; hinc in articulo mortis præfati tradunt existere:

I. Damnatos per sententiam ad mortem violentam, ipsis de proximo infligendam.

II. Milites, etiam spontaneos, dum conflictus imminet.

III. Prægnantes sub partu; sed non omnes, sed primi partus, vel quando, etiam alios partus expertæ sunt difficiles, ut in unoquoque prudenter periclitari timeant.

IV. Laborantes Febri, quam vocant *maligna*.

V. Navigantes, dum navis periclitari incipit, & non, quando ipsam primò conscendunt, nisi navigatio esset nimis periculosa, & nimis longa, in quo copia Sacerdotis non esset futura.

VI. Bannitos, quorum capita sunt proscripta, sic, ut impunè ab omnibus occidi possint; nec sunt in loco tuto, ut in Regione distanti, vel diversi dominii, quia tunc non essent in periculo vitæ.

VII. Habentem capitalem inimicitiam cum viro magnæ potentiæ, & authoritatis, à quo probabiliter timet se ubique facilè occidi, modò, se, vel beneficio Principis, amicorum, confugii, aut fugæ tueri non valeat.

VIII. De necessitate iter facientes inter grassatores, seu latrones, qui quemlibet illuc transeuntem occidere solent, *ver. cit.*

19. Quæritur, *an absoluti in eo articulo ab inferiore, & simplici Sacerdote debeant, impedimento cessante, comparere coram Superiore?*

Resp. Affirmativè, si casus habeant annexam censuram reservatam, non verò, si sit sine ea reservatus; primum probatur ex *cap. eos, qui de sent. excomm in* 6. ideò ante absolutionem est ei onus imponendum

nendum de comparendo coram Superiore, qui censuram tulit, juxta dicta *cap. 2. num. 15.* secundum verò patet, quia nulla lex hujusmodi obligationem imponit, & aliàs est in eo articulo à peccato directè absolutus, cum in eo juxta Trid. cit. omnis reservatio cesset.

20. Et si quæratur, *an in alio casu, etiam necessitatis, possit ordinarius Confessarius absolvere à reservatis Episcopo?*

Resp. Negativè, ut per sequentia significat primum decretum sub Clem. VIII. loquens de Sacerdote non prædito facultate; *nullo casu, etiam necessitatis, vel impedimenti, nisi in mortis articulo, absolutionis beneficium impendere audeat:* in eo itaque dumtaxat articulo directè potest ab eis absolvere; sed quando ad vitandum scandalum, quis debeat ei confiteri reservata, cum non reservatis, solùm indirectè à reservatis absolvit, cum onere in pœnitente comparendi coram Superiore juxta dicta *num. 10.*

21. Quæritur, *an, cum quis recepit ab Episcopo facultatem absolvendi à casibus reservatis, possit etiam absolvere à censuris, sibi itidem reservatis?*

Resp. Negativè: nam sunt diversa, & à diversis non fit illatio: attendatur igitur tenor rescripti.

Circa facultatem absolvendi procurantem abortum, *v. lib. 2. cap. 20.*

Plura alia tradunt DD. videndi: 1. quod non reservatur, nisi actus externus consummatus, & perfectus, ac mortaliter peccaminosus 2. quod in dubio, an peccatum sit reservatum, tutiùs sit facultatem petere: sed inspiciantur Literæ reservationis.

22. Pondera Confessarios ordinarios non posse absolvere à casibus locorum Ordinariis, & Sedi Apostolicæ reservatis, hoc est, à contentis in Bulla Cœnæ, ac aliis constitutionibus Apostolicis, in quibus additur clausula, *super quo à nemine, quam à Romano Pontifice, nisi in mortis articulo, absolvi possit,* vel similis alia, & à sequentibus sex: qui ab aliquibus appellantur reservati in corpore juris.

I. *Violationis immunitatis Ecclesiasticæ in terminis Const. Greg. XIV.* quæ incip. *Cum aliàs nonnulli, la 7. Bullar. to. 2.*

II. *Violationis clausuræ Monialium ad malum finem.*

III. *Provocantium, & Pugnantium in duello; juxta decret. S. Conc. Trid. & const. Greg. XIII. incipit ad tollendum.*

IV. *Injicientium violentas manus in Clericum juxta Canonem, si quis suadente, &c. 17. q. 4. ac juris dispositionem.*

V. *Simoniæ realis scienter contractæ.*

VI. *Et confidentiæ beneficialis.*

23. Sed difficultas est, *de illis reservatis Sedi Apostolicæ, exceptis illis sex, & in Bulla Cœnæ contentis, an possint Regulares in vim suorum privilegiorum absolvere, nam in secundo decreto sub Clemente Sacr. Congr. declarans, quorum absolutio sit prohibita, nominat solùm reservatos Episcopis, contentos in Bulla Cœnæ, & præfactos sex?*

Resp. Super hoc eadem Sac. Congreg. declarationem, ab Urb. VIII. approbatam, edidit *sub die 18. Novembris 1628.* ubi hæc sunt, *Regulares, &c. nec intra, nec extra Italiam, in vim privilegiorum,*

*rum, aut confirmationum hujusmodi, quas, vel hactenus obtinuerunt, vel deinceps fortè obtinebunt, posse quemquam absolvere ab eisdem casibus in Bulla Cœnæ, aut ordinario loci reservatis, ac si secus egerint absolutiones nullas, atque irritas fuisse, ac fore, ab aliis verò casibus, & censuris Sedi Apostolicæ reservatis, si quidem Regulares habeant à Sede Apostolica absolvendi facultatem, illam extra Italiam, minimè sublatam fuisse ejusdem Sac. Cong. decretis, hac de re editis jussu S. M. Clementis VIII.*

## §. I.

### *Immunitas Ecclesiastica.*

24. QUæritur. *Quid hic intelligatur nomine Immunitatis Ecclesiasticæ?*

Resp. Intelligitur privilegium, quod habent Ecclesiæ, Monasteria, & cætera loca pia, auctoritate canonica constructa defendendi reos, qui in eis volunt gaudere asylo, & securitate à fortiis Curiæ Ecclesiasticæ, vel sæcularis, ut communiter DD. A quibus nullus violenter, vi nimirum, vel fraude, aut dolo extrahi, abduci, aut expelli possit, si in eis existens sacro asylo frui intendat.

25. Gregorius ubi supra declaravit in septem casibus Immunitatem non suffragari: decrevitque, ea non gaudere. I. *Publicos latrones*, qui violenter cum armis homines aggrediuntur, spoliant, & occidunt: *Viarumque aggressores*, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, ac ex insidiis aggrediuntur, ac spoliant, sed eos non occidunt.

26. II. Depopulatores agrorum, sed nocturnos, juxta tex. *in cap. Inter alias*, de Immunit. hoc est, eos, qui de nocte fructus pendentes, & segetes destruunt.

27. III. Qui homicidia, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, earumque Cæmeteriis committere non verentur; & intelligitur de præcisione membri, ac homicidio ex proposito, & non fortuitò commisso.

28. IV. Eos, qui prodjtoriè, hoc est, simulantes amicitiam, aut data fide, proximum suum occiderint. Sperell. *dec.* 23. & 185.

29. V. Assassinos. Qui inimicum Christianum non præcaventem, pecunia, vel alia re æstimabili recepta, vel promissa, de alterius mandato occidunt, aut occidi mandant. Sed necesse est, ut mors sequatur, ut declaravit S. Congr. Immunit. in *una Mediol.* 20. *Junii* 1636. Sperell. *dec.* 102. *num* 58.

30. VI Hæresis reos, vide supra *c.* 3.

31. VII. Reos læsæ Majestatis in personam Principis. Verùm, licèt istis immunitas non suffragetur, nullus tamen Judex potest eos ex locis immunibus extrahere, nisi prius Episcopus cognoverit crimen esse de exceptis, & nisi fiat de ejus licentia, ac servatis cautelis, de quibus expresse Constitutio Gregorii.

32. Non est dubium, violationem Immunitatis Ecclesiasticæ esse casum Papalem, Summo Pontifici reservatum. Nam, si sensus sit de offensa Immunitatis in terminis constitutionis Gregor. patet ex adducto 2. decreto Clement. VIII. Si verò loquamur de absoluta violatione Immunitatis, constat ex Extravag. Pauli II. *Et si Dominici de panit. & remis.*

*mis. inter com.* ubi statuitur, ut in quibuscumque concessionibus; & facultatibus absolvendi, semper intelligantur excepti certi quidam casus, specialiter Sedi Apostolicæ reservati, inter quos est offensio Ecclesiasticæ libertatis, quod subinde sub *eod. tit. ibid.* Extravag. item, §. *& si Dominici* decrevit Sixtus IV. sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Sedi Apostolicæ reservatæ prohibens quibuscumque Sacerdotibus, ne prætextu cujusvis facultatis absolvant à casibus ibi expressis absque Sedis Apostolicæ licentia speciali; & inter eos recenset ipsam Ecclesiasticæ libertatis offensam.

33. Sed oritur dubium: *An offendentes Immunitatem, vel libertatem Ecclesiasticam ligentur censura Papæ reservata?*

Resp. Affirmativè. Si violatio contingat per viam statuti, vel prætextu consuetudinis ligantur excommunicatione Bullæ Cœnæ *Can.* 15. Si verò Immunitas Ecclesiæ violetur per ministros Curiæ Sæcularis extrahendo ab Ecclesia reos, inconsulto Episcopo, etiam in casibus in Gregoriana exceptis, ipso facto ex vi Gregorianæ innodantur censuris per Sacros Canones, & Conciliorum, ac Pontificum Constitutiones promulgatis, ut ibid. Gregorius declaravit. Unde consulta S. C. Conc. *an absolutio à censuris ob violatam Immunitatem Ecclesiasticam juxta terminos d. const. Greg. XIV sit Sedi Apostolicæ reservata? Censuit esse Sedi Apostolicæ reservatam.* Absolutè violatoribus Immunitatis, sivè per extractionem rei ab Ecclesia, sivè alia offensionis specie, & qualitate offendatur, semper censura Papæ reservata incurritur: nam utroque modo dicitur offendi, & violari Ecclesiæ libertas, quam habet protegendi reos ad ipsam confugientes, & in ea existentes; semper enim juxta alleg. Extravag. est casus reservatus Romano Pontifici: Cui regulariter loquendo casus reservantur ratione Censuræ reservatæ, quam habent annexam, ut pluribus cumulatis dixi supra *cap. 3. nn.* 29.

34. Sed petitur. *An vigore Jubilæi possit Confessarius approbatus absolvere violatores Immunitatis Ecclesiasticæ?*

Resp. Negativè, prout pluries declaravit S. Cong. Immunit. quæ sub *die* 20. *Aprilis* 1672. rescripsit, ut infrà. *I violatori dell' Immunità, libertà, è giurisdittione Ecclesiastica non possono essere assoluti vigore Jubilæi della scommunica, nella quale sono stati dichiarati incorsi, ma debbono onninamente ricorrere à questa S. Congr.* Idem rescripsit Episcopo *Neapolitan.* 4. *Febr. ejusd. anni II. rispetto d' esser stato assoluto vigore Jubilæi non deve incasi d' Immunità violata haversi in consideratione.* Hic videtur loqui in casibus violationis: etiamsi violatores non fuerint declarati excommunicati: Et aliàs in Neapolitan. dixit, *absolutionem obtentam vigore Jubilæi non suffragari*, apud Pignatel. *t. 1. consult.* 189.

Hinc Confessarii debent se conformare allegatis S. C. resolutionibus, & in praxi eruant interrogationes faciendas ministris, & Birruariis, aliisque in materia violationis Immunitatis.

## §. II.

### *Clausura monialium.*

35. QUæritur, *quid intelligatur nomine Clausuræ.*

Resp.

Resp. Hîc est opus distinctione. Si loquamur de Clausura pro materiali, intelligitur illud spatium, quod continetur intra januam Monasterii semper clausam, & muris cingitur: ut, claustrum, domus, hortus, & officinæ interiores, cap. *exiit de verb. signif.* 126. Ad quæ est sine expressa licentia cuilibet ingressus interdictus, & extra quæ Monialis exire non potest. Si verò sermo sit de Clausura pro formali in Moniali, est obligatio strictissima manendi intra septa Monasterii, & non admittendi ad ipsa personam ullam, ex Trid. *sess. 25. de regularib. cap.* 5. cujuscumque conditionis sit sexus, & ætatis, nisi de licentia Episcopi, aut Sedis Apostolicæ: Regulares, quibus incumbit cura Monasterii, ingredi possunt clausuram; servatis tamen dispositis ab Alex. VII. *Const. felici Sacrarum Virginum, la* 156. *Bullar. to.* 15. in qua Superiori Regulari, habenti curam Monasterii, prohibetur ingredi pluries, quàm semel in anno; & tunc ex causa solùm visitationis localis.

36. Quæritur, *quid sit violare clausuram ad malum finem?*

Resp. Est septa Monasterii ingredi, vel egredi ad effectum venereum: Rei hujusmodi violationis à Summo Pontifice absolvuntur.

37. Sed quid, *si violatio fore secreta, & occulta?*

Resp. Nec tunc à Confessario possunt absolvi, sed est recurrendum ad Papam, vel Majorem Pœnitentiarium. Neque ipse Ordinarius potest beneficium absolutionis impertiri, prout habet Fagnan. *in 1. ad cap. dilectus de temp. ordinat. nu.* 32. *& 33.* ubi refert, quòd, *cùm dubitasset Archiepiscopus Florentinus, an vigore cap. 6. sess. 24. posset absolvere quamdam Monialem, quæ occultè, & ad malum finem fregerat clausuram, non obstante Bulla B. Pii V. Decori*; Summus Pontifex declaravit *Bullam B. Pii* (in qua egredientes extra clausuram præter casus in ea expressos ligantur censura Papæ reservata) *habere locum, etiam in occultis.*

38. Sed petitur: Quid, *si violatio non fuerit ad malum finem, an violans ligetur excommunicatione Papæ reservata?*

Resp. De Moniali non est dubium; nam allegata Bulla B. Pii loquitur absolutè, *aliter quàm, ut præfertur, egredientes*; nec distinguit de egressu ad malum finem, vel non; sed absolutè interdicit egressum, nisi in casibus, quos allegat; & videtur quoque resolutum à S.C. Conc. ibid. apud Fagnan.

39. Difficultas est de iis, qui non ad malum finem, sed facultate sibi ex officio attributa extrà casus necessarios, vel propria authoritate ingrediuntur.

Quòd præfati sint ipso facto excommunicati, patet ex Trid. *cap. 5. sess. 25. de Regularibus*, ex const. *Dubiis la* 28. *Greg. XIII. Bullar. tom. 2.* & ex allegata, *Alex. VII.* Sed ibi excommunicatio non reservatur. In const. verò *Ubi gratia ibid. Greg. XIII.* Sola illa Summo Pontifici reservatur, qua ligantur ingredientes sub prætextu licentiarum, vel licentiis ad ingrediendum ab Ordinariis obtentis pro libito utentes, & extendentes ad casus etiam non necessarios. Immò tradit Fagnan. *in 4. ad cap. Nuper de sent. excom. num. 36.* quod, excitato dubio

bio ab Episcopo Comen. & petente declarari; *an Bulla Sanctiss. imponens pœnam excommunicationis ingredientibus Monasteria vigore facultatum Apostolicarum, etiam eos comprehendat, qui absque talibus facultatibus ingrediuntur, ut scirè possit, an absolutio sit reservata Summo Pontifici? S. Cong. censuit agendum esse cum SS. quia Concilium non reservavit Papæ; & Sanctiss. declaravit Bullam non comprehendere eas personas, quæ ingrediuntur propria authoritate absque licentia Sedis Apostolicæ.*

Verùm praxis etiam in istis est, ut pro absolutione recurratur ad Sacram Pœnitentiariâ: Propter quod videtur inductus usus talis reservationis, pro qua scripsit Ludovicus Beja, & Lælius Zecchius *elucidat. casu. Episc. reservat. casu* 10. Navarrus *in cap. statuimus sub n.* 62. *de Regular. & in Manuali cap.* 23. *sub num.* 150. affirmat const. Greg. comprehendere etiam intrantes sine licentia, & se credere hanc fuisse mentem Greg. ideò delinquentes ad præfatum Sacrum Tribunal dirigantur. Idem tenet Pignatell. *to.* 10. *consult.* 100. *num.* 25.

49. Quæritur, *An Confessarius Monialium possit ingredi clausuram ad sumendam formulam consecratam, in Ecclesiam interiorem è manibus lapsam, dum communionem Monialibus præbet?*

Resp. Negativè; hujusmodi non censetur casus, in quo à Sede Apostolica indulgetur Confessariis ingressus in clausuram; casus sunt *in d. const. Felici* §. 5. ibi. *Ad hæc Confessor Sanctimonialium, tam ordinarius, quàm extraordinarius, minimè ingrediatur septa Monasterii, nisi ad Sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & Extremæ-Unctionis ministranda Monialibus, vel aliis personis infirmis, ibi degentibus, necnon ad commendandam animam Agonizantium.* Ponderetur dictio *nisi*, quæ cæteros casus excludit.

41. Sed quæritur; *Quomodo in eo casu se gerere debeat?*

Resp. Aliquibus placet, quòd possit Confessarius committere eidem Monialì, quæ erat communicanda, ut lingua particulam sumat; vel, si ad hoc difficilem se præbeat, eidem porrigat patenam, ut media eadem decenter formulam elevet à terra, præbens eam Confessario, Elizarius de *Monial. cap.* 10 *sect.* 3. *sub sect.* 1. *num.* 239. Rotarius *apparat. Theol. moral. p.* 1. *cap.* 10. *sect.* 2. *num.* 17.

Verùm neutrum probamus. Non primum; nam plus fœminis conceditur, quàm sit necessarium, & quod eis à Sacris Canonibus interdicitur; Commune est apud Juvenin *comment. Hist. de Sacram. dissert.* 4. *q.* 5. *art.* 2. *conc.* 2. Laicos (de quorum numero, quoad hoc, & Monialis reputatur) nec sibi, nec aliis Eucharisticam Communionem posse impertiri, etiam mortis urgente periculo; patet ex Trid. *sess.* 13. *cap.* 8. *de Eucharis.* ibi: *In Sacramentali autem sumptione semper in Ecclesia mos fuit, ut Laici à Sacerdotibus communionem acciperent.*

Nec secundùm, quia à nemine præterquam à Sacerdote, vel Diacono licet tangere vasa, in quibus continetur Corpus Christi; *cap. Non oportet dist.* 33. Abellii *Medul. Theol. p.* 2. *sect.* 11. §. 8. *n.* 8. *de Sacrif. Miss.* Deinde, quod particula

elevetur à terra in Rubrica Missalis *de defectib. in ministerio nu.* 15. videtur committi Sacerdoti, ex observatis etiam à Gavanto Thesaur. *Sacr. Ritu. p. 3. tit.* 10. *de defect. in Minist. à nu.* 12.

Quare Confessarius debet Moniali porrigere patenam, & ipsa mundo manutergio accipere; deinde injungat, ut patena cooperiat formulam, & supra ponat sericam tobaleam, ac lumina adhibeat; Moniales interim assistant, orando, usque dum ipse revertatur cum licentia, obtenta ab Ordinario, vel alio de illius commissione, ad effectum ingrediendi, & implendi, quæ à Rubricis loco allegato sunt injuncta.

42. Quæritur, *An Monialis ascendens supra tectum frangat clausuram?*

Resp. Affirmativè, contra plures id negantes apud Dianam *Coord. to. 5. tr. 1. resolut.* 83. *num.* 2. quos ipse sequitur. Ratio resolutionis est, quia S. Cong. apud Nicol. Eloſc. *ver. Monialis n.* 35. *sub die* 18. *Septembris* 1609. commisit absolvi quasdam Moniales, quæ supra tectum bona Fide ascenderunt, cum speciali prohibitione illud ultra ex quacumque causa ascendendi: Qua propter tectum cum muris cingentibus Monasterium integrum terminum adæquatum Clausuræ constituit: & de moniali existente suprà tectum dicitur esse extra ambitum Clausuræ.

43. Quæritur, *An in violatione Clausuræ detur parvitas materiæ, vel, an Monialis in violatione Clausuræ excusari possit à mortali ratione parvitatis materiæ: ut, si exeat extra terminum Clausuræ ad unum, vel duos palmos, statim reversura?*

Resp. Distinguendum est: vel Monialis completè, & perfectè, hoc est, secundùm totum corpus se ponit extra terminum Clausuræ, vel solùm imperfectè, & secundùm aliquam partem, manum scilicet, vel pedem, & non toto corpore: si primo modo, cum Donato *prax. regul. tom. 4. tract. 4. q.* 25. Bonac. & Tamburino apud Pelizarium, *capit.* 5. *sect.* 1. *num.* 19. non excusamus à mortali, nec parvitatem materiæ admittimus; quia de Moniali, quæ toto corpore se ponit extra terminum clausuræ sive ad unum, vel duos palmos, etiam mox reversura, verificatur, quod sit egressa de clausura, quod est ipsi sub censuris prohibitum. Secundo verò modo excusatur, & parvitatem materiæ cum iisdem non negamus.

44. Quæritur, *An Monialis ponens se in Rota, & eam volvens ad partem exteriorem, ad quam est sæcularibus liber accessus, frangat clausuram, si ab ea non descendat?*

Resp. Affirmativè, quia se transfert ad locum, ad quem solent sæculares accedere, quod expressè prohibetur Monialibus à Greg. XIII. const. *Deo* Sacris. la 8. ibid. Similia enim loca extra clausuram accensentur.

§. III.

## §. III.

*Duellum.*
*De Duello vide dicta cap. 2.*

## §. IV.

*Manus violenta in Clericum.*

45. QUæritur. *Quinam dicantur violentas manus in Clericum injicere?*

Resp. Qui actionem exteriorem injuriosam, & contumeliosam facit contra Ecclesiasticas personas, ut, si eas violenter percutiat *manu, pede, lapide, baculo, ense, Sclopo, &c.* violenter etiam absque corporis læsione detineat, vel incarceret: aliquid ab eis violenter eripiat; vestes laceret; venenum propinet; vel quid simile in contemptum attentet, per quod eas notabili aliqua injuria, & contumelia contra honorem, & reverentiam statui Clericali, & personis Ecclesiasticis debitam afficere censeatur. Videnda Glos. *ad d. cap. Si quis verb. man.* Injuria verò factis, non verbis irrogata censuram concludit.

46. In casu, appellatione Clerici veniunt omnes Ecclesiasticæ personæ: ut, Clerici, etiam primæ tonsuræ; ac conjugati, si cum una, & virgine contraxerint, habitum, & tonsuram deferant, cap. *Clerici de Cleric. conjug. in* 6. Item, omnes Religiosi utriusque sexus, etiam Novitii. Cap. *Cum illorum, cap. De monialibus de sent. excom.* Et *cap. Religioso eod. tit. in* 6. Item, Tertiarii cum Claustralibus habitantes: Item, Mulieres Tertiariæ virginalem, aut cœlibem vitam voventes, etiam si seorsim in propriis domibus, aut affinium suorum habitent, juxta *constit. Dum intra, Leonis X. la* 22. *Bullar. to.* 1. dummodò conditiones habeant taxatas in decreto S. C. Conc. quod refero Offic. Curiæ, c. 52.

Item, Eremitæ, qui sub obedientia Episcopi alicui Ecclesiæ in communitate, vel separatim deserviunt. Item, Equites S. Joannis Hierosolymitani, vulgò *di Malta, cap. Canonica de sent. excom.* Quippe solemnia vota Religionis emittunt, ut per Sperellum decis.

47. Quæritur, *An ad incurrendam censuram Canonis excuset parvitas materiæ?*

Resp. Affirmativè. Conveniunt enim DD. Barbosa, Diana, aliique in hac materia dari parvitatem materiæ, adeò, ut non incurratur censura, si injuria, vel contumelia illata talis judicio viri prudentis non sit, quæ ad peccatum mortale sufficiat, ut ex Bonaccina observavit Abellii *Medul. p. 2. to. 2. c. 6. sess. 2. §. 1. num. 6.* Nam cum sit injuria levissima, non dicitur facta suadente Diabolo per Du-hamel Theol. *Cleric. tom. 3. lib. 5. dissert. 4. cap. 5.* Et exemplificant; si quis leviter Clericum à se animo irato repellat.

Hinc, ut censura incurratur percussio non levissima esse debet, sed *levis, mediocris, aut gravis*, seu *enormis.* Judicium autem, an levis sit, mediocris, vel enormis, cùm sit res facti, dependet à qualitate loci, personæ, & circumstantia injectionis manus, de quo in Extravagante *Perlectis Joan.* XXII. apud Confectium *de privil. mend. p.* 1.

48. Levis itaque percussio secundùm

allegat. Extravagantem ea declaratur, quæ facta, manu, pede, digito, vel lapide, nullam reliquit plagam, vel suggillationem carnis, nec dentes effringit, nec multos divellit capillos, nec sanguinis copiam facit, licèt parum fluat.

49. Mediocris percussio ea censetur, ubi dens eruitur, copia capillorum evellitur, carnium contusio, aut suggillatio relinquitur, &c.

50. Gravis verò, vel enormis, judicanda est, si gravior læsio, & injuria inferatur; ut, si Clericus vulneretur, mutiletur, debilitetur, vel occidatur. Item, si denudetur, aut atramento, vel stercore vultus ejus fœdetur. Considerandum est, quòd percussio, quæ aliàs secundùm substantiam esset levis, fit plerumque gravis, & enormis, aut mediocris ratione loci, ut, si percutiatur Clericus, Ministerio Altaris occupatus, aut dum vacat sacris, sivè in Choro, vel in actu publicæ processionis; si in platea, theatro, vel alio loco publico injuria personalis inferatur.

51. Item crescit ratione personæ; ut, si inferatur Episcopo, Prælato, aut alteri in dignitate Ecclesiastica constituto. Cæterum judicium ex d. Extravag. quæ sit enormis injuria, relinquitur arbitrio Episcopi. Qui in dubio enormem potiùs, quàm levem arbitrari debet; & ad Sedem Apostolicam pro absolutione injuriantes sunt dirigendi, *ne de vicina absolutione confisi de facili in atroces prorumpant percussiones, & injurias, & in Canonis sententiam proclivius prolabantur*, ut ibid. textus, & Confectius *cit. p. 2. tit. 14. cap. 1. conc. 5.*

Non nulli sunt casus, in quibus ob percussionem Clerici censura non incurritur, quos recenset *cit.* Confectius ibid. *cap. 8.* & Du-hamel *ubi supr.*

52. I. Quando vis cum moderamine inculpatæ tutelæ repellitur, & Clericus repellendus læditur, cap. *si verò, il 1. de sent. excom.*

53. II. Cùm in continenti percutitur Clericus, vel Regularis cum uxore, matre, sorore, vel filia propria turpiter inventus, d. cap. *si verò §. nec ille d. tit.*

54 III. Cùm ex officio, Magister, vel Prælatus corrigit Clericum, vel Regularem; nam tunc percussio non fit, suadente Diabolo, sed suadente justitia, vel charitate, & zelo Dei, ac disciplinæ, cap. *Universitatis, cap. Cum voluntate d. tit.* Dummodò modus graviter non excedatur, nec per Laicum sæcularem fiat.

55. IV. Cum à muliere de adulterio, stupro, vel fornicatione tentata, causa defendendi propriam honestatem, Clericus percutitur; dummodò provocatio, & solicitatio facto, & non solo verbo fiat, d. Confectius.

56. V. Cùm fortuito casu, & non ex deliberatione Clericus percutitur, d. cap. *si verò §. Officialis.*

57. VI. Cùm id non fit ex odio, invidia, seu indignatione, sed per jocum, vel ad ludum. Nam tunc percussio dici nequit violenta, nec, suadente Diabolo, *cap. Nuper d.* & Alios casus vid. apud Confectium *ibid.*

58. Quæritur. *Quis absolvat ab excommunicatione incursa propter Clerici percussionem?*

Resp. Est certum, Confessarium ordinarium absolvere non posse, nisi de speciali

ciali facultate Superioris, ad quem respectivè id pertinet. Regulariter absolutio est Sedi Apostolicæ reservata. Ubi verò injuria modica fuerit, vel levis, Episcopus potest absolvere, cap. *Pervenit de sent. excom. d. tit.*

59. Episcopus absolvit Pueros, *cap. Pueris.*

60. Item, mulieres, senes, infirmos, & debiles, qui in Clericum violentas manus iniiciunt; vel aliàs impotentes adeundi Sedem Apostolicam pro absolutionis beneficio, cap. *Ea noscitur.* cap. *Quamvis eod. tit.*

61. Item constitutos in periculo, vel articulo mortis. In quo etiam à quovis Sacerdote absolvi possunt; cùm, vel ab Episcopo absolutio haberi non potest, vel Confessarius approbatus non habetur, juxta Trid. *sess.* 14. *cap.* 7. *decas. reservat.*

62. Sed praxis est, ut, quoties ab Episcopo absolvuntur impediti adeundi Sedem Apostolicam, vel à Sacerdote existentes in articulo mortis, ab eis exigatur juramentum recurrendi cum primùm commodè poterunt ad Papam, vel ejus Delegatum, mandatum ipsius humiliter recepturi, per tex. *in d. capit. Quamvis.*

Debentque de tali onere eos præmonere, aliàs non comparentes in similem excommunicationem reincidunt, cap. *Eos, qui d tit. in 6.* Cabasut. *prax. jur. Canon. lib.* 3. *cap.* 2.

63. Quod est practicandum non solùm cum excommunicatis ob percussionem Clerici, sed etiam cum ligatis quacumque censura, cujus absolutio sit Sedi Apostolicæ reservata, ut communiter Canonistæ apud d. Confect. *cap.* 9.

64. Hoc etiam est observandum, quod absolutio numquam est conferenda, nisi parte satisfacta, si fuerit læsa; & in casu impotentiæ est ab absolvendo exigenda promissio cum cautione, etiam jurata de satisfaciendo læso, & de parendo mandatis Ecclesiæ; virtute cujus promissionis, & juramenti est ipsi præcipiendum, ne de cætero in Clericum, vel Monachum violentas manus iniiciat.

65. Sed dubitari potest. *An Episcopus in enunciatis casibus, in quibus ipse potest absolvere, possit id alteri Sacerdoti committere?*

Resp. Affirmativè; tex. expressus in *cap. His de offic. jud. ord.* Nam jurisdictio competens Episcopis absolvendi certis in casibus ob violentam manuum injectionem in Clericum est ordinaria; etenim competit ex officio; ac est concessa non personæ, sed dignitati, cui ita cohæret, ut cum ipsa transeat in futurum Prælatum, & inde perpetua censetur: Atque ita potest alteri committere, ita Gonzalez in 1. *tit.* 32. *cap. fin.*

66. Ex quo sequitur, quòd Prælati Regulares, quibus ratione officii, & dignitatis, competit facultas absolvendi suos subditos à d. censura, possint eam potestatem alteri Ordinis Sacerdotis committere.

67. Quæritur. *An mandans, percussionem Clerici d. excommunicationem incurrat.*

Resp. Affirmativè, tex. expressus in cap. *Mulieres* §. *Illi verò*, etiamsi de mandato ante percussionem eum pœniteat. Nisi ipsum revocaverit, & de revocatione notitiam ad mandatarium pervenire curaverit, & cum effectu per-

venerit, ut tibi Glos. verb. Auctoritate, & Confectius.

68. Pariter, consentientes, & favorem, ac opem delicto violentæ injectionis manuum præstantes Canonis sententia ligantur, *cap. Quanta d tit.*

69. Quæritur. *Joannes percussit Clericum nomine Titii, a quo mandatum non recepit, Titius id sciens, ratam habet approbans percussionem, petitur, an Titius excommunicationem incurrat?*

Resp. Affirmativè, Cap. *Cum quis de sent. excom. in 6.* Ratihabitio enim mandato æquiparatur, ubi Glos. *in verb. suo nomine*, dixit, si ratum habuit tantùm in corde, quoad Deum est ligatus, sed non quoad Ecclesiam militantem. Dum verò prædictæ ratificationis signa exteriora apparuerint, tunc etiam quoad Ecclesiam erit excommunicatus. Confect. *cit.* Ibique ead. Glos. *in verb. Incurris*, notavit, quod approbans injectionem excommunicatione ligatur ex *nunc*, hoc est, ab instanti ratificationis; non ex *tunc*, quo facta est injectio.

70. Nec obstat, quod dicatur ratihabitionem retrotrahi. Nam satis trahitur ad tempus anteriùs, cum ex facto anteriori ligat, licèt ex *nunc*. Neque enim sententia excommunicationis trahitur, sed statim ligat, vel non ligat, nec suspendit effectum suum, ut ibi Glos. & cap. Pastoralis de appellat.

Qui verò ratam habet injuriam realem personalem in Clericum non suo nomine factam, peccat quidem peccato sacrilegii, sed non est excommunicatus. Confect. *cit.*

71. Quæritur. *Pœnitens aperit Confessario, se rapuisse Clericum, quid Confessario agendum?*

Resp. Non potest eum absolvere, etiam si ipsum restituerit; cum sit innodatus censura Canonis ob violentiam Clerico factam.

72. Adverte, quod Clericus consentiens, sibi violentiam inferri excommunicationem incurrit, cum tunc injuria inferatur ipsi ut Clerico, & toti ordini Clericali, in cujus favorem fuit privilegium Canonis concessum.

73. Observandum, quod percutiens plures Clericos, in petenda absolutione debet numerum ipsorum exprimere, aliàs petitio erit subreptitia. Pluribus enim excommunicationibus numero distinctis ligatur. Nam plures causæ numero distinctæ concurrunt; quæcumque ligat per se sufficiens ad inferendam censuram. Vide, quæ dixi infr. *cap. 33. nu. 43.* & Glos. *in cap. Cum pro causa in verb. Tamquam de sent. excom.*

74. Observandum etiam, quod est onus vitandi excommunicatum ob Clerici percussionem; Nec requiritur, ut tamquam excommunicatus denuncietur, sed sufficit, ut ita notorium sit Clericum percussisse, quod factum nulla possit tergiversatione celari, nec aliquo juris suffragio excusari, juxta Const. *Conc. Constantiens. sub Martino V.* quam refero infr. *lib. 2 cap 35. num. 16.* Quod fuit pro omni notoria excommunicatione repetitum in Conc. Lateranen. sub Leone X. pro ut in *ejus Const. Primitiva sub la 20. §. 24. Bullar. tom. 1.* illis verbis: *aut si notoriè in excommunicationis sententiam constiterit incidisse, quod nulla possit tergiversatione celari, &c.* Qua propter

propter vitandi sunt, qui, vel fuerint expresè, & specialiter denunciati, excommunicati, vel de quibus notoriè constat excommunicationem, vel ob Clerici percussionem, vel aliam causam incurrisse. Vide infr. *cap.* 33. *num.* 18. & alia plura, quæ dixi Offic. Curiæ Ecclesiast. *cap.* 39. de privilegio Canonis; ubi de facultate superiorum Regularium erga suos.

## §. V.

### *Simonia realis scienter contracta.*

75. IN præsenti §. reservatur Romano Pontifici simonia realis scienter contracta. Sciendum namque I. Quod simonia est *studiosa voluntas emendi vel vendendi spiritualia, vel spiritualibus annexa. Dicitur studiosa voluntas emendi*, &c. quia quis, quantum est de se, studet, & procurat pecunia emere, & vendere rem spiritualem, quæ invendibilis est, & supra omne pretium; atque ita non obstante, quod sit materia indebita venditionis, & emptionis, nulloque pretio æstimari possit, se gerit circa ipsam, ac si revera vendi, & emi posset, & ita injuria rebus spiritualibus irrogatur.

76. Contractus emptionis, & venditionis ponitur, tamquam species pro genere, seu pro quolibet contractu oneroso, vi cujus aliquid pretio æstimabile aut exigitur, aut confertur, aut promittitur; sivè sit contractus locationis, permutationis, transactionis, vel innominatus: *ut, do, ut des; do, ut facias: facio, ut facias: facio, ut des.*

77. II. Quòd nomine rei spiritualis intelligitur quodcumque supernaturale, seù, quod à Deo procedit, ut est Auctor gratiæ, & ad finem supernaturalem conducit. Id enim in casu dicitur spirituale; sivè sit in se spirituale; ut sunt fides, gratia, Spes, charitas, dona Spiritus Sancti, &c. Sivè ut causa; ut Sacramenta, quæ causant gratiam sanctificantem; aut conferunt, etiam potestatem spiritualem ad consecrandum, & absolvendum, ut Ordo; sivè, tamquam effectus, quia à spirituali potestate procedunt; ut administratio Sacramentorum, consecrationes personarum, locorum, vasorum, concionari, dispensare in votis, vel impedimentis matrimonii super irregularitate; absolvere à censuris, & similia. Sivè sint spiritualibus adnexa. Quod duplici titulo contingit, *antecedenter*, & *consequenter*: Adnexum *antecedenter* dicitur, quod secundùm suam naturam præcedit formam spiritualem, ut sunt vasa sacra. Priùs enim fiunt vasa, deinde consecrantur. In istis venditio cadit supra materiam temporalem, non suprà spirituale.

78. Adnexum *consequenter* est, quod est posterius spirituali, & ab isto dependet. Ita beneficium Ecclesiasticum dependet ab ordine Ecclesiastico. Prius enim est esse Clericum, quàm beneficiatum, & habere jus ad redditus. Quare beneficium Ecclesiasticum describi solet: *jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis competens Clerico propter officium spirituale in sustentationem Ministri.*

Dicitur *perpetuum*, quia beneficia ex natura sua instituta sunt, ut sint perpetua,

petua, ad differentiam pensionum, quæ morte pensionarii extinguuntur. Ideò important jus percipiendi ad tempus portionem fructuum ex bonis beneficii.

Dicitur *propter officium spirituale*, quia beneficia dantur propter officia, & ministeria Ecclesiastica, *Const. Superna la* 3. *Leonis X.* §. 38. *Bullar. to.* 1.

79. Etiam pensiones dantur propter officium, quia pensionarii tenentur ad recitandum officium B. M. V. Const. *Ex proximo la* 135. *B. Pii V. Bullar. to.* 2.

80. Considerandum hìc est, beneficia tria comprehendere. I. Officium spirituale, seu ministerium Ecclesiasticum. II. Jus stipendii, seu ad redditus temporales. III. Ipsum stipendium, vel redditus. Primùm utpotè spirituale vendi non potest.

Nec secundùm, quia, licèt non esset in se spirituale, tamen est adnexum consequenter officio, seu titulo spirituali, quia ad istud sequitur. Ideò officium censetur vendere, qui illud jus vendit, juxta regulam in cap. *Si quis obiecerit* 1. *qu.* 3. ibi: *Quisquis alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, penitus inventum relinquit.*

Dixi *licèt non esset spirituale*, quia de spiritualitate talis juris non videtur dubitandum secundùm Cajetanum apud Faguan. *in* 1. *ad cap. Cum pridem de pactis num.* 101. Nam, statim ac quis est Clericus, & divinis officiis mancipatus ex jure divino habet jus ad stipendium, juxta illud, *qui Altari inserviunt, de Altari participant*, 1. *ad Corinth.* 3. cap. *Extirpandæ*, cap. *Secundum de prabend.* Quod jus, cum ad Clericatum, & deputationem ad functiones spirituales sequatur, esse debet spirituale.

81. Nec fructus à collatore beneficii vendi possunt, quia non est dominus fructuum, sed dispensator, ideò venditio caderet supra collationem, & institutionem, quæ est spiritualis. Nec ab ipso proviso ad vitam vendi, vel locari possunt, quia sunt res Ecclesiasticæ, de quo alibi.

III. Quòd simonia, alia est jure naturali, & divino prohibita, ut est vendere gratiam, Sacramenta, actus Ordinis, & functiones omnes spirituales, consecrationes, benedictiones, absolutiones, dispensationes, actus jurisdictionis spiritualis, tam spectantis ad forum internum, quàm externum, & similia, quæ omnia sunt de sua natura invendibilia. Nam, vel sunt in se spiritualia, vel causa rei spiritualis, aut procedunt à potestate spirituali, & ordinatur ad finem spiritualem, & salutem spiritualem animarum.

Alia verò solùm prohibita jure positivo Ecclesiastico, ut est. I. Vendere officia Sacristiæ, Oeconomi, Protectoris Ecclesiæ, cap. *Salvator.* 1. *q.* 3. Hujusmodi enim officia habent rerum Ecclesiæ administrationem.

82. II. Reservare pensiones ex beneficio resignato: id enim fieri nequit sine pactione. Pactiones autem omnes in beneficiis sunt prohibitæ, cap. *Pactiones de pactis.* Sed necessaria est auctoritas Pontificis, ut labes simoniæ purgetur.

III. Permutare unum beneficium cum alio ex eadem ratione; quia id sine partium pactis, & contractu oneroso fieri nequit, cap. *Quæsitum de rer. permutat.*

Sed

Sed necesse est, ut permutatio fiat authoritate Superioris, Papæ nimirum (vel etiam Episcopi, quantum ad beneficia, quæ Episcopus potest conferre) *cap. Sicut unire de excessib. Prælat.* Et tunc partes non vi pacti permutant inter se beneficia, sed ex nova collatione, recipiunt; nam ea resignant in manu Pontificis, cui suum desiderium exponunt, à quo eis deinde conferuntur.

83. Idem dicitur de actionibus beneficio adnexis; ut, si quis dicat alteri: *elige me ad hoc officium spirituale, & eligam te ad aliud; vel, si dixerit, confirmo te in hoc beneficio, modò mihi des, aut promittas hanc Capellaniam*, Provincialatum, Guardianatum, &c. cap. *De hoc de simon.*

84. Triplex verò est simonia, *mentalis, conventionalis, & realis.* Mentalis ea est, in qua quis nullo pacto prævio expresso, vel tacito, dat temporale pro spirituali (vel è contra) ea intentione, ut pro temporali recipiat spirituale, vel ut pro spirituali temporale assequatur.

*Conventionalis* ea est, in qua pactum exteriùs quidem expressum est de re spirituali vendenda, vel emenda, sed vel nihil realiter est datum; vel datum est ab una tantùm parte: ut, si emptor receperit beneficium, sed pretium conventum non solverit; aut, si pretium dederit, sed beneficium non receperit, sed expectat.

*Realis* ea est, in qua tria hæc concurrunt: pactum de re temporali pro spirituali: solutio pretii, saltem secundùm partem, & receptio rei sacræ.

84. Quæritur. Quotuplex *sit munus, seù pretium simoniacum*

*Matthæucci Cautela Confess.*

Resp. Triplex: *à manu, ab obsequio, à lingua*, cap. *Ordinationes* 1. *q.* 1. & d. *cap. Salvator.*

*Per munus à manu venit pecunia*, sivè numerata, aut credito promissa. Nomine autem pecuniæ intelligitur quidquid pecunia mensurari potest, estque pretio æstimabile.

Quare incurrunt simoniam per munus à manu. I. Qui pro rebus sacris, à functionibus spiritualibus supra enunciatis quidpiam pretio æstimabile dant, recipiunt, vel promittunt, sive illud detur tamquam pretium, sivè tamquam motivum dandi, vel gratuitam compensationem. Si distinctio hæc pretii, motivi, & gratuitæ compensationis præservaret à simonia, nulla omnino, nisi à viris plumbeis committeretur, & omnis palliaretur. Unde falcem ad radicem posuit Innocentius XI. in damnat. *propos.* 45. & 46. De quo *lib.* 2. *cap.* 26.

85. Dices Sacerdotes licitè recipiunt stipendia pro celebratione Missæ, exequiis, processionibus, & concionibus, ergo, &c.

Resp. Stipendia in similibus non recipi tamquam pretium Missæ, exequiarum, & Concionum, sed tamquam honorarium, & per modum voluntariæ oblationis, quæ à fidelibus fit Deo in persona Ministri; aut per modum subsidii in sustentationem Ministrorum, in gratiam alterius occupatorum.

86. Nec principaliter stipendium intenditur, aliàs esset simonia. Nam venderetur actio spiritualis, Propter quod incurrunt simoniam Canonici, qui Chorum frequentant propter distributiones, tamquam propter finem principalem:

ita D. Thomas *quodlibet* 8. *art.* 11. Natalis Alex. *Theol. dogmat. t.* 2. *lib.* 2. *regul.* 41. *de Simon.* Videnda est etiam d *prop.* 46. ab *Innoc. proscriptâ loco cit.* Ideò primariò, & principaliter cultus Dei est intendendus.

III. Qui dant, vel accipiunt beneficium cum promissione remittendi debitum; vel obligatione ad mutuandum; aut quod nepos recipientis nubat nepoti conferentis; vel conferens constituit pensionem in beneficio, quod confert, aliàs non collaturus, vel simile onus collationi beneficii adnectit. Magol. *sum. moral. p* 1. *Decalog. exposit.* 3. *præcept q. unic. de profanat. res sacræ per simon. art.* 2. §. 1.

IV. Qui beneficium resignat sub onere pinguioris pensionis absque licentia Papæ, vel præmisso pacto de redimenda pensione, vel procurandi aliud beneficium: Imponitur enim onus pretio æstimabile.

V. Qui de beneficio litigantes, jus mutuum emunt: pecunia enim parant sibi viam ad rem spiritualem.

87. Cæterùm, licet vexationem pecunia redimere, ut concordant DD. cum D. Thoma 2. 2. *q.* 100. *artic.* 2. *ad* 5. Tunc enim pecunia injusta impedimenta tolluntur; eaque confertur, sicut daretur, ut quis à prædonum manibus se eriperet *cap. Delectus il* 1. *de simonia, cap. Quæsitum* 1. *qu.* 3.

Verùm duo hac in re debent concurrere. Unum, quod quis habeat in beneficio jus per collationem acquisitum certum, & indubitatum, seù ipsum pleno jure possideat. Nam in casu cum ei res spiritualis jam competat, eam non acquirit per pecuniam, sed solùm redimit vexationem, & impedimentum injustum tollit. Si verò circa dubium vexaretur, ut, si collatio, electio, confirmatio, &c. esset dubia, vexationem redimere non liceret. Quoniam tunc per pecuniam viam sibi pareret ad jus spirituale, & conferetur illud emere.

Alterum, quod vexatio sit injusta. Siquidem si justa esset propter eandem rationem non liceret. Idem dicitur, si dubium sit, quod lis sit injusta, quia super eo Judex Ecclesiasticus debet pronunciare. Hinc si Prælatus velit aliquem ob delictum Beneficio privare, non licet hanc vexationem pecunia redimere, vel testes avertere; aut alium, qui ejus inidoneitatem velit opponere pecuniis impedire. Nam ipsa remotio impedimenti esset acquisitio rei spiritualis.

Vexationem tamen circa jus acquirendum redimere non licèt, quando vexatio opponitur ab his, qui possunt obesse, & prodesse; ab illis nimirum, qui aliquo modo concurrere possunt ad collationem beneficii, & juris spiritualis, eligendo, & confirmando, præsentando, &c. cap. *Matthæus*, cap. *Sicut tua*, & cap. *Hoc d. tit.* quia hoc esset pecunia sibi viam parare ad beneficium, quod absque simonia esse non potest per DD. Majol. *cit. art.* 2. 6.

VI. Incurrunt, qui accipiunt beneficium cum onere restituendi pecuniam, quam resignans in illius allecutione expenderat, ut in expeditione Bullarum. Quilibet enim de jure tenetur proprias litteras solvere.

VII. Qui resignat beneficium ea lege, ut resignatarius domum resignantis emat,

mat, vel conducat, aut simile onus imponit.

VIII. Qui litigantes super possessorio alicujus beneficii pacis causa conveniunt, ut unus beneficium, & alius pensionem super beneficio habeat, *cap. Constitutus de transact.* In beneficiis enim transactiones jure canonico prohibentur. Alios casus vide apud DD. & redibit sermo *lib. 2 cap. 16.*

88. Per *munus ab obsequio* venit omne hominis opus ad usum, & utilitatem alterius ordinatum. Quare, quia ministri pecuniaria mercede conducuntur, ideò perinde est dare rem spiritualem pro aliquo obsequio exhibito, vel exhibendo, ac eam conferre pro pecunia. Nam illud obsequium est pretio æstimabile.

Propterea simonia est. I. Beneficium conferre alicui in recompensationem obsequiorum jam exhibitorum; ut si Episcopus ad recompensanda obsequia præterita conferat beneficium famulo, qui propterea ei absque salario, vel valdè diminuto inservit.

II. Conferre beneficium in recompensationem servitii exhibendi in futurum.

III. Simoniaci censentur Clerici, qui Prælatis obsequium temporale exhibent, præcipuè, & principaliter, ut beneficia obtineant. Ideò de hoc seriò cogitent, & ponderent, qui Prælatorum sunt ab obsequiis, an principaliter intendant beneficia obtinere, eave spe id agant.

IV. Simoniæ per *munus ab obsequio* rei sunt, qui sua obsequia exhibent iis, quos noverint apud collatores valere eo fine, ut per ipsorum favorem beneficia consequantur, etenim obsequia mediate ordinantur ad rem spiritualem assequendam.

Cæterùm simonia non est, Prælatum conferre beneficia propter exhibita à Clerico officia in utilitatem Ecclesiæ, vel auxilium ministrorum ipsius, nam per hæc devotionis officia obsequens redditur dignus; & si gratis inserviat, redditur dignior, quia in obsequium Ecclesiæ impendit personam, & pecuniam, quam potuisset sibi per obsequia alteri exhibita lucrari.

89. *Munus à lingua* comprehendit laudes, adulationem, preces, & intercessiones apud beneficiorum collatores. Sic est simonia, conferre beneficium ad preces pro indigno porrectas. Nam tunc collator non movetur ex dignitate, & merito provisi ad dandum beneficium, sed ex precibus exhibitis per modum pretii: *ut do preces, ut des beneficium.* Item beneficium dare propter ipsas preces conducentes ad utilitatem temporalem collatoris, nimirum ut precantis gratiam, & favorem sibi acquirat.

Si verò preces pro digno porrigantur, non est simonia eidem beneficium conferre, quia adest ex parte subjecti debita causa; dignitas nimirum, & meritum conferendi beneficium. Cæterum potest esse simonia in intentione, si non attendatur ad dignitatem personæ, sed ad favorem.

Ita, ubi quis pro se rogat, ut obtineat curam animarum: ex ipsa præsumptione redditur indignus, & sic preces sunt pro indigno; licitè tamen potest aliquis si sit indigens pro se beneficium Ecclesiasticum petere sine cura animarum.

rum. D. Thom. *cit. artic.* 5. Vide, quæ dixi offic. cur. Eccleſiaſt. *cap.* 50.

## §. VI.

### *Confidentia beneficialis, ſeù ſimonia fiduciaria.*

90. QUæritur. *Quid ſit hæc confidentia beneficialis, vel ſimonia fiduciaria?*

Reſp. Eſt conventio tacita, vel expreſſa, ut is, cui beneficium confertur, vel reſignatur illud ipſum poſt aliquod tempus in aliam certam perſonam transferat; aut fructus beneficii, vel partem ipſorum ab alio percipi ſinat, aut penſionem ſolvat. Ita DD. communiter.

Hujuſmodi confidentia eſt peſſimum ſimoniæ genus, ad quod eradicandum Pius IV. edidit conſt. *Romanum Pontificem, la* 85. *Bullar. to.* 2. & aliam B. Pius V. *Intolerabilis, la* 85. *ibid.*

91. Committi poteſt, per *acceſſum, ingreſſum, regreſſum, fructuum conceſſionem*, vel *ſolutionem penſionis*, ut ex d. conſt. B. Pii, & ex Trid. *ſeſſ.* 25. *cap.* 7. *de ref.* ubi damnat acceſſum & regreſſum, utpotè referentes imaginem hæreditariæ ſucceſſionis.

Per *acceſſum* contingit, cùm quis alteri beneficium procurat, & confert, cum certa confidentia, conditione nimirum, vel lege, tacita, vel expreſſa, quod poſteà per reſignationem provisi, ad idem beneficium ipſemet conferens, vel procurans, aut alii per eos deſignati, vel deſignandi accedent.

Per *regreſſum* contingit, ubi quis beneficium jam adeptum alteri renunciat, cum conditione, quod per reſignationem, ab accipiente factam, ad idem beneficium ipſe, vel alius à ſe deſignatus, aut deſignandus redibit.

Per *ingreſſum* verò contingit, ubi quis poſt collationem beneficii ante poſſeſſionem illud alteri renunciat cum ſpe, & pacto, ut hic poſteà eidem, vel alteri ab eo deſignando, ad idem beneficium ingreſſum aperiat dimittendo beneficium.

Per *conceſſionem fructuum*, vel *ſolutionem penſionis contingit*, cùm quis alteri confert, vel reſignat beneficium cum pacto, ut accipiens ei, vel alteri à ſe deſignando concedat fructus beneficii, vel illorum portionem, aut ex illis penſionem ſolvat. Legendus textus Conſtitutionis B. Pii §. 3. & Layman. *Theol. moral. lib.* 4. *tr.* 10. *cap. ult.* §. 8.

92. Obſervandum hìc eſt ex Natal. *Alexand. Theol. Dogmat. t.* 2. *lib.* 2. *artic.* 5. *regula* 19. Et Abellii *medul. p.* 2. *in append. de ſtat. Cleric. art.* 3. *q.* 2. Quod reſignare, vel conferre beneficium alicui in confidentiam, hoc eſt, ex intentione illum obligandi, ut poſt aliquod tempus propinquo, vel amico reſignantis, aut conferentis, aut cuivis alteri dimittat, aut ut penſionem ex ejuſdem fructibus alteri ſolvat, vel fructus percipere ſinat, eſt ſimonia confidentiæ mentalis: ſi verò intercedat pactum, verbo, nutu, ſcripto, vel facto per ſe, vel per alium ſignificatum, eſt ſimonia confidentiæ realis, quæ infert pœnas d. *conſt.* ex dicendis *lib.* 2. *cit.*

Regulas, & præſumptiones cognoſcendi, & plenè probandi in foro externo confidentiam, ubi de hac dubium eſſet,

set, statuit idem B. Pius d. *const.* In foro autem interno pœnitentiæ non est præsumptione agendum, nec conjecturis judicandum, sed secundùm confessionem pœnitentis, qui simul est testis, reus, & actor adversùs se ipsum.

93. Sed quæri potest. *An simoniaca confidentia sit resignare alteri pensionem cum pacto, quod resignatarius resignanti usque ad suam vitam permittat fructus pensionis accipere?*

Quamvis plures negent, pensiones non esse beneficia Ecclesiastica. Nos tamen concedimus; etenim, licèt pensiones non sint beneficia Ecclesiastica in sensu stricto; tamen videntur sapere naturam beneficii Ecclesiastici, ut ex Fagnan. *in 2. ad cap. Ad audientiam il. 2. num. 58. de rescript.* Sed lis in nomine non est ponenda. Certè pensiones non sunt quid merè temporale, sed spirituali adnexum, supponunt Clericatum, & dantur propter officium, ex dictis supr. *num. 76.* Et proinde in pensionibus committitur simonia, sicut in beneficio. Tum quia, licèt non sint verè beneficium, veniunt tamen appellatione rerum Ecclesiasticarum, unde fructus pensionis ad vitam vendi nequeunt, ut ibid. observat Fagnan. *à num. 115.*

94. Sed quid, *si quis à Papa obtinuisset facultatem resignandi nepoti, vel alteri pensionem, & ipse sibi reservaret perceptionem fructus, ad quod facultas non extenderetur.*

Resp. In casu simoniam committit, non propter resignationem, utpotè authoritate legitima factam, sed propter illam reservationem. Tum quia pactiones omnes in similibus sunt prohibitæ. Tum quia pensionario imponit onus pretio æstimabile, eidemque censetur pensionem eo onere vendere, & ita in contingentia facti consultus respondi.

Ita, simoniam committit is, qui pro pecunia sine authoritate Pontificis pensionem redimit, ibid. Fagnan.

Item, qui authoritate Pontificis alteri resignat pensionem, sed ad faciliorem, & tutiorem solutionem sine Pontificis authoritate convenit cum resignatario de aliqua hypotheca, aut fidejussione, vel ut anticipatè solvat. Ratio est, quia totum hoc pertinet ad pacta simoniaca jure canonico prohibita: & obligatur pensionarius ad id, quod jure non inest, eique imponitur onus pretio æstimabile. Abellii *Sum. p. 2. de stat Cleric. art. 3. qu 2.* & Majol. *cit.* §. 4. Quare regula generalis est, in resignationibus omne pactum de onere temporali, quod rei spirituali est adnexum, licitè fieri non potest absque legitima authoritate superioris.

95. Quæritur, *An sit simonia resignare beneficium in favorem tertiæ personæ absque confidentia, & spe, ac pacto, quod ille, in quem resignatur, servet illud, vel fructus illius pro ipso collatore, aut familis, vel consanguineis, aut illius amicis?*

Resp. Nonnulli id negant ex defectu pacti, quamvis concurrat declaratio affectus solius, ut beneficium conferatur tali personæ.

Contra quos est constitutio B. Pii *incip. Quanta la 58.* ibid. *ubi* §. 3. declaratur, quas, quorum, & quo casu possint Episcopi admittere resignationes beneficiorum. Et §. 4. præcipit, ne resi-

gnantes aliqua ratione ſucceſſores in beneficiis deſignent. Prohibetque omnis promiſſio, & pactio inter ipſos, & Epiſcopos, ac alios facultatem habentes admittendi reſignationes de aſſumendis deſignatis.

Quare quævis reſignatio facta cum conditione, qualitercumque explicata, ſivè admiſſa, eſt invalida, & ſimoniaca, ſi fiat coram Ordinariis, aliisve Prælatis, inferioribus Summo Pontifice, ut §. 5. & §. 6. in contrafacientes infliguntur pœnæ, de quibus d. *lib. 2. cit.* agendum eſt. De forma publicandi reſignationes beneficiorum in Curia, vel extra, eſt conſt. Greg. XIII. *Humano la* 85. *ibid.*

## §. VII.

### *Summa caſuum reſervatorum in Bulla Cœnæ.*

96. BUllam Cœnæ deſcripſimus ſupra *cap. 3. nu. 1.*

97. Caſus reſervati in Bulla Cœnæ ſummatim referuntur.

In primo Canone excommunicantur *Hæretici omnes, Schiſmatici, eiſque credentes, receptatores, fautores, ac defenſores, ipſorumque ſcienter legentes, vel retinentes, imprimentes, ac defendentes libros hæreſim continentes, vel de Religione tractantes.*

98. In 2. *Appellantes à Papa ad futurum Concilium, ac dantes auxilium, conſilium, aut favorem.*

Nota. Id eſſe Pontifici injurioſum, nam, cùm ſit ſupra Concilium, nec ſuperiorem in terris habeat, ſine ipſius injuria non poteſt id fieri: appellatio enim fit ad majorem: de quo *lib. 3.*

99. In 3. *Pyratæ, Curſarii, & Latrunculi maritimi, in mari Papæ à Monte Argentario ad Terracinam, ac ipſorum fautores, receptatores, & defenſores.*

Nota. Pyratam idem eſſe, ac prædonem marinum, ex propoſito, & non coactè percurrentem mare Pontificium, intentione furandi, licèt aliqua præda non ſequatur, quia Bulla cenſurat Pyratas, & non exigit prædam. Excuſantur, qui deprædantur ligna inimicorum, quicum ſuo Principe bellum habent, eoſque armis, & victualibus privant, ad eorum vim minuendam.

100. In 4. *Naufragantium Chriſtianorum bona in mare generaliter, vel in litore ipſius ſurripientes.*

Nota 1. Per ly *Chriſtianorum*, excludi ſurripientes bona Turcarum, aut Gentilium, & Hæreticorum, quia non præſumitur Bulla edita in protectionem hoſtium fidei. Sed ſine peccato non poſſunt ſurripi; videntur etiam excludi bona Pyratarum, quia æquiparantur hoſtibus fidei, nec lex cenſetur patrocinari eis, qui contra legem faciunt.

Non peccat, qui præfata bona accipit, ut ſervet proprio Domino, aut ad loca deferat, in quibus de mandato Principis ſervantur, ad effectum, ut Dominis reſtituantur.

Nota 2. Excommunicari ſurripientes bona Infidelium, exiſtentia in navibus fidelium, per fideles licitè aſſecurata: ratio datur ex intentione legis, quæ fideles protegit, ne præjudicium, & damnum reportent; fidelibus in caſu bona peri-

perirent, & ad eos spectaret perquirere, recuperare, & compensare.

Nota 3. Non excommunicari, qui bona in litore, vel mari spontè à Domino relicta, surripit; nam de isto non potest dici, quod surripiat in damnum Domini.

Nota 4. Censuram extendi etiam ad fautores, & adjuvantes raptorem, qui in Bulla implicitè, & virtualiter nominantur; nam, qui favet, etiam raptor dicitur; & qui adjuvat ad furtum, fur reputatur, & pœna furti punitur. Sum. Leand. *ver. Bulla Cœnæ num. 2.*

Ignorantia, non culpabilis, vel, quod ea sint bona fidelium naufragantium, vel, quod illud sit sub censura prohibitum, potest excusare; verùm, dum ignoranter surripiens, cognoscit esse bona naufragantium fidelium sub censura prohibitum, statim innodatur, nisi restituat, vel restituendi animum habeat, Pueronus *cap. 4. in Bullam Cœnæ à num. 52.*

101. In 5. *Omnes imponentes in suis terris pedagia, seu Gabellas extra casus à jure, vel ex Sedis Apostolicæ licentia permissos; eadem augentes, vel exigentes, augeri, vel prohibita imponi.*

102. In 6. *Omnes falsificantes literas Apostolicas, seu Papæ, vel Card. Vice-Cancellarii, aut hujus Gerentis vices, aut falsò publicantes, & etiam falsò signantes.*

Nota, eum falsificare, qui veras literas Papæ ab earum sincera veritate mutat, & variat ab eo sensu, quem habebant, sive per rasuram contingat, sive per literarum mutationem. Item, qui vero sigillo literarum Apostolicarum ad falsas utitur, vel falsò ad veras: vel inscio, aut invito eo, ad quem spectat, literas conficit, & expedit.

103. In 7. *Deferentes, seu transmittentes ad Infideles, Turcas, Paganos, Judæos, &c. vel Hæreticos, nominatim declaratos, arma, equos, ferrum, &c. bellica instrumenta, lignamina, Canapem, funes, &c. & alia, quibus Christianos, & Catholicos impugnant; nec non eos, qui per se, vel per alios, eos in Catholicæ Religionis, & Christianorum perniciem certiores faciunt de rebus, statum Christianæ Reipublicæ concernentibus: illisque ad id auxilium, consilium, & favorem quomodolibet præstant.*

Nota 1. Prohibitum esse deferre ad hostes fidei, quæ ex natura sua, & principali intentione, juxta communem Gentium consuetudinem, ad usum pugnæ assumuntur & ad bella sunt apta, quibus impugnant Christianos, hoc est, impugnare solent; & ideò, etiam extra tempus belli prohibentur. Quædam alia, quæ hujus naturæ non sunt, sed indifferentia, tempore pacis licitè eis venduntur, at tempore belli sunt prohibita.

Nota 2. Excommunicari, qui eis revelant, eosque certiores reddunt de pertinentibus ad statum Religionis Christianæ, ut Christiana est. Similiter, qui eis mittunt folia, *vulgò* Avvisi: maximè ex Urbe, plena mendaciis, aut, etiam continentia vera de Romana Curia, sed in damnum Religionis Christianæ; & *Pasquinatas*, quæ solent, vacante Sede, contra Collegium, vel aliquem Cardinalium componi; id enim in contemptum, & derisionem Christianæ Religionis apertissimè cedit.

104. In

104. In 8. *Omnes impedientes, qui victualia, seu alia ad usum Romanæ Curiæ necessaria deferunt; & prohibentes ne ad ipsam afferantur; aut per se, vel per alios, defendentes, qui sic impediunt, prohibent, & perturbant.*

Nota 1. Principem, seù Gubernatorem, qui, pœnis appositis, prohibet, ne quis extrahat à sua ditione triticum, vinum, &c. quia indiget, non ligari censura, licèt inde sequatur, quod ad Urbem non ferantur; ratio est, quia tali modo intendit providere necessitatibus sui populi; secùs, si sine justa causa impediret, vel specificaret, ne ad Romanam Curiam adducerentur, quia id esset in odium Romanæ Curiæ, quæ tali lege offenditur.

Nota 2. Nomine Romanæ Curiæ intelligi Sedem Apostolicam, seù Audientiam Papæ, constantem ex ipso, Cardinalibus, Prælatis, Auditoribus, & aliis Judicibus, ac ex omni genere Officialium, Familiarium, Litigantium, &c.

105. In 9. *Qui per se, vel per alios ad Sedem Apostolicam euntes, vel ab ea recedentes, spoliant, mutilant, capiunt, interficiunt, & qui sine jurisdictione vexant commorantes in Romana Curia.*

Nota 1. Incurrere excommunicationem etiam, qui interficiunt, &c. venientes ad Papam, non tanquam ad Papam, sed tamquam ad Principem temporalem. ut ab illo officium temporale consequantur, quia nomine Sedis Apostolicæ intelligitur Romana Curia, quæ non solùm significat audientiam Papæ spiritualem, sed etiam temporalem.

Nota 2. *Venientes*, reputari, qui ad Curiam Romanam occasione negocii ibi pertractandi, accedunt; *recedentes* verò, qui, illis expeditis, ad propria revertuntur.

Nota 3. Offendentes Hæreticos accedentes ad Romanam Curiam, vel ob conversionem, baptismum, aut alium spiritualem finem, aliudve negocium, vel habentes salvum conductum, & postea recedentes, ligari censura. Idque ob honorem Sedis Apostolicæ, ad quam omnibus debet aditus patere; & propter verba Bullæ, quæ loquitur sine distinctione.

Nota 4. Episcopum, vel alium Prælatum, qui contra sibi subditum, in Curia commorantem, ob aliquod negocium apud Sedem Apostolicam expediendum, (isti enim sunt morantes in Curia) præfata exercent, censura ligari: nam tunc est sub protectione Papæ, & gaudet privilegio venientium ad Sedem Apostolicam; & aliàs præfati jurisdictionem sibi usurpant.

106. In 10. *Vulnerantes, mutilantes, interficientes, deprædantes, detinentes, capientes Romipetas, seù Peregrinos, ad Urbem causa devotionis accedentes, & in ea morantes, vel ab ipsa recedentes, & in his dantes auxilium, consilium, vel favorem.*

Nota 1. Poni *vulnerationem* distinctam à mutilatione, quia vulneratio est apertura in corpore; aliquo instrumento facta: mutilatio verò est membri à corpore separatio.

Nota 2. Difficultatem esse, an ad incurrendam excommunicationem necesse sit offendere Romipetas, quà tales sunt, seù quatenùs accedunt ad Urbem causa devotionis? Videtur resolvendum affirmati-

mativè; unde excusatur Romipeta, qui ex subita rixa socium vulnerat; nam non censetur ipsum offendere, ut Romipeta formaliter est, intendens peregrinationem impedire, vel in peregrinationis odium.

Nota 3. Romipetam, dum alia non habetur notitia, eum præsumi, qui cum baculo, & Peregrinorum habitu est in via, quæ Romam ducit.

107. In 11. *Interficientes, mutilantes, vulnerantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes, Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Legatos, Nuncios, aut eos à suis Diœcesibus, territoriis, terris, seu dominiis ejicientes necnon mandantes, vel rata habentes, seu præstantes ih his auxilium, vel favorem.*

Nota 1. *Percutere* esse idem, ac cum dolore cædere, seu vulnerare: ut, pulsare, manu, pugno, virga, baculo, saxo, flagello, fune, &c. *Carcerare* idem est, ac custodire aliquem in loco tuto, ut non possit arbitratu suo exire; *Mutilare* idem, ac abscindere, seu detruncare membrum, ita ut maneat à corpore separatum, ut manum, pedem, oculum, aurem, &c. *Vulnerare* est discontinuare partes carnis ferro, ligno, &c. *Interficere* verò est hominem, violenti actione, vita privare. *Hostiliter* insequi idem est, ac aliquem injustè insequi animo nocendi, ipso advertente, seu fugiente. *Ejicere* verò non est aliud, quàm aliquem anteà receptum expellere.

108. In 12. *Qui per se, vel per alios, Personas, sive Ecclesiasticas, sivè Sæ-*



*culares ad Romanam Curiam pro negociis recurrentes, vel inibi propter eadem commorantes, Procuratores, Advocatos, Agentes, Auditores, negotiorumque Gestores, vel Judices super dictis causis, vel negociis deputatos, occasione causarum, vel negotiorum occidunt, seu quovis modo percutiunt, bonis spoliant; vel per se, vel per alios, directè, vel indirectè consilium, auxilium, vel favorem præstant.*

Nota, non ligari censura, qui aliquem ex præfatis occidit &c. si ex aliis motivis; & occasionibus, & non propter causas, & negocia, quæ habet in Curia, occidat; ratio est, quia in præfato casu cessat formalis ratio Legis.

109. In 13. 1. *Appellantes à gravamine, vel futura executione literarum Apostolicarum ad potestatem Secularem.*

2. *Impedientes earumdem literarum Apostolicarum, seu causarum spiritualium executionem: aut confici instrumenta super dictarum executione: aut confecta, ne Parti tradantur.*

3. *Percutientes, vulnerantes, carcerantes, detinentes, ejicientes ex Civitatibus, Regnis, & locis: bonis spoliantes: & comminantes per se, vel per alium publicè, vel occultè Partes, seu Agentes, Consanguineos, Affines Familiares, Notarios, Executores, & Subexecutores literarum, citationum, &c. Monitoriorum, &c.*

4. *Prohibentes quibusvis ne ad Romanam Curiam accedant, aut recursum habeant, ne à S. Sede literas impetrent, seu impetratis utantur.*

6. *Præsumentes apud se, aut Notarios, seu Tabelliones eas literas retinere.*

110. In 14. I. *Omnes, qui, authoritate propria, causas spirituales, seu spiritualibus annexas ad se avocant, ab Auditoribus, & Commissariis Apostolicæ Sedis, & ab aliis Judicibus Ecclesiasticis.*

2. *Qui impediunt cursum earum, ac Personas eas prosequi volentes.*

3. *Qui se interponunt, tamquam Judices, in cognitione dictarum causarum.*

4. *Qui compellunt Partes actrices, quæ causas prædictas Judici Ecclesiastico committi fecerunt, ad revocandas citationes, inhibitiones, & alias literas, decretas in hujusmodi causis.*

5. *Qui compellunt easdem Partes ad faciendum eos absolvi à censuris, contra quos emanarunt inhibitiones.*

6. *Qui impediunt executionem literarum Apostolicarum, seu executorialium, processuum, aut decretorum quomodolibet.*

7. *Et præstantes favorem, consilium, aut assensum.*

111. In 15. I. *Omnes Judices Laici, qui quovis modo directè, vel indirectè, vel ex suo pretenso officio, aut ad instantiam Partis, vel aliorum quorumcumque trahunt, vel trahi faciunt, vel procurant trahere Personas Ecclesiasticas ad suum Tribunal, Audientiam, Cancellariam, Concilium, vel Parlamentum.*

2. *Et facientes statuta, pragmaticas, & quævis alia decreta, quibus Ecclesiastica libertas laditur, seu restringitur, aut præjudicatur juribus Sedis Apostolicæ, vel aliarum Ecclesiarum.*

Nota, Canonem loqui de Judice, qui, sivè sponte, motu proprio, & nemine instante, seu ex proprio officio, vel ad instantiam Partis recurrentis ad eum, trahat Personam Ecclesiasticam ad suum Tribunal, id agit; ideò ex vi hujus Canonis privata persona non excommunicatur.

112. In 16. I *Impedientes aliquo modo Prælatos Ecclesiarum, & Ecclesiasticos Judices, ne sua Jurisdictione utantur.*

2. *Recurrentes ad Curias Seculares post Ordinariorum, aut ab eis Delegatorum sententias, ac sic eludentes Fori Ecclesiastici Judicium.*

3. *Procurantes à Curia Seculari prohibitiones, & mandata, etiam pœnalia contra sententias prædictorum.*

4. *Decernentes tales prohibitiones.*

5. *Procurantes ea mandata exequi.*

6. *Dantes auxilium, consilium, patrocinium, & favorem in eisdem.*

Nota 1. Judicem Ecclesiasticum posse triplici modo impediri, ne utatur sua Jurisdictione. 1. ut non incipiat exercere, quæ ad Jurisdictionem spectant; 2. Ut non prosequatur, & executioni mandet ea, quæ judicavit; 3. Ut revocet ea, quæ perfecit, & executus est; quodlibet ex his sufficit ad incurrendam censuram; sivè quis impediat Judices Ordinarios, sivè Delegatos; etiamsi sit in causa mixti Fori, quando Ecclesiastici prævenerunt; nam hi tunc justè agunt; consequenter injustè impediuntur.

Nota 2. Procurare esse directè petere, seù quærere, aut indirectè inducere, ut decernantur, vel executioni dentur prohibitiones.

Nota 3. Patrocinium hic significare defensionem judicialem, quæ fit per Advoca-

vocatos, vel Procuratores, dum in judicio probant, aut sustinere volunt, recursum fieri posse, aut potuisse, vel prohibitiones, & mandata decerni. Pueronus ad *Can. 16. num. 52.*

113. In 17. *Qui jurisdictiones, seu fructus, redditus, vel proventus, pertinentes ad Papam, & Sedem Apostolicam, aut quascumque Ecclesiasticas Personas, ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum usurpant, aut sequestrant sine licentia Romani Pontificis, aut aliorum, ad id facultatem habentium.*

Nota 1. Excommunicari, tàm Ecclesiasticos, quàm Laicos usurpantes; ratio est, quia Canon loquitur generaliter, nec distinguit.

Nota 2. *Usurpare* strictè, & formaliter sumptum, actionem significare, qua quis aliena, non tanquam aliena, sed tanquam propria, & debita, sibi adscribit. Et propterea DD. excusant à censura Latrones furantes, vel rapientes fructus, seù proventus Ecclesiarum; nam Fures non rapiunt prædicta bona, ut sua, sed potiùs, ut aliena. *Cajetanus.*

114. In 18. I. *Omnes, quicumque sint per se, vel per alios imponentes absque licentia Romani Pontificis Onera, Collectas, Decimas, Taleas Clericis, Prælatis, ac aliis Personis Ecclesiasticis: & eorum Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum, bonis, fructibus, redditibus.*

2. *Exigentes prædicta tributa, & onera.*

3. *Recipientes dicta tributa, & onera imposita, etiam à sponte dantibus.*

4. *Facientes exigere, seù imponere.*

5. *Dantes consilium, auxilium, vel favorem.*

Nota, sub dispositione comprehendi etiam bona Patrimonialia Clericorum.

115. In 19. Excommunicantur I. *Magistratus, Judices, Notarii, Scribæ, Executores, Subexecutores, quomodolibet se interponentes in causis capitalibus, seù criminalibus, contra personas Ecclesiasticas, illas processando, banniendo, capiendo, seu sententias contra illas proferendo, vel exequendo, sine speciali S. Sedis licentia.*

2. *Extendentes hujusmodi licentias ad casus non expressos: vel illis abutentes, sivè fuerint Consiliarii, Senatores, Præsidentes, Cancellarii, Vice-Cancellarii, & quovis alio nomine nuncupentur.*

116. In 20. I. *Præsumentes invadere, destruere, occupare, detinere per se, vel alium, directè, vel indirectè, terras, bona, & jura Romanæ Ecclesiæ in totum, vel in partem.*

2. *Usurpantes, perturbantes, retinentes Supremam jurisdictionem in illis, Romanæ Ecclesiæ, & Pontifici competentem.*

3. *Adhærentes, fautores, & defensores eorum, seù illis auxilium, consilium, vel favorem præstantes.*

Nota 1. *Invadere* esse vi, & armis locum aggredi, intrare, percurrere, infestare, & quocumque modo lædere.

Nota 2. *Destruere*, idem esse, ac diruere, demoliri, devastare; quod propriè refertur ad ædificia, propugnacula, arces, & mænia; & fit instrumentis bellicis, ruina, & incendio; verùm censuram incur-

reret, qui incenderet campestria cum arboribus.

Nota 3. *Occupare* idem esse, quod possidere, & usurpare: quod ad immobilia referri solet; in mobilibus enim est rapere; unde censuram incurrit, qui occupat, & possidet locum, etiam spontaneò deditum.

Nota 4. *Detinere* significat occupatum, sivè à se, sivè ab alio, retinere sibi, nec restituere, nec relinquere.

Hæc sunt compendiosè hic reddita ex ipso textu Bullæ, editæ à S.S D.N. Clemente XI. ut Confessarius ipsis instructus ab absolutione eorum abstineat, cum sint Pontifici reservata, ut ex adductis liquet: sed vide Bullam.

## CAPUT IX.

### *Prop. XIII. ab Alex. VII. &c. Approbatio ad Confessiones.*

1. PROP. 13. *Satisfacit præcepto Confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo præsentato, sed ab eo injustè reprobato.*

Non est dubium Authores propositionis putasse Regularibus, ad validè excipiendas sæcularium Confessiones, non esse absolutè, & in omni casu, extra mortis articulum, necessarium ab Episcopis cum effectu approbationem obtinere. Sed non modò Regulares, verùm & Sacerdotes sæculares approbandi sunt per Trid. *sess. 23. cap. 15. de ref.*

2. Quæritur, *an idem sit Sacerdotem esse approbatum ad Confessiones excipiendas, ac habere jurisdictionem in pœnitentes?*

Resp. Negativè, nam diversa sunt approbatio, & jurisdictio; illa aliud non est, quàm *testimonium, quo Sacerdos habilis & idoneus judicatur, ad audiendas Confessiones; hæc verò potestas ferendi sententiam in subditum*; quam Sacerdos ex vi puræ approbationis non recipit; quippe per hoc, quod quis habilis reputetur, ut Judex esse possit, non sequitur Judicem constitui, eique subditos dari, in quos sententiam pronunciet; ut per se patet, & in casu nostro est evidens; nam, cum Episcopus dicit, *approbamus te*, est perinde, ac si dicat: *declaramus te idoneum esse ad excipiendas Confessiones*, & nil plus; at quando dicit; *damus tibi jurisdictionem, & licentiam excipiendi Confessiones*, est perinde, ac si apertiùs dicat; *impertimur tibi jus audiendi Confessiones; seu, volumus, aut te Judicem constituimus, ut sententiam absolutionis feras in eos, qui in foro pœnitentiæ tibi subjicientur.*

3. Quæritur, *cujus nam Ordinarii approbatio necessaria sit; an Confessarii; an pœnitentis?*

Resp. Confessarii, seu illius Diœcesis, in qua Confessio auditur; quod satis indicat textus Concilii: *nullum Sacerdotem posse Confessiones audire, nisi ab Episcopis approbationem accipiat*; ubi, plurali locutione, significat ab Episcopis respectivè, esse approbandum sic, ut non sufficiat in una approbationem obtinuisse, si in aliis Diœcesibus debeat Confessiones excipere, etiam personarum illius Diœcesis, in qua quis priùs approbatus fuit: ut expresse const. *Clement. X. Superna.*

4. Sed quæritur; *an Parochus possit suum subditum in alia Diœcesi in confessione*

*fessione audire sine approbatione Episcopi illius Diœcesis?*

Resp. Affirmat Fagnan. *in 5. ad cap. Ne pro. de pœnit. num. 29. & 65.* Piasec. Prax. *Episc. p. 2. cap. 1. art. 2. num. 5.* Barbosa *in Trid. sess. 23. cap 15. num. 20.* plures allegans; sed id est contra dispositionem *Trid. loc. cit.* ponderatum illud, aut *ab Episcopis* juxta dicta enim antecedenti: & considera in alienaDiœcesi non habilitari per Parochiale beneficium obtentum in propria.

5. Sed quid, *an, dimisso beneficio Parochiali, egeat approbatione in propria Diœcesi?*

Resp. Affirmativè: nam, quemadmodum, statim ac consequitur beneficium Parochiale, modò sit Sacerdos, & non sit suspensus, censetur approbatus, ut possit audire Confessiones in sua Parochia, sic statim, dimissa Parochia, desinit approbatio, & facultas. Piasec *ibid.* & Barb. *nu. 21.*

6. At dubitatur, *an etiam, cùm vigore Jubilæi, aut Bullæ Cruciatæ Confessarius eligitur, debeat esse approbatus ab Ordinario loci, in quo Confessio auditur, an verò sufficiat, quòd fuerit ab aliquo Ordinario Mundi approbatus?*

Resp. Est necessaria approbatio Ordinarii loci, in quo auditur Confessio; de electo vigore Jubilæi patet ex S. Congr. Conc. apud Fagnan. ubi supra *num.* 18. & 19. & ex clausula, quam literis Jubilæi solent Pontifices adjicere: licentiam *concedimus, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque Presbyterum Confessarium, tam Secularem, quàm cujusvis Ordinis, & Instituti Regularem, ex approbatis à locorum Ordinariis*; qui, ideò plurali numero loquuntur, quia non uniusEpiscopi approbationem Confessario sufficere volunt, sed plurium respectivè, & pro Diœcesium diversitate, in quibus Confessiones excipiunt. Quæ clausula, etsi expressè non adjiceretur, pro adjecta haberetur, ex alleg. Fagn. *ibid. ex S.C.*

7. Approbatio necessaria est quoque in electo in vim Bullæ Cruciatæ, ut novissimè Innoc. XII. *Constit. cum sicut sub die 19. April.* 1700. Qui lapsos in hæresim, nec potest absolvere, ut expressè Gregorius XIII. *Const. Officii, la 37. Bull. to. 2. April.* 1720. *vid. Off. nur. cap. 6. num. 11.*

8. Quæritur, *an Regulares, ut absolvantur à reservatis virtute Jubilæi debeant confiteri Sacerdoti approbato ab Ordinario loci?*

Resp. Affirmativè, cum Poncio *disp. 46. q. 10. conc. 5. num. 138.* Quilici *q. 5. ar. 4.* & juxta expressa in literis Jubilæi: *insuper omnibus Christi fidelibus, utriusque sexus, tam Laicis, quàm Ecclesiasticis Sæcularibus, & Regularibus cujusvis Ordinis, &c. concedimus, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque Confessarium, tam Secularem, quam Regularem, ex approbatis à locorum Ordinariis, qui eos ab excommunicationis, suspensionis, &c. in foro conscientiæ, & hac vice tantùm absolvere, & liberare valeant.* Nota actum facultativum, per verbum *possint*, expressum, non esse ad eligendum approbatum, vel non, ab Ordinario loci, sed ad eligendum ab eo approbatum, sivè sit Presbyter Sæcularis, sive Regularis.

9. Sed est difficultas de Religioso, *an egeat licentia sui Superioris ad eligendum Confessarium extra Ordinem?*

Resp. Affirmativè, juxta disposita ab Urb. VIII. const. *in specula 19. Junii* 1630. declarante Bullam *Cruciatæ, & cætera indulta Regularibus, & Monialibus non suffragari, quantum ad illum articulum eligendi Confessarium independenter à suis Superioribus.*

10. Sed quid de Moniali, *an vigore Jubilæi possit eligere Confessarium, pro alio, & non suo Monasterio, approbatum?*

Resp. Negativè, ex præcitata Const. superna *Clement. X* ubi: *atque approbatos pro audiendis Confessionibus Monialium unius Monasterii, minimè posse audire Confessiones Monialium alterius Monasterii*; nec minùs eligi potest, qui in eo olim fuerit ordinarius, vel extraordinarius; sed necesse est, ut ab Episcopo iterùm deputetur, vel approbetur, ibid.

11. Quæritur, *an quilibet simplex Sacerdos, ab Ordinario loci non approbatus, validè absolvat à venialibus?*

Resp. Negativè; nam Concilium ibid. *cap.* 15. pro excipiendis Confessionibus exigit absolutè approbationem, & non distinguit, an sit mortalium, an venialium Confessio. Confirmatur S. C. Conc. decreto de Communione quotidiana edito *sub die 12. Februarii* 1679. approbato ab *Innoc. XI. non permittant Episcopi ut venialium Confessio fiat simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo, aut Ordinario.*

12. Quæritur, *an Regularis sine sui Superioris licentia ab Ordinario approbatus, eoque invito, validè Confessiones Sæcularium excipiat.*

Resp. Quidquid alii dixerint, negativè, ratio est, ut notavit Barbos. in Trid. *sess. 23. cap. 15. num. 7.* quia censetur Episcopos non approbare Regulares in Confessarios Secularium, nisi à suis Prælatis, saltem interpretativè præsententur, juxta formam Clement. *dudum de sepulturis, §. statuimus:* quam sanè, quantum ad formam præsentandi, quam habent Prædicatores, & Minores, non esse à Concilio sublatam, ipse tradit cum Roderico *resol. 32. num. 3.* Aliisque.

13. Quæritur, *quorum Sacerdotes Regulares sine approbatione Episcopi possint Confessiones audire?*

Resp. 1. Omnium Religiosorum proprii Ordinis respectivè; modò à proprio Prælato sint approbati, quippè, quoad eos, non comprehenduntur in alleg. decreto Conc. *sess. 23.* quandoquidem ibi loquatur de audiendis Sæcularium Confessionibus.

2. Eorum, qui sunt de familia, & continui commensales, non autem eorum, qui deserviunt in eorum Monasteriis; Barb. ibid. *num. 63. & ex cap. 11. sess. 25. de regul.* & tandem apertè *Clemens X. in prætacta Const. Superna.*

De familia autem, & continui commensales, per Donat. prax. *Regul. t. 3. tr. 4. q. 7. nu. 3.* dicuntur Oblati, seu Donati S. Dominici, & Tertiarii S. Francisci, qui panno ejusdem coloris, quo professi, utuntur, intra Monasterii septa habitant, & dormiunt; proindè in eis contraxerunt domicilium, & stant sub obedientia Prælati, non modo Religioso, & ratione voti, sed modo servili, & ratione muneris serviendi Monasterio; non verò Sæculares, qui in eis domicilium non contraxerunt, & quibus inserviunt, sed stipendio, & salario conducti, & hinc cum cæteris exteris Sæcularibus annumerantur.

3. Non Mulierum Tertii Ordinis, quæ de

*de* pœnitentia vocantur, nisi fuerint ab Ordinario approbati ad Confessiones Personarum Secularium audiendas, ut in terminis præscripsit Sacr. Congregat. *Episcopor. & Regular.* 20. *Decembr.* 1616.

14. Quæritur, *an Sacerdos simplex in articulo mortis validè absolvat?*

Resp. Affirmativè, modò non sit præsens approbatus, vide dicta Superiori *cap. num.* 16.

15. Quæritur, *an, cùm Religiosus, vel in itinere, vel, alia causa, de licentia Prælati tacita, vel expressa, extra Ordinem confitetur, Sacerdoti Sæculari, vel Regulari, debeat esse approbatus ab Episcopo loci?*

Resp. Quamvis plures negent, affirmativè cum Vasquez *lib. 5. de pœn. cap. 4. §. 2. nnm. 15.* de Presbytero Sæculari est certum, cum nullius Confessiones extra mortis articulum validè excipiat, nisi approbationem, ad formam Trid. ab Episcopo loci obtineat; dubium est de Regulari approbato à suo Prælato: & in hoc etiam tutiùs est, ut accedat Episcopi approbatio; ratio est, quia nullus dubitat, quin valida sit Confessio Religiosi (de licentia Superioris) facta Regulari alterius Ordinis, ab Episcopo approbato: & in quæstione est, an valida sit, si solùm sit approbatus à proprio Prælato Regulari: ergo in praxi nostra sententia alteri est præferenda, nam, cùm agitur de valore Sacramentorum, est tutior opinio sequenda juxta dicenda *lib. 2. cap. 1.*

16. Quæritur, *an validè absolvat Sacerdos, qui probabiliter, & ex errore communi reputatur approbatus, & Parochus, cum revera non sit?*

Resp. Negativè, nam, quamvis in casu plures dixerint Ecclesiam tribuere jurisdictionem ad absolvendum, ex quo inde oriatur titulus putativus cum communi errore; tamen, quòd invalidè absolvat, est sententia probabilior, tutior, ac magis communis. Ut valeant gesta ab eo, qui authoritatem non habet, non sufficit communis error, sed requiritur, etiam titulus à legitimo Superiore collatus, licèt titulus, sit revera invalidus, ob vitium aliquod occultum, juxta dicenda *lib. 2. cap. cit.* Et plenissimè scripsi *offic. cur. Ecclesiast. cap. 31. à nu. 12. ad 19.*

## CAPUT X.

### *Prop. XIV. ab Alex. VII. &c. Præceptum Confessionis.*

1. PROP. 14. *Qui facit Confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Confessionis.*

2. Cùm Confessio sacramentalis, integra, nimirum, accusatio peccatorum, facta coram Sacerdote jurisdictionem habente in ordine ad obtinendam absolutionem virtute clavium, sit in præcepto, videndum est, quotuplex id sit, & quando, & per quam Confessionem quis eidem satisfaciat, itaque

3. Quæritur, *quotuplex sit Confessionis præceptum?*

Resp. Duplex Divinum, & Ecclesiasticum: utrumque ex Trid. *Sess. 14. Can. 6. 7. & 8. & cap. 5.* ubi: *neque enim per Lateranense Concilium Ecclesia statuit, ut Christi fideles confiterentur, quod jure divino necessarium, & institutum esse intellexerat; sed, ut præceptum Confessionis,*

*sionis, saltem semel in anno, ab omnibus, & singulis, cum ad annos discretionis pervenissent, impleretur.*

4. Divinum, est impositum omnibus, qui post baptismum lapsi sunt in peccatum mortale, Trid. cit. eodem cap. Quos aliquando *per se*, & directè obligat, ex vi, scilicet, præcepti ipsius Confessionis, independenter à quocumque alio præcepto extrinseco; aliquando verò *per accidens*, ex vi alterius præcepti.

5. Quæritur, *quando præceptum divinum Confessionis per se obliget existentem in mortali, post baptismum commisso?*

Resp. 1. In articulo, vel probabili mortis periculo juxta dicta *cap. 8. num. 18.* ratio est; quia, si quis tunc non confiteatur, exponit se periculo certo, vel probabili moriendi sine Confessione, & non adimplendi præceptum de Confessione Sacramentali, quod de se malum est; & de hac omissione in sequenti Confessione se accusare debet, quia directè peccat contra ipsius Confessionis præceptum. Layman, *lib. 5. tr. 6. cap. 5 num. 5.*

6. Hinc Medicis à Pio V. const. *incipit Super Gregem* 11. *Martii* 1566. innovante *Cap. cum infirmitas de pœnit. & remiss.* præcipitur, ut relinquant curam infirmi, quando in tertia die non ostendat fidem scriptam Confessionis factæ, *nisi longius tempus infirmo Confessor ob aliquam rationabilem causam, super quo ejus conscientiam onerat, concesserit.* Quare Medicus violans const. duplici peccato peccat, & contra præceptum, & contra juramentum, quod emittit de ea observanda. Campion *p. 1. cap. 10. nu. 8.* tradit Laym. ibid. *num. 5.* præceptum esse intelligendum, si infirmitas sit gravis, juncta probabili cum mortis articulo.

2. Cùm habetur copia Confessoris, quæ posteà prævidetur rationabiliter non habenda, tempore opportuno, sic, ut si quis tunc non confiteatur, verisimiliter non poterit confiteri posteà.

3. Ad minùs semel in anno, etiam ex præcepto Ecclesiæ: sed, an pluries in anno teneantur, consule DD. interim tibi propono verba Ritualis: *quod in peccata facilè recidentibus, utilissimum fuerit consulere, ut sæpius, puta semel in mense, vel in festis solemnibus confiteantur.*

7. Quæritur, *quando præceptum divinum de Confessione obliget per accidens?*

Resp. Quoties quis debet se ponere in statu gratiæ ex alia quacumque obligatione, ut, cum quis V. G. est sacrificaturus, aut suscepturus Eucharistiam, &c.

8. Est difficultas, *an administraturus Sacramentum pœnitentiæ, existens in mortali, teneatur Confessionem præmittere?*

Resp. Negativè, nam sufficit, ut per contritionem perfectam se ponat in statu gratiæ: sed, cùm quis habet copiam Confessoris convenit, ut confiteatur, ut loquitur Rituale *de Sacram. administr.* ideò ante omnia Sacramenta commendat Confessionem, cùm sit difficilis contritio perfecta. Campion. *2. p. cap. 34. n. 5.*

9. Quæritur, *an præceptum annuæ Confessionis per se obliget in Paschate, an solum per accidens, ratione nimirum Paschalis Communionis, quam semper Sacramentalis Confessio mortalium debet præcedere?*

Resp. Affirmativè contra Mastrium *disp. 12. Theol. moral. qu. 11. art. 2. nu. 40.*

Lay-

Layman. *num.* 10. aliosque, ut post Suarez, Azorium, & Sotum dixit Quilici *qu.* 16 *art.un.num.* 10 scribens ex universali consuetudine Ecclesiæ, jam legitimè præscripta, per se teneri Fideles confiteri determinatè in quadragesima, & præsertim tempore Paschatis. Quæ sententia mihi est certa, ex praxi, tam Pastorum, qui tempore Paschali à Fidelibus suis Confessionem peccatorum exigere solent, quam Fidelium; qui certè, si interrogentur, respondèrent, se confiteri in Paschate, ut adimpleant Ecclesiæ præceptum. Propterea confitentur, etiam illi, qui, vel intra annum, etiam sunt confessi, vel ex defectu annorum, aut alia quavis causa, Eucharistiam non sumunt credentes, tunc temporis ad hoc obligari; lege Trid. *cap.* 5. *cit.* in fine.

10. Et si quæratur, *quantum temporis tempus Paschale comprehendat?*

Resp. Illud à Dominica Palmarum, usque ad Dominicam in Albis inclusivè, juxta decretum S. Cong C. *sub die* 8 *Julii* 1644. confirmatum ab Innoc. X. 7. *Febr.* 1645. lege Barb. ad alleg. *c.* 5. Trid. *nu.* 4.

11. Quæritur, *an qui Paschali tempore, justa, vel injusta causa, Sacramentalem Confessionem omisit, teneatur postea, cùm primùm poterit, confiteri?*

Resp. Affirmativè, nam tempus Paschale non est appositum, ut expiret præceptum, sed ad obligationem statuendam, & ne diutiùs differatur Confessio: discurritur à simili de obstricto ad solvendum debitum in fine anni, à quo non liberatur, ut proximè non solvat, si tunc non solverit: & toties peccat, quoties, oblata occasione, omittit confiteri.

12. Quæritur, *an prævidens toto anno sequenti, vel tempore Paschali sibi defuturam copiam Confessoris, teneatur anticipatò Confessionem peragere?*

Resp. Affirmativè cum Layman. *cit à num.* 9 Ilsung. *tract.* 6. *disp.* 4. *art.* 6. §. 4. *num.* 138. & id tutiùs dixit Gobat. *tract.* 6. *disp.* 4. *art.* 6. §. 3. *num.* 138. quemadmodùm, qui die festo prævidet se non posse audire ultimum Sacrum, tenetur audire unum ex præcedentibus, quia utrumque tempus videtur respici à præcepto, quoad substantiam spectato; verùm confessus ante tempus Paschale tenetur etiam tempore Paschali, si possit *vid. lib.* 2. *cap.* 33. & hìc applica.

13. Quæritur, *an habens solùm venialia adstringatur præcepto Ecclesiastico de confitendo semel in anno?*

Resp. Affirmativè cum D. Bonaventura, Alense, Riccardo, & Fagnano *in* 5. *ad cap. omnis de pœnit. & remiss. num.* 14. quæ in praxi probabilior, & tutior sententia est, nam Ecclesia præcipit, ut omnes fideles singulis annis proprio Sacerdoti peccata sua confiteantur, sed, qui solùm habet venialia, habet materiam Confessionis, sufficientem ad obtinendam absolutionem Sacramentalem à proprio Sacerdote, ergo tenetur præcepto Ecclesiæ obedire, cùm possit; aliàs esset in potestate cujusque declinare præceptum Ecclesiæ, asserendo se non habere mortale, & ita aperiretur via figmentis; maximè, quia ad rectam administrationem Ecclesiæ spectat, ut nulla fiat exceptio, à qua propterea sine exceptione absolutè excommunicantur omnes, qui non confitentur semel in anno. Duhamel. *tom.* 3. *Theol. lib.* 4. *disert.* 3. *c.* 3. *num.* 5.

14. Sed dubitatur, *an, qui in Paschate*

*Confessus est venialia, & postea recordatur alicujus mortalis, teneatur iterùm confiteri, ut obligationi satisfaciat?*

Resp. Affirmativè, quia per Confessionem venialium satisfecit solùm præcepto Ecclesiæ, ergo, ut satisfaciat, etiam divino, debet confiteri ea, quorum Confessio etiam à Christo est præcepta.

15. Quæritur, *quinam censeatur proprius Sacerdos*, incit. cap. omnis utriusque sexus.

Resp. Qui habet jurisdictionem ordinariam, hoc est, cui ex suo officio incumbit cura animarum, & potest absque delegatione alterius audire Confessiones: consequenter Summus Pontifex, qui in tota Ecclesia est proprius Sacerdos omnium fidelium, Episcopus in sua Diœcesi, & Parochus in sua Parochia.

16. Nota, eum, qui confitetur Regularibus (qui, suppositâ approbatione Episcopi, licentiam audiendi Confessiones Sæcularium habent à Papa, & ita à proprio, & Summo Sacerdote, ut in *Clement. dudum § statuimus de sepulturis*) satisfacere præcepto Ecclesiæ, ex const. *Superna Clementis X. la 7. Bull. to 5.* nec tenetur iterùm confiteri Parochiali Presbytero: tex. expres. cap. *Vas electionis de hæret. inter extravag. com.* in qua in oppositum reprobatur error Joan. de Poliaco; vide Fagnan. *ad cit. cap. omnis num. 57.*

17. Quæritur, *de quibus verificetur illud*, postquam ad annos discretionis pervenerint?

Resp. De omnibus, qui sunt doli capaces, & sciunt discernere inter bonum, & malum; quod, ut plurimùm contingit circa septennium, nisi malitia suppleat ætatem cap. *de illis, il secondo de desponsat. impub.* in qua ætate plura patrantur peccata, furti, mendacii, perjurii, &c. cap. *Pueris de delict. puerorum.* Vid. *lib. 2. cap. 33.*

18. Quæritur, *quomodo Confessarius se gerere debeat cum meretrice, quatempore Paschali accedit ad Confessionem, ut satisfaciat præcepto Confessionis annuæ?*

Resp. Advertat, an sit in actuali peccato, & meretricio: & quatenus invenerit non esse, interroget: à quanto tempore à peccato cessaverit? an domum peccati mutaverit, & alibi, extra occasionem peccandi habitet? meretricias vestes dimiserit? personas de sua vicinia, quibus scandalum præbuit, novæ conversationis ædificarit exemplo? si literas amatorias fregerit? imagines amasiorum alienaverit? an alicujus turpi stipendio vivat? si hoc ultimum neget, & super cæteris affirmet: videat, an se accuset de peccatis quoad numerum, speciem, & circumstantias, quantum possibile est.

Quod si petat à Confessario, ut interrogationibus pro exacta Confessione juvetur: præmissis communibus, interrogetur à quanto tempore fuerit in peccato? si peccaverit cum habentibus votum castitatis, uxoratis, & consanguineis? si modo præpostero, in vase non naturali, ad generationem non ordinato? si occidit prolem, & procuravit abortum? si à Religiosis, & filiisfamilias aliquid accepit? si fuit causa inimicitiæ, homicidii, & discordiarum? si ad peccandum adhibuit veneficia, præsertim amatoria, superstitiones, &c. si alios, vel alias ad peccandum induxit? interrogetur de impuris cogitationibus, locutionibus, canticis, pollutionibus, &c. de commessationibus, & potationibus;

bus; de Sacramentis, Missis, jejuniis neglectis: de vano, & superfluo ornatu ad alliciendum ad peccandum: si cùm esset infecta morbo, alios infecit? de præcepto annuæ Confessionis, & Communionis, de excommunicationibus contractis, & similibus: & inspecto ejus dolore, contritione cordis, & proposito efficaci non peccandi de cætero, ac suppositis cæteris ad validam absolutionem necessariis, eam absolvat, & in pace dimittat.

20. Sed quid, *si eam inveniat innodatam aliqua excommunicatione Episcopo reservata, vel cum casu ad Sacrum Tribunal spectante?*

Resp. Eam dimittere debet ad Episcopum, aut Inquisitores respectivè.

21. Sed quid, *si alleget tempus deesse, quia in proximo est terminus temporis Paschalis, in quo Parochus solet testimonium exacta Confessionis, & Communionis exigere, & ideò instet pro absolutione?*

Resp. Tunc ad Parochum est dirigenda, ut ipsi Sacramentaliter confiteatur, & videat necessitatem prorogandi tempus, suis ovibus fixum ad exhibendum testimonium præfatum; & interim eam instruat super modo recurrendi ad Superiores.

22. Quæritur, *an per Confessionem voluntariè nullam satisfiat præcepto Ecclesiæ?*

Resp. Negativè, & propositio in terminis damnatur ab Alex. ratio est, quia, qui sic confitetur, non satisfacit, rei præceptæ; nam, tàm Christus, quàm Ecclesia præcipiunt Confessionem veram, sed, qui sua culpa invalidè confitetur, non verè confitetur; & peccat peccato omissionis non implendo præceptum, & peccato commissionis ob sacrilegium commissum per Confessionem invalidam.

23. Sed dubitatur, *an incurrat censuras ab Ecclesia impositas?*

Resp. Affirmativè, quia illis ligantur, qui non satisfaciunt præcepto Ecclesiæ, sed is non satisfacit.

24. Quæritur, *an possit absolvi, qui præceptum Ecclesiæ non implevit?*

Resp. Affirmativè, modò sit dispositus, & non fuerit declaratus, vel denunciatus excommunicatus, aut omissio Confessionis, vel censura ei annexa non sit Episcopo reservata.

## CAPUT XI.

### *Prop. XV. ab Alex. VII. &c. Pœnitentia Sacramentalis.*

1. PROP. 15. *Pœnitens, propria auctoritate, substituere sibi alium potest, qui, loco ipsius, pœnitentiam adimpleat.*

Hic, occasione propositionis ab Alex. proscriptæ, casus satisfactionem Sacramentalem tangentes ad praxim Confessarii resolvuntur.

2. Quæritur, *an Pœnitentia, & Sacramentalis satisfactio differant?*

Resp. Affirmativè, nam pœnitentia in casu, est opus, vel pœna à Confessario confitentibus injuncta, ad satisfaciendum in toto, vel in parte, Deo, pro pœna temporali, peccatis remissis debita: quæ, sublata æterna, in hac, vel alia vita plerumque exolvenda remanet, ut Trid. *Sess. 14. cap. 8. & can. 15. de pœnit.* satisfactio autem est ejusdem pœnæ executio, seu actio

afflictiva corporis, per quam Deo satisfacimus pro pœna temporali: & solet describi: *est compensatio pœnæ temporalis debitæ, ob injuriam Deo per peccatum illatam, consistens in operibus pœnalibus, & sanctis à Confessario taxatis*; hoc ultimum additur, quia alias non diceretur Sacramentalis, cum nulla actio, vel passio laboriosa hominis pœnitentis possit dici Sacramentalis, & valens ex opere operato applicare nobis satisfactionem Christi, nisi à Confessario absolvente imponatur. Campion. *p.* 1. *c.* 13. *n.* 6. propter quod pœnitens non potest pœnitentiam ex se commutari, etiam in melius.

3. Quæritur, *an satisfactio Sacramentalis sit pars integralis, vel essentialis Sacramenti pœnitentiæ?*

Resp. Duplex est satisfactio, alia in re, alia in voto; satisfactio in voto, propositum, scilicet, satisfaciendi Deo offenso, & reparandi meliori modo, quo possit, jus divinum læsum per peccatum, est pars essentialis Sacramenti pœnitentiæ, quia sine eo non haberetur essentia Sacramenti; dum enim contritus, vel attritus integrè confitetur, habet, etiam propositum, saltem implicitum, satisfaciendi Deo pro pœna post absolutionem remanente; satisfactio verò in re exhibita, & actu à pœnitente exercita, seù à Confessario imposita, non est pars essentialis, necessaria essentialiter ad valorem Sacramenti, & ad remissionem peccatorum, quoad culpam, & pœnam æternam.

*Non à pœnitente exercita*, alias verba absolutionis ante executionem pœnitentiæ essent falsa, nec prius remitterentur peccata; *neque actu à Confessario imposita*, quia sæpè eam Confessarius non potest imponere; maximè eis, qui post petitam absolutionem, vel factam peccatorum Confessionem, subitò sensibus destituuntur, & tamen validè absolvuntur, ut est certum: *vid. l.* 3. *c.* 3. *ad prop.* 16. & 17.

4. Sed quæritur; *an ad minus sit pars integralis Sacramenti?*

Resp. Affirmativè, sic DD. communiter ex Trid. *cap.* 3. *sess. cit.* ratio est; quia, quamvis satisfactio actu exhibita non sit necessaria ad essentiam, & ad primarium Sacramenti effectum, infusionem, scilicet, gratiæ, & culpæ, ac pœnæ æternæ remissionem, adhuc tamen conducit ad illius secundarium effectum, ad remissionem, nimirum, pœnæ temporalis, in quam fuit æterna commutata: & in hoc sensu dicitur pars integralis Sacramenti, & ad pœnam, perfectamque peccatorum remissionem pertinere.

5. Quæritur, *quanam opera pro pœnitentia injungi possint?*

Resp. Omnia, quæ sint ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem, Trid. *sess. cit. cap.* 8. præcipua sunt, *oratio, eleemosyna, & jejunium.* Ad quæ cætera opera satisfactoria reducuntur: Ad *orationem*, omnes actus Religionis interiores, & exteriores in Dei cultum, & honorem eliciti, ut visitatio Ecclesiæ, recitatio Officii, &c. Ad *jejunium*, omne opus afflictivum, & castigativum corporis, voluntariè susceptum, ut usus cilicii, disciplinæ, &c. Ad *eleemosynam*, omnia misericordiæ opera, erga proximum exhibita, ad necessitatem ejus corporalem, vel spiritualem sublevandam.

6. Quæritur, *an pœnitens teneatur sub mortali pœnitentiam rationabilem acceptare, faciendam in hoc mundo?*

& qua-

*& quatenus acceptare nolit, possit absolvi?*

Resp. DD. conveniunt pœnitentem teneri acceptare pœnitentiam præservativam, seù medicinalem, ut, si ei præcipiatur V. G. ne ingrediatur domum, in qua est occasio peccandi: quoties blasphemaverit, recitet Symbolum, &c. Sed dividuntur de pœnitentia, ut est satisfactoria pro pœna temporali; negant communiter Scotistæ, sustinentes, sat esse, ut velit eam in Purgatorio peragere. Contra quos sunt DD. communiter, praxis Ecclesiæ, & Trid. *c.8. cit.* ubi, præcipiens Sacerdotibus, ut pœnitentiam pœnitentibus imponant, non solùm præservativam, sed etiam satisfactoriam: *habeant præ oculis*, inquit, *ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantùm ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem*, ergo, si Confessarius est præceptum, ut imponant pœnitentibus, ut acceptent, & impleant; aliàs Confessarius frustrà illam imponere teneretur. Est Confessarius Judex, à Deo institutus cum potestate ligandi, & solvendi, ut ibid. Trid. ergo potest obligare pœnitentem, ut impleat pœnitentiam rationabilem, etiam, ut satisfactoriam, & quatenùs nolit eam, vel implere, vel acceptare, mortaliter peccat, & absolvi non potest, quia non præsumitur dispositus, & contritus.

7. Sed quid, *si pœnitentia sit levis, imposita pro venialibus, vel mortalibus, alias ritè absolutis?*

Resp. Est à pœnitente sub mortali acceptanda, & implenda, De la Crux *de Sacram. Pœnit. q.4. dub.3. conc.2.* ratio est, quia gravis injuria irrogatur Sacramento, ipsum sua parte integrali, perfectione, & complemento, sine justa, & rationabili causa privare; propter quod dixit, etiam læthale esse, omittere aliquid parum satisfactionis, si illud, quod omittitur, sit totalis satisfactio. Propterea Quilici *q.10. art.1. nu.5.* resolvit aliquam semper esse imponendam, quamvis præsumatur, quod vir sanctus satisfecerit plenè pro peccatis; aut, si in pœnitente Confessarius intensissimam contritionem videat.

8. Quæritur, *quando sit satisfactio persolvenda?*

Resp. Quam primùm; & debet pœnitens interrogari, an impleverit pœnitentiam præcedentis Confessionis; nec est ipsius confessio ordinariè audienda, nisi priùs satisfaciat, quando differt sine rationabili causa; nam, tunc etiam peccat, & tenetur semper implere: vide Rituale *cap.7. num.15.*

9. Quæritur, *an possit Confessarius pœnitentiam sic imponere pœnitenti, ut per se, vel per alium illam impleat?*

Resp. Negativè, nec eum excusarem à peccato, neque satisfactio ab alio pro pœnitente facta, foret Sacramentalis, quia non esset actus pœnitentis, nec pro eo satisfactoria, quia peccata exigunt, ut ipsemet peccator pœnam à Sacerdote taxatam sustineat.

10. Quæritur, *an pœnitentia ab uno Confessario imposita, possit ab alio commutari, & moderari?*

Resp. Affirmativè, ex justa tamen causa, & si id ad salutem spiritualem pœnitentis conducat.

11. At dubitatur, *an secundus Confessarius debeat de novo audire peccata,*

*pro quibus pœnitentia fuit à primo impoſita?*

Reſp. Affirmativè, ſic DD. ratio eſt, quia impoſitio, vel pœnitentiæ commutatio eſt actus judicialis, ad integritatem ſententiæ judicialis pertinens, ergo non poteſt fieri extra judicium, & non cognita cauſa, ob quam imponi debet; hæc enim eſt natura judicii, & ſententiæ, ut, incognita cauſa, & extra forum non feratur; quævis aliter impoſita, non foret Sacramentalis. Tutiùs etiam eſt, ut ab ipſomet Confeſſario, qui primò impoſuit, non commutetur, niſi in Confeſſione, & de novo peccatis auditis, niſi ex incontinenti pœnitens recurrat, & notitiam peccatorum habeat.

14. Sed poterit *ne ſecundus Confeſſarius, non habens juriſdictionem in reſervata, commutare pœnitentiam, pro reſervatis à primo Confeſſario impoſitam?*

Reſp. Negativè, ratio eſt, quia, ſicut Secundus priùs non poterat de reſervatis judicare, & pœnitentiam imponere, quia juriſdictione carebat, ſic, injuncta à Superiore pœnitentia, non videtur poſſe ejus ſententiam moderari, vel mutare.

13. Quæritur, *an perſolvens pœnitentiam in mortali, ſatisfaciat pro pœna temporali?*

Reſp. Affirmativè: nam certe jejunium, in ſtatu peccati mortalis factum à pœnitente, cui pro pœnitentia fuit injunctum, eſt recompenſatio aliqua pro pœna temporali: ſive totali, ſi tanta ſit pœna jejunii, quanta erat pœna temporalis ſolvenda: ſivè partiali, ſi non ſit tanta; ſed non tunc habet effectum remiſſionis pœnæ, ſed poſteà, ablato obice peccati; quia cum pœnitens ſit in peccato, & incapax remiſſionis pœnæ, nec Deus tunc acceptat ſatisfactionem, ut pro tunc ſatisfactoriam, ſed relinquit pœnitentem debitorem, donec ſe reducat ad ſtatum gratiæ.

14. Quæritur, *ad quid teneatur, qui oblitus eſt pœnitentiæ injunctæ?*

Reſp. Ad repetendam priorem Confeſſionem dum Confeſſarius notitiam illius, ſaltem in confuſo, non retineat, ratio eſt: quia nullus Judex poteſt ad pœnam ligare, & judicium ferre, niſi, cognita cauſa; ergo nec Confeſſarius novam pœnitentiam imponere, niſi pœnitens cum oblivione pœnitentiæ peccata prioris confeſſionis aperiat. Felix *tom.1. num.*3204.

## CAPUT XII.

### *Prop. XVI. ab Alex. VII. &c. Approbatio ab Ordinario.*

1. PROP.16. *Qui beneficium curatum habent, poſſunt ſibi eligere in Confeſſarium ſimplicem Sacerdotem, non approbatum ab Ordinario.*

Eſſe in quovis Sacerdote ad valide, & licite Confeſſiones audiendas, extra articulum mortis, neceſſariam Epiſcopi approbationem, diximus ſupra *cap.9.* ſuper quo Trid. *ſeſſ.23. cap.15. de ref.* ſatis aperte, & generaliter loquitur, & ideò non eſt opus hic id ipſum repetere, ſed ibi dicta videnda ſunt.

2. Quæritur, *quidnam intelligatur per beneficium curatum?*

Reſp. Beneficia curata duplicis ſunt generis; alia dicuntur curata in ſenſu proprio, & ſtricto, & alia in magis lata, & impropria acceptione: ſecundi generis ſunt ea,

ea, quibus annexa est jurisdictio spiritualis, quoad forum externum, & contentiosum; & ea habentes, possunt excommunicare, causas Ecclesiasticas tractare, ac cætera præstare, quæ ad correctionem morum spectant; cujus naturæ sunt Decanatus, Archidiaconatus, &c. primi verò, illa, quæ habent potestatem ligandi, & solvendi in foro pœnitentiali, & certum locum, cujus populo, per habentes hæc beneficia, debent administrari Sacramenta, & populus tenetur ea ab eis recipere; hujusmodi sunt Parochi, Plebani, & cæteri animarum Rectores, Piasec. prax. *Epis. par. 2. cap. 5. art. 5. n. 12. & 13.* Fagnan. *in 1. ad c. cum in cunctis n. 5. & seq. de elect.* Decretum Alex. comprehendit tam habentes beneficia curata, seu curam animarum in sensu rigoroso, quàm in improprio; nam absolutè, & sine ulla restrictione loquitur; & ideò, nisi approbatis ab Episcopis, potest quis eorum valide confiteri.

3. Quæritur, *an Episcopus extra suam Diœcesim possit in Confessorem eligere Sacerdotem simplicem, non approbatum ab Episcopo loci?*

Resp. Negativè, Fagnan. *in 5. decret. ad cap. ne pro dilatione n. 13. & seq. de pœnit. & remis. & n. 62.* refert S. C. Conc. declarasse privilegium eligendi Confessorem, quod competit Episcopis in vim illius decretalis, non esse sublatum à Concilio, sed nihilominus, eo non obstante, non posse sibi in Confessorem eligere Sacerdotem sibi non subditum, nisi, aut Parochiale beneficium habeat, aut à suo Ordinario approbatus fuerit ad Confessiones audiendas, ad præscriptum dicti *cap. 15. sess. 23.* & idem tradit, audita relatione Congregationis, fuisse declaratum à Greg. XIII. hæc ille. Quod extendit, etiam ad Em. Cardinales; & supra *n. 53.* dixit, habentem privilegium eligendi Confessorem, teneri eum eligere, qui ab Ordinario loci habet executionem, qualis est Curatus, seu ab eodem Ordinario approbatus; quicumque enim alius in prædicto *c. 15.* Concilii inhabilitatur, & in contrarium privilegia, ac consuetudines, etiam immemorabiles, revocantur.

Et si quæratur, *quid eis prosit privilegium alleg. cap. ne pro dilatione, eis datum de eligendo Confessario, si non possint eligere, nisi approbatum ab Ordinario loci?*

Resp. Idem Fagnan. *n. 25.* ait, multum prodesse, & legem operari, quod Episcopus Sacerdotem, sic electum, poterit secum ducere, & sic confiteri ubique locorum, etiam extra Diœcesim Episcopi approbantis; quod circumscripto privilegio, non liceret. Plura addit videnda, quæ referre ad nostram praxim non conducunt.

## CAPUT XIII.

*Prop. XVII. XVIII. & XIX. ab Alex. VII. &c.*
*Occisio ad defensionem vitæ, & honoris.*

1. PROP. 17. *Est licitum Religioso, vel Clerico, calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua Religione spargere minantem, occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus, vel ipsi Religioso, vel ejus Religioni publicè, & coram gravissimis viris prædicta impingere, nisi occidatur.*

PROP.

PROP. 18. *Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam judicem, à quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.*

PROP. 19. *Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.*

Occasione quarum propositionum sequentes casus, & plura homicidio communia, in quinto præcepto decalogi, *non occides*, prohibita, pro praxi resolvuntur.

2. Quæritur, *quid prohibeatur in quinto præcepto non occides?*

Resp. Omnis injusta sui, & proximi occisio, mutilatio, & alia quævis violenta sanguinis effusio, & injuriosa læsio in salute corporali: vindictæque appetitus, ac animus nocendi in bonis corporis.

3. Quæritur, *quotuplex sit homicidium?*

Resp. Duplex, voluntarium, & casuale; voluntarium item duplex: unum directè in se volitum, & plenè voluntarium, quod est actio violenta ex proposito assumpta ad se, vel alterum vita privandum; alterum voluntarium, indirectè, & volitum in causa, ut, cum quis aliquid operatur, ex quo facilè poterat, & debebat prævidere homicidium secuturum, quamquam homicidium directè non intenderit; ut, si quis, sclopetum explodat in loco, in quo frequenter homines transeunt; vel fœminam prægnantem percutiat, ex quo deinde mors fœtus animati sequitur.

Homicidium verò casuale est, quod nec directè, nec indirectè est volitum, aut, quod nec dolo, nec culpa commissum est, sed mero casu accidit.

4. Quæritur, *an quis licitè possit se ipsum occidere, vel mutilare?*

Resp. Negativè; nã vel, qui vult se occidere est innocens, vel nocens: si innocens, nullo casu ex proposito sibi licet, prohibente Deo Exodi 23. *Insontem, ac justum non interficies:* si verò nocens, per sententiam Judicis debet ad mortem damnari: nullus enim est suæ vitæ, & membrorum Dominus, sed solus Deus, qui vitæ, & mortis habet potestatem, *Sapient.* 16.

5. Sed quæritur, *an infirmus teneatur sumere medicinam à medico paratam?*

Resp. Affirmativè, si judicio medici salus speretur, & aliàs mors sequeretur; quemadmodum cùm est sanus ad cibum sumendum obstringitur: verùm non tenetur ad quærendos cibos meliores, & medicinas pretiosiores, cum non teneatur ad conservandam sibi vitam omni modo possibili. De la Cruz.

6. Quæritur, *an liceat desiderare sibi mortem?*

Resp. Affirmativè ob bonum finem, desiderio, scilicet, essendi cum Christo, sicut Paulus; & ad vitandam Dei offensam; sed non ad fugiendas hujus vitæ ærumnas, quia majus malum mortis assumeretur ad vitandum minus ærumnarum contra regulam rationis.

7. Quæritur, *an peccet, qui se castrat, vel id fieri à parentibus permittit ad procurandam, vel conservandam vocis suavitatem?*

Resp. Affirmativè, & quidem mortaliter, quia non est Dominus suorum membrorum, & periculo mortis exponitur, cum Poncio *disp.* 42. *q.* 4. *nu.* 19. licèt Quilici *q.* 15. *art.* 5. *nu.* 3. eos cum Tambur. excuset, ob decorem Ecclesiarum, & Chirurgorum peritiam, qui tutò id faciunt sine periculo mortis.

8. Sed

8. Sed quid *si quis se castret, & castrationem procuret ad facilius carnis tentationes vincendas, & servandam castitatem?*

Resp. Item mortaliter peccat, cum id medium necessarium non sit ad tentationes superandas, & castitatem servandam, quia utrumque præstari potest, jejuniis, aliisque piis operibus; ac oratione à Deo postulari, ut uberiora divinæ gratiæ auxilia ad id exequendum conferat: nam non ferro, sed Religione quærenda est castitas, per Glos. ad *cap. significavit de corp. vitiat. in verb. obsequium.*

9. Quæritur, *an licitè quis possit ad defensionem propriæ vitæ injustum aggressorem occidere?*

Resp. Affirmativè, sic communiter DD. ratio est, quia id nec lege divina, aut humana prohibetur; quinimmò jura, & leges permittunt, vim vi repellere licitum esse, Cap. *si verò il primo de sent. excom.* aliàs multùm perturbaretur Respublica, & nemo posset esse à facinorosis hominibus tutus, qui facilè aggrederentur quoscumque, si non timerent interfici, aut putarent aggressos non se opposituros, propter metum peccandi.

10. Sed quæritur, *super quo sic se defendens debeat à Confessario interrogari, ut videat, an licitè, & sine peccato occiderit?*

Resp. An ex incontinenti in sui defensionem processerit cum moderamine inculpatæ tutelæ. Moderamen in hoc consistit, quod major vis non adhibeatur, quàm sit necessaria, aut nulla, si alio modo se defendere quis possit; propterea potens se defendere minis, aut verbis, non verberet: si verberibus, non mutilet: si mutilatione non occidat: & si fuga, fugere tenetur: & si illum excessisse repetias, mortaliter peccasse concludas. Sic occidens per se solùm intendere debet se defendere, quod jure naturæ omnibus conceditur, quod si deinde mors aggressoris sequatur, est per accidens.

11. Sed quid, *si invasus esset vir nobilis, & fuga posset impetum aggressoris declinare, an teneatur fugere?*

Resp. Plures negant, eum ad fugam teneri, ex quo hujus conditionis viris sit fuga ignominiosa; verùm, nec Nobiles à peccato excusantur, quia in his, quæ concernunt salutem animæ, Nobiles à plebeis non differunt; & nullus prudens id virum nobilem dedecere judicabit.

12. Sed potest *ne aggressor præveniri, quando quis, aliud refugium ad suam vitam salvandam non habet, & actualis aggressio videtur moraliter præsens?*

Resp. Casus est metaphysicus; inverisimile enim est, quod in praxi alia spes refugii non adsit; qui est tantæ potentiæ, ut præveniendo possit mortem afferre, cui non poterit, etiam sibi cavere, recurrendo vel ad justitiæ Ministros, aut Amicorum officia; qualis inter homines abusus foret, si hæc concederetur licentia?

13. Sed quid, *si invadens esset in statu peccati, & si interficeretur, perderet vitam æternam?*

Resp. Si ob malum statum invasoris, licitè quis non posset injustum aggressorem, se cum moderamine defendendo, occidere, numquam id liceret, nam semper ob ipsam injustam invasionem est in malo statu; & ideò damnum illud non aggressò est imputandum, qui solùm se defendit, sed invasori, cui ipse idem sua malitia, & sine necessitate se exponit, &

posset illud vitare non aggrediendo, vel desistendo.

14. Quæritur, *an liceat innocentem occidere.*

Resp. Negativè, loquendo directè, per se, & ex intentione eum occidendi; nam est intrinsece malum, divina, & naturali lege prohibitum: indirecte verò, & per accidens, quandoque licet, ut in bello justo, quatenus victoria, quæ per se intenditur, aliter haberi non potest, quam per subversionem Civitatis, aut submersionem navis, in qua nocentes cum innocentibus pereunt.

15. Quæritur, *an liceat occidere bannitum, cujus occidendi facultas cuilibet à Principe publicè concessa est, taxata, etiam occidenti quadam pecuniæ summa,* vulgò taglia?

Resp. Affirmant DD. communiter; ratio est, quia, cum Princeps ob bonum commune Reipublicæ habeat facultatem damnandi ad mortem malefactores, potest aliis demandare, ut sententiam exequantur, eosque occidant; verum debent plura concurrere, ut id sine peccato fiat: I. Ut occisio fiat ex zelo justitiæ, non ex privata vindicta: II. Ne fiat pendente appellatione, eo nimirum tempore, quo reus, appellationem à tali sententia banni interpositam, coram Superiore prosequitur: III. Ne extra territorium proscribentis: IV. Ut bannitus non sit parens, filius, frater, conjux, quos occidere natura abhorret: V. Ut non fiat amore pecuniæ, & mercedis taxatæ. Sed adhuc cum ipsis restrictionibus sententia non videtur in conscientia practicabilis, loquendo de interfectione proditoria, & per insidias, ob periculum damnationis eorum, qui sic insidiosè necarentur, nam, id Christianæ pietati repugnat. Boyvin *de actib. human. cap. 5 q. 2 de 5. præcept. Decalogi, dico* 2. Engel. *colleg. jur. can. lib. 5. tit. 12. §. 1. num. 6.*

16. Quæritur, *an liceat marito in conscientia uxorem in adulterio deprehensam, vel adulterum occidere?*

Resp. Negativè, & oppositum ab Alex. supra damnatur, ac prohibetur Cap. *Inter hæc* 32. *q.* 2. ratio est, quia non potest interfici malefactor, nisi juris ordine servato, nec exponi periculo damnationis æternæ; sequeretur autem utrumque, si interficeretur adultera, vel adulter deprehensus in delicto.

17. Dices *leges Civiles similes occisionis permittunt?*

Resp. Dicas, vel eas esse ab jure canonico correctas, vel, quod in foro externo impunitatem permittunt, propter excessum doloris, & iræ; sed hinc non sequitur esse licitum quantum ad legem canonicam, & conscientiæ.

18. Sed quæritur, *poteritne adulter licitè contra virum aggredientem se defendere, & cum aliter non possit, eum occidere?*

Resp. Affirmativè, Rotarius *Theolog. moral. p. 2. cap. 5. sect. 1. num. 11.* ratio est, quia, ex quo adulter det operam rei illicitè, ob quam invaditur, non confertur marito jus eum occidendi, nec ipse privatur jure se defendendi contra injustum aggressorem, eumque cum moderamine enunciato occidendi: nam in ordine ad eam occisionem, consideratur innocens; ex adulterio solum jus acquirit Princeps, ut eum punire valeat, & propterea cuilibet

bet alteri est prohibitum ipsum, privata auctoritate, occidere.

19. Quæritur, *an ad honoris defensionem, possint licitè calumniatores occidi?*

Resp. Negativè, nam Alex. id prohibet; ratio est, quia, si injuria facta consistit in hoc, quod quis vocetur hæreticus, ebrius, fur, spurius, &c. occisio calumniatoris non est medium sufficiens ad illam resarciendam: nam, vel calumniatori non creditur, & sic integer est honor: vel creditur, & sic, licet occidatur, honor non acquiritur, quia id evenisse prudentes judicabunt non ex justitia causæ, & innocentia offensi, sed quia fortior, & ad pugnandum aptior.

20. Quæritur, *an liceat occidere falsum testem, & Judicem, à quo sententia iniqua expectatur, cum alia via non possit quis se tueri?*

Resp. Negativè, pro ut in decreto Alex. ratio est; nam, vel, qui damnum timet ex falsa testis depositione, & injusta sententia Judicis, potest suam innocentiam ostendere, vel non: si potest non deerunt alia media se ab eis liberandi; & sic occisio non reputatur unicum medium ad impediendam damnificationem, adeòque, neque facta cum moderamine inculpatæ tutelæ: si non potest, supplicium non evadet, nam occisio est causa, ut quis majori sit dignus cum se exponat periculo mortis, quæ occidentibus statuitur.

Nec valet, quod occultè occiderentur, quia propter hoc ipsum non licet, ne aperiatur via occultis cædibus, ex quibus adeò perturbatur Respublica, & innocentes damnificantur, qui sæpe aliorum scelerum pœnas luunt. De procuratione abortus dicendum *lib. 2. capit. 20.* & ibid. *capit. 19.* de occisione ad defensionem rerum.

## CAPUT XIV.

### *Prop. XX, & XXI. ab Alex. VII. &c. Restitutio fructuum beneficii.*

1. PROP. 20. *restitutio à Pio V. Imposita Beneficiatis non recitantibus non debetur in conscientia ante sententiam Judicis, eo quòd sit pœna.*

PROP. 21. *Habens Capellaniam Collativam, aut quodvis aliud Beneficium Ecclesiasticum, si studio literarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si officium per alium recitet.*

Agitur hic non de quavis restitutione fructuum, sed de proveniente ex omissione Officii divini in Beneficiatis.

2. Quæritur, *quid veniat appellatione beneficii Ecclesiastici, & Capellaniæ collativæ?*

Resp. Per beneficium Ecclesiasticum intelligitur jus perpetuum ad percipiendos redditus Ecclesiasticos, ratione spiritualis Officii, Ecclesiastica authoritate institutum, & Personæ Ecclesiasticæ ab Ecclesia collatum; per Capellaniam verò Collativam, beneficium, quod authoritate Episcopi erigitur, & confertur, habens annexum onus Officii Divini, nec potest conferri, nisi Clericis, & à Persona Ecclesiastica.

3. Quæritur, *ad quid teneantur Beneficiati, si legitimè non impediti non recitent Divinum Officium?*

Resp. Si post sex menses ab obtento beneficio, Officium divinum non dixerint,

ad restitutionem fructuum, pro rata omissionis Officii, & temporis, (tamquam injustè perceptos, cum eos suos non faciant) Fabricæ ipsorum beneficiorum, vel pauperibus faciendam, ut expressè *Leo X. in Conc. Lateranen. const. incip. Supernæ dispositionis*; quam innovavit, approbavit, & auxit *B. Pius V. const. incip. Ex proximo.*

4. Sed quæritur, *quantum sit restituendum?*

Resp. Quantum idem Pius alleg. const. disposuit, ubi: *statuimus, ut: qui horas omnes canonicas, vel pluribus diebus intermiserit, omnes beneficii, seu beneficiorum suorum fructus, qui illi, vel illis diebus responderent, si quotidie dividerentur; qui verò matutinum tantùm, dimidiam: qui cæteras omnes horas, aliam dimidiam, qui harum singulas, sextam partem fructuum ejusdem diei amittat.* Si partem notabilem omittat, juxta ratam, & toties ad restitutionem sub mortali tenetur, quoties pars fructuum correspondens omissioni tanta sit, quæ in materia furti culpa mortalis foret, aliàs sub veniali, Bonaccina *de Hor. Canonic. disp. 1. quæst. 5 punct. 2. num. 13.*

Idem dicitur de eo, qui eodem die in singulis horis paucos versiculos omisit, qui simul sumpti gravem materiam constituunt; ratio est, quia datum ob causam, retineri non potest, causa non expleta, sed fructus dantur propter Officium, & jus in eos non acquiritur, nisi recitatione supposita, ergo retineri non possunt, Officio non persolato; sed Officium non dicitur persolutum, quoad versiculos omissos, ergo fructus istis respondentes retineri non possunt.

Nec obstat dicere, Pium taxare solum restitutionem pro totius Officii, vel singularum horarum omissione; nam, non ideò excludit, vel à restitutione liberat omittentem nonnullos singularum horarum versiculos, qui simul sumpti materiam notabilem constituant. Ex taxatione quantitatis à Pio facta pro singulis horis, potest prudens Confessarius colligere, quantum restituendum sit pro omissione partis notabilis ipsarum.

5. Quæritur, *an beneficiatus sine omni interna attentione voluntariè recitans Officium, teneatur ad restitutionem?*

Resp. Affirmativè. Ratio est, quia recitare hoc modo idem est, ac non recitare; nam idem est aliquid non facere, & non facere rectè, & quemadmodum præcepto non satisfacit, & ad repetitionem tenetur sic, nec fructus potest retinere. Bonaccin. *cit. num. 17. Sum.* Leandri *ver. beneficiat. num. 69.* Qualis autem attentio, vel intentio requiratur ad horas canonicas. *vid. c. 25. num. 9.*

6. Quæritur, *an habens plura beneficia teneatur fructus omnium beneficiorum pro rata Officii, culpabiliter omissi, restituere?*

Resp. Affirmativè, quia sic constat ex Bulla Pii V.

7. Sed quæritur, *an tot officia in die recitare teneatur, quot sunt beneficia?*

Resp. Negativè, sed satisfacit una recitatione. Ratio est, quia Ecclesia multiplicat titulos, non satisfactiones; sicut, concurrentibus eodem die pluribus festis, fideles satisfaciunt auditione

unius

mius missæ. Gavant. *tom.2.sect.1. cap.4. num.9.* & Felix *t.1.num.493.* Sed tenetur ad tot commemorationes Sanctorum, Titularium Ecclesiarum, in quibus beneficia sunt fundata; in quarum omissione peccat mortaliter, si omissio notabilem quantitatem constituat; & restituere debet fructus respondentes singulis commemorationibus omissis; nam lædit Justitiam commutativam. Una tamen, & solita sufficeret, si omnia essent sub titulo B.M.V. Campion.

8. Sed quid, *si ea beneficia justè, & legitimè non possideat?*

Resp. Ad tot Officia tenetur, quot sunt beneficia sic possessa; ratio est, quia, licèt directè ex præcepto Ecclesiæ ad nullum officium obligetur, cùm nullum censeatur beneficium habere, nihilominus ex jure naturæ est obstrictus, ne Deus contra voluntatem Ecclesiæ debito cultu, & obsequio privetur; cui certè ab iis exhiberetur, quibus ea beneficia à Papa conferrentur. Sed fructus suos non facit, quia nullum jus ad eos habet.

9. Quæritur, *quot peccata specie distincta Beneficiatus committat, si divinum Officium omittat?*

Resp. Duo, si ad divinum Officium persolvendum teneatur, etiam ratione Ordinis Sacri: unum contra obligationem Sacris Ordinibus annexam, & alterum contra obligationem ex beneficio consequentem; nec solùm virtus Religionis violatur, vi cujus suscipiens Ordines Sacros ad horas canonicas tenetur, verùm etiam justitia, ratione beneficii; nam Ecclesia hac lege, inito pacto, & contractu celebrato, *do, ut facias*, confert beneficium, ut scilicet Beneficiatus horas persolvat sub pœna non faciendi fructus suos.

10. Quæritur, *an intra sex primos menses omittens Officium teneatur ad restitutionem?*

Resp. Affirmativè, cum Soto, Medina Layman, & Menochio apud Quaranta *Sum.ver. Horæ canonicæ vers. additio*, ratio est, quia obligatio restituendi propter neglectum Officium canonicum, secundùm substantiam descendit ex jure naturali, ut per hæc significat Constitutio Leonis, *cùm propter Officium detur beneficium*, adeòque quasi sub conditione præstandi Officii; & ideò fructus dantur loco mercedis, & tamquam stipendium operæ, & laboris; quos proinde Beneficiatus retinere non potest, si non faciat id, pro quo stipendium accipit. Nec obstat Pium loqui, *post primos sex menses, &c.* quia non loquitur exclusivè ad Priores. Vid. Engel. *jus Canon. l.3. tit.5.§.3. num.26.*

11. Quæritur, *an etiam Pensionarii teneantur Officium recitare, & si non recitent, ad restitutionem fructuum?*

Resp. Affirmativè, sic Pius; *quicumque pensiones, fructus, & alias res Ecclesiasticas, ut Clericus, percipit, eum, modo prædicto, ad dicendum Officium parvum B.M.V. decernimus obligatum, & pensionum, fructuum, rerumque ipsarum amissioni obnoxium.* Nota, ut Clericum eum habere pensionem, qui, ut illam habeat, debet esse initiatus prima tonsura.

12. Quæritur, *an etiam Parochi non recitantes Officium, teneantur ad restitutionem fructuum?*

Resp. Affirmativè, ut expressè Leo, &

Pius, sine distinctione loquentes, & extendentes dispositivam const. ad quoscumque habentes beneficia Ecclesiastica cum Cura, vel sine Cura. Quamvis Parochis ob onera Parochialia debita sit aliqua portio fructuum, quæ propter omissum Officium restituenda non est. In computatione considera qualitatem, & quantitatem onerum, quæ subeunt eo die, in quo relinquunt Officium: si uno die totum Officium omittant, & nil oneris pro Parochianis in eo subeant, tenentur restituere omnes fructus illi diei correspondentes.

13. Quæritur, *an Beneficiatus teneatur ad divinum Officium, si beneficium sit ita tenue, ut non sufficiat ad vitæ sustentationem?*

Resp. Affirmativè, quia Pius V. utitur verbis universalibus, *& qualiacumque alia beneficia*, quæ comprehendunt, etiam minima. Fagnan. *num.* 4. Bonacc. *disp.* 1. *qu.* 2. *punct.* 4. *num.* 17. ratio est, quia Beneficiatus spontè sua acceptans beneficium, acceptat etiam onus illi adnexum; sicut vir contentus modica dote, tenetur uxorem alere, & sibi imputare debet, si tale incommodum subeat; sic etiam tenetur, licèt ob grandines, & aeris inclementiam insufficientes fructus percipiantur, quia beneficia similibus periculis subjecta censentur, & cum talibus conferuntur.

14. Sed *quid dicendum, cùm redditus beneficii sufficientes erant, sed vel eos propter litem non percipit, aut hostes beneficii bona occupant?*

Resp. Dum moraliter certus sit, se posteà beneficii fructus percepturum, v.g. quia de lite excitata super beneficio à se possesso, victoriam sperat, & proinde habere redditus intereà sequestratos, tenetur recitare; si verò Beneficiatus absque sua culpa nullos omninò fructus percipiat, neque posteà percepturus sit, interim Officium legere non tenetur; ratio est, quia beneficium non possidet secundùm omnem effectum, quandoquidem beneficium sit jus percipiendi fructus; & patet, ex quo Leo, & Pius obligent ad restitutionem fructuum beneficii, sed in casu nulli sunt. Layman.

15. Quæritur, *an Beneficiatus negligens Officium teneatur fructus restituere ante sententiam Judicis?*

Resp. Affirmativè, prout Alex. in decreto: ratio est, quia Officii recitatio ex Leone, & Pio requiritur, ut per se conditio ad obtinendum jus in fructus, ergo, qui illud non recitat, jus in eos non obtinet, nec suos facit; consequenter in conscientia, quacumque etiam Judicis sententia præcisa, eos retinere non potest. Reinfenstuel jus. *Canon. lib.* 1. *tit.* 2. *de const.* §. 10 *num.* 235.

16. Quæritur, *an Beneficiatus per alium recitans Officium, satisfaciat suæ obligationi?*

Resp. Negativè, & oppositum damnatur ab Alex. obligatio enim Beneficiati est personalis, neque potest per alium eidem satisfieri, prout colligitur ex Trid. *Sess.* 24. *cap.* 12. *de ref.* ubi: *omnes verò divina per se, & non per substitutos compellantur obire officia.* Vid. infra *cap.* 25. *& lib.* 2. *cap.* 32.

17. At petitur. Beneficiatus data opera omittit officium paratus ad ratam omissionis fructus restituere, quæritur an peccet mortaliter?

Resp.

Resp. Affirmativè. Primum enim, quod est in beneficiatis, est esse mancipatos divinis Officiis, & habere onus colendi Deum recitatione Breviarii; sustentatio autem, quæ datur est de secundariò; nam stipendium datur propter ministerium. Unde omittens officium peccat mortaliter, quia non implet onus susceptum colendi Deum. Quod patet ex eo, quod restitutio fructuum sit etiam pœna; Atque ita supponit culpam, quæ nascitur ex non impleta obligatione colendi Deum. Quòd si non restituat, alterius culpæ reus est, quia retinet rem non suam.

## CAPUT XV.

*Prop. XXII. ab Alex. VII. &c.*
*Beneficia Ecclesiastica gratis conferenda.*

1. PROP. 22. *Non est contra Justitiam, beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia Ecclesiastica, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod sibi conferre non tenebatur.*

Lib. 2. *cap.* 27. videbimus, quibus beneficia Ecclesiastica sint conferenda, & cap. 26. Simoniam committi, dum aliquid pro assequendo beneficio Ecclesiastico confertur, vel recipitur; hìc ideò est Confessarius breviter instruendus, Auctores propositionis docuisse, Collatorem, seu Distributorem beneficii aliquid sine injustitia posse ab eo, cui per ipsum confertur, exigere, & accipere, quorum doctrina in allegata propositione ab Alex. damnatur: propterea

2. Quæritur, *quare Collator beneficii nil exigere, accipereve justè possit ab eo, cui beneficium confert?*

Resp. Quia vel iste, cui confertur, habet jus proprium ad accipiendum beneficium sic, ut ei absque injuria non possit non conferri, vel tale jus non habet, adeò ut Collator absque ipsius injuria potuisset alii beneficium dare; in primo casu, jam Collator tenetur ipsi determinatè beneficium conferre sine omni alio pretio, aut compensatione: in secundo verò, quamquam ad beneficium jus non habeat, habet tamen jus fundatum, tùm in legibus positivis Ecclesiæ, tùm in æquitate naturali, ut, supposito, quod ipsi detur beneficium, id conferatur gratis, ergo Collator beneficii nullum jus habet exigendi aliquid; & quatenùs exigit, contra justitiam peccat, à Confessario non absolvendus, nisi restituerit, aut ad minùs (supposita de præsenti impotentia) id sincerè promiserit; Ilsung. *tr* 4. *disp.* 2. *qu.* 1. *art.* 3. §. 2. *n.* 18.

3. Sed quæritur, *quinam censeantur habere jus proprium ad beneficia?*

Resp. Omnes, qui per examen magis idonei reperiuntur, juxta Trid. *Sess.* 24. *cap.* 18. *de ref. & constit.* B. Pii V. *incip. in Conferendis*, apud *Quaranta sum. verb. Beneficiorum Parochial. collat.* nam, non est dubium, quemlibet per examen magis idoneum repertum, jus propriè dictum subiit, & in pacto per admissionem ad examen inito, saltem implicitè, ut, si ipse fuerit magis dignus ad beneficium reputatus, id sibi conferetur; ac etiam in lege Pii irritantis collationem beneficii, minùs digno factam, & concedentis magis digno jus appellandi ad Superiorem injusti Collatoris.

CA-

# CAPUT XVI.

## *Prop. XXIII. ab Alex. VII. &c. Præceptum Jejunii Ecclesiastici.*

1. PROP. 23. *Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta, quia non vult se subjicere præcepto.*

2. Jejunium duplex, *naturæ, & Ecclesiæ, seù naturale, & Ecclesiasticum:* naturale *est abstinentia à qualibet re sumpta per modum cibi, aut potus, quibus à media nocte jejunus debet esse Eucharistiam suscipiens.*

Ecclesiasticum vero, *est unica commestio, seù abstinentia à duplici refectione, & à cibis vetitis secundùm formam ab Ecclesia præscriptam.*

3. Quæritur, *quot concurrant ad substantiam jejunii Ecclesiastici?*

Resp. Tria, 1. unica commestio, seù abstinentia à secunda refectione; (quamvis ex indulgentia Ecclesiæ, & consuetudine legitima, in praxi sit serotina collatiuncula) 2. abstinentia à carnibus, & cæteris, quæ sementinam originem à carnibus trahunt, ut caseo, lacte, ovis, *cap. denique dist. 43.* abstinentia usque ad horam statutam, quæ hodie ex consuetudine legitimè præscripta est circa meridiem; sed non desunt negantes hoc tertium ad substantiam jejunii pertinere, sed veluti accidentarium, & secundarium considerant, & quidem probabiliter.

4. Quæritur, *an mortaliter peccet, qui sine causa refectionem in die jejunii notabiliter ante meridiem, tribus nimirum horis, anticipat?*

Resp. Negativè, cum Layman, *lib. 4. tract. 8. cap. 1. num. 11.* & aliis; ratio est, quia per anticipationem prandii non violatur substantia, sed circumstantia præcepti, nam determinatio temporis, ante quod refectio sumi non debet, est tantùm circumstantia accidentalis: cum violatione cujus, substantia jejunii, unica nimirum commestio, consistere potest; & propterea, si sine causa anticipetur, veniale erit; si autem rationabili causa fiat, nullum peccatum est; verùm poterit esse mortale ratione scandali, vel contemptus. Quilici *qu 16. art. un num. 2.* sicut id ducere in consuetudinem, contra usum, & praxim Ecclesiæ periculosum existimarem, à mortali non excusandum.

5. Quæritur, *an licitum sit, collatiunculam circa meridiem capere, cœnam in noctem, seù ad vesperam dilata?*

Resp. Si id rationabili causa fiat, ut causa studii, negocii, &c. licet; & nullum erit peccatum, quia non violatur substantia præcepti, sed solùm accidentalis circumstantia mutatur, variando tempus: sine causa erit veniale. Layman. *num. 10.* & Quilici: quia operatur contra consuetudinem justè introductam. Retinendus est uniformis usus Ecclesiæ, & cuilibet non debet esse liberum eam sumere, sive in meridie, sive ad vesperam differre; hinc sæpius sine justa causa fixum ordinem non invertas, ne graviter pecces.

6. Quæritur, *an in die jejunii dispensatus ad edendas carnes teneatur jejunare, hoc est, ad unicam commestionem in die?*

Resp. Vel, ei licentia comedendi carnes conceditur ob debilitatem naturæ, & quia

quia frequentiori refectione, quam unica, indiget, ad reficiendas vires, ut in convalescentia: vel, quia sibi alii cibi nocent, cum alioqum sit fortis viribus, & sanus; in primo casu eum à jejunio DD. excusant, non verò in secundo; ratio est: quia jejunium duo præcepta distincta includit, alterum de abstinentia à multiplici refectione, & alterum de abstinentia à carnibus, & cibis vetitis, quæ sunt separabilia, ut patet: in diebus Dominicis Quadragesimæ, cessante præcepto jejunii, durat illud abstinentiæ à carnibus; in diebus Veneris, & Sabbati per annum præcipitur abstinentia à carnibus, non præcepto jejunio: & existentes intra 21. ætatis annum excusantur ab obligatione jejunii, qui peccant comedendo carnes; & ideò non sequitur, quod dispensatus ab abstinentia à carnibus, sit dispensatus in jejunio; nec debet fieri extensio unius ad aliud, cum ex causa super uno dispensatur, nisi talis sit causa, ut utrumque comprehendat.

7. Sed, *non ne per DD. abstinentia à carnibus est de essentia jejunii*?

Resp. Sanè; sed de essentia ipsius adæquatè sumpti, non verò inadæquatè accepti. Servare non potes secundùm utrumque præceptum, debes ad minus implere secundùm alterum, dum moraliter potes.

8. At dubitatur, *an violans jejunium comedendo carnes, & multipliciter se reficiens in die, duo peccata specie distincta committat: alterum, violando abstinentiam à carnibus, & alterum, multiplicando refectiones*?

Resp. Affirmativè, ratio est, quia in morali, & Theologica æstimatione dissimilis malitia videtur in violatione jejunii facta qualitate cibi interdicti, ab ea, facta quantitate refectionum: licèt enim utrumque præceptum pertineat ad virtutem abstinentiæ, tamen ipsa sub diverso motivo, seù honestate morali respicitur; nam certè peculiaris honestas est in abstinentia à carnibus, ac in abstinentia à frequentiori commestione.

9. Quæritur, *an toties mortaliter delinquat, quoties quis sine legitima causa, die interdicto carnes (vel alios cibos prohibitos,) comedit*?

Resp. Affirmativè; quia præceptum non comedendi carnes est negativum, obligans ad semper, & pro semper: addo, quod mens Ecclesiæ est, in die jejunii absolutè interdicere carnes, sic, ut sensus prohibitionis: *Ne carnes comedantur*, sit, numquam in die interdicto licet carnibus vesci; & multiplicantur peccata, dum commestiones moraliter discontinuantur, ut non una refectio moraliter censeantur; in quo judicium relinquitur arbitrio prudentis, & cordati viri.

10. Sed quid, *si in jejunii die secundò, tertiò, aut quartò, cibos non vetitos cum distantia temporis, comedat, an toties quis peccet, quoties se reficit*?

Resp Negativè, quia præceptum de unica commestione, facienda in eodem jejunii die, est affirmativum, non obligans pro semper; & ideò, cum plenè secundò comedis, tunc peccas, non verò, dum tertiò, vel quartò eodem die sufficienter te reficis, quia, facto, jam per secundam commestionem jejunio, ipsum ampliùs, non potes servare; violato autem præcepto de non comedenda carne, potes itetùm

rùm non comedere, & præceptum non comedendi carnes implere.

11. Sed quæritur, *an, qui sæpius in die jejunii aliquod exiguum comedit, toties mortaliter peccet, quoties illud manducat?*

Resp. Est distinguendum: vel, cum primò aliquod modicum comedit, habet intentionem sæpiùs repetendi illas modicas commestiones, usque ad notabilem quantitatem, vel non; si primum, ratione intentionis peccat mortaliter, etiam in prima manducatione, quia id, quod sumere cupit, est materia sufficiens peccati mortalis; si secundùm, quamvis in prima, vel secunda exigua manducatione mortaliter non delinquat, graviter tamen peccat, si id faciat sæpiùs, ut notabiliter excedat; quia parvulæ commestiones censentur moraliter conjungi, & notabili quantitati cibi æquivalere, sic ut ad nutrimentum deserviant.

12. Sed quid, *si in die jejunii parum carnis manducet?*

Resp. A peccato mortali ex parvitate materiæ excusatur, sed debet esse tam modica, ut nequeat homines ad sui sumptionem frequenter allicere, ut notavit Ilsung. & Sum. Leand. *ver. abstinent. nu. 6.* dixit non debere excedere octavam partem unius unciæ; idque teneas contra Pasqualigo.

13. Quæritur, *an ignorans esse diem jejunii, si manè sumat jentaculum, & postea advertat urgere præceptum jejunii, teneatur jejunare?*

Resp. Affirmativè, nam, aut sumptum manè jentaculum fuit sufficiens corporis refectio, aut insufficiens; si primum, tunc, intermisso prandio, contentus esse debet vespertina collatione; si secundum, tunc, jentaculo illo matutino pro collatione reputato, poterit, intermisso omninò prandio, noctu cænare, vel in meridie se reficere. Layman.

14. Sed quid, *si in jentaculo illo cibos prohibitos comederit?*

Resp. Debet ab eis iterùm abstinere, & in refectione sumenda regulari juxta modò dicta.

15. Quæritur, *quanta esse debeat quantitas cibi permissa in serotina collatiuncula?*

Resp. Modica, ne cænula in cænam transeat: in qua exceditur, quando id, quod sumitur, notabiliter majus est quarta parte ejus quantitatis, quæ ad integram cænam sufficeret: unde DD. eam taxant ad octo circiter uncias, seù ad quartam partem cænæ, quæ non excedit 32. uncias; & si quis plus in cæna sumeret, non posset ad ratam illius quartam partem pro collatiuncula accipere, Sum. Leandr. *ver. collativ. quant. num. 4.* sexigitur, aut octo unciæ Romanæ non debent excedi. Multis excessùs duarum unciarum supra octo videtur notabilis, & ad cænam accedere, ideò sic excedens graviter peccare non est dubium; non procedatur laxè.

16. Quæritur, *quinam cibi possint in cænula sumi?*

Resp. Communi usu receptum est, ut parùm panis etiam edatur, vel seorsim, vel, unà cum fructibus, herbis, vel aliis cibis levioribus, & exigui nutrimenti, cujusmodi sunt ficus, uva passa, nuces, pira, poma, radices, &c. Layman ex Azorio concedit, etiam piscículum parvulum, qui fumo siccatus, vel aceto

aceto maceratus sit, nam inter leviores cibos numerari solet, ut colligitur ex cap. *Presbyter dist.* 82. & ideò corruptela est, si ii cibi sumantur, qui potissimùm ad nutriendum valent; potest etiam sumi panis, coctus aqua cum parvo oleo, modò non sit de industria conditus ad multùm nutriendum. Rotarius *apparat. 3.p.cap.* 1. *num.* 20.

17. Quæritur, *an potus Chocolatæ sumptus extra horam prandii jejunium Ecclesiasticum frangat?*

Resp. Negativè, si in parva quantitate, & moderatè sumatur; nam est constans DD. sententia in præcepto Ecclesiastici jejunii dari parvitatem materiæ, seu posse parum quid extra refectionem sumi, quin jejunium frangatur, ergo, etiam si Chocolata cibus foret, & non potus, adhuc, si in parva quantitate sumeretur, jejunium non frangeret.

18. Sed quæritur, *quænam ipsius portio reputetur parva quantitas, vel parvitas materiæ?*

Resp. Unicam Chocolatis unciam esse parvitatem materiæ, dixit Card. *Brancatius disert. de potu Chocolat.* ideò, quamvis esset cibus (quod negat, & potionem esse probat Tamb. *lib.* 4. *in decal. cap.* 5. §. 2. *num.* 13.) unica uncia circiter jejunium non frangeret.

Nec aqua, licèt in quantitate unciarum sex, aut parum minori, quæ in vase calefactorio immittitur, facit, quin parva dicatur, siquidem certum est, aquam, quamvis cum Chocolatæ pulvere decoctam, non egredi veræ potabilitatis qualitatem, & naturam: quia aqua, quæ miscetur, non auget ibi substantiam in ordine ad nutritionem, cùm non afferat secum aliquid nutritionis, sed tantùm sit medium solvendi concretam massam. Verùm si sæpiùs in die sumatur, jejunium violatur; & ideò plura non sumantur pocula, sed unicum, & non excedatur uncia, ut verè parvitas materiæ habeatur.

19. Quæritur, *an, qui vovit omnibus sextis feriis jejunare, & à carnibus abstinere, teneatur etiam in die Nativitatis Domini?*

Resp. Affirmativè, nisi ipsum diem excluserit text. in cap. *explicari de observat. jejunii*, ubi: *respondemus, quod illi, qui nec voto, nec regulari observantia sunt adstricti, in sexta feria, si festum Nativitatis Dominica die ipso venire contigerit, carnibus propter festi excellentiam vesci possunt, secundùm consuetudinem Ecclesiæ generalis*; ergo, qui voto, vel regulari observantia sunt adstricti, non possunt in sexta feria, quando in ea Nativitas venerit, carnes manducare, sed ad abstinentiam ab eis, & jejunii observantiam tenentur. Sic FF Minores, qui ex regula, & voto tenentur jejunare omnibus sextis feriis juxta text. *in cap. exiit de verb. signif. in* 6. §. *in primis*, & *Clement. eod. tit.* debent, etiam in Nativitate Domini, quamvis in sexta feria contingat; ratio est, quia, cum jejunium in sexta feria generaliter non sit in præcepto, sequitur voventes absolutè in sexta feria jejunare, voluisse se privare libertate ad bis se reficiendum, etiam in die Nativitatis Domini, cum, quoad jejunium, non sit differentia inter illam diem, & alias ferias sextas; quemadmodum, qui vovit generaliter numquam vesci carnibus, censetur voluisse se privare libertate illas comedendi, et-

iam in diebus aliàs permissis. Nota, quòd frangens jejunium, ad quod tenetur ex voto, & præcepto Ecclesiæ, duplex peccatum committit, contra religionem, & contra abstinentiam.

20. Quæritur, *an vovens integro mense jejunare, teneatur secundum partem, si non possit toto mense?*

Resp. Affirmativè, ratio est, quia impotentia, quæ excusat à toto, dum aliquam partem relinquit adimplebilem, per DD. ab hujus impedimento non excusat: sic vovens dare mille in Eleemosynam pauperibus, si nisi centum possit, hæc dare tenetur.

21. Quæritur, *an dubius, quod emiserit votum jejunandi, V. G. ter in mense, teneatur jejunare?*

Resp. Aliqui negant; quia, cum tunc possessio stet pro libertate, & non pro voto, votum non tenet. Sed nos affirmamus cum Fagnan. *in 1. ad cap. Ne innitaris de const. n.* 211. cum quo ita discurrimus: ponamus reverà eum emisisse votum, sed postea non bene recordari, & dubitare, an illud emiserit: si homo dicat: *ego prorsus sum dubius, an votum emiserim, & in hoc dubio nolo me spoliare possessione meæ libertatis, cùm nulla lex me constrinxerit ad vovendum:* è contra Deus dicit: *si tu es dubius, ego certus sum te vovisse, & ideò nulla est possessio ex parte tua:* sequere ergo in tuo dubio partem tutiorem, & redde Altissimo vota tua; quod, si adhuc homo instet, & dicat: *fortè ego non vovi, & Deus scit, me non vovisse, & ideò volo perseverare in possessione meæ libertatis:* contra est: quia fortè *tu vovisti, & Deus scit te vovisse, & sic incerta est tua possessio,* si vovisti, possessio non stat pro tua libertate: tu dubius es, quid egeris, & incertus, ita ne sit, vel non; quomodo ergo potes perseverare in possessione, si dubitas te possidere? nonne es possessor malæ fidei? possessionem amittit, qui suspicatur se posse repelli, *l. si id quod in princ. & §. final. ff. de acquirend. poss. & l. 1. §. si autem. ff. de vi, & vi armata:* ideò, si tu facis actum, de quo dubitas, num sit contra votum, utique exponis te periculo mortalis peccati, & ideò mortaliter peccas; nec tibi suffragari potest prætensa possessio libertatis tuæ, cum incerta sit, & dubium non tollat; ideò, ne peccet sic dubitans, jejunet, quia possessio stat semper pro obligatione jejunii.

22. Quomodo *se gerere debeat Confessarius cum pœnitente, qui se accusat jejunium fregisse?*

Resp. Interroget, quoties violaverit, an cibis vetitis, carne, vel ovis, &c. & quoties in die istos comederit? an obstrictus ad jejunandum fuerit, etiam ex voto? an cum aliorum scandalo? an alios ad jejunium violandum induxerit, & quot, & quoties? & an crediderit jejunium non potuisse ab Ecclesia præcipi; & in isto casu esset hæreticus ab ordinario Confessario non absolvendus juxta dicta *cap. 3. nu. 7.* an docuerit frangentem jejunium Ecclesiæ non peccare mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, quia non vult se subjicere præcepto, quod Alex. sub censura reservata prohibuit asserere.

23. Quæritur, *an dispensatus in esu carnium, peccet comedens carnes nocivas?*

Resp. Affirmativè: & contra præceptum naturale, in quo gravitas metienda est ex damno, quod infert propriæ saluti; & con-

& contra præceptum Ecclesiæ. Pondera decretum ab Eminentiss. Urb. Vicario, de mandato SS.D.N. Clement. XI. publicatum die 24 Febr. 1702. ut infra.

*Animadvertant, & Medici, & qui petunt licentiam, ut attendant qualitati carnium, quòd, nempè, sint salubres*; quia hæ solùm permittuntur in quadragesima, *his, qui ex justa causa nequeunt vesci cibis quadragesimalibus*; *quod si necessitati potest subveniri per ova, & lacticinia, nec Medici debent permittere, nec fideles adhibere carnes, etiam salubres.*

*Qui toto anni tempore abstinent à carne, diebus Veneris, & Sabbathi, quatuor temporibus, necnon Vigiliis de præcepto, multò magis si prædicti dies incidant in quadragesima debent abstinere à carne, excepto, si nova superveniens causa aliud exigat.*

*Cumque super hoc nequeat stabiliri regula fixa, & determinata, debet quisque primò considerare suam necessitatem, suasque, indispositiones, ita ut non sint affectatæ, eum reddituri sint rationem Deo, coram quo nihil valebunt licentiæ ex causis, vel suppositis, vel fictis.* Per quæ resolvuntur innumeri casus, à Casuistis examinati.

## CAPUT XVII.

*Prop. XXIV. ab Alex. VII. &c. Distinctio numerica, & specifica peccatorum.*

1. PROP. 24. *Mollities, Sodomia, & Bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ, ideòque sufficit dicere in Confessione se procurasse pollutionem.*

Nil Confessario magis necessarium, quàm naturam peccati, peccatorum numericam, & specificam distinctionem agnoscere, ut lepram à lepra discernens, suo valeat muneri satisfacere: ideò occasione prætactæ propositionis, tangentis differentiam peccatorum specificam, eum super præfatis breviter instruendum, sequentibus duxi.

2. Quæritur, *quid sit peccatum?*

Resp. Ex D. Augustino contra Faustum: *est factum, vel dictum, vel concupitum contra legem æternam*; &, ex D. Ambrosio, est *prævaricatio legis divinæ, & cœlestium inobedientia præceptorum.*

3. Ex peccatis aliud est *originale*, *aliud personale*; originale *est privatio justitiæ originalis debitæ*, quæ accepta fuit in primo Parente, & ab ipso amissa: personale verò, *est actus cum advertentia elicitus à propria persona, contra dictamen practicum conscientiæ dictantis hìc, & nunc aliquod esse, vel non esse faciendum.*

Item aliud est *actuale*, *aliud habituale*: actuale *est actus malus, de præsenti existens*: habituale *est peccatum præteritum, nondum retractatum, nec remissum per pœnitentiam.*

Item aliud est *commissionis*, *aliud omissionis*: illud est contra præceptum negativum, quo Deus prohibet, ne fiat aliquid: Deus præcipit non furari, furaris, peccas peccato commissionis; aliud est contra præceptum affirmativum: Deus præcipit, ut Missam audias, non audis, reus es peccati omissionis.

Item aliud est *cogitationis*, *seu cordis*:

*aliud verbi, seu oris & aliud operis:* per peccatum *cogitationis*, intelligitur peccatum commissum cogitatione, vel actu aliquo intellectus à voluntate imperato, ut hæresi, prava cogitatione, &c. vel actu aliquo voluntatis, odii, vel propositi legem transgrediendi, &c. per peccatum *verbi* intelligitur illud, quod verbo committitur: ut blasphemia, mendacium, perjurium, detractio, &c. per illud vero *operis* id, quod committitur opere, ut furtum, homicidium, fornicatio, &c.

Deinde, cæteris omissis, celebris divisio peccati est in *veniale, & mortale:* per *mortale* intelligitur id, quod, ob sui gravitatem, privat hominem gratia sanctificante, jure ad vitam æternam, & eum facit pœna æterna dignum; per *veniale* verò, quod non facit hoc.

4. Sed quæritur, *unde cognoscendum aliquod peccatum esse de natura sua mortale?*

Resp. Ex eo, quod opponatur Charitati, vel mediis necessariis ad conservandam Charitatem: sic furtum, homicidium, &c. sunt de sua natura mortalia, quia fures, & homicidæ non possunt habere Charitatem cum proximo; nam Charitas vult proximo bonum, illi autem malum in bonis fortunæ, & vitæ: quæ etiam ex objecto mortalia dicuntur. Et ex his habes, quæ sint ex genere suo venialia.

5. Quæritur, *an peccatum veniale, sit contra præceptum?*

Resp. Affirmativè, sed in re levi: nam datur obligatio non peccandi, etiam venialiter. Furtum unius oboli est contra præceptum, *non furtum facies*: & mendacium jocosum contra præceptum de non mentiendo; sed per se non sunt nisi venialia: quia nec ipsis Deus graviter offenditur, nec proximo gravis injuria, vel notabile damnum infertur; ratione cujus per accidens possunt esse mortalia.

6. Quæritur, *an mortale, & veniale distinguantur specie?*

Resp. Affirmativè, ratio est, quia mortale ex natura suæ malitiæ, & gravitatis est inductivum pœnæ æternæ, non sic veniale. Quod est signum malitiæ, distinctæ speciei. Item mortale, non modò est contra legem, sed etiam contra finem legis, nempè Charitatem, quam destruit cum Deo, & proximo, non sic veniale.

7. Quæritur, *an peccatum ex genere suo veniale, hoc est, cujus malitia sumpta ex objecto est natura sua adeò levis, ut charitati non repugnet, nec ipsam tollat, possit fieri mortale?*

Resp. Per se non potest, benè verò per accidens. Quod potest diversimode contingere. I. Ex præparatione animi, & intentione; ut, si committens veniale, paratus sit potiùs mortaliter Deum offendere, quàm ab illo cessare, ut si quis die festo vult potiùs omittere Missam, quàm cessare à fabulatione otiosa.

II. Ratione finis, ut, si verbum otiosum dicatur fœminæ, ut inducatur ad committendum adulterium.

III. Ratione conscientiæ erroneæ: ut, si proferens mendacium jocosum, (quod ex genere suo est veniale) judicet peccare mortaliter.

IV. Ratione scandali: ut, cum quis factum aliquod operatur, vel dictum minus

minus rectum profert, quod sit tantùm veniale, præbens proximo occasionem ruinæ spiritualis.

V. Ratione contemptus formalis Dei, & Superioris: ut, si proferens mendacium officiosum, intendat se nihil facere Dei præceptum, & nolle se Deo præcipienti etiam levia subjici: Nam contemnitur formaliter tota Dei authoritas.

VI. Ratione periculi juxta dicenda.

VII. Ratione damni, ut est furari obolum egenti ad sustentationem. Nam peccatum est, cum vel non *est charitas*, quæ *esse debet*, Augustinus *lib. de perfect. just. hominis cap. 6.*

8. Datur triplex venialium genus. Unum dicitur veniale ex objecto, vel genere suo; in quo malitia ex objecto non est ita gravis, ut repugnet charitati, vel aliis virtutibus necessariis ad conservandam charitatem cum Deo, & proximo, quamvis cum plena advertentia ad malitiam objecti, & expedito interiorum sensuum usu committatur; ut est mendacium jocosum, officiosum &c.

Aliud est veniale ex parvitate materiæ, ut furtum unius quadrantis. Licet enim furtum sit materia per se sufficiens ad mortale, tamen parvitas materiæ hic excusat.

Aliud autem est veniale ex imperfecta deliberatione, & non plena advertentia de malitia objecti, vel de existentia legis, & præcepti. Quod dici solet veniale ex subreptione, & in quavis materia potest contingere.

Ad vitanda collectivè omnia hujus certi generis venialia, necessaria est specialissima Dei gratia, ut definitur à Trid. *sess. 6. de justif. cap. 25.* Quando cætera vitari possunt cum auxiliis ordinariis gratiæ, ut communiter Theologi in *tract. de auxiliis.* Vid. *lib. 1. cap. 37. n. 17.*

9. Quæritur, *an peccatum ex genere suo mortale, hoc est, cujus malitia ex objecto desumpta, est ita gravis, ut opponatur charitati, vel virtutibus necessariis ad retinendam charitatem cum Deo, & proximo, possit fieri veniale?*

Resp. Affirmativè, ex duplici capite. Primò, ex parvitate materiæ. Secundò, ex non plena advertentia ad actionem, quam quis facit, vel ad legem, seu præceptum.

Quod ut intelligas. Pondera in voluntate triplicem posse reperiri actum, seu motum in objectum. Quorum alius est *primo primus*, qui subitò exurgit, sed sine advertentia ad malitiam: estque peccaminosus, si post advertentiam, quòd sit contra legem, & rationem, non reprimatur, vel quis non curet cum Dei auxilio reprimere ipsum.

Alius *secundo-primus*, qui à voluntate procedit, sed non cum plena, & perfecta advertentia ad id, quod agit, vel ad actionis malitiam, aut peccandi periculum: advertit voluntas, sed non nisi semiplene, & imperfectè, adeòque cum consensu solum semiplene deliberato operatur. Hæc advertentia, & consensus exemplificatur in semidormientibus, semiebriis, ac in sobriis, & vigilantibus, sed animum passione iræ, & timori perturbatum, vel alienis cogitationibus implicatum, habentibus; in istis actio, aliàs peccaminosa mortaliter, redditur veniale peccatum ex non plena advertentia.

Alius

Alius denique *procedens à voluntate, ſequens plenam, & actualem advertentiam ad malitiam*, & quòd ſit contra legem, adeòque cum plena libertate ad peccandum mortaliter, qui propterea ſemper eſt mortalis.

10. Quæritur, *an omnia peccata ex ſuo genere mortalia, poſſint ob parvitatem materiæ effici venialia?*

Reſp. Negativè.

11. Sed dubitatur, *quomodo poterit Confeſſarius cognoſcere, quænam hæc ſint?*

Reſp. Toties agnoſcet in tranſgreſſione præcepti non dari parvitatem materiæ, ſed culpam eſſe mortalem, etiam in materia, quantumvis parva, quoties ponderabit, integram rationem, & veluti totam quantitatem deformitatis, & gravitatem offenſæ contra legem, & rectam rationem, in materia parva, æque, ac in magna reperiri; ratio eſt, quia malitia peccati mortalis conſiſtit in deformitate, & gravitate offenſæ, ergo, ſi hæc invenitur in aliqua materia, etiam levi, ſemper erit mortalis.

Itaque parvitas materiæ non datur in peccatis contra Virtutes Theologicas, V.G. in *hæreſi, deſperatione, & præſumptione, odio Dei, contemptu ejuſdem, blaſphemia, &c.* ratio eſt, quia per hujuſmodi peccata ſemper Deo tribuitur, vel defectus perfectionum, quæ ſunt motivum formale talium Virtutum; vel aliqua contemptibilitas, ſic ut, etiam in quacumque parvitate, gravis appareat contra rectam rationem deformitas. Quidquid enim in Deo oderis, infinitam ejus Bonitatem odio habes: quamcumque ab eo revelatam propoſitionem neges, infinitam ejus negas Veracitatem: cum Deum contemnis, vel blaſphemas, eidem aliquam contemptibilitatem, & vituperabilitatem tribuis: dum deſperas, Dei Bonitatem, & Potentiam offendis: & præſumens, non debito modo appretias æternam beatitudinem, ſed ipſam vilipendis, dum eam æqualem & proportionatam operibus naturalibus facis, vel media contemnis, propter quæ Deus eam conferre decrevit; quod de ſe malum apparet.

Non datur in *juramento aſſertorio*, in quo, non ſine gravi irreverentia, etiam ad rem minimam confirmandam, falſus teſtis Deus adducitur, per dicenda *l. 2. cap. 16. In magia, & ſuperſtitione*, quæ eſt cum pacto expreſſo cum Dæmone, & abuſu Sacramentorum, vel Sacramentalium; nam ſemper malum eſt paciſci cum hoſte Dei, & hominum, & rebus ſacris ad malum finem abuti. In *ſimonia*, in qua datur pretium temporale pro reſpirituali, quia ſemper gravis irreverentia eſt, quamcumque rem ſpiritualem æqualem exiſtimare temporali pretio, quamvis modico, & ipſam in pactum deducere: ſemper enim res ſpiritualis vilipenditur: de quo *lib. 2. cap. 26. In ſollicitatione ad turpia: & fractione ſigilli Sacramentalis: In iteratione Sacramentorum, & eſſentialibus requiſitis ad Sacramenta*; quia id ſine maxima irreverentia contra dignitatem ipſorum non efficitur. In jejunio *naturali*, præneceſſario ad Euchariſtiam ſuſcipiendam; in cujus violatione, propter Sacramenti dignitatem, ſemper integra malitia reperitur, ſivè multum, ſive parum cibi, & potus ſumatur, nam Cœleſti, & Spirituali Cibo terreſtris præponitur, quod maximè indecens

decens consideratur Cap. *liquido de consecrat. dist. 2. In rebus venereis,* deliberatè quæsitis, ex dicendis *lib. 2. cap. 28. In anno novitiatus*; *In ætate requisita ad Ordines, & similibus.*

12. Quæritur, *undenam colligatur peccatorum numerica distinctio?*

Resp. Non à diversitate numerica præceptorum præcisè, cum idem sub eadem formali ratione præcipiant, ut contingit in præceptis jejunii, incidentis in eundem diem quatuor temporum, & quadragesimæ: & in præceptis prohibentibus furtum, quod tribus præceptis prohibetur, naturali, divino, & humano; sed, vel à multiplicatione numerica actuum voluntatis moraliter interruptorum, vel ab objectorum numerica pluralitate, circa quæ tendunt. Nam, sicut ex diversitate objecti formalis sumitur distinctio specifica, ita ex diversitate objecti materialis distinctio materialis, & numerica peccatorum. Campion. *par. 1. cap. 34.*

Hinc toties numero multiplicantur peccata cordis, oris, vel operis respectivè, quoties multiplicantur cogitationes, aut desideria peccaminosa, aut blasphemiæ, aut furta: aut quoties plura numero sunt objecta, in quæ, licèt unus, & idem physicè actus, multiplex tamen moraliter tendit; ex qua doctrina plura resolves.

13. Quæritur, *quando censeatur actus, vel opus moraliter interruptum?*

Resp. Hoc relinquitur judicio prudentis viri: præsumitur autem, quando propositum cessavit, & posteà de novo reassumitur: vel, cum quis retractavit priorem cogitationem, & desiderium, dolendo de illis, & posteà ad idem revertitur: qui animo furandi domo egreditur, & in via propositum furandi retinet, unum peccatum committit, licèt gravius, ratione extentionis ad tantum tempus; cum verò alio negotio distrahitur, vel somno opprimitur, si post somnum, & negotium prioris propositi memor, illud approbat, seu renovat, novum numero peccatum committit; & moraliter ea proposita interrupta cementur.

14. Quæritur, *quomodo in praxi se gerere debeat Confessarius cum pœnitente sic se accusante*; unico ictu plures occidi: unico actu volui plures interficere, vel ad plures solutas accedere: furatus sum decem: existens in mortali celebravi, & Sacramentum pœnitentiæ ministravi?

Resp. Ipsum urgeat, ut numerum aperiat: an eo ictu decem occiderit: an proposuerit decem occidere, & ad decem, vel decies ad unam accedere, & unum interficere; an illa decem unica, vel duabus vicibus sit furatus, & an uni solum damnum intulerit, an vero duobus; quot Missas in mortali celebraverit; & quot Sacramentaliter absolverit, & similia. Cum vero numero aperire non potest, debet temporis moram exprimere juxta dicta *cap. 10. num. 18.*

15. Quæritur, *quanam peccata specie distinguantur?*

Resp. Illa, quæ vel diversis virtutibus adversantur, ut furtum, blasphemia, &c.

quorum primum est contra Justitiam, & secundum contra Religionem; vel quæ eidem virtuti, sed diversa ratione indecentiæ, & turpitudinis opponuntur, ut perjurium, & violatio voti, quorum utrumque est contra Religionem, & tamen non est dubium specie differre; cum diversa turpitudo appareat, in perjurio, ac in violatione voti: vel, quæ diversis perfectionibus ejusdem virtutis opponuntur; sic liberalitati, quæ inclinat ad non dandum ultra id, quod honestum est, per excessum opponitur prodigalitas, quæ dat plus quam oportet, & per defectum avaritia, quæ plus retinet quam deceat, quando liberalitas inclinat ad non retinendum ultra, quàm decens sit.

16. Sed quæritur, *an diversitas specifica objecta materialis sufficiat ad distinctionem specificam peccatorum?*

Resp. Negativè, loquendo de diversitate specifica objectorum in sensu philosophico, & naturali; aliàs furtum ovis esset diversæ speciei à furto panni; quod tamquam falsum communiter recipitur, ex eo, quòd in æstimatione morali specialem malitiam non involvat unum præ alio; verùm, cum præter diversitatem physicam objecti diversa appareat indecentia, & turpitudo ex objecto etiam, sumitur diversitas specifica peccatorum; sic ablatio vitæ est distinctæ speciei peccatum ab ablatione honoris, & pecuniæ; licèt eidem virtuti justitiæ opponantur; & non nisi, quia in eis diversa indecentia moralis reperitur; nam gravius certè est homicidium furto, quia majus est bonum vitæ, quam bona externa; & majus detrimentum ex homicidio recipitur, quam ex furto.

17. Quæritur, *an ex diversitate præceptorum colligi possit specifica diversitas peccatorum?*

Resp. Affirmativè, modò præcepta illa sint non solum materialiter, sed etiam formaliter diversa: Materialiter diversa censentur, quando eadem res diversis præceptis præcipitur, seu prohibetur, sed sub eodem motivo, & fine ejusdem virtutis: sicut præcepto naturali, divino, & humano, tamquam injustum, prohibetur furtum; tum verò formaliter diversa reputantur, quando idem præcipiunt, seu prohibent, sed sub diverso motivo; sic, qui Sacerdotem occidit, duplex peccatum specie distinctum committit, quia agit contra plura præcepta, ex diverso motivo impositâ, nempe ex motivo justitiæ, de non inferendo damnum proximo, & motivo Religionis, de reverentia exhibenda Sacerdotibus.

18. Quæritur, *quænam sint virtutes, quibus diversæ species peccata opponuntur?*

Resp. Sunt tres Theologicæ, Fides, Spes, & Charitas, quatuor morales, Justitia, Fortitudo, Temperantia, & Prudentia; Cardinales nuncupatæ, quia in iis tamquam in cardinibus, universa boni operis structura nititur. Virtus Theologica, à morali distinguitur, quia Theologica habet pro suo objecto immediato, & terminativo *quod* ipsum Deum; sic Fides attingit Deum, ut est summè Verax; Spes ipsum ut bonus est, & misericors, à quo expectatur beatitudo: & Charitas ipsum, ut summè bonum in se est, & infinitè propter se diligibilis; virtus verò moralis, non sic Deum respicit, licet postea ad Deum conducat, sed inclinat proxi-

proximè potentiam ad actus bonos moraliter, conformes, nimirum legi, & rectæ rationi, & propterea dignos pœna, vel præmio.

19 Quæritur, *quænam sint peccata Fidei Theologicæ opposita?*

Resp. Sequentia. Hæresis, Apostasia, blasphemia hæreticalis, omissio actus fidei, & lectura librorum prohibitorum, hæresim continentium, vel de Religione tractantium: *vid sup. cap. 3. & lib. 2. capit. 4.*

20. Quæritur, *quænam sint peccata opposita Spei Theologicæ?*

Resp. Duo, præsumptio & desperatio, de quibus supra *cap. 1. num. 19. & 20.*

21. Quæritur, *quænam sint peccata opposita Charitati Theologicæ.*

Resp. Plura, *Odium, Acedia, Invidia, Discordia, Contentio, Rixa, Seditio, Schisma, Scandalum, & Bellum:* vid. *lib. 2. cap. 8. & cap. 28.*

## §. I.

## *Odium.*

22. QUæritur, *Quid sit odium?*

Resp. *Est actus, quo volumus alicui malum, qua malum ipsius est, quod ex charitate tenemur non velle ipsi.* Solet hoc evenire, vel per tristitiam de bono, quod actu obtinet, vel per gaudium, & delectationem de malo, quod habet; vel per desiderium, quod illi adveniat malum, quod non habet, & privetur bono, quod habet. Tristor, quòd Petrus sit dives, non quia divitiis abutitur, quia tunc tristitia esset de malo usu) gaudeo de ipsius occisione: desidero jacturam illius famæ, vel facultatum, aut non esse, vel esse sub ærumnis; aut hæc ipsi adveniant, cooperor; odio habeo Petrum. Sicut per oppositum, ipsum amo, cùm volo ei bonum sive, quod habet, gaudendo, quod illud habeat, & cooperando, si opus est, ut conservetur semper; sive, quod non habet, optando illud ipsi.

23. Quæritur, *An Deus possit odio haberi?*

Resp. Affirmativè à creatura depravatæ voluntatis. Habetur ex Scriptura pluribus in locis: *Joan. 15. Oderunt me, & Patrem:* Psal. 138. *Nonne omnes, qui te oderunt, Domine, oderam.* Quæ sint satis. Peccatoribus displicet, quòd Deus pœnas peccatis infligat, & ea prohibeat; sub qua ratione eum apprehendunt sibi disconvenientem, & sub ea odio habent, ac optant eum non esse, licèt revera non sit malum, quod castiget, nec quod possit castigare, tamen secundum affectionem commodi est malum castigare. Cæterum propter se præcisè odio non potest haberi quia in ejus natura nihil, nisi infinitè amabile reperitur. Poncius *Theol. disp. 33. num. 1.*

24. Quæritur. *Quænam sit differentia inter odium inimicitia, & illud abominationis?*

Resp. 1. Est, quia odium inimicitiæ est odium personæ, quæ nobis displicet, & cui propterea volumus malum, ut malum illius est. Illud verò abominationis, est aversio quædam à persona propter qualitatem, vel defectum in ipsa existentem, ex qua aversione sequitur, ut nec placeat ejus conversatio, nec præsentia. Quia discipulo displicet, & nollet disci-

plinam, ac correctionem Magistri, à Magistro fugit, ejusdemque præsentia sibi grata non est. His videas, quod odio habetur potius correctio, quam persona. Et ideò odium abominationis solet dici, etiam odium qualitatis. Sed cavendum est, ne crescat in odium personæ.

Secunda est, quia odium abominationis erga homines, non semper est peccatum, & potest compati cum charitatis amore; nam ipsos peccatores, quos, ut tales detestamur, & quorum præsentia nobis displicet, possumus amore charitatis amare, desiderando ipsis bona gratiæ, & gloriæ. De isto odio Psalm. 138. dicitur, *nonne, qui te oderunt, Domine, oderam: & infra: perfecto odio oderam illos*, ubi August. *quid est perfecto odio? Oderam in eis iniquitates eorum. Hoc est perfecto odio odisse, ut, nec propter vitia homines oderis, nec vitia propter homines diligas*, & infra: *quomodo ergo in eis implebit, & quod ipse dixit, nonne eos, qui oderunt te, odio habui? Et quod Dominus præcepit, diligite inimicos vestros? Quomodo implebit hoc, nisi illo perfecto odio; ut hoc in eis oderit, quod iniqui sunt, hoc diligat, quod homines sunt?*

Dixi *erga homines*, quia, erga Deum, est per se, & intrinsece malum, ac mortale, cum in Deum nulla possit cadere imperfectio, ob quam abominatione, vel odio dignus sit.

Illud verò inimicitiæ, seu personæ, sivè in Deum, sivè in proximum est per se, & intrinsece malum, & ex genere suo mortale; & est omnium maximum, quia opponitur virtuti Charitatis, de qua maximum mandatum habemus, juxta illud. Matth. 22. *Diliges Dominum Deum tuum, &c. hoc est maximum, & primum mandatum.*

Odium in Deum, nisi excuset inadvertentia, semper est mortale; nec parvitas materiæ excusat ex dictis *lib.2.c.5. num.12.* Illud verò in proximum semper est mortale, si sit cum plena advertentia, & non excuset parvitas mali optati. Vid. *loc. cit. cap.8. num.19.*

## §. II.

### *Acedia, & Invidia.*

DE acedia satis dictum est, *lib.2. cap. 28 nu.42.* Est ex genere suo mortale, quia est contra charitatem, quæ adactus suos obligat sub mortali.

25. Quæritur, *Quid sit invidia?*

Resp. *Est dolor, seu tristitia de bono proximi, quod est, vel apprehenditur diminutivum propriæ excellentiæ: vel, est gaudium de malo alterius, in quantum per illud augetur propria excellentia, & illa proximi diminuitur.* Quapropter, ut dolor, & tristitia de bono alterius sit invidia, exigitur, quod concipiatur ex hoc motivo, quia nimirum est, vel apprehenditur, ut diminutiva propriæ excellentiæ: V. G. Mallem Petrum carere Prælatura, ne ego subeam imminutionem meæ excellentiæ. Sic, ut gaudium de alterius malo spectet ad invidiam, necesse est, ut concipiatur, tanquam augmentum propriæ extimationis, vel quia ex eo proximus non pluris extimatur, quàm ego.

Est ex genere suo mortale, quia opponitur charitati, qua teneor non habere aut

aut tristitiam de bono, aut gaudium de malo proximi. Inadvertentia autem, vel levitas mali potest à mortali excusare: vid. *loc. cit. cap. 8. num. 21.*

## §. III.

### *Discordia, Contentio, Rixa, & Seditio.*

26. QUæritur. *Quid sit discordia?* Resp. *Est contrarietas voluntatum, destruens concordiam, & pacem.* Est peccatum charitati oppositum, atque ex genere suo mortale, quando sub mortali tenemur concordare: dum nimirùm prævidemus sequi malum, quod ex charitate deberemus impedire. Discordat Filius à Patre in œconomia domus, prævidens ex eo sequi damnum grave familiæ: discordat miles à Duce, imperante in tali loco stationem, ex quo oritur, ut hostis prævaleat: discordat Pœnitens à Confessario, instruentem ipsum de errore suæ opinionis, ex quo nascitur, quod occasionem peccandi non deserat, vel restitutionem non faciat: peccant omnes peccato discordiæ; & si formaliter intendant deobedire, & ab eis discordent, etiam peccatum inobedientiæ committunt. Ab istis potes ad alia descendere.

Discordia, quæ ex genere suo est mortale; ex ignorantia, inadvertentia, vel ex parvitate materiæ potest fieri venialis.

27. Quæritur. *Quid sit contentio?*

Resp. *Est verbalis altercatio, qua quis impugnat veritatem cognitam; vel defendit veritatem modis indebitis, quando ex charitate id non deberet:* est peccatum appositum charitati, & propterea ex genere suo mortale.

28. Quæritur, *Hæreticus impugnat veritates fidei, petitur, an peccet peccato contentionis?*

Resp. Affirmativè, sed ulterius, peccat etiam contra fidem; sicut impugnans famam proximi, & ipsam lædens, delinquit, etiam contra justitiam, etiam si vera forent, quæ spargit (modò essent occulta) quia occultus peccator jus habet ad propriam famam. Quòd si forent publica, tunc verum affirmaret, sed modo per charitatem sibi interdicto, quæ non delectatur, nec gaudet de malo proximi, & tunc peccatum esset in sola specie contentionis.

29. Quæritur. *Quid sit Rixa?*

Resp. *Est pugna inter aliquos factis nocivis ex ira, & absque debita auctoritate inita.* Si sit sine condicto, est propriè rixa. Si ex condicto, cum designatione temporis, armorum, & loci, dicitur duellum, de quo supra *cap. 2.*

Est peccatum ex genere suo mortale. Nam opponitur charitati; destruit enim pacem, quæ animos unit inter se. Et semper reperitur conjuncta cum injustitia; quia, vel offenditur proximus in bonis corporis, vel periculo exponitur offendendi. Inadvertentia tamen, & leve nocumentum potest excusare à mortali.

30. Quæritur. *Quænam debeat esse praxis Confessarii cum pœnitente, se accusante rixa deliquisse?*

Resp. Quia rixa regulariter oritur ex prævia contentione verborum: exquirat 1. verba, & injurias illatas in famam. 2. Blasphemias. 3. Damnum illatum in

corpore, vel, quod poterat inferri. 4. Numerum personarum, quas læsit. 5. Qualitatem personæ, an fuerint Clerici, vel parentes, aut Superiores. 6. An ipse fuerit aliis auctor rixæ? Quia tunc non modo est cooperator, sed causa omnium peccatorum, à cæteris commissorum.

31. Quæritur. *Quid sit seditio?*

Resp. *Est discordia inter membra Reipublicæ, violans inter ea pacem*; & contingit, dum una pars insurgit in aliam, sive actu pugnet, sive ad pugnam se præparet. Infert, etiam peccatum contra justitiam damnificando partem; & contra justitiam legalem, tendens ad destruendas justas leges latas pro tranquillitate Reipublicæ.

## §. IV.

### *Schisma.*

32. DE Schismate diximus, *cap. 3. n. 24.* Hic aliud resolvendum non remanet, quàm notare, quòd schisma est ex genere suo peccatum mortale; & potest fieri veniale solùm ex defectu plenæ deliberationis, non verò ex parvitate materiæ; quoniam separatio, & divisio ab unitate Ecclesiæ, & ejus capite, Romano Pontifice (in qua formaliter schisma consistit) non potest esse materia levis. Nam materia levis esse nequit, sed est mortale ab eo recedere, quod est omninò necessarium ad salutem; sed per schisma ab eo receditur: Nullus enim potest salutem consequi extra Ecclesiæ communionem, & unitatem: Utrumque enim est articulus Fidei; & patet ex illo Symboli Constantinopolitani: *& unam Sanctam Ecclesiam:* & ex alio Apostolorum. *Sanctorum communionem.* De qua re videatur De-magistris *Sylva Ecclesiast. to. 2 lib. 2. tit. 3. cap. 3.*

## §. V.

### *Scandalum.*

33. QUæritur. *Quid sit Scandalum?* Resp. *Est dictum*, vel *factum minus rectum*, hoc est, *malum præbens proximo occasionem ruinæ spiritualis. Per factum*, intelligitur, etiam omissio actionis præceptæ. Est scandalum ex suo genere mortale, & oppositum charitati; quia ex charitate tenemur, non facere malum proximo, & velle bonum ipsius: scandalum autem ad ruinam spiritualem adducit. Est semper mortale, si inducat ad peccandum mortaliter. Veniale verò, vel ex imperfecta deliberatione, vel, si est peccati venialis occasio.

Dicitur *occasio*, & non causa, quia, qui est causa, cur alius peccet, non peccat solùm contra charitatem, verùm etiam contra virtutem, ad quam violandam inducit, ut contra castitatem, justitiam, &c. Ex quo sequitur, quòd, qui imperio, suasione, vel consilio est causa inducens ad furandum, peccat etiam contra justitiam, & tenetur restituere, quia est causa moralis furti; qui verò solùm suo malo exemplo inducit hominem ad furandum, non lædit justitiam, nec tenetur restituere, & peccat solùm contra charitatem.

Propterea Confessarius diligenter inquirat à pœnitente, an suo malo exemplo fuerit

fuerit occasio, ut proximus furaretur, an verò etiam causa; quia in secundo casu debet ad restitutionem obligare, non verò in primo: Verùm in peccato scandali debet etiam inquirere ultimam speciem peccati, ad quam suo malo exemplo alium induxit; ut, si induxit ad violandam castitatem, & in qua specie? An cum virgine, nupta, vel Deo sacra, &c. ut ita cognoscat speciem peccati. Debet pariter exquirere numerum personarum, quibus, etiam unico peccato, datum est scandalum; nam tunc plura distincta peccata committuntur. Majol. in *Decalog.to. 1.q.3.de præcept.charit. artic. ultim.* §. 1.

34. Quæritur, *Quotuplex est scandalum?*

Resp. Multiplex. Activum, & est actio illa, seù actionis omissio, quæ est occasio inducens alium ad peccandum per quam quis dicitur scandalizare.

Passivum: & est ruina spiritualis orta ex dicto, vel facto alterius. Aliud autem est *datum*, aliud *acceptum*. Primum est peccatum, quod fit, ex vero malo exemplo, data occasione peccandi. Secundum est, cùm quis ex sua malitia scandalizatur, vel occasionem sumit judicandi malè de alio, & aliquo modo peccandi, ex veris etiam virtutum actibus, etiam postquam sibi sufficienter innotescit virtuosè exerceri. Hoc ex activo non oritur. Et dicitur *acceptum*, sed non datum, soletque Pharisaicum appellari; quia Pharisei ex odio, & invidia in Christum, occasione gestorum ab ipso, scandalizabantur, & murmurabant, eique detrahebant, ut loquitur Matth. 15.

Præter scandalum passivum ex malitia, datur etiam scandalum ex ignorantia; & est, cùm quis ex ignorantia bonitatis actionis, vel circumstantiæ reddentis actionem licitam, sumit occasionem cogitandi actionem esse malam, & peccandi; quod nominari solet scandalum pusillorum; quia cùm pusilli simplices sint, minus docti, & in virtute infirmi, solent occasionem peccandi sumere ex dicto, vel facto indifferenti, vel æquivoco ad bonum, & malum.

35. Quæritur, *Quando scandalum pusillorum sit mortale in ponente actionem, propter quam pusillis occasionem sumunt peccandi?*

Resp. Quoties dictum, vel factum, quamvis ex se bonum, æquivocum tamen ad bonum, aut malum, in talibus circumstantiis, vel à tali persona exercetur, ut pusilli, simplices, & infirmi ex eo ruinam spiritualem possint incurrere, nisi instruantur de veritate. Totum hoc habetur *ex Paulo 1. ad Corinth. 8.* Ubi quosdam doctiores Corinthios alloquitur. Sciebant isti Idolothytha, seù cibos Diis immolatos, non esse ab aliis cibis differentes, nec eis aliquid sacri, aut religionis ex eorum immolatione accidere, & propterea liberè eos comedebant. Sed quia inde oriebatur occasio scandali in fidelibus simplicibus, & infirmis, maximè de Gentibus conversis, putantibus eos comedere ad modum Gentilium, hoc est, in venerationem Idoli; eorum exemplo inducebantur ad eos sic comedendum, consequenter ad graviter peccandum; ideò præfatos doctos instruit, his verbis: *videte autem, ne forte licentia vestra* (comedendi) *offendiculum fiat infirmis, si enim quis infirmus in fide*, (non bene instructus) *vide-*

*viderit eum, qui habet scientiam, in idolio recumbentem* (cum idololatris epulantem) *nonne conscientia ejus cum sit infirma* (non bene instructa) *ædificabitur ad manducandum idolothyta?* (Confirmabitur in errore suo ad comedendum idolothythum, ut idolothythum) *Et peribit infirmus in tua scientia, frater,* (qua abuteris) *propter quem* (salvandum) *Christus mortuus est? Sic autem peccantes in fratres, & percutientes* (vestro imprudenti facto vulnerantes) *conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis. Quapropter, si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem.* Ad quos hæc alia ex *cap.* 10. diriguntur. *Omnia mihi licent* (estò liceat in se idolothythum comedere) *sed non omnia expediunt:* Sed non expediunt omnia, quæ licent. *Omnia mihi licent, sed non omnia ædificant:* hoc est non expediunt, quia non ædificant: immò destruit, & ad ruinam impellit hæc commestio in idolio, vel coram infirmo. *Nemo, quod suum est, quærat, sed quod alterius.* Nam charitas dictat, ut non nostra quæramus cum alterius scandalo, vel coram infirmo.

Ex his habes, quod scandalizans pusillum facto, vel dicto, æquivocis ad bonum, vel malum, aut leviter malum, prævidens, vel debens prævidere, quod simplex, & ignorans, ex eo sit sumpturus occasionem peccandi mortaliter, mortaliter peccat, quia influxum aliquem habet in ejus peccatum.

Cæterùm, si quis simplices de veritate instruxerit, & capaces reddiderit de qualitate actionis, si posteà ex ea occasionem peccandi sumant, in nihilo actionem exercens est culpabilis; nec pusillorum, sed merè acceptum ex malitia, & pharisaicum scandalum erit.

36. Quæritur. *An rea sit scandali mulier; quæ suo ornatu occasionem præbet proximo ruinæ spiritualis, dum non ea fine se ornat, nec expresè illius ruinam peroptat.*

Resp. Vel ornatus est honestus juxta decentiam propriì status, & communem morem Patriæ, vel est de se provocativus ad libidinem, inverecundus, & dissolutus. Si primum, non peccat, neque scandalizat in usu. Ratio est, quia mulier jus habet ad ornatum ex natura sua licitum, & communem cæteris ejusdem Civitatis mulieribus, sibi æqualibus. Et sicut naturalis pulchritudo mulieris per se, & directè non provocat ad luxuriam, sic nec talis exterior corporis ornatus; unde in casu, quo quis scandalizaretur, foret scandalum, dumtaxat acceptum, & non datum.

Si secundùm, mortaliter peccato scandali delinquit, quia ponit factum, quod de sua natura est ad peccatum provoctivum; cujusmodi censeretur, si verenda non tegat, vel non nisi tenui velo: si mammillas denudet, & ita in publicum prodeat. Discurritur à simili de eo, qui rem alienam furripit, nec expresè intendit damnum proximo inferre, qui nihilominus est reus furti; quia, licèt absit expressa nocendi intentio ex fine operantis, habetur tamen virtualis, & interpretativa, æstimanda ex fine operis, quod de sui natura est nocivum.

Quod totum apparet ex doctrina D. Thom. 2. 2. *q.* 43. *art.* 1. *in resp. ad* 4. ibi: *Dicendum,*

*dum, vel factum alterius potest esse alteri causa peccandi per se, quando aliquis suo malo verbo, vel facto intendit alium ad peccandum inducere: vel etiam si ipse hoc non intendat, ipsum factum esset tale, quod de sui ratione habet, quod sit inductivum ad peccandum: puta, cum aliquis publicè facit peccatum, vel, quod habet similitudinem peccati.*

Quare prætacta mulier debet se in confessione accusare de dato proximo scandalo propter ornatum, vel de se provocativum ad peccatum, vel assumptum præter morem Patriæ cum advertentia, vel debito advertendi, quod potuerit excitare ad libidinem. Ratio est, quia si quis teneretur solùm confiteri de peccato scandali, dum expressè intendit ruinam spiritualem proximi, vix unquam tenerentur homines de illo confiteri, eo quia præter Diabolum, vix est aliquis directè, & expressè illam intendens; cùm tamen frequenter homines dent scandala, super quo se debent accusare.

37. Sed quid. *Si ornatus assumatur ex quadam curiositate, levitate, vel vanitate, ut laudetur de pulchritudine?*

Resp. Si de se non sit valdè provocativus, & dissolutus conjiciens se ipsam, virosque in periculum peccati, sed solùm cum excessu ad morem Patriæ, & modum convenientem suo statui, erit veniale: sed vide dicta *lib. 2. cap. 37. n. 12.*

38. Quæritur. *An mortaliter peccent adinvenientes novas vestimentorum, & ornatus formas?*

Resp. Affirmativè, si modus vestium, & ornatus inverecundus sit, aut impudicus: secùs, si vanitatem dumtaxat, & curiositatem alat in moderatione elegantiæ, vel pretii. Nam tunc erit veniale. Legas D. Thom. *cit q. 169 art. 2. in resp. ad 4.* ibi. *Si qua ars est, ad faciendum aliqua opera, quibus homines uti non possunt absque peccato, per consequens artifices talia faciendo peccarent, utpotè præbentes directè aliis occasionem peccandi; puta, si quis fabricaret idola, vel aliqua ad cultum idololatriæ pertinentia. Si qua verò ars sit, cujus operibus possunt homines benè, & malè uti (sicut gladii, sagittæ, & alia hujusmodi) usus talium artium non est peccatum,* & infra: *quia ergo mulieres licitè se possunt ornare, vel, ut conservent decentiam sui status; vel, etiam aliquid superaddere, ut placeant viris* (maritis scilicet) *consequens est, quod artifices talium ornamentorum non peccant in usu talis artis, nisi forte inveniendo aliqua superflua, & curiosa.*

39. Quæritur. *Mulier honesta advertit, si festo accedat ad Ecclesiam ad Missam audiendam, quendam juvenem ex ejus aspectu passurum ruinam spiritualem, eam concupiscendo;* petitur, *an Confessarius possit eidem suadere, ut non eat, eique significare in tali circumstantia non obligari præcepto audiendi Sacrum.*

Resp. Negativè, cum communi: nam ex D. Paulo ad Rom. 3. *non sunt facienda mala, ut eveniant bona,* ergo nec omittendum Sacrum, urgente præcepto, ne proximus in ruinam spiritualem ruat. Tum quia impletio præceptorum, sivè Dei, sivè Ecclesiæ est de necessariis ad salutem, ergo non potest eo fine omitti: cùm nullus debeat peccare, ut alterius

peccatum vitet; in ordine enim charitatis propria salus spiritualis præfertur saluti spirituali alterius, & nullus tenetur contra charitatem propriam operari, ut succurrat proximo. Nec ea circumstantia deobligat ipsam à debito audiendi Missam. Tum quia gratis dicitur. Tum quia lapsus juvenis est potiùs acceptus, & voluntarius, quàm datus; cum ex ejus malitia, sciens se non posse mulieres alienas concupiscere, eas inordinatè amat. Propterea ipse potiùs deberet fugere, vel, quando non posset, oculos avertere, mentem alò dirigere, & oratione postulare auxilia gratiæ, quibus à mulieris concupiscentia liberetur. Laurea *de charit. disp. 14. art. 12. §. 6. num.* 490. Natalis *Alexand. Theol. moral. in Decal. lib. 4. resp. 18. aliique.*

40. Quæritur. *Accedit Parochus id Confessario aperiens. Pater, certò scio à Petro possideri agrum spectantem ad meam Ecclesiam, sed dubito, an debeam repetere: si non repetam, non sustineo jura Ecclesiæ; si repetam, prævideo Petrum prolapsurum in blasphemias, maledictiones, & alia crimina, quæ ex lege charitatis teneor impedire; quid mihi agendum est, super hoc peto edoceri?*

Resp. Confessarius Parochum instruat, quod ipse non est dominus bonorum Ecclesiæ, sed Custos dumtaxat, & administrator fidelis, eaque non posse alienare, vel negligere, sed teneri ad ipsa Ecclesiæ conservanda, & ubi alienata invenerit ad ea repetenda: & propterea à Petro (præmissa instructione, quod res alienæ sunt dominis restituendæ, & quod ager ille ad Ecclesiam spectat, ut authenticis monumentis probatur) debere agrum repetere, & quando reddere renuat, per juris remedia est compellendus; prout factum legimus à S. Thoma Cantuariensi, Ecclesiasticæ libertatis vindice, & Martyre, qui Ecclesiæ bona, juraque repetiit posthabito Enrici Angliæ Regis, Procerumque scandalo, cum istud non fuerit datum, sed solùm ex malitia acceptum.

41. Quæritur. *Scit Petrus, Paulum determinatum esse ad furandum Francisco mille, dum eum à sua resolutione revocare nequit, consulit, ut ab eodem furripiat decem, petitur, an Petrus consulendo minus malum, peccato scandali reus sit?*

Resp. Affirmativè, nam operatur contra charitatem proximi, quæ vult, ut ipsius malum impediatur. Quod Paulus omittat illud majus malum, non tollit, quin committat minus, & peccet, ergo consulens, in minus influit. Scandalum autem consistit in influxu ad malum, seu peccatum proximi, non verò in influxu ad magnum, seu grave.

Dices. Est axioma commune de duobus malis minus est eligendum. Deinde Petrus non consulit minus malum, ut malum, sed ut habet rationem boni respectivè ad majus.

Resp. Vide dicta *lib. 2. cap. 20. nn. 15. & cap. 29. a num.* 13. Tale itaque axioma procedit non in malis moralibus, sed physicis, cum majus evitari non potest, nisi eligatur minus; est quis in necessitate, ut imminente naufragio, eligat, vel malum mortis, vel mercium jacturam; istam, ut minus malum debet eligere. Tum quia occisurus, V. G. Petrum, non necessitatur, nec ad occisionem, neque

ad

ad mutilationem, vel ad capienda ipsius bona, sed solùm ex sua libertate se ad ea determinat; ergo non est in necessitate eligendi unum, vel alterum, sed omittere debet utrumque.

Ad 2. Negamus minus malum, hoc est furtum decem aureorum, esse bonum respectivè ad furtum centum; non est offensa Dei tam gravis, sed est offensa: & ideò furans peccat, & consulens furto cooperatur; nam numquam illicitum pro illicito faciendum, ut dixit August. *lib. 2. de adult. conjug. cap. 15.* & subdit, *quia illicitum est, & adulteram occidere, & illa vivente, alteram ducere, non debet alterum pro altero perpetrare, sed utrumque vitare.*

Dices. Genes. 19. ut Loth revocaret Sodomitas à nefario crimine, eis exhibuit duas suas filias cum facultate, ut illis abuterentur: minus autem malum est cognoscere fœminas, quàm masculos.

Resp. Factum Loth non fuit positiva inductio, & consilium ad peccatum cum filiabus, sed solùm comparativa permissio, istis explicata: *potiùs filias meas vobis prostituam, quam ut id fieri videam.* Immò D August. *lib. contra mendac. ad Consentium cap. 8.* non excusat Loth à peccato; quamvis propter animi perturbationem non tam graviter peccaverit.

42. Quæritur, *Petrus suspicatur, quod uxor committat adulterium cum Cajo, permittit, ut Cajus domum ingrediatur, & in secreto cum uxore maneat, ut in fragranti reperiat, & sic eos corripiat, ut emendentur:* petit, *an committat scandalum?*

Resp. Affirmativè, cum Laurea *cit. num. 430.* ubi generaliter resolvit, quod potens, & debens impedire malum alterius, & permittens, ut sequatur, est scandali reus, quia censetur præbere occasionem peccandi, & ad peccatum influere; propterea Petrus peccat, si adulterium non impediat. Et peccat Dominus, si permittat, quod servus fusetur, ut deprehendat eum in furto: Colligitur ex *cap. Præterea 23. q. 8.*

43. Quæritur, *Est Titius paratus dare ad usuram, petitur, an Cajus possit ab eodem explicitè ad usuram petere?*

Resp. Negativè, & dum petit, peccat peccato scandali; ac cooperatur ad usuram, cùm ad eam, occasionem præbeat. Nec obstat, quòd sit paratus facere: nam ad executionem non venit, nisi ex petitione: ergo in executionem externi operis influit petens; præparatio illa in Titio est peccatum, ad quod non influit Cajus: executio autem est peccatum etiam Cajo, cum ad eam sua petitione alliciat, & inducat Titium.

44. Sed petitur. *An possit ab eo petere mutuum?*

Resp. Affirmativè, ad subveniendum suæ necessitati, sine usuris mutuet. Ratio est, quia in isto casu non cooperatur usuræ, quam potiùs nollet, cum ipsa gravetur, sed rem licitam ad suæ necessitatis solamen poscit, mutuum scilicet, quod posset, & deberet obtinere sine usura.

45. Quæritur. *An reus scandali sit, qui pecuniam dat Sacerdoti, nolenti puerum baptizare; vel se, aut alium sine pretio absolvere?*

Resp. Affirmativè, quia cooperatur simoniæ illius. Si puer est periculo mor-

tis expositus, potest ipse baptizare. Si alium Sacerdotem non habeat, cui confiteatur, potest conteri, & ideò nulla potest excusatione liberari, quin peccet, si pretium conferat.

46. Quæritur. *An scandalizator teneatur damnum spirituale restaurare bonis operibus inducendo ad bonum?*

Resp. Affirmativè, ut exemplar bonorum operum iis sit, quos malis operibus in ruinam spiritualem induxit. Ita meretrix pœnitens debet iis de vicinia signa conversionis exhibere.

## §. VI.

### *Bellum.*

BEllum est *præparatio, & dispositio militum ad pugnam.* Prælium autem est *ipsa actualis pugna, & conflictus.*

47. Quæritur. *Quotuplex sit bellum?*

Multiplex. Unum *justum*, quod à legitima potestate justo titulo, ac quadam necessitate suscipitur. Aliud *injustum*, quod deficientibus illis conditionibus geritur.

Item aliud est *aggressivum*, seù *offensivum*, quo alius impetitur. Et aliud *defensivum*, quo quis ab impellente se defendit, vim vi repellens.

Item, aliud est *bellum sacrum*, quod contra hostes fidei suscipitur pro Religionis tutela. Et aliud *non sacrum*, quod pro bonis temporalibus geritur.

48. Quæritur. *Quid requiritur, ut bellum offensivum sit justum.*

Resp. Tria sunt necessaria. 1. *Legitima auctoritas*, juxta August. *lib. 22. contra Faustum cap. 75.* Propterea soli Principes, & Respublicæ in temporalibus superiorem non habentes, ad quem possint recurrere pro reparatione injuriæ receptæ, possunt bella movere.

II. *Finis:* Adeò ut finis suscipiendi bellum debet esse pax, salus, & securitas Reipublicæ juxta August. relatum *cap. Noli 23. q. 1.* Non enim ex cupiditate divitiarum, aut gloriæ tantùm causa, & libidine dominandi bella moveri debent. Nam ut S. Doctor loquitur *lib. 3. de Civit. Dei cap. 6. Inferre bella ..... Regni cupiditate conterere, & subdere, quid aliud quàm grande latrocinium nominandum est?* Et legendus etiam est *loc. cit. contra Faustum cap. 74.*

III. *Causa justa*; ut nimirum, qui per bellum impugnantur, sint culpabiles; vel, quia injuriam inrogarunt, jura læserunt, vel bona occuparunt. Causa debet, etiam judicio prudentum, gravis esse, cum proportione ad damna verisimiliter ex bello secutura, aliàs imprudentissimè moveretur; cùm irrationabiliter agat, qui ob defensionem boni minoris exponit majora periculo; &, ut impediat minora mala, majoribus viam aperit, ut cædibus, incendiis, &c. Nec plus intendendum est, quam id, quod jure sibi debetur; aliàs, etiam si causa fuerit justa, bellum erit illicitum, & non sine peccato.

Notandum, quod etiam causa justa concurrente, priùs quàm bellum moveatur, tenetur Princeps offensus monere adversarium, an velit pacificè concordare, & sibi amicabiliter satisfacere? Ratio est, quia ex charitate cùm possimus, tenemur vitare innumera mala, quæ ex bellis sequuntur.

49. Quæ-

49. Quæritur. *An bona in bello justo accepta possint licitè retinere?*

Resp. Affirmativè. Jure enim gentium, omnia ea, quæ devictis hostibus, justo bello capiuntur, fiunt victorum, ut pluribus congestis apud Gonzalez *in 2. tit. 24. cap. 19. num. 9. de jur. juran.* Viri sancti exercuerunt hoc jus prædæ. Abraham Gen. 14. jure prædæ substantiam tulit quatuor Regum. Josue 22. Expugnata Civitate Hactarum Josue prædam Civitatis divisit Filiis Israel ex præcepto Domini.

50. Quæritur. *An in bello justo liceat uti insidiis:* vulgò astutie, cautele e tendere aguati all'inimico?

Resp. Affirmativè, modo semper absint mendacia, & fraudes, quæ sunt signa per se deceptiva. Fas est occultare hosti sua consilia, & resolutiones, ac totum, quod conducit ad bellum, & finem victoriæ. Dux, exposita parte exercitus, reliquos milites occultat in sylva: insidiis utitur contra hostem, sed non mentitur, quia non dicit se alios non habere, nec omnes tenetur exponere. Imprudens est hostis, si putet eum alios non habere, vel sibi insidias non parare. Legatur August: relatus *in cap. Dominus noster 23. qu. 2.*

51. Quæritur. *Princeps A. illaturus bellum Principi B. exquirit à Theologo, & Consiliariis, quid sibi liceat; à quibus in responsis accipit, utrinque esse opiniones æquè probabiles;* petit, *an stante æquali probabilitate pro justitia, & injustitia belli, possit ipsum licitè alteri movere?*

Resp. Negativè, contra probabilistas asserentes absolutè licitum esse sequi opinionem probabilem, quæ favet libertati; seu, quæ asserit actum aliquem esse licitum in concursu alterius æque probabilis, quæ stat pro præcepto, seu, quæ asserit talem actum non licere. Ratio est, quia, si æqualis ponderis rationes sunt pro justitia, & injustitia, non est certum, sed dubium, bellum esse justum; ergo non potest ipsum licitè movere, quia agere cum dubio non licet, cum ita operans se exponat periculo peccandi, sed debet eligere, quod est tutius, juxta regulam juris, &c. *In dubiis semitam debemus eligere tutiorem:* tutius autem est tunc à bello cessare, quia ita ex bello nascentia mala vitantur.

Addo, quod ex vi rationum tunc apparet ei, quòd una pars sit magis vera, quàm altera; ergo neutri potest prudenter assentiri: immò, si uni adhæret, non nisi cum formidine de opposito (quod est opinionis probabilis proprium) ergo cum advertentia, quod opinio, cui adhæret, incerta sit: opinio autem, quæ incerta cognoscitur, non potest esse regula moralis operationis; Est res clara. Et patet in Judice, sedente inter duos litigantes agrum, qui non potest in unum præ alio sententiam dicere, si æqualis ponderis rationes afferant. Æque bene remanent in æquilibrio lances in libra, si æquale utrinque pondus imponatur, ac si nullum imponeretur?

Dices. Princeps inter eas æquales probabilitates ex sua libertate ad partem, quod sit justum, se determinat; ergo in praxi dubius non est.

Resp. Negando consequentiam. Determinatio ista voluntatis non minuit

pondus rationum, propter quas intellectus erat dubius. Tum quia, imprudens is reputatur, qui quibusdam affirmantibus aliquem cibum esse veneno infectum, aliis cum æquali rationum pondere negantibus, ex sua libertate absque ulla dubitatione judicat cibum illum esse à veneno immunem; imprudentiorque est, qui dubitans, nec sciens utra verior sit sententia, eúndem cibum, quasi à veneno liberum, manducat; nonne exponitur mortis periculo? Propterea ne in praxi sit dubius, necesse est, ut occurrat aliqua circumstantia, quæ dubium tollat.

Dices. Omnis e dubio in praxi liberat, certoque judicat se posse licitè bellum movere, per hunc actum reflexum: *licitum est sequi opinionem certò probabilem.*

Resp. Ergo nullus est dabilis casus, in quo quis teneatur ad praxim eligere illam regulam juris, *in dubiis*, &c. quia quotiescumque propter æqualis ponderis contrarias rationes dubium erit, an aliquis actus sit licitus, nec ne, poterit voluntas imperare intellectui, ut talem actum reflexum eliciat: atqui est falsum alioqui Canones talem regulam observandam non proposuissent.

Dices. Regula illa juris non continet præceptum, sed consilium; ergo Princeps, de quo agitur, potest eligere opinionem, quæ asserit, bellum esse justum.

Resp. Negando antecedens. Canones, in quibus illa regula reperitur, constant terminis importantibus strictum præceptum *ut, in dubiis via est tutior eligenda*; cap. *Illud. de Cleric. excom. ministr. Clemens. Exivi de verb. signif. in his, quæ animæ salutem respiciunt ad vitandos graves remorsus conscientiæ, pars securior est tenenda:* verba non sunt facultativa, per verbum *potest*, sed obligatoria per illud *debet*.

Hinc sequitur, quod opinio de justitia belli debet esse absque dubio probabilior, & moraliter certa: ex Poncio curs. *Theol. disp. 33. q. 4.* Lautea *de vitiis charit. oppos. disp. 14. art. 10. §. 5 num. 254. & 258.* Ratio est, quia cum agatur de re gravis momenti, ut de periculo tot homicidiorum, & calamitatum, quas bella afferunt, necesse est, ut præcedat opinio, quæ dubium excludat, & esse possit regula moralis operationis, ut quis prudenter agat, & periculo peccandi non se exponat.

In bello justo licet omnia facere, quæ necessaria sunt ad vindicandam injuriam, ad boni communis defensionem, & salutis securitatem; ut vastare, obsidere, destruere arces, nocentes interficere (sed cavenda est nimia auctoritas, & inhumanitas) aliaque damna inferre, quantum necesse est ad habendum pacem, & securitatem ab hostibus; qui ratione delicti, & injuriæ irrogatæ censentur subesse Principi bellanti, tamquam Judici proprio, ut ab eo coerceantur, ne amplius noceant, satisfaciant, & Orbem non perturbent. Arg. ex cap. *Mulu 23. quæst. 5.*

52. At petitur. *An innocentes licitè occidi possint?*

Resp. Directè, & ex intentione non licet, quia est intrinsecè malum, & prohibitum. *Exodi 23.* per accidens autem est permissum; cum nimirum obtineri victoria nequit, nisi & ipsi pereant, sed id non

non debet intendi: sed solum victoria. Et tunc occiduntur sine culpa, sed non sine causa.

Quod intelligitur, tum de innocentibus jure naturæ, ut sunt pueri, senes, & mulieres, & alii, qui arma gestare nequeunt; tum ex præsumptione juris: ut sunt Clerici, & Religiosi, qui, cum ipsorum status sit à malitia alienus, per respectum ad illam præsumuntur innocentes.

53. Quæritur. *Petrus discessurus ad bellum contra Turcas instrui petit à Confessario, an sibi liceat ipsorum pueros occidere?*

Resp. Negativè ex speciali intentione ad eos per se directa, sed per accidens licitè potest, ut directum est.

54. At *nonne possunt in futurum, & adulta ætate hostes esse Reipublicæ Christianæ?*

Resp. Utique; sed de præsenti sunt innocentes. Dubium futuræ hostilitatis non dat jus occidendi tunc innocentes. Tum quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona, & evitentur alia mala; nec Deus actu hominem punit pro peccato futuro, qui fuit error Semipelagianorum. Tum quia possunt in infantia decedere. Tum quia adulti possunt fidem suscipere. Tum quia non est justum mediis illicitis providere bono communi. Tum quia potest alio modo occurri, eos in servitutem redigendo, & uti diligentia, ut in fide instruantur, & convertantur. Praxis in catholicis castris hæc esse debet.

55. Quæritur. *An liceat militibus naves proprias comburere, ne ipsi in manus hostium perveniant?*

Resp. Negativè, cum non licitum ad hujus vitæ erumnas vitandas se occidere; nam contra rationem ad vitandum minus malum, majus eligeretur.

Aliqui affirmant in casu, dum mors propria directè non intenditur, sed sola hostium deliberatio; maxime, dum accedit Ducis mandatum, & gravissima causa boni publici; ne scilicet integræ naves ad hostium manus perveniant; qui per hujusmodi prædam audaciores, & fortiores evadent, ac ardentius ad alias naves capiendas advolabunt, à quo abstinebunt ex prævio uniusincendio.

56. Quæritur. *Miles dubitans de injustitia belli (quod Principi notum fuit esse injustum) juxta militiæ regulas, & non alias militavit*; petitur, *an peccaverit?*

Resp. Vel miles est voluntarius, vel subditus, aut conductitius. Affirmatur peccasse, si erat voluntarius, quia hujusmodi miles obedire non tenetur, cum nec subditus sit, nec stipendiatus, & alias exponit se periculo inferendi proximo gravissimam injuriam.

Exigitur itaque præsumptio, quod jus ille haberet justè bellandi; propterea debet inquirere de justitia belli, & dum dubium deponere non potest, à bello abstinebit.

Negatur verò, si erat Principis bellantis subditus, aut ab eo conductus, ex Augustino *lib.* 23. *contra Faustum cap.* 75. *Cum ergo, ait, vir justus, si forte sub Rege homine, etiam sacrilego militet, rectè possit, illo jubente, bellare civicæ pacis ordinem servans; cui, quod jubetur, vel non esse contra Dei præceptum, certum est: vel utrum sit, cer-*

*tum*

*zum non est, ita ut fortasse reum Regem faciat iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo serviendi.* Ratio est ex cit. Lauræa §. 3 *nu.* 156. quia stipendiatus, & subditus pro Principe debet præsumere, quòd, examinata priùs diligenter causa, ad bellum justè procedat; maximè quia milites rationum pondera discernere nesciant, & merita Civium d stinguere nequeunt; neque hoc ipsorum est, videas Glos. *ad cap. Quid culpatur 23. qu.1. verb. iniquitas.* Nimis grave foret Reipublicæ, & moraliter impossibile, si omnibus militibus esset danda ratio justitiæ belli.

Sed credo esse limitandum. I. Quod peccet miles conductitius, si priusquam stipendium accipiat, cum eo dubio contractum celebrat. II. Si ei aliqua probabilis ratio occurrat, quæ ipsum positivè in praxi dubium reddat.

Nota I. milites paratos famulari cuilibet ad bellum vocanti, sivè justum, sivè injustum sit, modò stipendium præbeat, esse in malo statu; & nisi propositum corrigant, absolvi non possunt.

Nota II. Milites omnes ratione stipendii, quod accipiunt, ex justitia, adeòque sub culpa mortali, obligantur. I. Ad obediendum Duci, & militiæ Præsidi. II. Ut in acie, & pugna consistant, & non facilè fugiant, aliisque timorem injiciant. III. Ut stationem servent. IV. Ut Arcem sibi commissam defendant, etiam cum periculo vitæ, quamdiù spes defendendi supereſt. V. ut sine Ducis sui consensu à castris, vel exercitu non discedant. In hac re debet miles advertere, quantum damnum ex discessione sua sequatur: vel, quia alius miles non nisi magnis expensis adduci possit.

57. Quæritur. *A Duce non solvitur militi integrum stipendium juxta pactum initum, aut solutio differtur,* petitur, *an ei liceat subditos, aut innocentes incolas bonis spoliare, & ipsorum bona capere?*

Resp. Negativè, quia bona aliena non sunt oppignorata militibus pro stipendio. Quod, si injusta stipendiorum detentio milites cogat ad innocentes spoliandos, Dux tenebitur ad damnum reparandum.

58. Quæritur. *An Clericis sit pugnare licitum?*

Resp. Per se non licet, quia jure Ecclesiastico eis prohibetur, *cap. quicumque ex Clero, cap. Clerici 23. qu.8.* Nam sunt ex officio inhabiles ad pugnandum, *ex cap. Ex multa de voto.* Quos ars bellica retrahit à laude Dei, oratione, & divinis officiis: & exemplo Christi debent potius pati suum sanguinem effundi, quàm effundere alienum.

Propterea Clericos in majoribus constitutos (idem de Religiosis) peccare mortaliter, si pugnent, etiam in bello justo, tam aggressivo, quàm defensivo, dixerunt DD. cum S. Joan. de Capistrano *tract. de Papæ, & Conc. auct. p.2. partu secundæ principal.* pag. mihi 85.

Colligitur etiam *ex cap, Petitio de homicid.* ubi decluitur irregularis Clericus, qui contra Saracenos in bello defensivo metuebat aliquos ex eis interfecisse, vel mutilasse, eique imponitur, ut in dubio ab Altaris ministerio abstineat: *cum in hujusmodi dubio consultius sit abstinere, quàm temere celebrare,* ut ibi textus.

Dixi

Dixi *per se*, quia per *accidens*, Clericis, etiam in factis permittitur propria manu pugnare in casu justæ defensionis Patriæ, vel Reipublicæ ab hostibus invasæ, Dum necessitas eversionis est omninò inevitabilis. Quod contingit, dum sæculares ad defensionem non sufficiunt, nec vim hostium propulsare possunt. Laurœa §. 4. Gonzalez *in* 5. *tit.* 12. *de homicid. cap.* 24. *num.* 8. Verùm si absque cæde possunt hostem declinare, confodere est peccatum, quia tunc potiùs intenditur ultio, quàm necessaria defensio.

59. Sed quæritur. *An Clericus ex necessitate defensionis Patriæ in bello justo defensivo pugnans, fiat irregularis, si aliquos hostes occidat, vel mutilet?*

Resp. Affirmativè, colligitur ex regula communiter accepta, quod irregularis efficitur, qui aliquem interficit, aut mutilat, à qua non reperiuntur excepti, nisi casus furiosi, infantis, seu dormientis, & illius, qui mortem aliter vitare non valens, suum cum moderamine inculpatæ tutelæ occidit invasorem, ex Clement. *Si furiosus de homicid.* Sed dic, ut ad proximum.

60. Sed quid, si necessitas talis foret, ut cum Patria seipsum etiam defendere deberet?

Resp. Tunc juxta text. *alleg. Clement.* à quibusdam excusatur ab irregularitate. Sed legendum est Trid. *sess.* 14. *cap.* 7. ubi: tam irregularis statuitur committens homicidium voluntariè, & ex proposito; quàm occidens alium non ex proposito, sed casu, vel vim vi repellendo, ut quis se à morte defendat. Cum hac differentia, quod, dum agitur de primo homicidio, non tam facilè cum promovendo, tametsi cum promoto facilius à S. Sede dispensetur. Dum verò agitur de secundo facilius super irregularitate dispensatio obtineatur. Legendus Fagnan. *in* 5. *ad cap. Petitio nu.* 15. *& ad cap. Henricus nu.* 23. *& sequen. de homicidio.*

Dices. Clericus tunc non peccaret, ergo nec irregularitatem incurreret?

Resp. Negando consequentiam. Irregularitas contrahitur, etiam sine culpa, patet in militibus in justo bello occidentibus, vel mutilantibus; in Judice justam sanguinis sententiam proferente: in testibus justè in eadem causa deponentibus, & in officialibus ejusdem sententiæ executioni cooperantibus.

61. Quæritur. *An sit irregularis Clericus, qui in bello justo milites hortatur, ut fortiter pugnent pro justitia, Patria, vel Ecclesia: Si aliquis per milites occidatur, vel mutiletur?*

Resp. Negativè, est communis DD. sententia apud Gonzalez *cit. num.* 4. asserentes Clericos absque specifica sanguinis intentione hortantes milites ad strenuè pugnandum nullam contrahere irregularitatem; quod probant ex cap. *Maximilianus* 23. *qu.* 3. ex cap *Igitur:* cap. *Omni timore:* cap. *Hortatu ibid. q.* 8. ac ex D. Thoma 2. 2. *q.* 40 *art.* 2. *ad secundum.* Ratio est, quia adhortari ad strenuè pugnandum, idem est, ac hortari ad strenuè incumbendum in adeptione victoriæ, & ejus obice repellendo; quod non est specificè intendere sanguinis effusionem. Propterea eis prohibetur hortari, vel invitare ad pugnam injustam, vel cum

specifica intentione sanguinis ; vel his verbis, *occide*: & dum ita milites ad pugnam hortantur, irregularitatem contrahunt, dum per milites aliquis occiditur.

62. Quæritur. *An Clerici procedentes ad bellum ex dispensatione Papæ irregulares sint, si sequatur mors, vel mutilatio hostis?*

Resp. Negativè, quia statim ac dispensat in principali, & antecedenti, censetur cum eis etiam dispensare in consequenti, adeòque in irregularitate, & aliis pœnis. Lauræa *cit. §. 4. nu. 245.* De la Cruz *de irregularit. dub. 7.* De quare dixi *Official. Cur. Eccles. cap 35. § unic.*

Adverte. In bellis considerari varia opera: Primo actionem ipsam bellandi, quæ Clericis juxta dicta per se prohibetur. Secundò functiones alias, ut comitari exercitum ad consilium circa bellica negotia pro utilitate Ecclesiæ præbendum, quod per Clericos præstari potest, arg. ex cap. Ex multa de voto. Item comitari possunt exercitum ad Missas celebrandas, & sacramenta ministranda. Gonzalez *cit. num. 4.*

## §. VII.

### *Justitia.*

63. QUæritur, *Quid sit justitia.*

Resp. Est *habitus inclinans voluntatem ad reddendum, vel relinquendum alteri, quod suum est; adeo ut appareat malum, & rationi dissonet non reddere illud ipsi, aut auferre illud ab eo.*

Dividitur in *commutativam*, & *distributivam*. Ad commutativam spectat servare æqualitatem in contractibus, & commutationibus, emptione, venditione, & similibus. Cui opponitur injustitia simpliciter; & quidquid alteri fit contra jus; ut homicidium, mutilatio, furtum, rapina, detractio, accusatio falsa, maledictio, &c. Ad distributivam verò pertinet distribuere commoda, & honores Communitatis, inter illius personas, servando proportionem geometricam ad eorum merita. Cui opponitur acceptio personarum, de quo *lib. 2. cap. 27.*

## §. VIII.

### *Virtutes ad justitiam reducibiles.*

64. QUæritur. *Quænam virtutes reducantur ad justitiam, ut est virtus alterum respiciens.*

Resp. Primò reducitur *Religio; quæ est virtus tribuens Deo propter ipsius excellentiam cultum, & honorem, qui non sit prohibitus ab Ecclesia Catholica.* Habet hæc sub se plures actus specie diversos: *Devotionem, Orationem, Adorationem, Sacrificium, Oblationem bonorum, Votum, Juramentum, Dei laudem, & Adjurationem* quibus omnibus homo Deo subjicitur, testificaturque ejusdem excellentiam, perfectionem, aut supremum dominium.

Per *devotionem* testamur Dei superioritatem, & excellentiam; cum voluntas promptè se tradat ad ea, quæ pertinent ad Dei cultum, & famulatum: in ea enim promptitudine voluntatis devotio sita est, juxta D. Thom. *2.2. qu. 82. ar. 1.*

Per

Per *orationem*, homo Deo reverentiam exhibet, & se subjicit, ac profitetur orando se eo indigere, sicut auctore omnium bonorum, de quo fusius alibi Deo dante, occasione referendi Quietistarum errores.

Per *adorationem* nostram erga Deum servitutem in recognitionem infinitæ suæ excellentiæ supremique dominii externis etiam submissionis signis profitemur, juxta dicta *lib. 3. cap. 3. num. 62.*

Per *Sacrificium*, ipsum Deum colimus, tamquam supremum vitæ, & mortis dominum; legas *lib 4. cap. 4. §. 2. n. 24.*

Per *oblationem bonorum*, ejusdem Dei absolutum, & summum dominium in res omnes profitemur; etiam, cum ipsi offeruntur, ut cedant in sustentationem Ministrorum Ecclesiæ; vel, ut per illos etiam sustententur pauperes, construantur Templa, vasa, sacra, &c. quia semper cedunt in Dei obsequium.

Si offerantur primi fructus agrorum, vel arborum, dicitur primitiarum; Si verò fructuum decima pars, decimarum oblatio appellatur.

Per *votum*, agnoscimus Deum, tamquam ultimum finem, in quem nos, & nostra omnia speciali affectu referre volumus. Vid. *lib. 3. cap. 4.*

Per *juramentum*, implicitè profitemur Deum esse veritatem indefectibilem, & omniscium; propterea enim ad confirmanda propria verba, & promissiones ipsius nomen assumitur, per dicta *lib. 2. cap. 16.*

Per *laudem Dei*, ipsius summam perfectionem, & excellentiam verbis, & voce, profitemur.

Per *adjurationem*, Dei potentiam, & efficaciam recognoscimus.

Est *adjuratio, aliquam personam imperando, vel obsecrando inducere ad aliquid faciendum, vel omittendum invocatione alicujus rei sacræ.* Unde adjuratio duplex est; una deprecativa, quæ fit deprecando: altera imperativa, quæ fit imperando. Et cum res, per quam fit adjuratio, debeat esse aliquod sacrum, debet fieri per Deum, Angelos, & Sanctos, ac etiam per justos viatores. Sousa *aphoris. lib. 1. cap. 55. allegans Suarez, & Sanchez.*

Adjuratio imperativa, seu coactiva Dæmonum licita est, per imperium arcendo illos exorcismis ab Ecclesia ordinatis, ne hominibus, aut rebus suis noceant. Quare videant exorcistæ, ne abutantur ministerio: sciant maxima cautela, & prudentia esse exèquendum, & in eo abstinendum à nugis, superfluis, & curiosis interrogationibus; nec responsis Dæmonis credendum, quia est pater mendacii. Legendus Carena *c. 5. num. 2. & 4. Annotat. destrigib. de offic. inquisit.*

65. Quæritur. *An liceat adjurare locustas, & vermes, præcipiendo eis per Deum, ne agris, & fructibus noceant?*

Resp. Negativè, Regula generalis est apud DD. vanum esse adjurare creaturas irrationales, & insensibiles, dirigendo sermonem ad ipsas, quasi ipsæ ex proposito se moveant ad nocendum, intentionem nocendi habeant, & capaces sint percipiendi adjurationem, ac in vim illius cessandi à nocumento. Atque id asserunt esse ex genere suo mortale propter irre-

verentiam ad res sacras, & Ecclesiæ exorcismos, dixit Majol. *sum. in Decalog. 1. præcept. p. 1. q. un. art. 5. §. 10.*

Adjurari solum possunt, referendo adjurationem ad Deum per modum deprecationis, eum deprecando, ut nos ab ipsarum nocumento liberet. Sousa *cit. num. 13.*

Secundò. Ad usitiam reducuntur etiam. I. Pietas; quæ inclinat ad colendos Parentes, Cognatos, & Patriam, cui opponitur impietas; quæ est ex suo genere mortalis.

II. Observantia, quæ inclinat ad tribuendum honorem superioribus, & personis in dignitate constitutis; cui opponitur inobservantia: item ex genere suo mortalis.

III. Obedientia, inclinans ad exequenda mandata Superiorum: Cui opponitur inobedientia; item ex genere suo mortalis.

IV. Veritas, seu veracitas inclinans ad conformanda verba menti; Cui opponitur mendacium. De quo *libro secundo cap. 17.*

V. Liberalitas inclinans ad distribuenda bona aliis sine avaritia, vel prodigalitate, sed juxta præscriptum rationis, dando, & retinendo, ut oportet; ideò ei per defectum opponitur avaritia, & per excessum prodigalitas, ut dictum est supra *num. 15.* & dicendum *lib. 2. c. 37.*

VI. Amicitia inclinans ad reamandum amicum, eique amicabilia officia exhibenda; Cui per excessum opponitur adulatio: quæ est mortalis dum malefacta laudantur: cum impedit, ne amicus à peccatis resurgat, vel eum ad majora crimina inducit.

## §. IX.

### *Vitia per excessum religioni opposita.*

REligioni per excessum opponitur superstitio, non quia, ut ait D. Thomas *2. 2. q. 92. art. 1.* plus exhibeat in cultum divinum, quàm religio, sed quia exhibet cultum divinum cui non debet, vel eo modo, quo non debet. De superstitione agit D. Augustinus *Epist. 102. (alias 179.) ad Deogratias q. 3. cap 2.* Unde superstitio est; *cum vel vero Deo cultus illegitimus, vel creaturæ cultus indebitus exhibetur.*

66. Quæritur. *Quando censeatur, quis verum Deum cultu illegitimo colere?*

Resp. Cùm verus Deus colitur cæremoniis veteris legis, quibus Christus præfigurabatur venturus. Quod perindè est, ac significare, & confiteri Christum nondum incarnatum, & passum; consequenter est cultus perniciosus, aliquid falsum, & contra fidem significans. Est gravissimum peccatum in sic colente, quia præsumitur errare contra articulum fidei, *Incarnationis Filii Dei.* Hinc pœnitens in tali culpabilis interrogandus est, quid de fide sentiat? Et, dum cum errore reperitur, absolvi non potest à Confessario ordinario, quia est excommunicatus in Bullâ Cœnæ. Immò, quamvis nec cum errore foret, tutiùs esset ipsum remittere ad Sacrum Tribunal.

II. Cum exhibetur Deo cultus superfluus, seu ineptus ad ipsum colendum, hoc est, cum fit aliquid ad Deum colendum,

dum, quod est præter Dei, vel Ecclesiæ institutionem, aut contra legitimam, & approbatam Ecclesiæ consuetudinem: ut, si Sacerdos in Missæ celebratione alios ritus, & preces adhibeat, præter ab Ecclesia receptas: abusus talis ex *Trid. sess. 22. in decret. de observan. in celebrat. Missæ* tollendus omninò est.

Quandoquidem mutatio potest inducere suspicionem hæresis, in casu nimirum, quo quis in celebratione Missæ utatur aliquo hæreticorum ritu: ut, si post consecrationem data opera non genuflectat; nam tunc præsumitur cum Calvinistis non credere Christi veram, & realem præsentiam in hostia ritè consecrata.

67. Quæritur, *Quot modis cultus indebitus creaturæ tribuitur?*

Resp. Multiplici. Idololatria, Divinatione Dæmoniaca, Magia, Maleficio, & Vana-observantia.

## §. X.

### *Idololatria.*

68. QUæritur. *Quid sit Idololatria?* Resp. Est *superstitio, qua cultus, soli Deo debitus, creaturæ exhibetur*; ut, per sacrificium, erectionem templi, adorationem latriæ: Sivè oratione invocetur, sicut invocatur Deus: Sivè ei vota fiant, aut per ipsius nomen juretur, &c.

Hujusmodi cultus solet secum habere annexam hæresim, dum colens credit creaturam esse divinitate præditam, vel dignam honore soli Deo debito. Et tunc quis absolvi non potest, quia est formaliter hæreticus excommunicatus in Bulla Cœnæ.

Si verò id non credat, adhuc gravissimè peccat contra virtutem Religionis, etiamsi metu mortis cogatur; nam in iis, quæ sunt intrinsecè mala, nec metus mortis excusat. Immò, & tunc in foro externo, licèt non in interno, excommunicatus reputatur; & ideò ad Sacrum Tribunal est dirigendus.

69. Petitur. *An Idololatriam committat Catholicus, dum adorat hostiam, quam prudenter credit esse ritè consecratam, quæ tamen non est, vel ex defectu potestatis, vel intentionis in consecrante?*

Resp. Ab aliquibus admittitur eum committere Idololatriam materialem. Quæ in hoc stat, quod quis alicui tribuat cultum divinum, inculpabiliter ignorans illum ei non deberi. Cæteris placet id negare, quibus subscribimus, quia, dum Catholici hostiam consecratam adorant, implicitè retinent hanc conditionem adorandi, *si præcessit legitima consecratio:* & parati sunt respondere, se eam adorare, quia prudenter credunt esse ritè consecratam, aliàs non adoraturi.

## §. XI.

### *Divinatio Dæmoniaca.*

70. DIvinatio Dæmoniaca *est inquisitio, & prænunciatio futurorum, & occultorum indebitis modis, à divina Providentia non constitutis.* Hæc semper innititur auxilio Dæmonis per pactum expressum, vel tacitum. Et dicitur sortilegium, quatenus ministerio Dæmonis illa notitia procuratur pactum expressum, vel tacitum.

Pactum expreſſum cum Dæmone fit, vel ejus auxilium explicitè imploratur, quando, vel expreſſis verbis ipſe invocatur; vel, quando ipſomet facto invocatio fit; ſicut, quando quis ſciens Dæmonem per aliquod ſignum reſpondere, aut aliquid facere, tale ſignum adhibet: ut contingit in experimento dicto *della caraffa, e del crivello.*

Tacitè verò fit pactum, ſeù auxilium Dæmonis imploratur, quando occultorum notitia, vel alius effectus procuratur mediis vanis, & indebitis, quibus Dæmon libenter ſe permiſcet, ut homines decipiat. Tunc enim quis tacitè Dæmonis auxilium implorat, juxta dicta *cap. 4. num. 11.*

Cæterùm ad pactum tacitum non exigitur, quod quis priùs cum Dæmone pactum inierit ſe ſe immiſcendi cum his vanis, & indebitis mediis, à quocumque adhibitis; ſed ſatis eſt, quod quis utatur illis ad effectum aliquem improportionatum adipiſcendum. Souſa *aphoriſ. lib. 1. cap. 38. num. 10.*

Pactum tacitum cum Dæmone tunc in aliquo facto dari præſumitur, quando non eſt proportio rei cognoſcendæ, vel faciendæ ad medium, quo cognoſci, aut fieri procuratur; ſic, quando unum ex alio ſufficienter non infertur.

Legendus D. Auguſtinus *lib. de divinat. Dæmonum, ubi cap. 5. & 6.* modos recenſet, quibus ſolent Dæmones homines fallere, & nonnulla prius prænunciare, quàm eveniant.

Variæ *ſunt ſpecies divinationis, in quibus intervenit pactum expreſſum cum Dæmone.*

71. Prima eſt *præſtigium*, quo quibuſdam apparitionibus Dæmones aſpectui, & auditui hominum ſe ingerunt, occulta prænunciando, objicientes hominum ſenſibus vera corpora occultè ibi aſportata; vel à ſe efformata, applicando activa paſſivis; vel immutantes viſum, ac ſi ab objectis moveretur; vel efformantes voces, nullo corpore efformato. Propter quæ auditus, & viſus præſtringuntur ad ea objecta percipienda. A quo hoc divinationis genus dicitur præſtigium.

72. Secunda eſt *divinatio ſomniorum necromantica:* eſtque illa, quæ provenit à Dæmonibus occulta in ſomniis homines edocentibus. Hujuſmodi ſomnia à Dæmonibus procedunt, invocatis per ſacrificia, orationes, & cultum, ut contingit in ſtrigibus. Quæ non ſemper realiter feruntur de loco ad locum, ſed media unctione ſopore correptæ in eodem loco manentes, per ſomnia ea omnia eis repræſentantur, quæ poſteà ſe vidiſſe narrant. Qui hanc ſcientiam habent cum Dæmonibus ut plurimum ſunt apoſtatæ à fide, ſicut Lamiæ.

73. Ad hujuſmodi genus divinationis reduci poteſt *ars notoria* (quam vocant etiam claviculam Salomonis) qua quis utitur quibuſdam ad acquirendam ſcientiam, quæ non habent ſecundùm ſe virtutem cauſandi ſcientiam. Sicut inſpectione quarundam figurarum, & prolatione quorundam ſignorum, verborum, & ſimilium. Solet Dæmon per eos loqui, quos hac arte deludit, ſibique mancipat, ipſorum phantaſiam turbans, linguam movens ad quædam illis incognita, & arcana proferenda. Sed ubi Dæmon precibus, ac exorciſmis Eccleſiaſticis coactus deſerit, & pactum ceſſat, nec re-

cor-

cordantur, quæ dixerint. Hanc artem reprehendit Augustinus *lib. 2. de doct. Christ. cap. 24.*

74. Tertia est *necromantia*, qua arte Dæmonum per fictas mortuorum apparitiones occulta hominibus prænunciantur.

75. Quarta est divinatio *Pythonica*, qua Dæmon occulta prædicit per homines vivos.

Ad quam spectat divinatio oraculorum, hoc est, responsa data à Dæmone certis in locis ministerio hominum, qui Pythonici, & Fanatici dici solent.

76. Quinta est *Geomantia*, qua Dæmon occulta manifestat ex signis in corpore terrestri. Ad hanc spectat experimentum, *detto dello specchio*, & illud per annulos, gladium, &c.

77. Sexta est *Hydromantia*, qua Dæmones occulta manifestant per aquam, vel in aqua. Usus istius est in fontibus. Contingit etiam utendo vase aqua pleno, & puero, vel puella virgine, injectis in aquam paleis, pronunciatisque determinatis verbis; & tunc puero, vel puellæ repræsentatur figura, ex quibus cognoscitur, quod quisque scire vult.

78. Septima est *Aeromantia*, qua arte Dæmonum occulta prædicuntur per apparitiones, quæ in aere fiunt.

79. Octava est *Pyromantia*, qua arte Dæmonum occulta manifestantur in igne, audiendo ex eo voces, vel aliis signis.

80. Nona est *Auruspicium*, qua occulta cognoscuntur per inspectionem viscerum animalium, quæ Dæmonibus immolantur.

Quæ quidem omnes divinationis species sunt peccata mortalia gravissima, divina lege reprobata. *Deuteronom. cap. 8.* Et Ecclesiasticis legibus sub Anathematis interminatione prohibita, ut habetur cap. *Si quis Ariolos 26. q. 5.*

Variæ item sunt species divinationis, quæ fit cum pacto implicito cum Dæmone. Quas omnes recenset Sousa *loc. cit. cap. 48.* Variasque ibid. cap. 6. refert regulas ex D. Thom. quibus cognosci possunt innumera facta, quæ fiunt per verba, characteres, & res aliquas naturales applicatas ad mirabiles effectus, & curationes, esse cum pacto implicito cum Dæmone.

81. Prima est. Si voces, vel scripturæ contineant aliquid falsum, vel irreligiosum, est certum, quod effectus inde secutus à Dæmone fuerit.

Secunda. Si per orationem petatur, aut expectetur à Deo aliquid injustum, & quovis modo peccaminosum, licèt verba, vel scripta sint sancta, pactum implicitum cum Dæmone intervenit.

Tertia. Si usurpentur characteres, aut verba incognita, sivè dicantur esse Dei, sive Angelorum, nam communiter sunt nomina Dæmonum, aut ab eis conficta ad firmandum pactum cum Magis.

Quarta. Quando verbis, aut verbis sacris adduntur aliqua vana, profana, & incognita, à Dæmone medio pacto procedit effectus.

Quinta. Quoties aliquid, sive sacrum, sive naturale adhibetur ad aliquem effectum, ad quem constat non habere proportionem, nec virtutem naturalem, neque supernaturalem, censendum est ibi intervenire pactum cum Dæmone, juxta Augustinum cit. *lib. 2. de doctrina Christiana*

*stiana cap.* 2. ubi. *Istæ opiniones quibusdam rerum signis humana præsumptione institutis, ad eadem illa, quasi quædam cum Dæmone pacta referenda sunt.*

Ad has attendant Confessarii, ut dignoscere possint superstitiosas actiones, eisque remedium præbere.

82. Quantum ad Astrologiam, quæ ponitur inter species divinationis, est ponderandum: Quod Astrologia duplex est, *naturalis, & judiciaria.* Naturalis, quæ dici solet etiam astronomica, est *consideratio astrorum, indeque sumpta prædictio effectuum naturalium*, eventuum scilicet cœlestium, & elementarium, ut Eclypsis, serenitatis, tempestatis, siccitatis, fertilitatis, & aliorum effectuum naturalium, qui ex cœlestibus corporibus, ut ex naturalibus causis, causantur. Hæc non est prohibita, ut DD. communiter, ac à Sixto V. *in const. Cœli, & terræ Creator la* 17. *Bullar. tom.* 2. §. 1. præservatur per hæc verba: *futuris eventibus ex naturalibus causis, necessariò, vel frequenter provenientibus, quæ ad divinationem non pertinent, dumtaxat exceptis*, & infr. §. 3. Astrologiæ artem prohibente; *præter Quæ circa agriculturam, navigationem, & artem medicam*; circa Quæ neque ullum judicium certum ferri potest, sed valdè dubium, quia astrorum motus quis dimensus est?

83. Astrologia judiciaria est astrorum consideratio, indeque desumpta prædictio futurorum contingentium, à libero hominis arbitrio dependentium; judicatque de nascentis statu, vita, & morte, honoribus, nuptiis, facultatibus, filiis, inimicis, &c. ac quid in singulis rebus sit faciendum, quid omittendum: quando manendum domi, quando egrediendum, & similia. Falsitas hujus patet, ex quo astra non sint causa operationum liberi arbitrii: aliàs tolleretur libertas, omniaque contra fidem fato, vel fatali necessitate contingerent; quia astra naturaliter, & necessariò, quantum possunt, influunt, ergo vanum, superstitiosum, & diabolicum est ex astris certum, vel probabile judicium ferre de actibus à libero arbitrio dependentibus.

Si dixeris, quod ex astris potest Astrologus observata nativitate pueri habere conjecturam de temperamento, & propensione.

Potest hoc negari. Nam caremus perfecta astrorum scientia. Tum quia vix potest notari situs astrorum existentium in puncto nativitatis. Tum quia, licèt posset dicere, quantum est ex vi astrorum, deberet esse mitis, castus, &c. tamen, nec certò, nec probabiliter potest prædicere, quod ita erit. Nam sicut sapiens potest dominari suis passionibus, ita & astris; Sed in particulari nil, nec probabiliter potest prædicere. Unde cum quidam Astrologus considerans Socratem, dixisset, nec castum, nec virtuosum esse, respondisse fertur, se talem quidem futurum fuisse, sed per abstinentiam se castum, & per studii exercitium doctum evasisse, & corporis passiones malas philosophia superasse.

De hujus generis astrologia diximus aliqua *d. cap.* 4. *nu.* 19. D Augustt. *lib.* 2. *de doctr. Christ. cap.* 21. eam vocat perniciosam superstitionem, & conantes ex stellarum positione, vel actiones nostras, vel actionum eventa prædicere, ait nimis

nis errant, & *vendunt imperitis hominibus miserabilem servitutem.*

## §. XII.

### *Divinatio per Sortes.*

84. SOrs est *actio facta, ut ejus eventu aliquid innotescat, vel fiat.* Sousa *citat. capit.* 53. *numero* 1.

85. Aliæ autem sunt sortes divinatoriæ, quæ adhibentur ad aliquid occultum, vel futurum sciendum. Aliæ consultoriæ ad cognoscendum quid in aliquo casu agendum sit (ut ex urna elicimus, utrum anno sequenti debeamus seminare, vel non) & aliæ divisoriæ, quibus quæritur, quid in alicujus rei, vel honoris divisione sit cuique dandum.

86. In sortibus divinatoriis est semper peccatum mortale, quia in eis semper tacita invocatio Dæmonis reperitur, à quo effectus expectatur; cum neque ex divina institutione, neque ex aliqua virtute naturali sortes illæ connexionem habeant cum eo, quod per illas inquiritur. Quas prohibet Sixtus V. in *d. const. Cœli, & terræ*, ibi: *non sine Dæmonis saltem occulta societate, aut tacita pactione operam dare, seu illis, ac sortibus illicitis taxillorum, granorum triticeorum*, vel *fabarum ictu uti non verentur.* Verùm ignorantia à mortali potest excusare, juxta *d. cap.* 4. *num.* 15.

In sortibus pariter consultoriis est item peccatum mortale, quando resolutio expectatur à Dæmone; Non verò, quando per illas Deus consulitur. Quod tamen fieri non debet, nisi cum triplici conditione. Primò, ut non ex curiositate, sed ex aliqua necessitate. Secundò, cum reverentia divini Nominis. Tertiò, ut verba Evangelii ad negocia sæcularia, & vana non convertantur. Primum, & secundum habetur ex cap. *Non exemplo* 26. *q.* 2. ibi: *Si qui tamen necessitate aliqua compulsi, Deum putant sortibus exemplo Apostolorum esse consulendum; Videant, hoc ipsos Apostolos, non nisi collecto Fratrum Cœtu, & precibus ad Deum fusis egisse.* Ut in locum, scilicet Judæ, alium Apostolum substituerent. Tertium verò ex August. in *Epist.* 55. (*aliàs* 119.) *ad Inquisit. Januarii cap.* 20. ibi. *Hi verò, qui de paginis Evangelicis sortes legunt, & si optandum est, ut hoc potius faciant, quàm ad Dæmonia consulenda concurrant: tamen etiam ista mihi displicet consuetudo, ad negotia sæcularia, & ad vitæ hujus vanitatem propter aliam vitam loquentia oracula divina velle convertere.* Videatur Glos. *in cap. Hi d. causa, & q. in verb. potius.*

Cæterùm exemplo Matthiæ, non adeò facilè est sortibus consultoriis utendum, ut *in d. cap.* Nam ordinariè Deus vult suam voluntatem ab hominibus indagari aliis mediis, quam per sortes: ut, doctrina Ecclesiæ, Doctorum, & virorum prudentum consilio, oratione, timore, & reverentia divinum implorando auxilium.

87. Tandem, ut sortes divisoriæ (quæ sunt contractus fortunæ, in quo partes conditionem æqualem subeunt acquirendi, aut perdendi) sint licitæ, debent nonnulla concurrere.

I. Ut eventus non expectetur à Dæmone, nec ab astris, neque à fato, &

fortuna, tamquam Dea, ex neceſſitate cauſante eventus humanos, prout à Gentilibus uſurpabatur, ſic enim foret contra Religionem: Sed ſumpta pro divina Providentia ordinante, & diſponente cauſas ad talem eventum, ut notavit Majol. § 7.

II. Ut fiant cum neceſſitate juxta Auguſtinum *Epiſt.* 228. (*alias* 180.) *ad Honoratum*, exemplificantem in Dei Miniſtris, quando inter eos eſſet diſſidium, quinam debeant tempore perſecutionis manere, ne fuga fiat omnium: & quinam fugere, ne morte omnium deſeratur Eccleſia: *Si hæc diſceptatio aliter (ait) non potuerit terminari quantum mihi videtur, qui maneant, & qui fugiant, ſorte legendi ſunt.*

III. Ut non violetur juſtitia, ſed illæſum ſervetur jus partium.

IV. Ut ſortes non adhibeantur in electionibus, & beneficiis Eccleſiaſticis, in quibus jure canonico prohibentur, cap. *Eccleſia de ſortilegiis.* Nec eſt eis utendum in aliis rebus ſpiritualibus. Unde S. Congr. S. Offic. 18. *Julii* 1703. prohibuit quædam folia cum titulo: *Lotto ſpirituale per le povere anime del Purgatorio, &c.* in quibus præſcribitur modus ſuffragandi per quandam ſpeciem ſortis: non propter ſuffragia pro iiſdem animabus, quæ ſunt ſancta, ſed propter dictum titulum, & modum, qui eſt prophanus, & chriſtiana pietate planè indignus.

V. Ut fiant cum reverentia Dei.

Quas conditiones reperiri in ſortibus publicis Januenſium, ſcripſit Campionus *p. 2 cap. 36. num.* 11.

88. Ad genus ſortis divinatoriæ videtur ſpectare *purgatio vulgaris*, ſeu experimentum, quod per ferrum candens, vel aquam ferventem ſumebatur ad cognoſcendum, an accuſatus de crimine, reus eſſet, & purgandam accuſationem occulti criminis impicti. Sed quamvis in hoc conveniat cum ſortibus, tamen per ipſum, quatenùs expectatur aliquis effectus miraculoſus à Deo, Deus tentari videtur: pro ut expreſsè cap. *Dilecti filii de purgat. vulg.*

89. Ad divinationem per ſortes ſpectat baculum, vel arboris ramum, certa ſub conſtellatione ex arbore abſciſſum certiſve characteribus, & ſignis notatum theſauros abſconditos ſcrutari, & ubi ſint abſconditi, deſignare. Nam hujuſmodi inſtrumenta ſua natura vim nullam habent ad detegendos theſauros in terra defoſſos, ac in occulto abſconditos. Ideò non poſſunt adhiberi, tamquam cauſæ; ſed adhibentur tamquam ſigna; & ſic pertinent ad pacta quædam ſignificationum cum Dæmonibus fœderata, ut loquitur Auguſtinus *lib. 2. de doctr. chriſt. cap.* 20.

## §. XIII.

### *Magia Superſtitioſa.*

90. QUæritur: *Quid ſit hæc magia?* Reſp. Eſt *facultas operandi ope Dæmonis mira, excedentia vires humanas*; ut, ſcire conſilia Principum, exiſtentium in remotiſſimis partibus, ſanare citò hominem, &c. utrumque enim non ſuperat vires Dæmonis: nam primum poteſt ſuo celeri motu exequi deferens illorum notitiam; ſecundum verò, nobis non videntibus, applicando activa paſſivis.

Regula

Regula dignoscendi, quando illud mirum referri debeat ad auxilium Dæmonis, est, cùm vel media, quæ adhibentur ex se vim naturalem non habent ad illud, vel præter consuetudinem Ecclesiæ applicantur. Unde ex suo genere est peccatum mortale.

## §. XIV.

### *Maleficium.*

91. QUæritur. *Quid sit maleficium?* Resp. Est *ars injustè nocendi aliis ex pacto cum Dæmone.* Si maleficium adhibeatur ad excitandum amorem carnalem, vel odium inter personas, dicitur amatorium. Si ad nocendum in corpore per infirmitates, vel bonis externis per ventos, pluvias, &c. est veneficium, de quibus diximus *cap. 4. num. 12.*

Dices. Dæmon non potest voluntatem necessitare, nec cogere ad peccatum, ergo nec excitare hominem ad amorem venereum, vel odium.

Resp. Negando consequentiam. Non necessitando excitat, sed alliciendo, vel alterando phantasiam, formando species repræsentantes rem amatam amabiliorem, vel carnis appetitum inflammando. Utinam sæpè Dæmon nobis materiam tentationum non proponeret. Quibus tamen non obstantibus, voluntas est libera ad consensum dandum, & potest maleficiatus, si velit, cum auxilio divinæ gratiæ de tentatione victoriam reportare, & illecebras sensus repellere.

92. Quæritur. *Petrus hæc Confessario aperit; Berta maleficio meo filio ad mortem nocuit, jam est parata nocumentum tollere, sed non potest, nisi alio maleficio:* peto, *an possim sine mortali id ab ea petere, vel consentire, ut faciat: quid Confessarius dicturus?*

Resp. Primò. Quod teneatur eam denunciare S. Tribunali. Secundò. Cum ea reducat ad praxim dicta *cap. 4. nu. 17.* Tertiò. Si per mensem post adeptam notitiam neglexit, absolvi non potest juxta edictum S. Offic. *ibid. num. 10.* Quartò. Quod non potest id sine læthali peccato petere: nam, ut ait Apostolus 3. *non sunt facienda mala, ut eveniant bona:* ad quod applicatur aliud ex cap. 1. *digni sunt morte, &c. non solùm, qui talia faciunt, sed, & qui consentiunt facientibus.* Tum quia, sicut opus per se malum nemo unquam licitè facit, ita nec ad illud ullus licitè induci potest.

Dices. Licitum est ab usurario parato usuras petere mutuum in gravi necessitate, recipere, & postulare, maximè dum non est alius, à quo possit mutuum obtinere. ergo à pari

Resp. Negando consequentiam. Discrimen est evidens: Nam usurarius inducitur ad id, quod sine peccato facere potest, si velit. Mutuum enim petere, & dare peccatum non est, & mutuans potest mutuum dare simpliciter, nihil exigens ultra sortem, juxta dicta §. 5. *nu. 43.* Sed amotio maleficii per aliud maleficium est intrinsecè mala, & sine peccato tolli non potest, adeòque nec peti, ne communicetur in crimine.

Dices. Morietur puer, nisi tale adhibeatur remedium.

Resp. Meliùs est, ut homo moriatur, quàm, ut peccatum committatur, si si-

ne maleficio maleficium dissolvi non potest. Juvetur ægrotus per preces, & Ecclesiæ exorcismos; & dum istis justo Dei judicio non liberatur, commendetur Deo, & relinquatur in manus ipsius.

## §. XV.

### *Vana-observantia.*

93. QUæritur. *Quid sit vana-observantia.*

Resp. Est, *cùm ad aliquid obtinendum, vel vitandum adhibentur aliqua, quæ ad id nec à natura, nec à Deo vim ullam habent*; consequenter illis utens, ac volens indè consequi effectum intentum, ipso usu, & facto protestatur se Dæmonem tacitè implorare, ut eis se ingerat, auxilium præstet, cum non possit aliter optatis frui.

94. At dubitatur, *unde cognoscendum, quod ea virtutem non habeant?*

Resp. Quod à Deo non receperint, colligitur ex regula generali, quod numquam tribuenda est virtus supernaturalis alicui rei, nisi id constet vel ex Sacra Scriptura, vel traditione, & institutione Ecclesiæ, vel ex divina revelatione Ecclesiæ facta; cui fuit revelatum Sacramenta esse signa gratiæ. Quod, nec à natura, colligendum est ex natura effectus; & videndum, an naturaliter possint talem effectum causare; quod, si non possint, consequens est non adhiberi ad talem effectum, ut causas, sed solùm, ut signa ex vanitate humana introducta, ad quorum positionem Dæmon talem effectum operatur, ut sibi homines obstringat, & curiositatem expleat.

95. Quæritur. *In quo differunt vana-observantia, & divinatio?*

Resp. In hoc: per illam intendimus præcipuè aliquid obtinere, vel vitare, aut nostras actiones dirigere in ordine ad aliquod bonum consequendum, vel malum vitandum. Per istam verò intendimus solùm acquirere cognitionem futurorum, & occultorum.

96. Quæritur. *Quot sunt species vana-observantiæ?*

Resp. Sequentes I. Ars notoria. II. Observantia sanitatum. III. Observantia futurorum eventuum. IV. Observantia dierum fastorum, & infastorum. V. Observantia sacrorum.

97. Quæritur. *Quis censeatur delinquere circa primam observantiæ speciem?*

Resp. Qui orationes aliquas, vel jejunia, tamquam media certa, ut infallibilia adhibet ad acquirendas scientias, sine ullo labore, & studio, ad modum scientiarum infusarum. Quod quidem fieri sine mortali non potest. Solet Dæmon per eos loqui, quos hac arte delusit, ipsorum phantasiam alterans, & linguam movens ad quædam illis incognita, & arcana proferenda. Sed cùm pactum vel retractatione, & pœnitentia dissolvitur, aut per orationes, & exorcismos Ecclesiæ tollitur, nec eorum, quæ dixerint recordantur.

98. Quæritur. *Quando delinquatur circa secundam speciem observantiæ?*

Resp. Cùm ad sanitatem, vel sibi recuperandam, vel alteri conferendam, media inutilia, & superstitiosa adhibentur; ut, si recitentur certæ orationes, quibusdam verbis, & non aliis conceptæ; si tot numero orationes adhibeantur,

cur

tot numero candelæ, talis coloris offerantur, cum certa spe, & credulitate, quod per illas, nec plures, nec pauciores, ac per eas sic scriptas, & appensas ad collum, salus, vel res alia obtinebitur infallibiliter.

99. Dices. Orationes sunt media optima ad impetrandam à Deo salutem.

Resp. Pium, & utile est recitare quotidie orationes ad impetrandum à Deo, ut nos à tentationibus liberet, bona etiam temporalia concedat, & tollat mala, prout fuerit saluti expediens; at superstitiosum, & vanum, tot orationes recitare, & non plures ad obtinendum effectum aliquem, ita ut vis ponatur in numero.

Ut extra omnem superstitionis suspicionem sint precum, & benedictionum formulæ, illis utamur, quas Ecclesia approbavit, nec alio ritu, quàm illis in Missali, & Rituali Romano ab ipsa præscriptis.

Offerant fideles in Dei, & Sanctorum honorem candelas aliquas ad devotionem excitandam circa aliquod Sacrum Mysterium: accendant tres in honorem SS. Trinitatis &c. Sed caveant, ne ex credulitate id faciant, quod in ipsorum honorem non sint cessuræ, nisi in tanto numero, talis coloris, & longitudinis sint; simili enim conditione appositæ, non Deus, qui vano non colitur cultu, sed Dæmon honoratur.

Generaliter pro certè superstitiosis, vel suspectis habenda sunt ea media, ad quorum usum exigitur, quod ab isto homine, & non ab alio cum certo numero jejuniorum, certis precibus, certo die, certa hora, tali modo fundendis, vel habentibus admixta verba peregrina, incognita nomina, & characteres: cum tot Crucis signis adhibentur, quæ propter tales circumstantias vim à natura inditam est certum non habere, adeòque non ut causæ prodesse possunt, sed solum, ut signum pacti, quo posito, Dæmon effectum operatur. Quod expressit D. Augustinus *lib. 2. de doctr. Christ. cap.* 20. ubi: *ad hoc genus pertinent omnes etiam ligaturæ, atque remedia, quæ medicorum quoque disciplina condemnat, sive in præcantationibus sive in quibusdam notis, quos characteres vocant, sive in quibusdam rebus suspendendis, atque illigandis, vel etiam aptandis, quodammodo non ad temperationem corporum, sed ad quosdam significationes aut occultas, aut etiam manifestas.*

Idem dicitur de imaginibus Astronomicis, annulis, monetis, & similibus arte-factis, in quibus nulla vis naturalis est ad arcendos dolores; cum sint solum ordo, figura, & compositio talibus characteribus, & signis sub tali hora efformatis. Figura autem nequit actionis naturalis esse principium, nec ipsa ad temperationem corporis aptatur. Ideò, ut signa adhibentur in remedium: quemadmodum alia plura sunt, nullam connexionem, & proportionem habentia cum effectu consequendo, quibus maximè utuntur mulierculæ ad plura vana curiosa, & sæpè nociva.

100. Addubitatur. *Quid agendum, cum quis dubitat, an res vim ex natura sua habeat ad curandam infirmitatem? vel, an curatio dependeat ex pacto cum Dæmone?*

Resp. Roget consilium medicorum, &

peritorum, Quòd si absint: Consulat Confessarium. Numquam cum dubio operetur, quod à Dæmone possit effectus esse; quia id non licet, nisi peccare velit, exponens se peccandi periculo.

101. Quæritur. *Quis reputatur delinquere in observantia futurorum eventuum?*

Resp. Qui ex rebus sibi casu occurrentibus mala aliqua, vel bona sibi persuadet eventura, & juxta rerum occursum suas actiones dirigit. Varia hujus vanæ observantiæ exempla profert Augustinus ubi *supr. cap.*20. ibi. *His adjunguntur millia inanissimarum observationum: Si membrum aliquod salierit: Si, junctim ambulantibus amicis, lapis, aut canis, aut puer medius intervenerit; atque illud, quod lapidem calcant, tamquam diremptorem amicitiæ: Hinc sunt etiam illa, limen calcare, cum ante domum suam transit: redire ad lectum, si quis dum se calciat, sternutaverit: redire domum, si procedens, offenderit: cum vestis à soricibus roditur, plus tremere suspicione futuri mali, quàm præsens damnum dolere. Unde illud eleganter dictum Catonis: qui cum esset consultus à quodam, qui sibi à soricibus erosas caligas diceret, respondit: non esse illud monstrum, sed verè monstrum habendum fuisse, si sorices à caligis roderentur.* Si sal, vel oleum in mensa super mappula spargatur: si tredecim ad mensam sedeant, &c.

Delinquitur etiam per *augurium*, ut, dum quis voces, garritus, & ululatus hominis, animalium, & avium; & per *auspicium*, cum eorumdem motus, gressus, & gesta constituit suarum actionum regulam, quasi possint eventus arcanos dependentes à libertate hominis prænunciare.

102. Quæritur. *Quis delinquere dicatur in observantia dierum faustorum?*

Resp. Qui ad directionem suarum actionum, & negociorum à syderum influxu nullatenus pendentium, observat quosdam dies, in quibus suas actiones omittit, vel retardat, si infaustos cognoverit, & prosequitur negocia, si faustos sit expertus. Propterea aliqui nolunt diebus Mercurii, Mensibusque Majo, & Augusto uxorem ducere, putantes matrimonia in illis diebus infausta fore. Alii nolunt ungues præcidere, aut crines pectere die Veneris: alii renuunt lixivium facere, seu linea abluere quatuor temporum diebus, triduo ante Sabbathum Paschæ à Natali Domini usque ad Epiphaniam, per octavam Corporis Christi, aut diebus Veneris, ne quid infausti contingat. Plures herbas colligunt die S. Joannis Baptistæ, aut prima die Maji ante solis ortum ad certos quosdam effectus, credentes, quia eo die collectas, vim habere majorem. Alii ova, quæ gallinæ pariunt die Parasceve, toto anno asservant, credentes ea vim habere ad extinguenda incendia, si in ignem mittantur; quidam superstitiosè observant certas festivitates, ut, Conversionis S. Pauli, S. Vincentii, vel aliorum Sanctorum, quibus si pluat, vel cælum sit serenum, sibi spondent serenitatem, fertilitatem, vini copiam, aut continuatam per tot dies pluviam, super quo sunt superstitiosi Versus.

*Clara*

*Clara dies Pauli, bona tempora denotat anni.*
*Si fuerint nebulæ, pereunt animalia quaque.*
*Si fuerint venti, designant prælia Genti.*
*Si nix, & pluvia, designant tempora cara.*

Item illi:

*Vincenti festo, si sol radiat, memor esto.*
*Para tuas cuppas, quia multas colligis uvas.*

Ad similem superstitionem pertinet credere, quod tota ferè pluet hebdomada, cum Evangelium secundum Marcum Dominica die in Ecclesia legitur: Salem die prima Aprilis in quatuor pascuorum angulis ponere, ut pecora serventur à maleficio, & similia.

103 Cæterum sine superstitionis culpa, observantur dies, menses, anni, & tempora ad cognoscendos, vel procurandos effectus naturales, quos ex influxu corporum cœlestium pendere, nullus dubitat: ita Medici observant dies in morborum curatione; Agricolæ, Vinitores, Hortulani in agricultura. Sic herbæ certis temporibus colligi, vel ligna cædi pro ædificiis, vel Navibus absque superstitione possunt, si id fiat sola observatione motus, & influxus cæleſtis: certis enim temporibus vis herbarum efficacior est; ligna quoque minus obnoxia sunt corruptioni, & aptiora ad usum.

104. Sed superstitio foret, si observaretur certus hebdomadæ, vel mensis dies tantum, vel certa diei hora, quatenus talis hora, vel dies est; vel adderentur circumstantiæ inutiles, aut orationes otiosæ, vel non approbatæ, ut optimè Augustin. Epist. 55. ad Januarium cap. 7. ibi. *Eos enim culpat* (Apostolus ad Galat. 4.) *dies* Observatis, &c. *qui dicunt, non proficiscar hodie, quia posterus dies est, aut, quia luna sic fertur; vel proficiscar, ut prospera cedant, quia ita se habet positio syderum: non agam hoc mense commercium, quia illa stella mihi agit mensem; vel agam, quia suscepit mensem: non plantem hoc anno vineam, quia bissextus est. Non autem quisquam sapiens arbitretur, observatores temporum reprehendendos, qui dicunt: Non proficiscar hodie, quia tempestas exorta est: aut non navigem, quia adhuc sunt hyemæ reliquiæ; aut tempus seminandi est, quia imbribus autumnalibus terra satiata est, &c.* Ex quibus satis patet ex se fastos, vel infastos non dari, & observationes inutiles esse. Carena de *offic. Inquisit. p. 2. tit.* 12. §. 13.

105. Quæritur. *Qui in observantia sacrorum peccet?*

Resp. Qui figuram Crucis, Sanctorum reliquias, Evangelium S. Joannis, Imaginem Christi, & alia pietatis signa portant, vel collo appensa gestant, adjuncta aliqua vana circumstantia: ut, quod sint scripta in tali carta, tali die, à tali persona: tot filis appensa, & simili.

Sanè quidquid est ab Ecclesia receptum, ut sanctum possunt Fideles licitè ad collum appendere. Si ex devotione, non superstitione appendant. Non debent confidere in scriptura, vel quia taliter scripta sunt, aut in actione illa materiali gestandi rem illam materialem ad collum

lum: Sed debent confidere in virtute Evangelii, seu verbi divini, ac in auxilio Dei, & Sanctorum intercessione, quorum Reliquias gestant. Confidant itaque, quod præservabuntur à malo, non quia gestant, sed, quia studeant obedire Evangelio, declinando à malo, & faciendo bonum: quia divinum auxilium implorant, & Sanctos imitari curant.

106. Malitia vanæ observantiæ in hoc stat, quòd eam practicantes societatem habent cum Dæmonibus, ut expressè Augustinus ubi *supr. de doctr. Christian. cap.* 23.

Unde est ex genere suo gravissimum peccatum; ex ignorantia tamen invincibili, & simplicitate rudium potest esse veniale. Maximè, ubi pactum fuerit implicitum. At ubi quis fuerit monitus, si non desistat, tunc peccat mortaliter, quia præsumitur velle societatem cum Dæmone, & pacto consentire.

107. At, item *petitur. An à mortali excuset protestatio, se nil velle habere cum Dæmone?*

Resp. Affirmativè. Si factum ex natura operis pactum non inferat; Nam tunc factum in tantùm est prohibitum, in quantùm continet pactum implicitum cum Dæmone; atque ita hoc ipso, quòd tale pactum per expressam protestationem excluditur, non est amplius factum inductivum intenti finis. Nec urget paritas de veneno, quæ à quibusdam adducitur. Nam venenum haustum, omni prorsus intentione remota, ex natura rei, & necessariò causat mortem. Unde in propinante veneno protestatio se nolle occidere, nihil operatur.

108. At petitur. *An quis à peccato excusari possit, ex quo plures vanis observantiis utantur?*

Resp. Negativè. Totus mundus est plenus mendaciis, & mendaciloquis, non propterea inde potest inferri fas esse mentiri: audias August. *de Genes. ad litt. lib.* 2. *cap.* 17. eique obedias. *Quapropter bono Christiano, sive Mathematici, sive quilibet impiè divinantium maximè dicentes vera, cavendi sunt, ne consortio Demoniorum animam deceptam, pacto quodam societatis irretiant.*

109. Quæritur. *Mulier vult lucrum ex ludo sortium Januensium,* lotto di Genova, *reportare, ideò data opera sub cervicali apponit quasdam orationes, & nobilium nomina vel tali modo, & situ se componit ad somnum, ut per somnium edisca, quinam sint sorte extrahendi: petitur, an mortaliter peccet?*

Resp. Affirmativè. Nam id est Dæmonis instructionem de industria requirere, & cum eo tacitè convenire, & societatem habere, ut edoceat, & per somnia revelet ea, quæ per somnia certò cognosci nequeunt. A Deo illa notitia expectare non potest, quia virtus divina inutilia non facit, nec Sancti curiosis se immiscent; unde gravis irreverentia, & contemptus est divinæ Majestatis agere cum ipso, tamquam cum vanarum curiositatum fautore, & amatore; & sine Sanctorum irreverentia non fit, eos in Patronos, & in rebus vanis, & curiosis protectores vocare; ideò similium vanitas, & curiositas reprehendatur; nec absolvatur, nisi probetur.

110. Habeat Confessarius somnia oriri posse, vel à causa interna animali, quod solet accidere, dum ea occurrunt phantasiæ,

tasiæ, de quibus quis in vigilia cogitavit. Ita amantes suos amores somniant: Venatores canes, sylvas, feras: Piscatores retia, pisces, flumina, &c. Vel, à causa interna corporali; sæpè enim ex interna corporis dispositione aliquis motus in phantasia excitatur, tali dispositioni conveniens; ita, qui sanguineo abundant humore, somniant hortos, convivia, cantus, &c. Qui phlegmatico, imbres, lacus, aquas, nives, &c. Qui bilioso, rixas, incendia, litigia: qui melancholico, tenebras, mortem, casus, &c. Ex quibus sæpè Medici conjiciunt futuros morbos, & prædominium humoris.

Sæpè ipsorum causa est spiritualis externa: Deus nimirum, vel Dæmon. Quod Deus possit somnia immittere, habetur expressè in Scriptura. Numer. 12. *Vel per somnium loquar ad illum.* Job. 7. *Terrebis me per somnia.* Matth. 2. *Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, &c.* Suos etiam somniatores habet Dæmon, quorum phantasiam commovet, multaque illis repræsentat, & sæpè aliqua occulta revelat.

111. Discernere somnia à Deo immissa à Diabolicis viri prudentis, & Confessarii sapientis judicio relinquitur. Circa quæ. I. Considerandum est, ad quid somnium impellat; si ad opus malum, indiscretum, & vanum excitet; à Deo non est. Si ad bonum, conjici potest esse à Deo; sed cautè procedendum, quia Dæmon solet se in Angelum lucis transformare, ut postmodum vana, falsa, & pernicioſa hominibus suadeat. II. Si post somnium animus sit confusione plenus, inquietus, turbatus, minus promptus ad opera bona: judicium est esse à Dæmone causatum: Si verò promptior, hilarior, & ferventior ad pia opera, & divina signum est esse à Deo.

Cæterùm difficile non est cognoscere ea esse à Diabolo, cum ab eo ipsa procurantur, à quo, vel implicitè petuntur, ut in casu supra dicto; vel explicitè, cum ad eum effectum adhibentur orationes, sacrificia, & cultus, quod est familiare in strigibus, ut diximus supra.

Observare somnia prohibetur Levitici 19. *Nec observabitis somnia.* Deuteron. 17. *Nec invenietur in te, qui observat somnia.*

Quamobrem omninò rejicienda sunt somnia, quæ inutilia, & vana suggerunt: quæ horrenda, vel obscæna repræsentant: quæ ad malum provocant, & quæ futura prædicunt, cum quibus nullam connexionem habent: ea enim vel à Dæmone, vel à natura sunt. Propterea illis uti ad divinandum futura contingentia, vel, ut regula ad dirigendas suas operationes, etiam civiles, aut ad prospera, vel adversa cognoscenda, lethale crimen superstitionis est. Hic enim Diabolica se immiscet illusio, & in tacitam cum Dæmone societatem incidit.

Hinc, si somno accipis te in exitu è domo in hostes irruere, & propterea in vim somnii non exeas: Si inde fit, ut Missam die festo non audias, peccas, non modò non audiendo sacrum; verùm & tibi persuadens, quòd exiens te hostes sint aggressuri, regulans tuas operationes juxta credulitatem, quam habes de somniorum efficacia.

112. Quæritur. *Titius mulieri Egy-*

*ptiaca*, vulgò Zingara *porrigit manus, ut ipsa ex earum lineis sibi prædicat, ostendatque bonam, vel malam fortunam, qualem uxorem sit ducturus, quot annis etiam sit victurus, &c.* Petitur, *an mortaliter peccet?*

Resp. Affirmativè. Si id operatur seriò, & animo credendi firmiter ipsius dictis, quia id esset sperare à Dæmone notitiam futurorum contingentium. Si verò id ex joco, & ad risum, prout communiter fit, non delinquit peccato superstitionis formaliter. Peccat tamen ad minùs venialiter peccato scandali, inducens *Zingaram* ad mentiendum (saltem jocosè si prognosticet aliter, quàm sentiat in animo, quod quidem sæpissimè fit; & inde multi ex levitate interrogantes excusantur à mortali: Verùm, dum constaret, aut dubitaretur, quod Zingara seriò, & ex animo pronunciaret, quid sit futurum, credens ita esse, peccatum scandali in Titio esset mortale; quia tunc Zingara crimen superstitionis admitteret, cujus ipse occasionem præberet.

113. Quæritur. *An pœnitens, qui aliquam superstitionis speciem exercuit, possit ab Ordinario Confessario absolvi?*

Resp. Negativè, si in pacto facto, vel invocatione Dæmonis intercesserit aliqu s error contra fidem Catholicam, hoc est, si crediderit sacramenta, & res sanctas, quibus fortè abusus est ad magicas artes, non esse Sancta: Dæmoni, cui se devovit aliquam reverentiam deberi: Eum habere potestatem in hominum voluntates, vel in res alias, nisi Deus permittat: certò prædicere futura contingentia: astra posse necessitare hominis voluntatem, & similia; vel, si baptismo, & fidei renunciaverit, quia tunc est Apostata à fide, & præsumitur etiam internè contra fidem sentire; nam tunc est excommunicatus in Bulla Cœnæ.

Si verò errorem in intellectu non habuit, videat, an superstitio fuerit reservata Episcopo loci: ut plurimum enim solent superstitiosæ artes extra Romam Episcopis reservari (hic Romæ reservantur Papæ, cum error præfatus intercesserit) in quo casu impetranda est auctoritas ab Episcopo. In quo summa cautione, & prudentia debet Confessarius procedere; sæpe enim expedit pœnitenti, ut gravitatem criminis reflectat, & ab exercitio cesset, eum personaliter mittere ad Episcopum, vel Inquisitores pro absolutione, maximè, si cum reincidentia accesserit, vel expressè Dæmonem invocaverit, eique adorationem, sacrificia, & cultum Deo, & Sanctis debitum exhibuerit. Vid. supr. *cap. 3. n. 29.*

Interroget de damnis illatis, aut in bonis corporis, aut honoris, & fortunæ.

An arte superstitiosa mulieres ad venerem induxerit, & quas: an virgines, an Moniales.

De complicibus.

De Sacrilegiis.

De tempore, quo saltem arte exercuit.

Quot seduxit, & similia.

Tandem non absolvat, nisi priùs damna resarciat, modo sibi possibili restituendo; nisi amoveat maleficii signa, cum execratione ipsorum, & pactorum cum Dæmone, comburat. Nisi libros

super-

superstitiosos Inquisitoribus, vel Ordinariis consignet, vel tradi curet: nisi formulas precationum superstitiosarum, Imagines Astronomicas, ac magicas, annulos, & cætera superstitionis instrumenta, flammis tradat, & occasiones removeat; nisi complices S. Offic. denunciet; nisi à se seductos de falsitate instruat, & se retractet. Nec priùs, nisi vera, & summa signa doloris pœnitentiæ, & propositi videat; & nisi prius exigat juramentum de simulia amplius non committendo. Quod exigendum videtur, maximè ab assuetis, & artis superstitiosæ cum explicito pacto professoribus.

114. Petitur. *Pœnitens dubitat, an cum artem superstitiosam exercuit, habuerit errorem in intellectu contra fidem, poterit ne à Confessario absolvi?*

Resp. Negativè. Nam tunc Confessarius etiam est de sua jurisdictione dubius, cum dubio autem operari non licet, & maximè in casu, in quo agitur de validitate Sacramenti, in quo semper probabiliora & tutiora sunt tenenda, ex dicendis *lib. 2. cap. 1.*

## §. XVI.

### *Vitia Religioni per defectum opposita.*

PEr defectum (quia in cultu deficit) Religioni opponitur irreligiositas, Quæ sub se habet tentationem Dei, sacrilegium, blasphemiam, simoniam, perjurium, & voti fractionem. De blasphemia aliqua diximus supr *cap. 3. num 9. & lib. 2. cap. . num. 13.* De simonia ibid. *cap. 26.* De perjurio *ibid cap. 17. nu. 5.* De voto *lib. 3. cap. 4.* Ideò in præsenti de sacrilegio dumtaxat, & tentatione Dei agendum est.

115. Quæritur. *De quo dici potest, quòd Deum tentet?*

Resp. De eo, qui, ut experiatur, an Deus aliquid possit, vel velit, quidquam facit, cum non deberet: hoc est, cum deberet prudenter judicare, quod Deus non deberet ipsi illa via illud ostendere. Deus tentatur dictis, cum ab eo petitur, ut faciat aliquid, merè ad videndum, an possit, vel velit facere; ita tentat Deum, qui ab eo petit miracula sine necessitate. Tentatur factis, cum sit opus, ut ipse faciat aliquid via extraordinaria, cum posset via ordinaria fieri. Ita Deum tentat infirmus, qui neglectis medico, & remediis ordinariis ad salutem procurandam, à Deo ipsam miraculosè expectat. Eum tentat, qui impetitus à grassatoribus, fuga, dum potest, non sibi consulit, ut divino auxilio liberetur. Tentat ipsum Concionator, qui concione memoriæ non data, ad concionandum procedit, confidens, quòd Deus, vel os ad loquendum movebit, vel scientiam infundet.

116. Dices. Præfati non habent expressam intentionem tentandi Deum, ergo Deum non tentant.

Resp. Negando consequentiam. Deus tentari potest expressè, & interpretativè: tentatur expressè, cum quis dicit, vel aliquid facit cum expressa intentione, ut videat, quid Deus possit, vel velit. Tentatur interpretativè, dum etiam sine ea expressa intentione aliquid agitur, vel dicitur, ad nil aliud utile, præbensque fundamentum ad rationabiliter præsumen-

mendum, & interpretandum se illud præstitisse ad experimentum sumendum de divinis perfectionibus.

117. Nota, quòd Deum non tentat, qui ab ipso orationibus petit, ut per bona media ostendat sibi suam voluntatem, ut eam impleat.

Item, quòd si necessitas, vel rationabilis causa subesset, tunc non tentaret Deum, qui auxilium aliquod extraordinarium ab eo postularet, aut expectaret, juxta illud 2. Paralipom. 20. *Cum ignoramus, quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros ad te dirigamus.* Hinc dixit August. *lib. 10. confess. cap. 35. In ipsa religione Deus tentatur, cum signa & prodigia flagitantur, non ad aliquam salutem, sed ad solam experientiam desiderata.* Propterea viri sancti, qui suis precibus obtinuerunt à Deo miracula, Deum non tentarunt, quia ex aliqua necessitate, vel pia utilitate, aut speciali Dei motione movebantur ad petendos tales effectus.

118. Quæritur. *An tentatio Dei sit ex suo genere mortale?*

Resp. Affirmativè. Nam cum ea non potest servari charitas cum Deo, cui ex charitate debemus reverentiæ bonum, per tentationem autem summam ipsi irrogamus irreverentiam. In humanis nullus sine irreverentia, & contemptu Principis quærit absque irrationabili causa, quid ipse velit, sciat, & possit; ita in fortioribus terminis in proposito Deum tentans ipsi irreverentiam irrogat, vel, quia dubitans de ipsius potentia, vult scire, quid possit; vel, quia volens ejus secreta noscere, vult experiri, quid velit; vel, quia vult ipsum necessitare, & ad miracula cogere.

119. At petitur. *An à mortali excusare possit parvitas materiæ?*

Resp. Negativè. Quia tentatio Dei, nec formalis, nec interpretativa admittit parvitatem materiæ; in irreverentia enim facta Divinæ Majestati immediatè hæc non datur, per dicta supr. *num.* 11. Quamobrem tentatio Dei semper est mortale; & solùm esse potest veniale ex defectu perfectæ deliberationis. De hac re videndus D. Thomas 2.2 *q* 87.

## §. XVII.

### *Sacrilegium.*

120. Quæritur. *Quid sit sacrilegium.*

Resp. Est *violatio rei sacræ in eo, in quo est sacra, seu cultui divino, & Deo dedicata.* Rebus sacris, Deoque dicatis reverentia debetur, ergo qui eas irreverenter tractat, sacrilegium committit.

121. Quæritur *Petrus furatus est in Ecclesia; Item Clericum percussit; Item Sacramentum in mortali suscepit; petitur, an in confessione satisfaciat, dum se accusat, se commisisse sacrilegium, vel debeat speciem explicare.*

Resp. Species est explicanda. Triplex enim sacrilegii species distinguitur. Prima, qua fit injuria personæ sacræ; ut, si in Clericum, vel Religiosum violenta manus injiciatur, percutiendo, & rapiendo: Si eorundem Immunitas per Judicem laicum violetur, trahendo ipsos ad suum forum: Si contra votum perso-

personale castitatis peccatum committatur.

Secunda, qua fit injuria loco sacro, ut, si vi ab Ecclesia extrahatur reus, qui ad illam pro asylo confugit: Si ipsa injusta sanguinis humani, vel voluntaria humani seminis effusione polluatur, & profanetur: Si ex ea furto, vel rapina res, etiam non sacra accipiatur.

Tertia, qua fit injuria rebus sacris, hoc est, Sacramentis, oleo sancto, aquæ, & Agnis benedictis, &c. Reliquiis, & Imaginibus Sanctorum: juribus, & bonis Ecclesiæ; sive sint mobilia, sive immobilia ad sustentationem ministrorum deputata: & verbis sacris Scripturæ, adhibendo ea, vel ad superstitiones inducendas, vel hæresim confirmandas, aut ad vana, & res ludicras. *Trid. sess. 4. in decret. de usu. sacr. libror.*

Quamobrem, ut integrè confiteatur, debet speciem sacrilegii aperire: cùm certum sit, sacrilegium commissum per furtum in Ecclesia specie distingui à patrato per violentam manuum injectionem in Clericum, vel indignam receptionem sacramenti.

122. At petitur. *An satis sit, ut speciem fateatur; ut, quòd abusus sit persona sacra, quod res sacras, vel sacramentum irreverenter tractaverit, &c.*

Resp. Negativè, sub quavis specie sacrilegii ex adductis sunt diversi gradus secundùm moralem malitiam, juxta differentiam personarum, & rerum sacrarum.

Hinc, dum læduntur personæ sacræ oportet videre, in qua specie sint sacræ: an violatum fuerit votum castitatis, & an simplex, an solemne? an illud abstinentiæ? Nam sicut votum castitatis specie distinguitur ab illo abstinentiæ, & illud simplex castitatis à solemni ex dicendis *cap. sequen. nu.* 10. ita sacrilegia in ipsorum violatione commissa. Pariter privilegium canonis specie distinguitur ab illo Fori, adeòque & sacrilegia per lædentem illa in Clerico patrata. Item aliud est sacrilegium percutientis, vel occidentis Clericum, & aliud violantis castitatem in eo. Item major, & alia deformitas moralis notabiliter aggravans, in hoc apparet, quod quis Clericum occidat, quam merè verberet, vel mutilet; & in eo, quod Episcopus percutiatur, quàm simplex Clericus. Atque ita gravius est Clericum occidere, quam præcisè verberare; graviusque percutere Episcopum, quam simplicem Clericum. Quæ omnia de necessitate sunt explicanda distinctè in confessione.

Item, sicut sacramenta specie distinguuntur, sic sacrilegia circa ea commissa; & cùm conferens, & recipiens essentialiter differant, ita diversum specie sacrilegium est, quo sacramentum ministratur in mortali, ab eo, quo in mortali recipitur, & ideò explicandum, an peccatum fuerit commissum in ministratione, vel receptione. Sicut, dum quis se accusat deliquisse in Sacramentorum confectione aperire debet, an ex defectu intentionis, an materiæ, vel formæ.

Denique, sicut reliquiæ Sanctorum, Agnus Dei, vasa sacra, &c. specie differunt, ita & sacrilegia circa ea commissa. Quapropter in confessione aperiendum est, quòd quis deliquerit, vel circa Sanctorum reliquias, aut Agnus Dei; vel, quòd celebraverit sine Pate-

na, sine Corporali, vel Stola; quòd verbis Sacræ Scripturæ abusus sit, & ad quid? aut, quòd bona Ecclesiæ occupaverit, vel jura usurpaverit.

123. Quæritur. *Qua regula est ponderanda à Confessario, ut cognoscat, quando à pœnitente sacrilegium sit commissum?*

Resp. Debet considerare, ad quid persona, locus, vel res sit sanctificata, vel Deo sacra: & videre, an aliquid actum sit contra illud, ad quod sanctificata; & sacra dicitur. V. G. Ager Ecclesiæ est sanctificatus, & Deo dicatus, quoad hoc, quod sit exemptus ab oneribus, & jurisdictionibus Laicorum; ideò committitur sacrilegium, si sæculari authoritate illis gravetur; non autem si quis in eo fornicetur, quia per hoc, quod est Ecclesiæ, non est, quoad hoc exemptus. Item, sacrilegium est, si quis in loco sacro fornicetur, non verò si ibi detrahat, & blasphemet, quia loci sanctitas est ad exemptionem à voluntaria humani seminis effusione, non à detractione, & blasphemia (quamvis aliàs peccetur mortaliter) Pariter sacrilegium est, si Sacerdos fornicetur, quòn sanctificatus est, & sacratus ad castitatem, non autem si blasphemet, quia ad non blasphemandum non est sacratus Deo, nisi votum emiserit de non blasphemando, quia tunc etiam blasphemans sacrilegio, & non simplici mortali, delinqueret; ex quo in eo, tunc se ipso abuteretur, in quo esset sacer, juxta dicta seq. *cap. num.* 11.

124. Quæritur. *An sacrilegium ex genere suo sit mortale?*

Resp. Affirmativè. Ratio est, quia quemadmodùm nequit servari charitas, cùm homini injuria irrogatur, ita nec servari potest, cùm Deo injuria infertur: infertur autem per irreverentiam rerum sacrarum, & ad divinum cultum deputatarum; eisque injuria per violationem facta, in Deum redundat, sicut injuria facta purpuræ redundat in Regem.

125. At petitur. *An propter levitatem materiæ possit esse veniale?*

Resp. Affirmativè. Et propterea DD. asserunt, sacrilegium, quod per se est mortale, per accidens, hoc est, ratione parvitatis materiæ, & imperfectæ deliberationis posse esse veniale.

126. At petitur. *An in omni materia sacrilegium ex parvitate materiæ possit esse veniale?*

Resp. Negativè. Veniale esse non potest. I. Dum, etiam si materia sit minima, quis vult illud committere ex formali intentione dehonorandi Deum, vel cum divini cultus formali contemptu. Et ita, cum ea intentione irreverenter proferre, etiam nomen Jesu, est læthale sacrilegium: in quo, si non ratione materiæ, ratione tamen contemptus, gravis malitia, & deformitas reperitur.

II. Cùm ex defectu alicujus prærequisiti totaliter effectus tollitur; ita, ubi quis ex industria guttam aquæ biberit, vel granum millii comederit, si posteà communicat, læthali sacrilegio delinquit, quia totaliter impeditur gratia, effectus sacramenti: unica aquæ gutta secundum se est materia levis, sed impedire totalem sacramenti effectum res gravis est.

III. Dum Sacerdos voluntariè illud parum aquæ necessarium ex præcepto Ecclesiæ non admiscet vino consecrando.

Nam

Nam tunc totalis significatio tollitur, juxta dicta *lib. 5. cap. 4. nu. 14.*

IV. Sicut in rebus venereis parvitas materiæ non excusat Laicum à mortali, ita nec Religiosum, vel Sacerdotem à sacrilegio, quia in eis rebus illa non admittitur.

V. Quia verò furtum unius oboli parvitas materiæ est, à mortali excusans, ita à sacrilegio mortali ex parvitate materiæ excusatur, furans obolum in loco sacro, vel religiosus contra votum paupertatis absque licentia de obolo disponens: in his enim gravis irreverentia non apparet rebus sacris fieri.

## §. XVIII.

### *Fortitudo.*

127. Quæritur. *Quid sit fortitudo, ut est virtus moralis?*

Resp. Est *virtus importans firmitatem animi in sustinendis, & repellendis, quando oportet ad bonum virtutis, doloriferis, continentibus etiam pericula mortis*, ut, mutilationibus, incarcerationibus, exiliis, tormentis, &c. ipsaque morte; quæ cum sint apta frangere cujusvis animum, & difficile sit firmitatem in eis habere, ac non timere mortis pericula, necessaria est virtus, quæ moderetur timorem, ne nimis timendo mortem, Deum offendamus relinquendo virtutis exercitium, & moderetur audacias, ne plus aggrediamur, quàm recta ratio dictet.

128. Audacia committitur temeraria vitæ expositione. In hoc genere, præcipuus actus fortitudinis est, prudens animadversio cum cautela periculorum, ne exponatur, ubi sine ulla utilitate, vel necessitate mors sequeretur. Ideò, etiam viri sancti mortem, quando eam subire non oportebat, per fortitudinis actum præcaverunt.

Hinc fortis est Parochus, qui videns sibi imminere mortem, si officium suum, & charitatem erga peste infectos exerceat forti ausu, periculum mortis contemnens. Fortes fuerunt antiqui Christiani, qui sine querela sustinuerunt exilia, bonorum amissionem, &c. & fortissimi martyres (ideò dicti, quasi testes fidei Catholicæ) qui pro Christi fide, animo forti, & firmo absque metu, ipsam mortem à Tyrannis tolerarunt.

Dices. Fides obligat sub mortali, ut, non obstante quocumque, etiam mortis periculo, non negetur, sed confiteatur; quia licitum non est, ob timorem cujuscumque mali, etiam mortis, fidem negare, vel alias virtutes violare, sed quilibet fidelis tenetur se morti exponere pro defensione omnis Christianæ virtutis: Ergo non fortitudo eam firmitatem præstat.

Resp. Negando consequentiam. Licèt enim aliarum virtutum præcepta, etiam cum mortis periculo, obligent, & homo eas sic in facti contingentia exequi teneatur; non sequitur tamen, quòd ipsa virtus exequenda in tali periculo sit fortitudo, sed hæc ab ea in subsidium imploratur: explico: coram Tyranno mortem minante est confitenda fides: fides tunc cum Dei auxilio facit internè credere firmissimè ea, quæ à Deo sunt revelata Ecclesiæ Catholicæ, & confiteri externè talem assensum; sed fortitudinis virtus facit

cit pro eo loco, & tempore, ut fidelis promptè, alacriter, & sine metu Tyranno resistat, & mortem pro fidei veritate gloriosè sustineat. In privatione delectationis venereæ, & separationis ab amica sentitur difficultas, hæc superanda est à castitate, pro qua conservanda debet mors sustineri; difficultas verò, quæ in eo sentitur, à fortitudine superatur. Quamobrem, ut dixit Lauræa *to. 2. de virtu. in gen. disput. 26. art. 4. num. 53.* difficultates procedentes à passionibus, quæ non respiciunt malum, seu damnum externum, ut cruciatus, amissionem bonorum, &c. superari debent à particularibus virtutibus per proprii actus exercitium; dum verò pro exercitio talium virtutum aggredienda sunt, & superanda difficilia exteriora, quæ tale aliquod damnum possunt inferre: vel sustinenda sunt mala illa, quæ jam advenerunt, necessaria est fortitudo, ut ab illis distincta. Hinc dicitur, quod fortitudo est virtutum custos, & quod semper, vel ferè semper conjuncta est cum aliqua alia virtute; *Legendus ille.*

129. Quæritur. *An fortitudo obliget ad suum actum?*

Resp. Ad internum, qui ponitur in prompta voluntate, qua simus parati, etiam subire pericula mortis, ubi unum ex his immineret, quàm Deum offendere, semper obligamur: quia semper parati esse debemus vitare potiùs Dei offensam, etiam minimam, quàm cætera mala pœnæ, etiam gravissima. Ad externum, hoc est, ad ipsam actualem externam tormentorum, & mortis passionem tenemur in casu particulari, & dum occasio se præbet, vel sustinendi pœnas, aut mortem, ne, vel fides negetur, castitas violetur, &c. quo casu ad actum fortitudinis ad minus per accidens, ut V. G. Fides confiteatur, & non negetur, sub mortali obligamur. Imminet Christiano mors à Tyranno, si fidem non neget: duo Christiano præcipiuntur, hoc est, internus actus fidei cum externa ejusdem confessione, & ipsa mortis perpessio; ad primum obligatur per se, seu obligatione proveniente ab ipsa virtute fidei, quæ præcipit, ut non negetur, etiam cum periculo vitæ: ad secundum per accidens, in ordine scilicet ad exercendum actum fidei: propterea, dum vi tormentorum fidem abnegat, non tenetur in confessione explicare, quod omisent actum fortitudinis, sed sufficit, si accusset peccatum negationis, & cætera juxta dicta *cap. 1. n. 3.* Campion. *p. 2. cap. 44. n. 13.*

130. Quæritur. *Quæ vitia fortitudini sint opposita?*

Resp. I. Per excessum in timendo opponitur timiditas, quæ de sua natura est veniale, sed per accidens, & ratione alterius fit mortale; dum inordinatè, & plusquàm amanda sit, amatur vita; & inde fit, ut ad vitandas pœnas, vel mortem, quis eas non sustineat, Christum neget, fornicetur, &c. II. Per excessum in audendo opponitur audacia, seù impaviditas, ratione cujus homo magis, quàm debet, exponit vitam, & bona temporalia. Quæ est mortale, vel veniale pro gravitate, vel levitate mali sequendi. III. Per defectum in aggrediendo pericula opponitur vecordia, qua homo, ut debet, & potest, deficit in audendo aggredi, & tentare pericula.

131.

131. Quæritur. *Quæ virtutes ad fortitudinem reducantur?*

Resp. I. Magnanimitas. II. Magnificentia. III. Patientia. IV. Perseverantia.

132. Quæritur. *Quid sit magnanimitas Christiana?*

Resp. Si loquimur de ea, quæ ponitur pro gradu quodam perfectionis fortitudinis, idem est, *ac animus promptus ad subeunda ob bonum virtutis, lumine fidei præsuppositio, etiam magna pericula mortis*; prout plures viri sancti fecerunt. Si verò sermo sit de ea, ut est fortitudini annexa, est idem ac *virtus magnorum bonorum desideria moderans, erigens spem, ut quis cum Dei auxilio, vel propter Deum, tentet magna opera, quæ magno honore sunt digna*; propter quæ & ipse magno honore dignus reputatur; circa quem tamen ita magno animo est, ut in honorem primariò non tendat, nec pro magno mundanum honorem faciat, sed circa opera, & res præclaras propter Deum occupatur, ad quas sequitur, ut inde honoretur. Verùm honores promeritos suscipit, vel recusat, prout Dei gloriæ, suæ, & aliorum saluti conducere judicat; nec extollitur, si honoretur, sed ad Dei gloriam utitur. Exemplum: magnum in Dei gloriam, & Sanctorum honorem templum juxta tuas vires ædificas: publicæ commoditati hospitale relinquis: oblatum tibi ab Ecclesia in populi utilitatem officium periculis plenum non refugis, confidens cum Dei auxilio illud implere; propter quæ honorari, & laudari non parum mereris, magnanimus es.

133. Est magnanimus alienus à *præsumptione*, quia non aggreditur opera, sicut præsumens, supra suas vires, & merita: ab *ambitione*, cum non primariò, nec directè, sicut ambitiosus quærat honores, nec falsos, vel, qui ad opera mala sequantur: *A vana gloria*, quia non de opere moraliter malo laudare appetit: Et à *pusillanimitate*, quia ex parvitate animi, vel suam auctoritatem, dignitatem, & privilegia defendere, aut officium periculis, & difficultatibus abundans, sibi in proximi utilitatem datum, amplecti non negligit.

134. Hinc habes vitia Magnanimitati opposita esse Præsumptionem, Ambitionem, inanem Gloriam, & Pusillanimitatem; quæ tamen per se non sunt mortalia, quia Magnanimitas, cui opponuntur, ex sua natura sub mortali ad suum actum non obligat; nam magna hìc, & nunc, ad quæ ipsa dirigit supererogationis, non necessitatis opera sunt. Verùm per accidens, & cum ex aliis capitibus habent destruere charitatem, mortalia fieri possunt: ita mortaliter peccas, si sine jurisdictione absolvas: non ordinatus in Presbyterum consecres. Nam supra tuas vires præsumens, sacrilegia committis. Si Episcopatum per simoniam acquiras, ut inde honoreris: si honores divinos quæras, ambitio in te lætalis est. Si de furto, stupro, &c. laudari cupias, inanis gloria est peccaminosa graviter. Si ex animi dejectione dignitatem tuam non defendis, & inde sequitur contemptus Ecclesiasticæ prælaturæ, Pusillanimitas est lethalis.

135. Quæritur. *Quid sit magnificentia?*

Resp. Magnificentia Christiana est *vir-*

*tus inclinans ad erogandos magnos sumptus in opera sumptuosa, magna, & decentia in ordine ad Dei gloriam, & salutem suam, ac proximi commoditatem, ut est erectio templi, Monasterii, &c.* Verùm, ut quis magnificus dicatur, debet sumptus, quos facit, excedere, qui regulariter solent inter homines fieri, nec solùm debet animum habere expendendi in opus magnum magnam pecuniarum summam, sed debet etiam expendere, quia hujusmodi animus potest & in paupere esse, qui magnificus non dicitur. Immò de ratione magnificentiæ est, ut thesaurorum effusio ita magna sit juxta dignitatem personæ, ut non sit facilis æqualis, aut superabilis; propterea, si Rex, vel alius Princeps impendat in opere aliquo magno, plusquàm privatus, non proinde est magnificus; sed si effundat supra alios sibi pares, ut non possit facilè æquari, aut superari.

136. Petitur. *An magnificentia distinguatur à prodigalitate, & liberalitate?*

Resp. Affirmativè; à prodigalitate, quia hæc dat plura; sed non secundùm ordinem rationis, & quando non oportet: magnificentia autem plura erogat, sed non nisi, ut oportet ad magnifica, & sumptuosa opera pro sacris, vel pro publica utilitate; à liberalitate etiam, quia liberalis solùm in parvis, & mediocribus, & rarò in operibus sumptuosis opes erogat.

137. Vitia opposita Magnificentiæ, sunt I. *Parvificentia* per defectum; & est, dum quis vel non aggreditur magnum opus, ut convenit, ne faciat magnas expensas: vel aggreditur, & in eo non vult consumere expensas proportionatas magnitudini operis: Ex genere suo non est peccatum mortale, sed potest fieri per accidens, ut si adeò pecunias desideres, ut paratus sis ob ipsarum amorem Deum offendere.

II. Pecuniarum consumatio in hoc consistens, quod magni thesauri profundantur excedentes operis dignitatem; Quæ etiam potest per accidens esse mortale, ratione injusti nocumenti, ut, si legatis non fiat satis, justitia non administretur, &c.

Dices. Magnificentia Deo tribuitur, sed ut sic non respicit pecuniarum, & Thesaurorum profusionem, sed solùm opera magna, & excelsa, ergo à nobis non bene fuit descripta.

Resp. Nos descripsisse Magnificentiam, ut est sub liberalitate, & species ab ipsa diversa, non verò prout significat habitum, vel actum faciendi opera magna, & excelsa in quovis genere rerum: hanc Deus in operibus creationis, redemptionis, justificationis, & miraculis magnis ostendit. De quo pro Confessario satis.

138. Quæritur. *Quid sit patientia?*

Resp. Est *constans in rebus adversis propter Deum, tolerantia.* Additur propter Deum, ut Confessarius videat discrimen patientiæ Christianæ ab alia. Ad recuperandam sanitatem sustines ferrum, & ignem, patiens es, sed in patiendo non mereris: ea sustines ex amore Dei, vel, quia tuis peccatis majora debentur, verè patiens es; & dum justus sis, talis actus est meritorius. Christus non omnes, qui persecutiones patien-

tiuntur, beatos prædicat, sed qui patiuntur propter justitiam.

139. At petitur. *An teneamur aliquando sub mortali ad exercendum actum patientiæ?*

Resp. Sub mortali tenemur esse dispositi ad toleranda mala, quæ nobis possunt accidere, ne charitatem perdamus, aut ne mortaliter peccemus: Ad externum actum patientiæ tunc sub mortali tenemur, ea mala patienter tolerando, cùm sine illo charitas non potest servari; & propterea, quia patientia tunc obligat ratione charitatis, solùm per accidens obligabit. Consequenter in confessione non obligabimur explicare omissionem actus patientiæ, sed satis erit aperire mortale, quod omittentes eum commiserimus.

Ex his habes impatientiam, quæ patientiæ opponitur, per se non esse mortale; sed per accidens sit ratione scandali, aut mali gravis, quod quis impatientia victus committere proponit; vel ob perjuria, blasphemias, & imprecationes, in quas prorumpit.

140. Quæritur. *Quid sit perseverantia?*

Resp. Est *virtus, per quam, non obstante temporis diuturnitate, difficultate, & molestiis, homo persistit in bono opere, prout id à recta ratione dictatur.* A Confessario ad sex menses te obligante recitare quotidiè psalmum *De profundis*, petis, ut tibi id mutet in duo Defunctorum officia, unica vice recitanda: recusas primum, quia id, ratione durationis difficilius est, quàm difficile sit duo officia recitare; sed dum illud eligis, difficultatem ex diuturnitate provenientem per perseverantiam vincis.

Actus internus perseverantiæ est electio sustinendi in rebus difficultatem ex diuturnitate provenientem: externus autem est ipsa perpessio in actu exercito: de quorum actuum obligatione discurras, juxta dicta de patientia.

141. Quæritur. *Quæ vitia opponantur Perseverantiæ?*

Resp. I. Per defectum *Mollities*; non ea castitati opposita, sed per quam homo ratione mollis, & delicatæ vitæ nolens diù delectatione, & voluptate carere, cedit difficultati, quæ in bonorum operum exercitio occurrunt. Estque mortale, cum ipsa charitas non servatur.

II. Per excessum *Pertinacia*; in eo consistens, quod quis ita suæ sententiæ adhæreat, ut nolit cedere, quibus, & quando secundùm rectam rationem cedere debet. Quæ pariter læthalis est, dum cum ea charitas servari non potest: seù, dum quis obligatur sub mortali alteri cedere, & cedere non vult. Obligamur omnes subjicere intellectum definitionibus Ecclesiæ, credendo, quæ ipsa credenda proponit; si non cedas credendo, sed, ubi scis hanc, vel illam Ecclesiæ definitionem, oppositum teneas, pertinax es, & mortaliter peccas, cum in materia fidei pertinax sis, & hæreticus. Teneris Romano Pontifici præcipienti obedire, si obedientiam negas, es pertinax, & schismaticus, juxta dicta *cap. 1. nu. 24.* Debes obedire legi præcipienti sub excommunicatione majori non alienare bona Ecclesiastica, sine consensu Sedis Apostolicæ; alienas, pertinax, contumax, & inobediens diceris. Et ex his ad similia.

## §. XIX.

### *Temperantia.*

142. QUæritur. *Quid sit temperantia?*

Resp. Est virtus, *quæ moderatur delectationes corporis maximè ex cibo, potuque, & venere perceptibiles:* dicitur, *moderatur*: nam non omninò tollit usum delectabilium, quia aliàs non esset virtus, quæ mediocritatem servat: propterea contra rationem, & per defectum contra temperantiam peccat, qui nec cibo, nec potu uti vult, & debitum exigenti legitimè in matrimonio reddere recusat.

Hinc nota objectum materiale temperantiæ esse omnes delectationes corporeas, sed præsertim, quæ ex cibo, potu, rebusque venereis percipiuntur. Nam temperantia circa delectationes sensuum versatur, superans in illarum usu difficultatem specialem, ne illis homo utatur præter mensuram rationis, aut præter finem indebitum: formale verò esse earundem delectationum usum honestum, hoc est, rationi consentaneum, ad quem ipsa inclinat.

143. Quæritur. *Quæ virtutes ad temperantiam, tamquam species spectent?*

Resp. Sequentes. Abstinentia, Sobrietas, Castitas, Pudicitia.

Quæritur. *Quid sit abstinentia?* Quid *Sobrietas?*

Resp. Abstinentia est *virtus, quæ moderatur delectationem cibi, & potus in edendo, & bibendo sic, ut quis, habita ratione valetudinis, & personæ, mensuram rectæ rationis non excedat, nec plus edat, aut bibat, quàm ad humanam vitam sustentandam, illiusque functiones exercendas, est secundum prudentis arbitrium necessarium.*

Sobrietas verò est, *qua ita potum moderamur, ut non noceat usui rationis.*

Dices. Ergo non abstinentia, sed sobrietas potus usum moderatur.

Resp. Distinguas hæc duo, ita potum moderari, ut immoderatus non noceat usui rationis per ebrietatem; & ita eum moderari, ut quis ob delectationem in bibendo non plus bibat, quàm decet. Secundum spectat ad abstinentiam, quæ cibi, & potus delectationem impedit. Primum verò ad sobrietatem, quæ prohibet impedimentum rationis in usu.

144. Quæritur. *Quæ vitia opponantur abstinentiæ?*

Resp. Per defectum opponitur *indiscreta abstinentiæ:* per se non est mortale, sed fit per accidens propter nocumentum, quod quis inferret suæ saluti, deficiendo in assumendo cibo necessario. Per excessum Gula, de quo *lib. 2. cap. 6. nu. 3. & 5. & cap. 8. num. 46.*

145. Quæritur. *Quæ vitia opponantur sobrietati?*

Resp. Per defectum est vitium innominatum: per excessum verò ebrietas, *quæ est inordinatus potus privans usu rationis.* Est de se peccatum mortale, quia cum ebrietate non potest servari charitas. Si ex charitate te amas, debes tuum tibi velle bonum: adeòque, & bonum usus rationis, per quod principaliter in operando à brutis distingueris, quod bonum per ebrietatem tollitur. Hoc applica ad incitantem alios ad se inebriandum.

Dices.

Dices. Etiam per somnum ratio plenè constringitur, & amittitur, qui tamen per se non est mortale, ergo, &c.

Resp. Discrimen est, quia somnus est naturæ debitus, & ad reparandas vires, etiam rationis, ordinaria lege necessarius, excitatoris voce auferibilis, neque alicujus voluptatis immodicum usum supponit: propterea paritas inter somnum, & ebrietatem instituenda non est. Vide d. *cap. 6. num. 7.*

146. Quæritur. *Quid sit castitas?*

Resp. Vide pariter *lib. 2. cap. 28. num. 2.* Castitati opponitur luxuria, de qua, ejusque speciebus ibid. Ubi diximus, quemlibet actum venereum cum plena advertentia exercitum, extra legitimum matrimonium esse mortale: cum tunc quis eo utatur contra ordinem rationis, hoc est, non juxta finem, ad quem natura per se illum instituit, hoc est, non ad procreationem, & prolis educationem, nec in bonum speciei, aut in remedium incontinentiæ, ut ibi fusius.

147. Petitur. *An possit intendi, & permitti ad salvandam propriam vitam?*

Resp. Negativè Quia inordinatè exercetur: bonum enim speciei, ad quod natura ordinavit actum venereum, prævaleat bono individui.

148. Quæritur. *An in peccatis contra castitatem possit quis excusari à mortali ex parvitate materiæ.*

Resp. Negativè. Conveniunt DD. parvitatem materiæ in rebus venereis non dari; ideò quævis etiam minima delectatio, ubi ex defectu plenæ advertentiæ non est solum venialis, semper mortalis censetur. Idque sivè delectatio consideretur secundum se, sive ratione periculi proximi: *Si consideretur secundum se patet:* nam quævis venerea delectatio ex natura sua ordinatur ad actum venereum; adeòque, sicut extra matrimonium sub mortali prohibetur actus quicumque venereus, ita & quævis delectatio: cui enim prohibetur ultimus actus, & prohibitæ sunt dispositiones ad illum: natura enim tendit ad completum, ergo cui prohibet complementum, ei simul inchoationem interdicit. Evidens est quoque habita *ratione periculi*; nam quis potest fidere in delectationibus venereis semitam, & mensuram servaturum sine periculo, ne à minima illectus in majorem, immò & in actum externum consummatum prolabatur? id suadet in eas proclivitas appetitus sensitivi; idque ostendit Sympathia venereæ delectationis ad sensum, in quo suaviorem tentationem excitat. Ergo, ne dicatur naturæ esse permissum maximum ad peccandum, ac ad nocendum speciei illicitum, ex capite etiam proximi periculi omninò asserendum, & minimam Veneris delectationem plenè voluntariè admissam, extra matrimonium esse lethale, & sub tali jure naturæ prohibitam.

149. Petitur. *An omnes actus contra castitatem sint ex natura sua mortalia?*

Resp. Affirmativè. Ex generali regula, quod tunc mortaliter peccamus, cum actus, qui ponitur, non potest stare cum charitate. Charitas autem stare non potest cum actu venereo, vel dispositionibus ad ipsum. Nam charitas vult proli bonum physicæ existentiæ, & moralis educationis (natura enim ex eo per se in-

tendit ipsam nasci, & rectè posteà educari) actus autem venereus proli præjudicat, vel quoad esse, ut accidit in peccatis contra naturam; vel quoad educationem, ut contingit in aliis speciebus luxuriæ; vel continentiam offendit.

Nec obstat, quod semper non inferant. Nam mortaliter peccat, qui minimam excitat scintillam ordinatam ad incendendum campum, estò per accidens non sequatur incendium; in moralibus attenditur id, quod est per se, non quod est per accidens, prout loco citato diximus.

150. Quæritur. *Quid sit pudicitia?*

Resp. Est *virtus moderans signa impudicæ provocantia, scilicet venereas delectationes*; ut sunt aspectus, oscula, amplexus, &c. Quæ per ea ita regulantur, ut extra matrimonium non exerceantur ex amore, & affectu libidinoso, vel cum proximo periculo ad libidinem. Nam tunc sunt peccata mortalia; cum ad delectationem veneream, & copulam carnalem sua natura ordinentur, & tendant, tamquam viæ, dispositiones, & inchoationes.

151. Conceditur, oscula, amplexus, & tactus ex se esse signa indifferentia, ac ubi ex antiqua consuetudine introducta sunt in signum honesti amoris esse licita ad eum ostendendum. Cæterum cum prævidetur periculum libidinis, saltem in comparte, & ibi abstinendum est. Quod si cautissimè est procedendum in locis, in quibus ex consuetudine exercentur ad talis amoris expressionem, quæ cautela non erit necessaria in locis, in quibus antiqua consuetudo ea in signum honestæ amicitiæ non introduxerit? Vide loco cit. *cap. 30. num. 50.*

Ad castitatem etiam spectat honestas, quæ aliud non est, quàm habitus inclinans ad non libenter loquenda, nec audienda, nec tangenda, quæ spectant ad venerea, etiam cum delectationes non causarent. Quos enim tales videmus, honestos appellamus.

Quæritur. *Quæ virtutes sint annexæ temperantiæ?*

Resp. Mansuetudo, Clementia, Modestia, Humilitas, studiositas, & Eutrapelia.

152. Quæritur. *Quid sit mansuetudo?*

Resp. Est *virtus iræ moderatrix, non sinens eam exurgere, nisi contra quos oportet, ut oportet, & quanto tempore oportet.* Mansuetudo non ita iram coercet, ut absolutè omnem prohibeat (cum excessum dumtaxat, & iram (per vitium dictam) comprimat, ne quis irascatur, vel appetat vindictam, cum non debet, & contra quos non debet) & *iræ defectum* abhorreat, quo quis, dum oportet, nec irascitur, nec ira (per zelum nuncupata) vindictam appetit.

Quæritur. *An mansuetudo obliget sub mortali ad suum actum?*

Resp. Ad actum internum, seu voluntatem paratam, & dispositam ad exercendos actus mansuetudinis, quando sine illorum exercitio non potest servari charitas, aut media, sine quibus charitas non servatur, semper obligat sub mortali; at non nisi per accidens, ratione alterius virtutis. Ad externum verò obligat in facti contingentia, & dum casus occurrit, in quo, nisi exerceatur actus mansuetudinis, charitas sit emittenda,

tenda. Per omissionem actus mansuetudinis peccant, præsertim Superiores, & Judices, qui contra Potentiores, vel alios non commoventur per iram, zelando Dei honorem, & observantiam legum, sed tacent, & propria munera non implent; quo casu directè peccant, & contra charitatem non procurantes bonum publicum, & contra justitiam legalem, cujus finis est tollere injustitias, & mala in Rempublicam.

153. Quare advertas, quòd ira per zelum est bona, ut cum Superior V. G. adversùs vitium ex zelo, & quando, & quantum oportet commovetur, ut corrigatur: de qua procedit illud Psalm 4. *Irascimini* (ira per zelum contra vitium) *& nolite peccare*, excedendo mensuram rationis; nam in isto casu ira est mala, & vitiosa, cum sit inordinata, à recta ratione exorbitans: & de hac dicitur, quod sit *inordinatus appetitus vindictæ*. Qui appetitus si sit inordinatus ex parte objecti, ut optando vindictam injustam; vel justo majorem, vel exequendam propria auctoritate, vel, ut satiativam hominis irati, est ex genere suo semper peccatum mortale, quia charitatem destruit. Solum potest excusari, si desit perfecta advertentia, vel ex parte vindictæ, & punitionis, quæ minima sit; nam tunc est veniale.

Si verò sit inordinatus ex parte modi, hoc est, tendat, utique in justam vindictam, & punitionem, sed quis internè nimis ardenter excandescens externè plura signa iræ ostendat, ac, ut nimis asperè, quàm oportet, procedat, est ex genere suo peccatum veniale. Siquidem quilibet appetitus inordinatus, & extra limites rationis semper est peccatum mortale, vel veniale juxta inordinationis qualitatem. Cæterum potest fieri mortale per accidens, vel ratione scandali; vel, si quis ex iræ commotione graviter in Deum, vel proximum delinquat, blasphemiis, injuriis, maledictis, &c.

154. Pœnitentes, qui se accusant per defectum contra mansuetudinem peccasse, quatenus siluerunt, dum agebatur de Dei offensa, & vitiis corrigendis à Potentioribus commissis, nec supprimere, & emendare curarunt: excitentur à Confessario ad justam iram, ostendendo gravitatem propriæ obligationis, ad quam ex justitia, & in vim officii tenentur. Dum verò aperiunt per excessum contra eam deliquisse, appetendo ex parte objecti injustam vindictam, vel majorem, quàm mereatur delictum, contra quod irati sunt, moneantur de obligatione, quam habent ex charitate optandi bonum proximo, & ex justitia non inferendi ei malum. Si autem reperiantur excessisse ex parte actus nimis irascendo, moneantur, ut iram ad rationis dictamen referant.

Nota iratum differre ab iracundo; quia iratus ex causa provocatus excandescit, sed intra limites rationis; iracundus verò ex quacumque causa, & contra dictamen rationis ad iram semper movetur.

155. Quæritur. *Quid sit clementia?*

Resp. Est *virtus, quæ considerata conditione personæ, loci, & temporis, moderatur pœnas reis debitas, prout id patitur ratio justitiæ.* Distinguitur à mansuetudine, quia mansuetudo moderatur, & refrenat iram, quæ movet ad pœnas dandas;

dandas; clementia verò non nihil diminuit ex pœna, quæ reis juxta leges debetur.

156. Hinc nota, quod sicut ex dictis *lib.2.cap.23.num.* intra latitudinem justi prætii datur infimum, medium, & rigorosum: ita intra latitudinem pœnæ justæ potest alia esse infima, alia media, & alia rigorosa. Clementia animum ita moderatur, ut semper eligatur pœna infima ex iis, quæ sunt infligendæ per justitiam: seu operatur, ut clemens de pœnis retribuat infra condignum,

157. At petitur. *An clementia obliget ad suum actum sub mortali?*

Resp. Negativè. Qui hic, & nunc eligit aliquid justum, non peccat, quia non eligit medium incompossibile cum charitate. Ergo nec per se loquendo peccat, qui pœnam, aliàs justam, sed rigorosam in reum eligit.

Clementiæ per excessum opponitur crudelitas, per quam quis ex animi, quasi cruditate, pœnam irrogat ultra culpæ meritum. Distinguuntur hæc tria, *Severitas, sævitia, sive feritas, & crudelitas.* Severus dicitur, qui reis semper imponit pœnam justam supremam. Sævus, seu ferus est, qui in castigando non respicit culpam rei, sed delectationem propriam in hominis cruciatu, & pœnis. Crudelis verò nominatur, qui, non nisi supposita culpa, pœnam imponit, sed justò majorem. Severus actum clementiæ non exercet, sed non peccat, quia, eo non obstante, pœnam justam imponit. Sævus peccat contra donum pietatis, & inhumanum peccatum committit, quia contra hominis naturam est delectari in cruciatu, aliorumque pœnis. Crudelis autem committit peccatum contra clementiam; & quidem mortale per accidens, quia imponens pœnam justo majorem, charitatem, & justitiam lædit. Videas Layman. *Theol. moral. lib.3. sect.4. de temperant. nu.22.*

Per defectum opponitur *nimia-lenitas:* per quam pœna justa remittitur, vel mitigatur, ubi recta ratio dictat severitate utendum esse ad delinquentem emendandum, & publicum bonum servandum, promovendumque; est peccatum grave, vel leve proportione damni, quod ex remissa castigatione provenit.

158. Quæritur. *Quid sit modestia?*

Resp. Est *virtus, quæ modum statuit, quem quis servare debet in humanis affectibus, & actibus externis.* Sciendum est, quòd ut homo sit perfectè virtuosus, non modò eget virtutibus Theologicis, Fide, Spe, & Charitate ad rectè se gerendum in ordine ad Deum: & justitia, ac virtutibus ipsi annexis, ut id agat in ordine ad proximum: & aliis, ut in ordine ad se rectè disponantur moderando passiones appetitus sensitivi: vel irascibilem per fortitudinem, eique annexas virtutes: & per Temperantiam, aliasque ad eam reducibiles, concupiscibilem; sed eget etiam virtute, qua rectè se gerat in ordine ad hæc exteriora, sive sint corporis gestus, & motus, sive ornatus, & corporis cultus. Ad utrumque est necessaria Modestia, quæ præfata ita componit, ut nihil in eis sit, quod cujusquam offendat aspectum. Illa, quæ occupatur ad componendas etiam in seriis actiones externas, juxta sexum, ætatem, statum, conditionem, &c. modestia morum appellatur: illa verò, quæ cum ornatu,

natu, cultuque personæ, familiæ, domus, &c. modum tenet, modestia in cultu externo, seu ornatus nuncupatur.

159. Quæritur. *An modestia, morum dicta, obliget sub mortali?*

Resp. Negativè per se loquendo, benè verò per accidens, dum per actionem immodestam, quis præjudicat charitati, proximum graviter scandalizans.

160. Quæritur. *An modestia cultus externi, vel ornatus de se obliget sub mortali?*

Item negativè per se loquendo, benè verò per accidens, in casibus, quos dat S. Carolus in instructionibus editis pro Confessariis, ut infra.

I. *Si quis vestitu splendidiore induitur, vel eo se ornat ad finem peccati mortalis.*

II. *Qui sumptuosi vestimenti gratia, vel ipse delinquit, vel alii ejus nomine præceptum Domini, vel Ecclesiæ transgrediuntur.*

III. *Qui causam præstat conjugi, eisve, quorum sustentatio ad eum spectat, ut plusquam privatæ opes ferunt, in vestitum impendant.*

IV. *His adde eos, qui ornatus gratia, non sine peccato mortali superfedent eleemosynis necessariis: aut legata pia non exequuntur; aut similia, quibus obstricti sunt, complere negligunt.*

V. *Qui pro veste mercedem operariis denegant solvere, vel differunt.*

VI. *Qui ære alieno sic se obruunt, ut cum tempore solvendo pares non sint futuri.*

VII. *In hoc ordine ponendi sunt, qui. Matthæucci Cautela Confess. ut se splendidè vestiant, detrimentum proximo notabile inferunt.*

VIII. *Qui ita se exhauriunt, ut filias, cum ad ætatem nubilem pervenerint, in matrimonio collocare non possint.*

IX. *Non solum mortaliter peccatur, cum expensæ factæ in vestibus ordinem, & facultatem domesticam excedunt: verum etiam peccatum committitur in modo se se exornandi: ut, si ornatus ad lasciviam pertrahat: ut revera per se pertrahunt mulierum reserati sinus, detecta contra modestiam brachia, cæteraque hujusmodi corporis nuditates?* Vide dicta superius § 5. *nu.* 36.

161. Quæritur. *Quid sit humilitas?*

Resp. Est *virtus refrænans animum, nè homo plusquam decet, tendat ad excelsa, honores, & dignitates, ratione quarum velit super alios ire.*

Dices. Ergo aliquem honorem, & æstimationem humilitas admittit, ut optime deducitur ex clausula, *ne homo plusquam decet, &c.* quod videtur esse contra humilitatis naturam: cujus hæc sunt officia: Unum, hominem Deo subjicere: & aliud, infra cæteros hominem deprimere.

Resp. Concedendo consequentiam. Humilis indebitam excellentiam, honoremque, vel æstimationem fugit, & debita solum est contentus, ea nimirum, quæ sibi ratione officii, & muneris debetur: ratione cujus justè exigitur, juxta illud ad *Romanos* 13. *reddite omnibus debita, cui vectigal, vectigal, &c. cui honorem, honorem.* Homo potest se considerare secundum se, & ea, quæ ex se ipso habet: & secundum Dei dona. Sub prima inspectione cum non habeat, nisi

defectum, & imperfectiones, honore dignus non est, & necessario debet reputare se inferiorem cæteris, in quibus considerat Dei dona, Prælaturam, officium, &c. ob quæ honorem dignitati debitum non modò acceptare, verum etiam exigere potest. Hinc est, quod viri Sanctissimi permiserunt se honorari ratione officii, & dignitatis, considerantes ista, non ut quid proprium, sed ut aliquid Dei hoc est à Deo acceptum. Sæpè verò ad humilitatis hæroicæ exercitium, considerantes se ipsos imperfectionibus onustos, ad vitia proclives, & mille periculis expositos, nec honorem debitum dignitati sibi exhiberi permiserunt; & ne obtinerent, ad speluncas accesserunt, & sæpè insaniam, & simplicitatem monstrarunt, ut ab hominibus despicerentur: ut de S. Francisco legimus, qui se maximum peccatorem reputabat, considerans, quod, si alii recepissent dona, quæ sibi ex Dei gratia fuerunt collata, magis Deo respondissent, quam ipse ex suo defectu fecerit. Legendus Lauræa supra *disp.* 31. *art.* 4. §. 6.

162. Quæritur. *An humilitas obliget ex genere suo sub mortali ad suum actum?*

Resp. Affirmativè loquendo de ea, prout respicit subjectionem hominis ad Deum, ejusque legi, & Superiori præcipienti. Nam non possum sine mortali hanc subjectionem fugere, ut agam contra legem Dei, vel Superioris, &, dum subesse nolo, charitatem non servo, nec Deum, aut Superiorem diligo, quia positivè nolo illis bonum meæ subjectionis eis debitum. Nec possum ex parvitate materiæ excusari à mortali, quia dum nolo subesse, etiamsi præciperent, ut festucam levarem, totam authoritatem contemno; quod quid leve non est, sed gravis irreverentia, & contemptus ipsorum.

163. Quæritur. *Quæ vitia opponantur humilitati?*

Resp. Per *excessum* opponitur Superbia, hoc est, quasi *super se ire*. Quæ describitur, *est inordinatus appetitus propriæ excellentiæ*. Hæc dum est perfecta, hoc est talis, ut quis ita desideret excellere, ut nec Deo, ejusque divinæ legi, aut Superioribus tenentibus vicem Dei in nostra directione, nolit subesse; est mortalis. Vide *lib.* 2. *cap.* 28. *n.* 39. & 40.

164. Quæritur. *Quid sit studiositas?*

Resp. Est *virtus, quæ modum, & ordinem sciendi constituit, ut non excedamus, nec deficiamus in addiscendo, sed proficiamus, quo ordine, quo studio, quo fine nosse quaque oporteat*; hoc est, ut scientiam quæramus, & desideremus non ad inanem gloriam, aut curiositatem, sed ut medium, quo nos ipsos, & deinde alios, dirigamus in ordine ad salutem. Unde nullus studere debet præcisè, ut doctus, & sciens sit, sed ut per doctrinam utilis sibi, & aliis existat.

165. Petitur. *An studiositas obliget sub mortali ad suum actum?*

Resp De se non obligat, sed solum per accidens, cum nimirum scientia, & cognitio est medium necessarium ad servandam charitatem. Propterea sub mortali obligamur ad discenda necessaria ad salutem, ac symbolum Apostolorum, quod pertinet ad fidem: Orationem Dominicam, quæ tangit actus spei; & præcepta

cepta decalogi, ac Ecclesiæ, quæ tangunt actum charitatis: & numerum Sacramentorum, &c. Hæc generaliter tenentur omnes Christiani scire. Confessarius tenetur sub mortali scire necessaria pro rectè exercendo suum munus, Doctoris, Medici, & Judicis: distinguere lepram à lepra, circumstantias peccatorum, requisita, ut Sacramentum sit validum. Universaliter quilibet sub mortali scire tenetur, quæ ad suum statum, & officium spectant.

Studiositati per defectum opponitur voluntaria ignorantia, & negligentia: per excessum verò curiositas.

166. Petitur. *An ignorantia voluntaria sit ex genere suo peccatum mortale?*

Resp. Negativè, quia studiositas, cui opponitur, ex dictis per se non obligat sub mortali; sed per accidens esse potest; cum per ignorantiam præjudicatur Charitati.

167. Quæritur. *An Curiositas ex suo genere sit peccatum mortale?*

Resp. Negativè, ex eadem ratione. Sed interdum per accidens est mortale aut ratione objecti illiciti, aut finis, aut periculi: Sum curiosus, per tactum, tangens, quæ habent annexam delectationem veneream; per visum, aspiciens mulierem ad concupiscendum: per auditum, audiens detractationes, notabiliter lædentes proximum: per gustum, sumens in notabili quantitate cibos prohibitos, pecco mortaliter.

Sum curiosus, studens Astrologiæ judiciariæ, pecco mortaliter, quia expono me periculo abutendi ipsa, propter quod etiam eam Ecclesia prohibuit. Ex curiositate lego libros prohibitos, pecco mortaliter, faciens in re gravi contra prohibitionem Ecclesiæ: nec excusor, si paucas lineas legam, dum ex earum lectione gravis mihi imminet ruina spiritualis. Ex curiositate inspicio exercentes actum matrimonialem; à Dæmonibus cognitionem rerum peto, mortaliter pecco. Generaliter est ex sua natura mortale, studere cognitionibus sensitivis, quæ sunt contra castitatem: & studere cognitionibus intellectivis, in quibus est periculum proximum gravis damni spiritualis. Atque ita dum pœnitens se de curiositate accusat, interrogetur, in quo genere, & circa quæ curiosus fuerit.

168. Quæritur. *Quid sit Eutrapelia?*

Resp. Est *virtus, quæ decorem servat in dictis, factis ludicris, jocis, & ludis ad animi quietem, & corporis recreationem.* Propterea in eorum usu tria cavenda sunt.

I. Ne delectatio quæratur in operationibus, aut verbis turpibus, nocivis, & mendacibus, prout apud plures est in usu, qui in conversationibus, & recreationibus aut obscænè loquuntur, vel proximo in re gravi detrahunt, aut per mendacia pernicioſa procedunt.

II. Ne gravitas animi totaliter resolvatur.

III. Ut joci, & ludi congruant dignitati personæ, tempori, loco, statui, ætati, &c.

169. Quæritur. *An Eutrapelia obliget sub mortali?*

Resp. Negativè, loquendo per se: licèt per accidens possit quis contra eam mortaliter peccare, cum nimirùm ex aliis capitibus præjudicat charitati; vel, in jo-

cis commiscendo, quæ sunt contra Deum, vel proximum; aut propter jocos Ecclesiæ præcepta non servando, aut sibi in salute, aut facultatibus grave damnum inferendo, &c. aut ludendo ludis à Principe prohibitis, vel utendo fraudibus.

Quibus in casibus peccat contra Eutrapeliam per excessum: per defectum verò, dum necipse jocatur numquam, aut ludit; & honeste jocantibus, ac ludentibus molestus est, durus, asper, & agrestis; & potest esse mortale, si propter suam eruditatem occasionem præbeat litigis: excessus semper est magis culpabilis.

170. Quæritur. *Titius aperit Confessario se occupari in arte jaculatoris, & histrionis, petit, an in eo peccet mortaliter?*

Resp. Peccat mortaliter, si deficiat in prima regula Eutrapeliæ tradita *nu.* 168. & si à catholicis, & piis Principibus non sit permissus: vel, si propter tale ministerium, præcepta Dei, & Ecclesiæ non servat: non jejunat, Missam non audit, & propriæ saluti nocet: nec absolvi potest, nisi cesset.

171. At petitur. *An possit pro officio ludicro, & jocoso mercedem recipere?*

Resp. Moderatam potest: quia non tenetur in eo gratis astantibus famulari, nec suum laborem in eorum recreationem eo tempore dirigere.

## §. XX.

### *Prudentia.*

172. PRudentia *est habitus intellectualis, quo intellectus inclinatur ad cognoscendum, quænam in particulari sint, vel non opportuna media ad actiones morales eliciendas.* Dicitur *virtus moralis*, licèt sit habitus intellectus, non voluntatis, quia est proximè directiva actionum moralium, quorum est mensura, & regula proxima. Cum enim voluntas sit potentia cœca, non potest prosequi, quod honestum est, nisi per intellectum hic, & nunc ei præostendatur. Atque ita prudentia est necessaria, ut in singulis operationibus, consideratis circumstantiis, mediocritatem, & honestatem dictet, & ostendat: ut *hæc ira, iste esus, hæc tristitia, iste sumptus mediocris est, nec major, nec minor, quàm oportet, comparatione operantis, hoc loco, hoc tempore, &c.* prout D. Thom. *cit. q.* 147. Quapropter prudentia censetur, veluti forma generalis omnium virtutum moralium. Legantur Layman. *ubi supr.* Campion. *p. 2. instruct pro Confessar. à cap.* 15. *ad.* 56. Poncius *Curs. Theol. disput.* 23. aliique. ubi agunt de virtutibus moralibus, quorum notitia est in Confessario necessaria, ut circa peccatorum distinctionem, & speciem discurrat.

173. Ut plenius instruaris, vide D. Th. 2. 2. ibi examinantem triginta octo virtutum naturam, teste Campion. *p. 2. cap.* 34. *n.* 6. Ex quibus nonnullæ de sua natura obligant sub mortali ad suos actus; adeò ut vitia eis opposita sint de sua natura mortalia (quamvis in aliquibus excuset parvitas materiæ) Virtutes quæ de natura sua sub mortali obligant, numerantur *tres virtutes Theologicæ: Justitia Commutativa, Distributiva, Vindicativa, & Legalis: Pietas: Religio: Obedientia:*

*dientia: Observantia: Temperantia: Castitas, & Humilitas.* Ideò una ex regulis ad cognoscendum, quando peccatum sit de sua natura mortale, erit videre, an alicui ex præfatis virtutibus opponatur.

## CAPUT XVIII.

*Prop. XXV. ab Alex. VII. &c.*
*Circumstantiæ peccatorum.*

1. PROP. 25. *Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit Confessionis præcepto, dicens: commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.*

Contra castitatem plures species luxuriæ pugnant, de quibus *lib. 2. cap. 28.* unde hic alia sunt aperienda, & in specie agendum de circumstantiis peccatorum de necessitate aperiendis in confessione.

2. Quæritur, *quid per peccatorum circumstantias intelligatur?*

Resp. Intelligitur accidens superveniens actui, jam constituto in aliqua specie mali, ei aliquando afferens malitiam specie distinctam, & aliquando non.

3. Quæritur, *quot sint circumstantiæ peccatorum?*

Resp. Duplicis sunt generis: aliæ speciem peccati mutant, & aliæ peccatum aggravant intra eandem speciem, sed speciem non mutant. Illæ dicuntur, quæ addunt novam malitiam, specie distinctam, actui peccaminoso, vel de una specie in aliam illum transferunt; ver gr. actui, quo furaris in Ecclesia alienam rem, ex circumstantia loci sacri, additur malitia sacrilegii, diversæ speciei à malitia injustitiæ. Aliæ verò, quæ novam distinctæ speciei malitiam peccato non addunt, sed intra suam speciem aggravant, & efficiunt, ut actus sit deterior, & malitia gravior: sic furtum centum aureorum est in specie furti gravius, quàm illud unius aurei, non tamen distinctæ speciei, ut communiter DD.

4. Quæritur, *quotuplex sit circumstantia aggravans intra eandem speciem?*

Resp. Duplex, una præcisè aggravans, seù, ut quidam dixerunt, aggravans finito modo, ut furari sex, & decem; alia notabiliter aggravans, seù aggravans, quasi in infinitum, & notabiliter mutans judicium Confessarii, ut furari decem, & furari mille.

5. Quæritur, *an circumstantiæ sint in Confessione aperiendæ?*

Resp. Affirmativè; de mortaliter mutantibus speciem, fides docet, sic enim definitur in Trid. *sess. 14. cap. 5. can. 7.* sine illis enim non confiteretur quis species peccatorum; de illis notabiliter aggravantibus plures dubitant, sed statim

6. Quæritur, *sed quomodo cognoscendum, quando circumstantiæ mutent speciem, & quando notabiliter aggravent?*

Resp. Dicimus tunc speciem mutare, cum addunt novam speciem malitiam; & hæc additur, quando actus, vel est contra plures virtutes, ut furari in Ecclesia; quia tale furtum nedum opponitur justitiæ, cujus est suum cuique dare, & non auferre illud ab ullo, sed etiam virtuti Religionis, per quam Deo cultus tribuitur, & Locis sacris reverentia; vel, est contra eandem virtutem, per excessum, aut per defectum, ut prodigalitas, & avaritia, juxta dicta *cap. præc. num. 13.* vel, con-

tra eandem per omissionem, vel commissionem, ut hæresis, & omissio actus fidei, quando urget præceptum credendi; vel, quando diversæ speciei indecentia, & turpitudo apparet, ut patet in peccatis mollitiei, bestialitatis, & sodomiæ; quæ, licèt sint contra castitatem, adhuc specie differunt, quia in eis diversæ speciei turpitudo, & indecentia moralis relucet.

Tunc autem solùm notabiliter aggravant, cùm actus, cui circumstantia advenit, non opponitur diversis virtutibus, aut præceptis, ut furari sex, & furari centum, utrumque enim est contra virtutem justitiæ; sed dicuntur notabiliter aggravare, seù quasi in infinitum, quia circa dandam absolutionem, vel imponendam pœnitentiam notabiliter mutant judicium Confessarii: diverso enim modo est tractandus, qui furatus est mille, quàm, qui testonem surripit, & ideò confitendæ

Circumstantiæ his comprehenduntur dictionibus. *Quis, Quid, Ubi, Quibus auxiliis, Cur, Quomodò, Quando.*

7. Circumstantia *quis* comprehendit personam, & qualitatem personæ peccantis, cujus consideratio necessaria est, ut cognoscatur species actionis moralis. Circumstantia verò *quid* quantitatem, & peccatorum qualitatem.

8. Quæritur, *an peccans contra castitatem debeat in Confessione explicare votum, si eo obstrictus erat, quando peccavit?*

Resp. Affirmativè, ratio est, quia peccans cum tali voto, non solùm peccat contra castitatem, sed etiam contra Religionem, ideò peccatum illius ex illa circumstantia voti habet malitiam sacrilegii, distinctæ speciei ab illa pollutionis, fornicationis, &c. &, si compars etiam sit voto ligata, est explicandum, quia sunt duo sacrilegia.

9. Sed quæritur, *an qui pluries votum castitatem, teneatur in Confessione explicare se pluries eam vovisse?*

Resp. Negativè, quia omnia hæc vota sunt ejusdem speciei, & ex eodem motivo virtutis Religionis; immò posteriora videntur esse, veluti ratificatio prioris.

10. At dubitatur, *an explicanda sit circumstantia voti solemnis, vel sufficiat Religioso dicere*, peccavi contra votum castitatis, *non specificando, an votum fuerit solemne, vel simplex?*

Resp. Debet explicari; nam, licèt votum solemne, & simplex non differant specie physica, videntur tamen differre specie morali, cum votum solemne castitatis dirimat matrimonium, quod posteà contraheretur, simplex verò non, ut est communis DD. sententia; propter quod censeri debent diversæ speciei, adeòque peccatum commissum contra votum solemne reputandum diversæ speciei à peccato commisso contra votum simplex. Deinde, violatio voti simplicis affert injuriam soli Deo, at illa voti solemnis injuriam Deo, cui fit promissio, & Ecclesiæ, à qua promissio acceptatur; ideò in violatione solemnis duplex peccatum est, quia duplex injuria. Campion. *par. 2. inst. cap. 33.*

11. Et si quæratur, *an, etiam voto simplici castitatis obstrictus, sacrilegium committat, si contra votum peccet?*

Resp. Affirmativè, quia per tale votum est

est persona Deo sacrata; habetur ex D. Thom. 2. 2. *qu.* 99. *art.* 3. *ad* 1. Campion. *cit. cap.* 37. *num.* 6. ponderat, sacrilegium esse peccatum, quo quis violat, seù abutitur re sacra in eo, in quo est sacra, seù pertinens ad Religionem. Sacerdos, ut habens votum castitatis, est aliquid sacrum: si furetur, abutitur se ipso, sed non in eo, in quo est sacer, ideò non committit sacrilegium in furando, sed in violando castitatem. Religiosus verò, etiam in furando, sacrilegium committit, quia etiam in hoc est sacratus Deo per votum paupertatis. Nota non sufficere in Confessione fateri se commisisse sacrilegium, sed debet exprimi in specie, an violaverit votum solemne, aut simplex: an votum paupertatis: an percutiendo Clericum: an malè absolvendo, celebrando in peccato, &c.

12. Quæritur, *an Sacerdos peccans contra castitatem debeat explicare circumstantiam Sacerdotii?*

Resp. Negativè, sed sufficit dicere se esse sacris initiatum, quia, nec specifica, vel notabilis alia differentia, quantum ad hoc, est inter peccatum Sacerdotis, & Diaconi, cum votum annexum cuilibet Ordini sacro, ejusdem rationis essentialis sit, Sum. Leand. *ver. circumst. numer.* 5. & propterea tota obligatio specialis v. g. non fornicandi, tam in Diacono, quàm Sacerdote oritur ex præcepto castitatis, & voto ipsius.

13. Sed quid, *si Sacerdos, vel Diaconus sit, etiam Religiosus, an possit tacere circumstantiam professionis, & solùm aperire se esse obstrictum voto solemni castitatis?*

Resp. Affirmativè, sed peccat graviùs, quia tenetur duplici titulo. Poncius *disp.* 45. *qu.* 7. *num.* 55. & Campion. ubi supra. Hinc mulier peccans cum Sacerdote Religioso satisfacit dicendo, peccavi cum Religioso, vel Sacerdote; ratio est, quia vota solemnia castitatis, quæ emittuntur in professione Religiosa, & in susceptione sacrorum Ordinum, sunt ejusdem speciei.

14. Quæritur, *an Sacerdos cognoscens Sororem nuptam, sed nondum à viro cognitam, debeat explicare has circumstantias?*

Resp. Affirmativè, nam multiplex peccatum committit 1. sacrilegium, quia est Sacerdos. 2. Incestum, quia soror ipsius est. 3. Adulterium, quia juncta est matrimonio. 4. Stuprum, quia virginem defloret, cum nondum fuerit à viro cognita.

15. Quæritur, *an Sacerdos habens copulam cum muliere Infideli, Turca, Judæa, & Hæretica, teneatur hujusmodi circumstantiam aperire?*

Resp. Affirmativè, ratio est, quia talis copula addit actui v. g. fornicationis malitiam irreligiositatis, quatenus per illam operatur directè contra reverentiam Christianæ Religionis, in cujus honorem prohibita est ab Ecclesia carnalis conjunctio cum infideli.

16. Quæritur, *an Eunuchus, seù castratus, aut frigidus accusans se de fornicatione, debeat aperire circumstantiam suæ impotentiæ ad generandum?*

Resp. Affirmativè, quia fornicatio talis, cùm non sit ex natura sua ordinata ad generationem, transfertur ad speciem peccati contra naturam, sicut est pollutio propria, vel aliena procurata voluntariè:

tariè: sed debet etiam explicare copulam juxta decretum Alex.

17. Quæritur, *an peccans contra votum, quod juramento se observaturum firmavit, debeat explicare circumstantiam juramenti?*

Resp. Affirmativè, quia violatio voti est distinctæ speciei à violatione juramenti; prima est contra fidem, quam dedit Deo de observando votum, altera contra obligationem de non adducendo Deum in testem falsi.

18. Sed quid, *si violet votum Deo factum cum promissione de danda eleemosyna pauperi, & ab isto acceptata?*

Resp. Non sufficit, si dicat violavi votum in materia gravi, quia præter infidelitatem erga Deum, continet injustitiam erga hominem.

19. Quæritur, *an quando puella mente deflorari appetiit, & percepit delectationem morosam, debeat id in Confessione aperire?*

Resp. Affirmativè, quia delectatio, & desiderium in virgine habent malitiam stupri; unde non satisfacit, si dicat, *ego copulam desideravi, & intendi*, sed debet exprimere, an sit virgo, vel corrupta. Boyvin.

20. Quæritur, *an assuetus ad aliquod peccatum V. G. jurandum, debeat explicare circumstantiam consuetudinis?*

Resp. Affirmativè, de quo *lib. 2. cap. 16. & cap. 17.*

21. Quæritur, *an in peccato sodomitico teneatur pœnitens explicare, an fuerit agens, vel patiens?*

Resp. Affirmativè, nam agens committit pollutionem, non autem patiens, qua patiens. Tambur. *in lib. 2. Meth. Confess. cap. 7. §. 9. num. 73.* & hæc sententia mihi videtur tutior; & ideò absolvi non debet, qui in Confessione nollet id aperire.

22. Quæritur, *an violans jejunium vigiliæ, cadentis in quatuor temporibus, debeat in Confessione explicare utrumque præceptum, an verò sufficiat dicere, non observavi jejunium, ad quod tenebar?*

Resp. Communis resolutio est non teneri, ratio est, quia unicum committit peccatum, & non duplex; cùm solùm contra virtutem abstinentiæ operetur, & utrumque præceptum ex eodem motivo abstinentiæ, ad castigationem scilicet carnis, imponatur; ideòque duplicem malitiam non influit. Ulterior ratio est, quia unum præceptum non imponitur, nisi ex suppositione, quod alterum non sit sufficiens; nam, certè Ecclesia non præciperet jejunium vigiliæ in quatuor temporibus, si hæc semper in eis veniret; & consequenter ad jejunium ex uno solùm titulo tenetur.

23. Verùm mihi probabile est, eum teneri explicare utrumque titulum, quia omittens observare vigiliam præceptam in honorem Sancti, videtur non satisfacere reverentiæ, quam ipsi tenetur exhibere; & omittens observare jejunium quatuor temporum, videtur negligere finem, ad quem jejunium illud ordinatur; quæ sanè duæ malitiæ sunt distinctissimæ speciei, utpotè contra duas virtutes, Religionem, & abstinentiam.

Idem proportione servata dicatur de omittente audire sacrum eo die, quo tenebatur ex duplici titulo: Dominicæ, & festi S. Joannis Baptistæ. Poncius hic.

24. Quæ-

24. Quæritur, *an conjugatus peccans cùm conjugata, debeat explicare non solùm circumstantiam personæ suæ, nimirum; quod sit conjugatus, sed etiam alterius?*

Resp. Affirmativè, nam duplicem injuriam irrogat, unam uxori suæ utendo aliena, & alteram marito alienæ, utendo ipsa, & cùm duæ sint injuriæ, & duæ personæ, quæ injuriantur, duplex peccatum adulterii committit.

25. Sed quid, *si non possit manifestari peccatum, nisi etiam manifestetur complex, & Confessarius veniat in notitiam illius, v.g.* peccat mulier cum Sacerdote in loco, in quo nullus alius Sacerdos est præter Confessarium, & illum, cum quo peccat; petitur, *an illa possit tacere circumstantiam sacrilegii?*

Resp. Plures negant, ne complex infametur. Sed nos dicimus, si nullum aliud damnum sequatur præter infamiam complicis apud Confessarium, debere peccatum cum ea circumstantia aperire. Ilsung. *tract 6. disp. 6. q. 4. art. 8. § 1. nu. 134.* Rotarius *par. 1. cap. 5. nu. 11.* Sum. Leand. *ver. integ. Confes. num. 44.* & Fagnan. *in 5. decretal. ad cap. omnis, de pœnit. & remiss. à num. 30.* Notans contra Navarrum esse communem sententiam, non tantùm Theologorum, sed etiam Canonistarum; ratio est, quia præsumitur rationabiliter, quod Sacerdos peccans cum illa muliere, quam scit, debere integrè sua peccata in Confessione aperire, cesserit juri suo, quoad bonam famam, & æstimationem, quam apud Confessarium habebat.

Confir. Christus, ob bonum integræ Confessionis, & reverentiam Sacramenti, ei ex divino præcepto conservandam, & ad gratiam consequendam, obligavit pœnitentem, ad id, quod difficilius est, nempè, ut integrè confiteatur peccata, etiam si Confessori bene notus sit, & propterea debeat bonam æstimationem apud illum perdere, ergo, etiam obligatur ad complicem manifestandum cum hujus infamia, ad quam ipse per suam cooperationem ad peccatum integrè hìc, & nunc explicandum, inevitabilem causam præbuit: propter quod non potest censeri rationabiliter invitus. Vid. *lib. 2. cap. 36. in fin.*

26. Quæritur, *an sit explicanda circumstantia personæ sanguine conjunctæ, contra quam peccatur?*

Resp. Affirmativè; ratio est, quia pereutere Patrem, aut Matrem est gravius peccatum, & horrorem specialem naturæ adversantem continet, quam percutere fratrem, aut alium consanguineum; licèt enim erga omnes præfatos teneamur exercere officia pietatis, eisque exhibere honorem, & obedientiam, ac ex pietate desiderare, & procurare bonum vitæ, salutis, æstimationis, &c. magis tamen tenemur erga patrem, & matrem, à quibus esse recepimus; Tum quia, majorem difficultatem, & pudorem sentit pœnitens in explicando, se patrem, vel matrem percussisse, eosque odio habuisse, quàm, quod percusserit fratrem, eumque oderit; quod certè, ut hìc notavit Poncius, arguit peccatum commissum in patrem, si non diversæ speciei moralis, fuisse tamen multò gravius, ac circumstantiam patris notabiliter aggravare.

27. Sed quid, *an committens incestum*

*cum consanguinea debeat explicare gradum, in quo fuerit persona, cum qua peccavit?*

Resp. Affirmativè; ratio est, quia formalis, & specifica malitia incestus, consistit in irreverentia, & impietate erga sanguine conjunctos; certum est autem majorem reverentiam deberi matri, quàm sorori, & quod specialis horror naturæ sit in copula cum matre, quàm cum sorore, ergo gravior est incestus cum prima, quam cum secunda, (licèt utraque sit in primo gradu) quia irreverentia major. Cæterùm ei, qui commisit incestum extra secundum gradum sat est confiteri sic: *commisi incestum extra secundum gradum*; qui autem in secundo gradu, hoc aperire debet; quia, vel, in hoc gradu incestus specie differt ab incestu in 3. gradu; vel, si non differat, est tamen gravior, & notabiliter aggravat. De la Cruz.

28. Quæritur, *an sit explicanda species blasphemiæ, an sit in Sanctos, vel Deum ipsum, aut B. Virginem?*

Resp. Affirmativè; ratio est, quia una ab alia specie differt, nam illa in Deum opponitur Religioni Latriæ, illa in Sanctos Duliæ, & illa in B. V. Hyperduliæ: dubium autem non est hujusmodi cultus specie differre, cum habeant diversæ rationis motiva ex dicendis *lib. 3. cap. 3. ad prop. 26.* adeòque & blasphemias; & sicut, non tantùm gravius, sed etiam diversimodè delinqueret, & Regem offenderet, qui in ipsum Regem, quàm, qui in Reginam: & qui in Reginam, quàm, qui in amicum Regis contumeliosus esset, eosque contemneret, sic in casu.

Sed quid, *si blasphemia sit simplex, vel hæreticalis?*

Resp. Debet explicari, quænam sit; vide dicta supra *cap. 3. num. 10. & lib. 2. cap. 4.*

29. Quæritur, *an, cum quis fatetur odisse proximum, vel ei malum determinatum desiderasse, teneatur explicare malum desideratum?*

Resp. Affirmativè; nam, sicut ipsum lædere per detractionem in bonis famæ, & per furtum in bonis fortunæ, ac per homicidium in bonis corporis, sunt peccata specie distincta, in Confessione explicanda: sic diversæ speciei peccata sunt proximum velle in his bonis lædere, seù hæc mala illi desiderare; evidens enim est hujusmodi desideria ab illis malis specificari, & bona corporis esse diversæ æstimabilitatis à cæteris enunciatis.

30. Quæritur, *an peccans cum fœmina mortua teneatur hanc circumstantiam aperire?*

Resp. Affirmativè contra Dianam, nam in ea copula quædam specialis, vel adminùs gravior malitia notabiliter aggravans, & turpitudo reperitur. Deducitur ex quo specialius natura abhorreat à committendis peccatis cum similibus, & majorem pudorem experiatur pœnitens ex ejus Confessione: major autem ille pudor est sufficiens judicium arguendi se gravius peccatum commisisse.

31. Quæritur, *an, si quis ex propositionibus a Sum. Pontif. Alex. VII. Innoc. XI & Alex. VIII. prohibitis, aliquam, vel aliquas privatim, vel publicè doceret, is in Confessione deberet explicare propositionem, quam docuisset? vel, an satisfaceret, dicendo: scientes alium,*

*vel*

*vel alios docui propositionem à Summo aliquo Pontif. prohibitam?*

Resp. Est in specie explicanda propositio, ut Confessarius cognoscat, an propositio contineat errorem contra fidem, vel bonos mores, & cui nam virtuti, edocta, & prohibita doctrina opponatur: pluribus enim virtutibus opponi potest.

Circumstantia *ubi* significat locum sacrum.

32. Quæritur, *an, cùm quis se illicitè in Ecclesia polluit, debeat confiteri circumstantiam loci?*

Resp. Affirmativè: quia pollutioni in casu additur nova species malitiæ: nam, ut pollutio est, habet malitiam peccati contra naturam, oppositam castitati, & prout habita in Ecclesia, malitiam sacrilegii, oppositam Religioni, & reverentiæ loci, Deo specialiter ad suum cultum dicati, etiam si occulta sit, quia malitiam non habet ex publicitate, licèt ex ea habeat illam scandali.

33. Sed quæritur, *an etiam verba, aspectus, & tactus impudici in Ecclesia contrahant malitiam sacrilegii?*

Resp. Affirmativè, quia tactus impudici, utpotè indecentissimi, repugnant sanctitati, & reverentiæ loci, ergo habent ex natura rei malitiam sacrilegii. Dicitur *ex natura rei*, quia licèt consecratio, benedictio, & dedicatio Ecclesiæ sit de jure Ecclesiastico, supposita tamen consecratione, ex jure naturæ prohibentur illi in Ecclesia fieri, quia recta ratio dictat reverentiam deberi locis, Deo dicatis. Idem dicitur de osculis, aspectibus, obscænis sermonibus, blasphemia, &c. maximè cum alios ad scandalum movent; nam tunc eo exercentes, non solùm luxurioſi, blasphemi, &c. apprehenduntur, verùm etiam irreligiosi, & in locum sanctum sunt injurioſi; & per accidens erit, quod actu ab ullo non videantur: nam certè Deus, eos esse in locum sibi dicatum injuriosos, & in se irreverentes videt; hinc triplicem malitiam unicus actus continet: alteram V.G. contra castitatem, alteram contra sanctitatem loci, & aliam scandali, in Confessione explicandam.

34. Sed quæritur, *an etiam actus interni V.G. turpis cogitatio, desiderium peccandi, &c. habiti in Ecclesia sint sacrilegia?*

Resp. Affirmativè, si circumstantia loci sacri comparetur ad actum internum, ut circumstantia, & pars objecti voliti: ut, si quis desideret furari in Ecclesia, vel in ea fornicari; negativè verò, si comparetur, ut circumstantia ipsius personæ, quæ existens in Ecclesia optet peccare, sed non in Ecclesia desiderium implere; nam tunc actus non continet specialem malitiam irreverentiæ in locum sacrum.

35. Quæritur, *an furtum commissum in Ecclesia contrahat malitiam sacrilegii necessariò explicandam in Confessione?*

Resp. Affirmativè, patet ex cap. *quisquis inventus* 17. *q.* 4. ubi textus ait: sacrilegium committi auferendo, *sacrum de sacro, vel, non sacrum de sacro, sive, sacrum de non sacro.*

36. Sed dubitatur, *an furans ex crumena divitis, orantis in loco sacro, aut ibi quomodocumque existentis, committat sacrilegium?*

Resp. Affirmativè, quia *cap. quisquis* loquitur simpliciter, & sine limitatione, maximè, quia res tradita custodiæ Ec-

cleſiæ poteſt dici aliquo modo ſacra; & ideò eam furari, eſt potius furari ſacrum de ſacro, quàm non ſacrum de ſacro; hinc, ut verificetur furari non ſacrum de ſacro, debet intelligi de re, nullo modo pertinente ad Eccleſiam, ſed in ea aliquo modo exiſtente.

37. Quæritur, *an, qui furaretur rem ſacram de loco ſacro, debeat confiteri utramque circumſtantiam loci ſacri, & rei ſacræ?*

Reſp. Affirmativè D.D. cum D. Thoma 2.2.q.99.art.3.*in corpore quæſiti*, ſupponunt tres eſſe ſpecies diſtinctas ſacrilegii: unam circa perſonas ſacras, id eſt, divino cultui dedicatas: aliam circa res ſacras: & tertiam circa loca ſacra, ergo malitia contracta ex furto rei ſacræ eſt diverſæ ſpeciei moralis à malitia contracta ex eo, quod quis furetur eam in loco ſacro.

38. Quæritur, *an furans in Eccleſia cum effractione portarum debeat hanc circumſtantiam aperire?*

Reſp. Affirmativè, quia cap. *conqueſti de ſent. excom.* deprædantes Eccleſiam cum effractione parietum, aut portarum, vel feneſtrarum ipſo facto excommunicantur; & poſt denunciationem excommunicationis à ſolo Papa ſunt abſolvendi, ut ibi textus: & quia loquitur conjunctivè, ideò furans in Eccleſia, quam effractam invenit, non eſt excommunicatus.

39. Circumſtantia *quibus auxiliis*, ſignificat media & inſtrumenta, quæ quis applicat ad peccandum, ut, ſi quis ope Dæmonis furetur, aut mediis rebus ſacris alium occidat.

40. Quæritur, *an exercens ſortilegium, de quo ſupra cap.4. nu.12. & cum abuſu Sacramentorum, vel Sacramentalium, debeat explicare circumſtantiam mediorum, & quòd ea ſortilegia cum præfatorum abuſu exercuerit?*

Reſp. Affirmativè; ratio eſt, quia fabricans V.G. maleficium amatorium ad alliciendam mulierem ad libidinem, peccat contra caſtitatem, & quia in eo abutitur Sacramentis, vel Sacramentalibus, peccat contra Religionem, & reverentiam rebus ſacris debitam, ipſumque Deum graviter contemnit, habens cum ipſius hoſte commercium, quæ ſunt malitiæ ſpecie diſtinctæ.

41. Semper medium, ad peccandum adhibitum debet in confeſſione explicari, quoties ipſum medium eſt per ſe malum, vel applicatio ipſius ad finem peccati eſt contra aliam virtutem, quàm ſit illa, cui opponitur peccatum.

42. Sed petitur, *an Sortilegus illis abutens poſſit ab ordinario Confeſſario abſolvi.*

Reſp. Negativè, ſi Sortilegus (ſuper quo eſt interrogandus à Confeſſario) habuit errorem in intellectu contra fidem, credendo, vel malefieia, aut Dæmonem poſſe cogere alicujus viri, vel fœminæ voluntatem ad amorem inhoneſtum: vel Dæmonem eſſe omnipotentem: Deo nõ ſubjectum, &c. vel error ſit circa Dæmonis damnationem, aut valorem Sacramentorum, & Sacramentalium, aut aliquid ſimile fidei contrarium; nam verè hæreticus eſſet, excommunicatus in Bulla Cœnæ: juxta dicta *cap 3.n.7. & c.4. àn.19.*

43. Si verò contra fidem non erravit, animadvertat, an ſortilegium ſit reſervatum Epiſcopo loci (ut plurimùm enim hæc ſolent ab Ordinariis locorum reſervari, maximè, ſi fiant cum abuſu rerum ſacra-

sacrarum) in quo casu est à Superiore obtinenda facultas; quamvis aliquando sit magis expediens, ut pœnitens ad Superiorem pro absolutione dirigatur, ut notat Carena *de Offic. Inquisit. p.2. tit.2. §. 35. nu.295.*

44. In casu autem, quod sortilegium nec reservatum sit, nec Sortilegus modo dicto excommunicatus, potest ab ordinario Confessario absolvi; & tunc diligenter interrogandus erit de qualitate sortilegiorum, abusu rerum sacrarum, & Sacramentorum, de complicibus, de tempore, quo in hujusmodi sortilegiis insorduerit, de scandalo, damnis datis, de qualitate mulierum, ad quarum amorem provocandum facta fuerunt sortilegia, an fuerint nuptæ, an virgines, an Moniales, &c. & an fuerit pactum expressum cum Dæmone.

45. Urgere tamen debet Sortilegum ut Dæmoni, & omni pacto cum eo inito abrenuntiet, & damna per maleficia illata resarciat, ac libros sortilegia continentes ad Inquisitores deferat, vel deferri curet.

46. Et prudentissimè ageret, si eum ad Inquisitores, vel Pœnitentiarios dimitteret, ut inde reflecteret criminis enormitatem; casu verò, quòd ab ipso absolveretur, juramentum de similia delicta amplius non committendo deberet ante absolutionem exigere, Carena *cit. num.305.* ubi eum Suarez *lib.3. de superst. cap.19. num.3.* notat non esse contra exercentes sortilegia, vel magicas artes latam aliquam excommunicationem, quæ ipso facto incurratur; excipio, nisi sint cum errore in intellectu contra fidem, juxta superius dicta: videantur ipsi.

Circa absolutionem exercentis cultum superstitiosum, procedas juxta dicta *n.41.* & interim

47. Pondera. Quod Religioni (quæ dictat de vero cultu vero Deo tribuendo, & Sanctis ejus) opponitur superstitio, in hoc consistens, quod tribuatur Deo cultus, modo, quo non debet: cultus, nimirum, ab Ecclesia per legem, vel consuetudinem prohibitus, vel, quod cultus veri Dei tribuatur Creaturæ.

48. Cultus tributus vero Deo, sed modo indebito, pluribus modis contingit. Primò, cum Deus, vel Christus colitur cæremoniis Judæorum, indicantibus Christum venturum, quasi nondum susceperit naturam humanam: est peccatum gravissimum in sic colente, qui præsumitur errare contra articulum fidei, Incarnationis Filii Dei; & propterea à Confessario interrogandus, quid sentiat de fide: & non absolvendus, sed remittendus est ad Sanctum Officium.

Secundo. Cum quis admiscet Divino Officio, vel Missæ aliquod obscænum, tamquam ejus partem; & præsumendum est hunc credere sibi licere talem mixtionem, ac proindè Horas Canonicas, & Missam non esse Orationes sacras, & puras ab omni obscænitate, & turpitudine; & ideò tutius est eum S. Tribunali remittere, etiamsi errorem in intellectu contra fidem se non habuisse affirmet.

49. Tertiò. Cum quis transgreditur Rubricas, & Cæremonias ab Ecclesia præscriptas, eas mutando, addendo, vel detrahendo; aut ponendo cultum in quibusdam circumstantiis loci, temporis, numeri, coloris, &c. ut: si Sacerdos in

Missa faciat tantum duas, aut quatuor Cruces super oblata: si utatur pluribus candelis, quàm conveniat: si in ea centies velit genuflectere, &c. estque mortale, si omissio, vel mutatio sit notabilis, vel in contemptum ritus Ecclesiastici, vel ad finem inducendi novas Cæremonias. Immo, quandoque potest indueere suspicionem hæresis; cum nimirum in celebratione Missæ, & confectione Sacramentorum Sacerdos utitur aliquo ritu hæreticorum, ut, si non genuflectat post Consecrationem; nam tunc præsumendum est, eum non credere Christum esse sub illis speciebus, sequendo hæresim negantium Christi præsentiam sub speciebus consecratis. Alia vide apud Bordonum *Op. posth, de sortilegiis.*

50. Cultus verus Dei, qui tribuitur Creaturæ, contingit per Idololatriam, Divinationem, Magiam, Maleficium, & Vanam observantiam.

Idololatria est honor tributus Creaturæ, uti Deo, honorando ipsam genuflexione, incensatione, oratione, &c. Quod si ita honorans credat Creaturam esse Deum, est perfectè Idololatra, ac hæreticus formalis, excommunicatus in Bulla Cœnæ, & non absolvendus ab ordinario Confessore, ex dictis *cap.* 3. *n.*7.

Si verò non id credat, sed metu mortis cogatur adorare Idolum, dum illi honorem præstat, gravissimè peccat, quia in iis, quæ intrinsecè sunt mala, nec metus mortis excusat, ut DD. communiter.

51. Divinatio est *prænunciatio futurorum contingentium, occultorum, indebitis modis, à Divina providentia non constitutis, sed cum auxilio, & ope Dæmonis:* cui divinans se submittit, ac si, ut Deus, sciret certò futura contingentia, quorum tamen cognitionem non habet. De divinatione per Astrologiam diximus *cap.* 4. *n.* 19. alia vide *cap.* 34. *n.*25.

Divinatio per somnia superstitiosa, & Dæmoniaca est, cum quis à Dæmone desiderat per somnium edoceri de loco thesauri, qualem mulierem sit ducturus in uxorem, &c. quæ somnia ab ipsis Dæmonibus proveniunt, ipsis invocatis, vel oratione, vel sacrificiis, vel cultu, &c. Quod est commune in Strigibus, quibus in ipso lecto manentibus, ob unctionem gravi sopore correptis, ea omnia prænunciant, quæ posteà se vidisse narrant. Cæteris etiam somniis firmiter credere, tamquam mediis sufficientibus ad aliquid prænunciandum, est etiam superstitiosum. Ideò redarguendi sunt omnes, & maximè mulieres ob facilitatem, quam habent ipsis credendi. Tollendus propterea est talis abusus.

52. Magia superstitiosa *est inordinata potestas faciendi res mirabiles, quæ excedunt vires naturæ, ope Dæmonis:* ut asportare hominem, vel rem aliam de uno ad alium locum brevissimo tempore, decipere visum adstantium, & similia.

De Maleficio vide supra *cit. capite* 4. *num.*14.

53. Vana-observantia *est superstitio, qua effectus aliquis speratur ex re, quæ nec supernaturaliter vim habet, nec naturaliter id præstare potest.* Ergo contingit cum Dæmonis invocatione tacita, vel expressa, juxta ibi dicta *nn.* 11. Differt à divinatione, quia hæc ordinatur ad cognitionem occultorum, illa verò opus ali-

aliquod etiam intendit, per media improportionata, & modo illicito.

Unde vana-observantia est, observare certos dies fastos, vel infastos ad negotia peragenda; qui ex se non dantur juxta Paulum *ad Galat.* 4. & Carena *p.* 2. *de off. Inquisit. tit.* 12. § 13. item redire ad lectum, si, cum quis se calceat, sternutaverit: redire domum, si procedens offendat, timens eo die aliquod infortunium, &c. Legas D. Augustinum relatum *cap. illud quod* 26. *q.* 2. ubi tradit similes nugatorias, & vitiosas artes provenire ex pestifera societate hominum, & Dæmonum.

54. Nota per invocationem, sive expressam, sive tacitam, Dæmonibus cultum tribui, quia invocatio ad aliquod consequendum includit subjectionem, & submissionem invocantis ad eum, à quo beneficium petitur, ergo est actus honoris, & reverentiæ, ergo, qui Dæmonem expresse, vel tacitè invocat, ei honorem, & reverentiam tribuit, ergo gravissimè peccat, cum ei tribuat, quod Deo, & Sanctis, & non Dæmoni, debetur; & propterea, nec parvitas materiæ, aut curiositas excusat. Bordon. *cit. cap.* 3. *sect.* 2.

Nota etiam non posse à Malefico peti, ut maleficio maleficium, vel ligaturam tollat quia utrumque est ab intrinseco malum, & nullo potest fine honestari.

Circumstantia *cur* significat finem, illa *quomodo* modum, quo fit peccatum; & speciem mutant, quando finis, vel modus peccandi sunt specialiter inhonesti.

55. Quæritur. *An qui vi, & cum violentia furatur bona alterius, debeat id exprimere?*

Resp. Affirmativè, quia tunc exercet rapinam: *vid. lib.* 3.

Circumstantia *quando*, significat tempus, in quo committitur peccatum.

56. Quæritur. *An committens adulterium die festo debeat istam circumstantiam explicare?*

Resp. *Per se* loquendo non debet, quia adulterium commissum die festo, non contrahit novam malitiam, per hoc quod sit eo die commissum, ut est communis sententia DD. & patet ex Pœnitentium, & Confessariorum praxi, id non exigentium, & non explicantium.

Dixi *per se* loquendo nam per accidens potest obligari, si scilicet peccatum fuit ex intentione profanandi, & contemnendi diem festum; nam tunc Deus graviter contemneretur, & malitiam irreligiositatis contineret.

57. Sunt itaque in Confessione explicandæ circumstantiæ, sive speciem mutent, sive notabiliter aggravent: ut, & gravitas peccatorum aperiatur, & Confessarius possit rectè in judicio procedere; In praxi regula generalis debet esse, ut, licèt aliquoties difficile esset assignare, num, & quando speciem mutarent, semper tamen sint confitendæ, si pœnitens difficultatem aliquam majorem in eis explicandis, vel aliquem majorem pudorem ex illarum Confessione sentiat, quia hoc ipsum arguit in opinione ipsius peccatum fuisse multò gravius, seu, quod ratione talis circumstantiæ putarit gravius delinquere.

58. Quæritur. *An circumstantiæ au-*

*aut*

*dant sub sigillo Confessionis Sacramentalis?*

Resp. Affirmativè, patet ex definitione sigilli, quod est obligatio *particularis, quam Confessarii habent ad non revelandum ullum peccatum, aut circumstantiam ejus, auditam in Confessione*; sub quo cadunt omnia, per quæ reddi potest odiosa Confessio, & per quæ Fideles ab eo possunt retrahi.

59. Sed dubium est, *an Confessarius sub sigillo teneatur celare, etiam alia, quæ nullo modo faciunt ad manifestationem peccati, vel circumstantiarum ejus, sed sunt totaliter aliena à culpa, & sibi nota fiunt in Confessione ex sola narratione pœnitentis:* quòd Titius V. G. sit ducturus Bertam in uxorem: quòd Lelius mercator decoxerit: quòd quis sit spurius, eunuchus, &c.

Resp. Hæc quoque, si non *per se, sicut peccata, secundario tamen, & per accidens* sub obligatione sigilli cadunt, nam ex eorum revelatione potest Confessio reddi odiosa, & molesta; putant enim Pœnitentes totum, quod in Confessione Confessario aperiunt, cadere sub arctissimo sigillo, ergo, dum audiunt hæc revelari, possunt ex his discurrere ad peccata, & ita averti à Sacramento, ideò ea omnia tenetur Confessarius celare: quæ est sententia in praxi tutior, & magis favet Sacramento, ac juri pœnitentis, quam tradit Marchant. *trib. sacr. t. 1. tr. 4. tit. 6. qu. 6. Append. 2. petit. 8. Ameno de pœnis tit. 5. §. 6. nu. 10.* Quilici Confess. *manud. q. 11. art. 2. nu. 8.*

## CAPUT XIX.

### *Prop. XXVI. ab Alex. VII. &c. Judex quoad munera.*

1. PROP. 26. *Quando litigantes habent pro se opiniones æque probabiles, potest Judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius pro alio.*

Capite immediatè sequenti examen erit super natura opinionis probabilis, & *lib. 2. cap. 2.* an valeat Judex sententiam pronunciare juxta opinionem minus probabilem, probabiliore relicta, quare in præsenti alia pro praxi Confessariorum resolvuntur, quæ rectum aliis titulis Judicis ministerium respiciunt.

2. Quæritur. *An Judex pro ferenda sententia possit munus aliquod, vel ipse à parte exigere, vel ab ea oblatum recipere?*

Resp. Negativè, ratio est, quia si sententia ferenda sit justa, ad eam pars jus habet, eique debetur: si debetur, ei vendi ab Judice justè nequit, qui gratis opus tenetur facere; nam à Republica constituitur, ut rectum operetur, à qua propterea justum ei, ac honestum ad sui sustentationem, & laborum mercedem, juxta loci consuetudinem, stipendium taxatur, supra quod nil potest exigere, & casu quo reciperet, deberet omnino restituere, utpotè nullum habens titulum, aut jus recipiendi, vel datum retinendi, DD. communiter.

3. Sed quæritur. *An aliquid possit accipere pro ferenda injusta sententia: casus posset sic figurari.* Petro apud Judi-

cem

sem favet jus contra Paulum, quo stante, est ab Judice causa adjudicanda in favorem Petri, nihilominus, recepta ab eo pecuniæ summa à Paulo, sententiam contra Petrum, & Paulo favorabilem dicit?

Resp. Negativè, nam illicitè recipit, & recipiendo peccat, cum pro re illicita, & turpi, ac contra legem prohibentem recipiat.

4. Sed dubitatur. *An debeat illud restituere?*

Resp. Affirmativè, cum De la Cruz, *direct. consc. 7. præcept. qu. 7. art. 5. dub. 2. concl. 2.* ratio est, quia in utroque jure irritantur hujusmodi donationes, *cap. Non sanè 14. qu. 4.* & ibi relatus Augustinus *Epist. 54. ad Macedonium*, sic loquitur: *qui vero pro iniquo judicio dedit, vellet quidem repetere, nisi timeret, vel puderet emisse*; ergo censet S. Doctor, litigantem conferentem munus, habere adversùs Judicem jus repetendi, ergo is munera oblata ad injustam sententiam ferendam, sua non facit, vide *l. Juris gentium, §. sint maleficium ff. de pactis.* Quæ est tutior sententia, vide *lib. 2. c. 9.*

5. Sed *quid dicendum de famulis Judicis?*

Resp. Peccant, si aliquibus propter munera accepta faciliorem ad Judicem accessum præbeant, aliis injustè exclusis, & ideò debent parti læsæ restitutionem facere, si fuerint causa damni: super quo in praxi debet Confessarius eos famulos interrogare.

6. Quæritur. *An peccent, qui tradunt munera Concubinæ Judicis, aut aliter ab ea petunt, ut Judicem roget ad effectum, ut pro ipsis sententiam ferat?*

Resp. Affirmativè, propter periculum fovendi inhonestum amorem inter Concubinam, & Judicem, & hæc est tutior sententia in praxi. Sanchez apud Bonac. *de peccat. disput. 2. quæst. 4. punct. 2. §. unic. num. 24.*

7. Quæritur. *An quidquam dari possit, promitti, aut pacisci pro justitia, vel gratia, sive Ecclesiastica, sive temporali obtinenda apud Sedem Apostolicam, & Romanam Curiam?*

Resp. Negativè, pro ut expressè legitur prohibitum sub pœna excommunicationis, ipso facto incurrendæ, à Bonif. VIII. Greg. XIII. Alex. VII. & Innoc. XII. *const. incip. Sacerdotalem, & Regiam Urbem, tertio Calen. Febr. 1699.* in qua confirmantur, & innovantur præfatorum PP. const. & pœnæ in eisdem contentæ. Optimum esset const legere. In qua pœnis submittuntur omnes, sive Clerici, Religiosi, & Laici, sive Judices, Agentes, Procuratores, Advocati, Expeditores, & Negotiorum gestores. In qua etiam conatus prohibetur; & comprehendit quoque dantes auxilium, consilium, vel favorem, prout in ea expressè.

8. Xenia solita, hoc est, munera, quæ hospitibus solent dari (esculenta, & poculenta) quæ, nimirum, intra proximos dies edi, & potari possunt, juxta Joan. Calvin. *Lexicon. Jurid.* & Judicibus, Ministris, & Officialibus Romanæ Curiæ exhiberi consueverunt, in ea non prohibentur, ut expressè textus §. *Xenia*; ubi advertat Confessarius hæc verba *solita, & consueverunt.* Nec Procuratoribus, Advocatis, &c. merces labori conveniens interdicitur, sed vitentur fraudes.

9. Quæritur. *Quomodo Confessarius se gerere debeat cum pœnitente se accusante, pro obtinenda gratia, vel justitia à Sede Apostolica, munera promisisse, dedisse, recepisse, vel exegisse, &c.*

Resp. Si pœnitens non sit in articulo mortis, absolvi non debet, sed remittendus ad Sedem Apostolicam, cui excommunicatio reservatur ex §. *Dudum*, §. *Cui salubri*, §. *Contravenientes*. Si vero sit in articulo mortis, & ad Papam non possit accedere, nec sit tempus obtinendi facultatem, absolvendus est, sed non prius, quam quantum recepit, pauperibus largiatur; ut expresè §. *Decernimus*, & §. *Cui salubri*, & in casu manifestæ impotentiæ debet cautionem dare, vel juramentum præstare de muneribus receptis quamprimum pauperibus erogandis, ac de comparendo, cessante impedimento, ad Sedem Apostolicam, & se amplius ea non commissurum: cum quo onere, & non aliàs absolvendus est, ex dictis *cap. 2. num. 15*.

10. Quæritur. *An qui, modo per Constitutionem interdicto, recepit Officium, etiam Sæculare, ut gubernium, v.g. Castri, Arcis, Locum inter devia armatura milites, &c. possit illud exercere, & stipendia, ex ejus ministerio obvenientia, in conscientia recipere, & recepta retinere?*

Resp. Negativè; nam §. *Decernentes*, & §. *Contravenientes*, justitia, gratia, decretum, rescriptum, vel sententia, eo modo obtenta, nullius prorsus momenti ipso jure declarantur, ac omni effectu, & robore carere statuitur, ergo stipendia sua non facit, & pœnam furti ex alleg. §. *Contravenientes* incurrit; propterea ad restitutionem est obstrictus, & officium resignare debet.

11. Nota, utentes gratia, vel justitia, ejusmodi modo obtentis, excommunicatione reservata ligari, & ad cæteras pœnas obligari, si eis scienter (hoc est, cum notitia, quod fuerint contra præscriptam constit. obtentæ) utantur, §. *Sed scienter*.

12. Observes etiam, ad incurrendam censuram, & pœnas, requiri, ut quis delinquat cum scientia prohibitionis, & pœnæ, nam *audentes* ligat: *audere* autem sæpè cum præsumere confunditur, prout *cap. sed, ne Cleric. vel Monach.* præsumere autem dicitur, qui cum scientia Legis, contra legem operatur, per Ameno de pœnis *tit. 4. §. 8. num. 23*. Sanctoro de pœnis *c. 6. qu. 2. difficul. 3*. citan. Bonacin. *de cens. in com. disp. 1. q. 1. punct. 3. & 7*. unde, qui inadvertenter, aut bona fide aliquid operatur, præsumere non dicitur, Barb. *de dictionib. dicit. 234*.

13. Sed quæritur. *An ad incursum pœnarum requiratur, quod gratia, vel justitia realiter, & cum effectu obtinatur?*

Resp. Negativè, nam Const loquitur de dantibus, &c. pro gratia, vel justitia obtinenda. Et meo videri ex fine, & enunciativa Const. patet; nam Pontifices per eam removere intendunt, quæ possent modo aliquo Romanæ Curiæ existimationem lædere, & decori officere, eamque per hujusmodi turpe lucrum infamare; constat autem, id sequi, sive gratia, aut justitia, pro qua munus, pecunia, vel pretium recipitur, &c. obtineatur, sive non, modò quis eam recipere, & obtinere conetur, & curet.

CAPUT

## CAPUT XX.

*Prop. XXVII. ab Alex. VII. &c.*
*Opinio probabilis, & conscientia.*

1. PROP. 27. *Si liber sit alicujus junioris, & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet rejectam esse à Sede Apostolica, tamquam improbabilem.*

Propositio duo tangit. Alterum verum, nullam nimirum, opinionem esse probabilem, cum constat eam ab Ecclesia Catholica fuisse rejectam, sive unius, sive plurium Auctorum fuerit. Alterum, falsum, hoc est, authoritatem unius moderni Doctoris reddere opinionem probabilem; quod quàm sit in materia morum periculosum, non est, qui non videat: nam, cum in moralibus nulla sit opinio, quantumcumque exorbitans, quæ aliquem pro se auctorem non habeat, jam esset cuique liberum, omnem opinionem in moralibus amplecti, & ex quacumque sibi efformare dictamen ad operandum: quæ sententia, ut pote nutritiva peccati, ad innumera crimina in moralibus aditum parat.

Unde occasione propositionis aliqua ad praxim utilia Confessario de natura opinionis probabilis, & conscientiæ examinantur.

2. Quæritur. *Quid sit opinio probabilis? quidve probabilior?*

Resp. Probabilis; *est assensus, quo intellectus propter alicujus momenti rationem, vel authoritatem DD. uni parti adhæret: vel judicat aliquid esse licitum, aut illicitum, sed cum formidine de opposito.* Probabilior verò *est, quæ pro se habet plures, & majoris ponderis rationes, pluriumque, vel graviorum DD. authoritatem.* Nota, rationes reddere opinionem probabilem ab intrinseco, authoritates verò eam ab extrinseco probabilem ostendere.

3. Ut opinio sit verè probabilis, requiritur. 1. Quòd ratio, & motivum sit magni momenti, non solum secundum se, sed etiam comparativè ad argumenta in contrarium, ut ab his non enervetur; sicut enervantur fundamenta hæreticorum comparativè ad ea, quæ eis à Catholicis opponuntur. 2. Ne sit contra evidentiam sensuum, aut aliam demonstrationem. 3 Ne ex ea ullum manifestè sequatur absurdum. 4. Ne ratio, vel motivum sit contra communem sensum omnium, qui illam sententiam examinarunt: 5 Ne Ecclesia aliquid in contrarium definierit.

4. Notandum multitudinem Doctorum, Priorum vestigia, instar ovium sequentium, nulla rationum discussione præmissa, non facere opinionem probabilem; nam, ad id opus est, ut eam, ponderatis rationibus, confirment, juxta Fagnan. *in 1. ad cap. ne innitaris de const. nu. 46.*

5. Notandum etiam, ex opinionibus aliam esse speculativè aliam practicè probabilem; prima est illa, *quæ affirmat, vel negat aliquid secundum se, in communi, & in abstracto esse licitum, vel illicitum, præscindendo à circumstantiis in particulari:* ex dicendis *nu. seq.* Secunda verò, *quæ prudenter pronunciat aliquam actionem esse licitam, si consideretur non solum secundum suum*

*objectum, sed etiam secundum circumstantias, objecto extrinsecas, & accidentarias, sine quibus non potest moraliter redigi ad praxim.*

6. Quæritur. *An dari possit opinio speculativè probabilis, quæ sit improbabilis practicè?*

Resp. Affirmativè; sunt quædam actiones quæ moraliter ad praxim redigi non possunt, propter aliquas pravas circumstantias, reddentes illas illicitas: v. g. est speculativè probabile, quod non sit crimen læthale petere ex amore solius justitiæ vindicativæ ab Judice, ut capite plectat eum, qui filium suum proditorie occidit; & tamen est practicè improbabile id esse licitum petere, propter periculum gaudendi de vindicta privata, & quod mors occisoris placeat. Generaliter illæ opiniones speculativè probabiles, non sunt probabiles practicè, quando quis ex ipsarum sequela exponitur probabili periculo peccati, ut in quibusdam contractibus, ex quibus imminet magnum periculum: v.g. simoniæ, & palliatarum usurarum, Vide Gobat. *t. 2. oper. moral. tract. 1. Clyp. Clement. Judic. sect. 1. nu. 15. & sequen.*

7. Quæritur. *An idem sit opinio tuta, ac probabilis: & tutior, ac probabilior?*

Resp. Negativè, quia opinio dicitur probabilis, vel probabilior in ordine ad rationes, motiva, ac authoritates, quibus innititur; tuta verò, & tutior, ex quo aliquo modo, vel securius vitet peccatum: tuta aliquo modo peccatum vitat, tutior verò, seu securior magis, & securius. Potest una opinio esse probabilior, & minus tuta, & alia minus probabilis, & tutior; in quæstione illa, *an circumstantiæ notabiliter aggravantes sint necessariò in Confessione aperiendæ?* opinio negativa est D. Thomæ S. Bonavent. Scoti, Durandi, & aliorum apud Fagnan. *cit. num. 226.* affirmativa verò Alensis, Marsilii, Cajetani, &c, probabiliorem esse sententiam D. Thomæ, dixit Navarro in manuali; sed contraria est tutior; nam, si eam sequens, circumstantias confitearis, est certum te, ut sic, nil facturum, quod sit ulla lege vetitum; at, si non confitearis, subest periculum, ne omittas, quòd esset, per se loquendo, ex lege divina, & sub præcepto confitendum; & ita, quòd saltem materialiter pecces, quamvis non formaliter, quia contra conscientiam non operaris.

8. Quæritur. *Quid sit conscientia, & quotuplex?*

Resp. Conscientia est, *dictamen rationis dictans hic, & nunc aliquod esse faciendum, vel omittendum, sequendum, vel fugiendum*; distinguitur à Synderesi, *quia hæc est judicium*, (quod à quibusdam dicitur conscientia speculativa) *dictans in communi, & in abstracto, bonum esse faciendum, malum fugiendum, eleemosynam esse elargiendam; die festo non esse laborandum, &c.* dum conscientia est dictamen dictans solùm in particulari, (quod practicè practicum nominari solet, quia propriè est de praxi, seu actione morali, consideratis omnibus circumstantiis) ex universali propositione concludens, & dictans hic, & nunc, & in hac occasione, & circumstantiis non esse v.g. piscandum, laborandum, &c.

Conscientia alia est recta: alia erronea, sive errans; alia opinativa, seu probabi-

lis:

lis: alia dubia: alia scrupulosa, & alia certa.

9. Conscientia recta est, *quæ hic, & nunc dictat aliquod esse faciendum, quod revera faciendum est.*

10. Erronea, *quæ dictat aliquod esse faciendum, vel fugiendum, quod à parte rei tale non est.*

11. Probabilis, *quæ propter non leves rationes, vel DD. authoritatem, absque certitudine, & cum formidine, dictat, actionem aliquam esse bonam, vel malam moraliter.*

12. Dubia, *quæ non habet rationes nec probabiles, nec sufficientes ad judicandum, quod actio sit bona, vel mala*; & ideò intellectus manet suspensus, suspendens judicium ad utrumque; quod dicitur dubium negativum, & proprium; ad differentiam dubii positivi; consistentis in eo, quod quis uni parti adhæreat, sed cum formidine de oppositò: in quo convenit cum conscientia probabili.

13. Dubium *aliud est juris, aliud facti*; dubium *juris* dicitur, *cùm dubitatur, an talis lex sit lata: an baptismus in aqua rosacea collatus valeat, &c.* dubium *facti* dicitur, cùm dubitatur, utrum hoc, vel illud contigerit: an votum sit emissum: an ætas sit completa, & similia.

14. Conscientia scrupulosa est *levis credulitas, seù judicium, aut inanis apprehensio, ex levibus rationibus, & conjecturis orta, ex qua oritur timor, ut peccatum sit, ubi non est.*

Differentia inter conscientiam scrupulosam, probabilem, & dubiam est: quod in dubio proprio non sit assensus procedens ex magni ponderis fundamento; in scrupulosa verò est assensus, sed ex fundamento levi.

15. Certa denique est, *quæ certò judicat aliquod esse licitum, vel illicitum, quatenus procedit ex ratione aliqua certa, certitudine morali.*

16. Nota, tunc intellectum dici certum moraliter, cùm perpensis rationibus, ac benè ponderatis fundamentis, ita res apparet, ut ei prudenter non valeat dissentire, vel metuere falsum subesse; hinc moralis certitudo describi potest: *est apparentia convincens prudentem intellectum ad assensum.*

17. Quæritur, *an operans contra conscientiam rectam præcipientem v. g. jejunium, vel prohibentem mendacium, peccet?*

Resp. Affirmativè; ratio est, quia ex terminis apparet esse malum, non facere id, quod rectè quis judicat esse faciendum, vel facere, quod non faciendum esse recta ratio dictat; nam, tunc re vera facit contra præceptum, & obligationem, quam habet se conformandi cum regula proxima suæ operationis, & ideò peccat, ut optimè DD. super illud *Rom.* 14. *quod non est ex fide, peccatum est*: hoc est, *quod est contra, & non conforme judicio practico, seù dictamini conscientiæ, peccatum est.*

18. Sciat Confessarius, quòd duplex datur regula in operando, alia remota, ut lex externa, & alia proxima, ut conscientia. Voluntas est cæca, & non potest ex se cognoscere, quid lex externa præcipiat, vel consulat, vel quid bonum sit, vel malum, ergo dirigi debet à recta ratione, seù conscientia, quæ dictet hoc esse honestum, vel turpe, hoc esse præ-

ceptum, vel non; cui si non conformetur, delinquit, operando contra proximam regulam suæ operationis.

19. Nota, conscientiam, aliam esse invincibiliter, seù inculpabiliter errantem, & aliam errantem vincibiliter, & culpabiliter; illa dicitur, quæ procedit ex ignorantia, seù errore invincibili, qui moraliter vinci non potest: vel, quia numquam mens dubitavit de veritate objecti, quod ignoratur: vel, quia, adveniente dubio, fuit res diligenter examinata, & nunquam potuit error deponi; hic error est in eo, qui sine dubio, & formidine de oppositio, falsò judicat, *v.gr. hoc die Dominico non esse audiendam Missam*, & quia numquam dubitavit de oppositio, non potuit moraliter errorem deponere; vel si dubitavit, quæsivit instrui, & invenit aliquos doctos, & prudentes, à quibus sine sua culpa fuit deceptus, asserentes Missam non esse audiendam, quibus acquievit.

20. Altera est, quæ procedit ex errore vincibili, qui, scilicet, *adhibita diligentia morali, vinci potest; quam errans sua culpa omittit*; vel, ad finem, ne laborem in inquirendo sentiat: vel, ne propriam obligationem cognoscat, & sic liberius peccet; hic error est in eo, qui, non sine dubio, & formidine de oppositio, adeòque cum judicio implicitè, vel expresè dictante rem esse magis considerandam, judicat v.g. Sancto die Jovis præceptum jejunii non obligare, super quo posset, vel à Doctis, vel librorum lectura instrui, & tamen negligit inquirere.

21. Quæritur, *an judicans ex conscientia invincibiliter errante se posse, & debere ex lege charitatis in judicio mentiri, ad tuendam vitam proximi, peccet, si, proximi vita periclitante, non mentiatur?*

Resp. Affirmativè, quia jam à regula proxima deficit, & ita affectus est; ut, quamvis à parte rei in adducto casu daretur præceptum mentiendi, illud non impleret. In casu præceptum illud, falsò existimatum, *per accidens*, hoc est, ratione falsi, & inculpabilis erroris, ad mentiendum obligat, nonminus, *ac per se* obstringit præceptum verum, de non furando, certò cognitum.

22. Pondera. Operantem contra conscientiam invincibiliter errantem, contra eam virtutem delinquere, contra quam operando putat peccare; ita si expuendo in Ecclesia, credas sacrilegium committere: vel festucam levando, existimes crimen læthale: si expuas sacrilegium, & mortale crimen, si festucam leves, committis.

23. Sed quid, *si faciat rem, quàm putat esse peccaminosam, nec distinguat, utrum mortalis, vel venialis sit?*

Dicendum peccare mortaliter propter periculum, cui se exponit, sic peccandi, Boyvin. de Consc. *cap. 1. qu 3.*

2. Quæritur, *an, qui ex conscientia culpabiliter erronea putat ex lege charitatis se teneri ad mentiendum pro tuenda vita proximi, peccet, sive mentiatur, sive non mentiatur?*

Resp. Affirmativè; peccat contra veracitatem, si mentiatur; nam error est vincibilis, & in ejus potestate eum deponere, ergo si errorem vult, vult etiam id, quod ad errorem sequitur, adeòque mendacium, à parte rei omninò prohibitum

bitum ex dicendis *lib.* 2. *cap.* 17. peccat contra charitatem proximi, si non mentiatur; quia facit contra dictamen rationis ostendentis non mentiri, esse contra proximi charitatem.

25. Quæritur, *quid dicendum in casu, quo quis ita perplexus est, ut sibi utrumque videatur esse peccatum? v. gr. Parochus ad Ecclesiam die Dominico veniens sacrificaturus pro populo, recordatur se jejunum non esse, nec alius tunc Sacerdos vocari potest, neque populo suaderi, ut, inaudita Missa, quietus discedat, quo casu Sacerdos ita discurrit: si celebrem*, pecco adversùs reverentiam Sacramenti, propter legem Ecclesiasticam: si non celebrem, pecco contra legem charitatis propter grave populi scandalum, & causa ero, cur tot de populo Missam præceptam non audiant.

Resp. In casu à Sacerdote est eligendum, quod minus malum hìc, & nunc ei apparet; hinc, si putet minus malum esse celebrare, quàm populo scandali occasionem præbere, celebrare debet; si autem judicet minus malum esse relinquere populum sine Missa, quàm celebrare, à sacrificio abstineat.

26. Sed quid, *si ei non appareat, quodnam ex eis sit majus, vel minus malum, nec ad id valeat se propter ignorantiam determinare, nec per alium edoceri?*

Respondet Layman. *à num.* 4. & Boyvin *loc. cit.* probabile esse, non peccaturum, quamcumque partem eligat; ratio est, quia tunc non adest sufficiens libertas ad peccandum, quia si, vel celebrando, vel omittendo, peccaret, jam necessariò peccaret, necessariò enim unum, vel alterum eligere debet; nam inter contradictoria versatur: ad peccandum autem requiritur libertas, qua in operantis arbitrio sit posse peccare, & posse vitare peccatum: nullus enim peccat in eo, quod vitare non potest, ut cum Augustino DD.

27. Quæritur, *an in concursu opinionum, quarum una sit probabilis, & altera probabilior, possit quis, tuta conscientia, sequi opinionem probabilem, relicta probabiliore, seu ea, quæ validioribus rationibus, & majoris ponderis fundamentis innititur?*

Resp. Negativè, cum Fagn. *in* 1. *ad c. ne innitaris de const.* ubi plures, & plures allegat. A quo in praxi non est recedendum: Ratio est; quia, qui eligit opinionem minus probabilem, relicta probabiliori, prudenter non agit; nam prudenter non agit, qui operatur cum formidine, quod ejus operatio sit honesta; sed, qui sequitur minus probabilem, relicta probabiliori, operatur cum formidine, quòd ipsius operatio honesta sit. Sint duæ opiniones; & minus probabilis dicat: *est probabile hìc, & nunc jejunium non urgere*; probabilior autem dicat: *probabilius est urgere*. Certè, qui non jejunando sequitur minus probabilem, operatur cum formidine, quod jejunium sit in præcepto; & sic, quod malè operetur: Nam, cùm opinio probabilior habeat fortiora motiva, & urgentiores rationes ad suadendum jejunium urgere, sequitur, quod propter ista, ductus opinione minus probabili (quæ semper comparativè ad probabiliorem habet annexam formidinem) debeat vacillare, esse fluctuans de honestate suæ operationis, & sic imprudenter agit, & formaliter peccat; quia numquam licèt operari cum peri-

periculo peccandi, ut uno ore DD. loquuntur. D. Thom. *Quod lib. 8. art. 13.* ait: *quicumque committit se discrimini, in his, quæ sunt ad salutem, peccat.* Scotus *qu. 2. prol. in fine, §. & si objicias, multa in actibus humanis sunt dubia, utrum sint peccata mortalia, &c.* Respondet, *non est dubia via salutis, quia à talibus, tamquam periculosis debet homo sibi cavere, & se custodire, ne, dum exponit se periculo, incidat in peccatum; quod si noluerit quærere salutem, sed non curando exponit se periculo, ubi fortè actus de genere suo non est peccatum mortale, tamen peccabit mortaliter, se exponendo tali periculo: nam qui amat periculum, peribit in illo.* Ecclesiast. 3. Qui autem sequitur minus probabilem, relicta probabiliori, amat periculum peccandi, nec ipsum vitat, quantum potest, ideò in illo perit, & formaliter peccat: nam, licèt propter motiva opinionis probabilioris de rectitudine suæ operationis formidet de opposito, videatque periculum peccandi, & quod opinio, quàm sequitur, possit esse falsa, adhuc vult eam sequi. Concedimus Sequentem opinionem certò probabilem operari prudenter, modò tamen alia ei non appareat probabilior, quia, dum sic ei apparet, & verior apud eum esse debet: vid. Clement. *de Sum. Trinit.*

28. At petitur; *sed non ne etiam opinio probabilior potest esse falsa, & omnem formidinem non excludere?*

Resp. Utique à parte rei, & secundùm se falsa potest esse; verùm, ut actu est in intellectu operantis, falsa non judicatur: nec habentur motiva prudenter formidandi de ipsius veritate, ut supponitur.

29. Nota differentiam inter formidinem logicam, seù remotam, & formidinem moralem, seù prudentialem. Illa nascitur, ex quo objectum cognitum, licèt ponderatis bene particularibus rationibus intrinsecis, & extrinsecis, sit moraliter certum, tamen non repugnat, quominus, attentis quibusdam rationibus communibus, & remotis (secundùm quod aliquando in humanis actibus accidere solet) possit aliter se habere: exemplum est in scriptura Notarii, quæ facit plenam fidem, quia, cùm sit Persona publica, mentiri non præsumitur *c. quoniam contra de probat. & c. ad Audientiam de præscript.*, & tamen, attenta quadam ratione communi, id est, humanitate, possibile est, ut Tabellio mentiatur, & instrumentum sit falsum; verùm, quia id rarò contingit, censetur omninò per accidens, & non attenditur. Altera, quæ essentialiter inest judicio opinativo, seù probabili, oritur ex eo, quod intellectus assentitur quidem uni parti contradictionis, sed propter particularia, & urgentia motiva alterius, fluctuat, & formidat, quòd pars opposita sit vera. Hæc formido destruit moralem certitudinem, sic, ut, qui operatur cum tali formidine, seù dubio positivo, & formali, in materia morum exponat se periculo peccandi, & peccet. Illa verò, seù logica, si quæ remaneat ex possibili contingentia de opposito, non præjudicat certitudini morali ad rectè operandum requisitæ. Ex hac doctrina pluribus casibus possunt aptari responsa.

3. Qua propter certum est cum Juvenim *Tveol. t. 6. p. 7. dissert. 2 q. 7 cap. 3. ar. 2.* cùm agitur de præceptis, non licere in praxi sequi opinionem minùs probabi-

lem

lem, quæ favet hominis libertati, hoc est, quæ asserit actum esse licitum, vel hunc contractum non esse usurarium, relicta probabiliori, quæ stat pro præcepto, quæ affirmat illum contractum esse illicitum, & usurarium. Si quidem illa est perversa electio, qua contemnuntur certiores veritatis conjecturæ, & indicia, ut minus certa sequamur. Maximè verò qui minus probabile magis probabili anteponit, is à ratione ultrò, & sponte recedit; vult enim à veritate longius abesse: probabilius enim veritati est proximius, ut dixit Duhamel *Theol. moral. t. 2. dissert. 2. cap. 4.*

31. Dicitur, *cùm agitur de præceptis*, quia in materia, quæ sit sub consilio tantùm, non est debitum sequendi probabiliorem, & tutiorem; aliàs omnes statum Religiosum, & cælibatum, utpotè perfectiorem, & tutiorem statu conjugali, tenerentur assumere, & non assumendo peccarent, quod sine errore affirmari non potest, ut notavit Abellii *Medull. p. 2. tr. 2. cap. 1. sect. 6. §. 3.*

32. Ex hoc sequitur. I. Magistros, & Præceptores in iis præsertim, quæ respiciunt fidem, & mores, debere suos discipulos illis sententiis instruere, quas saniores, & probabiliores existimant; immò & moralem debent adhibere diligentiam, ut pro quanto humana fragilitas patitur, in doctrinis, quas docent, veritatem assequi conentur; alioquin videntur injuriam discipulis irrogare, & bono publico non leve præjudicium afferre, ut per Breiserum *lib. 5. de conscien. cap. 18.* alioque apud d. Abellii.

33. Sequitur. II. Confessarium non debere absolvere pœnitentem, qui nollet in praxi deponere opinionem suam minus probabilem, quæ favet libertati, & quam Confessarius falsam judicat, & in praxi non tutam. Nam Confessarius agit partes medici, & Judicis; ergo sicut medicus non potest ægroto porrigere medicamentum, quod judicat illi noxium fore, quamvis ægrotus illud sibi utile censeat, ductus opinione aliquorum medicorum, qui ægroti denocinari solent; Ita nec Confessarius pœnitentem à peccatis ægrotum non potest curare remediis, quæ grata quidem sunt infirmo, sed noxia ab ipso Confessario judicantur.

34. Sic pariter, quia Judex non debet à reo discere sententiam, quam in eum ferre debet. Ita neque Confessarius sententiam, quam in pœnitentem est servato juris ordine prolaturus, ab ipso percipere debet.

35. Sequitur. III. Quod quemadmodùm in materia præcepti non licet sequi opinionem probabilem, omissa probabiliori, ita non licet sequi opinionem probabilem, quæ favet libertati hominis in concursu alterius æquè probabilis, quæ favet præcepto, asserens aliquem actum non esse licitum, permissum, &c. Nam, sicut ibi in rebus ad salutem *animæ pertinentibus, quis incerta certis præponeret*; quod nullus debet juxta August. *lib. 2. de baptis. contra Donatistas cap. 3.* ita in secundo casu sequens opinionem probabilem faventem libertati, concurrente alia æquè probabili, quæ stat pro præcepto, incerta certis anteponeret in rebus ad salutem spectantibus: incertum est, utpotè tantùm probabile non esse peccatum in actu, cùm sit æquè probabile esse peccatum.

Quare in casu debet partem tutiorem sequi, juxta axioma juris *in dubiis tutior pars est eligenda*, prout dicemus n....

36. Quod autem dubius sit, ac omnem actum suspendat is, cui occurrunt duæ opiniones contrariæ æquè probabiles, patet. Nam non est potior ratio, cur intellectus judicet unam potiùs esse veram, quàm aliam: siquidem æquales pro veritate, & falsitate rationes hinc inde habentur, proinde in suspenso manet inter veritatem, & falsitatem; non minus, ac si nulla ratio ei pro una, vel altera parte proponeretur. Sicut in æquilibrio manent lances in libra, vel, si nullum neutri, vel, si æquale utrique pondus imponatur.

37. Dicunt. In eo statu potest voluntas intellectui jubere, ut hunc actum reflexum eliciat: *licitum est sequi opinionem certo probabilem*; & tunc ab omni dubio in praxi se liberat, atque ita potest celebrare contractum, quem licitum esse judicat.

Resp. Si per eum actum reflexum certus quis sit de bonitate sui actus, V. G. licere hunc contractum, de quo est opinio æqualis ponderis, quòd sit illicitus, nullus unquam occurret casus, in quo teneatur ad praxim redigere illam juris regulam. *In dubiis semitam debemus eligere tutiorem.* Quoniam quoties propter æqualis ponderis contradictorias rationes, dubium erit, an aliquis actus licitus sit, nec ne? Voluntas poterit certò illum actum intellectui imperare. Sequela autem non est admittenda; aliàs inutiliter fuisset ea regula à Sacris Canonibus præfinita, quod non est dicendum. Maximè quia, posito illo actu reflexo, in praxi non occurrit aliqua circumstantia, quæ priorem dubietatem minuat, & prudentiam Imperii justificet.

38. Opponunt contra dicta *num. 27. cap. Si vir de cognat. spirit.* ubi interrogatus Alex. III. An separandi essent conjuges, qui filium suum de fonte suscepe-runt? & referens duas sententias, alteram, quòd debeant separari, & aliam, quòd non debeant, secundam eligit; quamvis sit minus probabilis, juxta textum ibi. *Quidam autem humanius* sentientes, aliter statuerunt; Ergo in concursu opinionis probabilioris potest minus probabilis eligi.

Resp. Negando opinionem, quam secutus est Pontifex, esse minus probabilem. Illud *humanius*, idem est, ac rationabilius, ut dixit Hostiensis, quem secutus est Fagnanus *in 4. ad d. cap. nu. 2.* observans in varietate opinionum amplectendam esse humaniorem, hoc est, rationabiliorem, & æquiorem. Et, si utraque sit rationabilis, sequendum est plurimorum judicium. In foro enim conscientiæ, si utrumque sint opiniones æquè probabiles, seù rationabiles, est ex præcepto eligenda tutior ad removendos conscientiæ scrupulos.

39. Quæritur, *an qui operatur cum conscientia practicè dubia, peccet?*

Resp. Affirmativè; & ratio est, quis quod non est ex conscientia dictante aliquid posse fieri, peccatum est. Item, qui dubitat, an hoc in his circumstantiis sit peccatum, vel non, & operatur, dubium non deponens, videtur parum curare, an id, quod agit, sit peccatum, vel non, & ita se exponit peccandi periculo; patet exem-

exemplo: actionem aliquam erga amicum facis, dubitans, an illa cedat in gravem amici offensam, si eam facis, quantum in te est, offendis amicum, quia periculo ipsum offendendi te committis.

40. Quæritur *quomodo intelligenda sit regula illa, in dubiis tutior pars est eligenda?*

Resp. Sic, ut, dum res propter rationes utrimque probabiles prorsus dubia est, & non potest quis dubium depellere, in his, quæ animæ salutem respiciunt, teneatur, non ex consilio, sed ex præcepto, ac ex obligatione, qua quis tenetur vitare periculum peccati, sequi partem tutiorem: Sic Sacri Canones, qui utuntur verbis, non simplex consilium, sed obligationem importantibus, *ut semitam debemus eligere tutiorem cap. Audientiam de homicidio, via tutior est eligenda c. illud de Cleric. excom. ministrante, & c. exivi §. præterea de verb. significa.* & ibi: *In his, quæ animæ salutem respiciunt, ad evitandos graves remorsus conscientiæ, pars tutior est tenenda.*

Advertat Confessarius, Alia esse opera bona, quæ non sunt in præcepto, ut sunt tria consilia Evangelica, quæ, quamvis melius sit ea facere, tamen, qui ea non facit, non peccat: in his regula illa non procedit, nec est in præcepto; Alia vero esse opera bona, quæ sunt in præcepto, quæ, dum ea quis non facit, se exponit periculo peccandi: in his regula de tutiori parte eligenda procedit. Tene itaque, quòd in dubiis spectantibus ad salutem animæ, & ubi agitur de peccato vitando, pars tutior est eligenda.

41. Quæritur, *an dubitans, an die Jovis transacta sit media nox, possit, tuta conscientia, comedere carnes: & in die Sabbati dubitans pariter, an media nox excesserit, carnes sine peccato edere valeat?*

Resp. Affirmant Layman. *lib. 1. cap. 5. §. 3. num. 36.* Ilsung. Tambur. Rotarius, & alii posse in primo casu, non verò in secundo; discrimen afferunt, quia cum die Jovis unusquisque possideat suam libertatem vescendi carnibus, in dubio manuteneri debet in sua possessione contra diem veneris, seù contra præceptum abstinentiæ, pro quo nulla est possessio, & propterea comedens non peccat; nam in dubio *melior est conditio possidentis*, & quilibet, cum sit in possessione suæ libertatis, in dubio non debet se ea possessione expoliare; in die autem Sabbati, possessio stat pro præcepto; unde peccat, qui carnes comedit, quia spoliat Sabbatum, seù præceptum sua possessione abstinentiæ à carnibus.

Ad dignoscendum autem, pro quo stet possessio, hanc tradunt regulam: quòd ille censetur possessor, pro quo stat præsumptio, & qui transfert in alium onus probandi contrarium; sic Dominus vineæ censetur illius possessor, quia ad alium pertinet probare, quod ille non habeat legitimum titulum possidendi.

42. Negat Fagnanus *cit. num. 191. & sequen.* citans Vasquez, Sayr, Salas, Azorium, & plures Canonistas, resolventes regulam illam: *in dubio melior est conditio possidentis*; procedere solùm in foro externo, & judiciali, in quo Judex non cogitur imponere pœnam, quæ per sententiam imponenda est, donec in suo foro certus sit de delicto, aliàs se exponit

periculo errandi, quod utrimque imminet; nam si damnet innocentem, peccat contra proximum, quem sine causa graviter offendit: si absolvat criminosum, peccat contra Rempublicam, cui interest, ne delicta remaneant impunita: ergo in dubio debet servare regulas ab jure præscriptas. Non verò procedit in foro animæ, & pœnitentiali, in quo regulariter periculum est ex una parte dumtaxat *cap. significasti il. 2. de homicid.* nam reus in eo se judicans culpabilem, nulli periculo se exponit, nec cuiquam infert injuriam, quæ volenti non fit, sed judicans se innocentem, exponit se periculo peccati, & infert injuriam Deo, cujus præceptum contemnit.

43. Itaque absolutè resolvas, quod in iis, quæ salutem animæ respiciunt, tutior pars, & ea, quæ vacat omni periculo culpæ, amplectenda sit; nam, sanè nullum periculum offendendi Deum reperitur, si dubius in die Jovis, an media nox excesserit, abstineat à carnibus, & aliquod imminet, si continuet comestionem, quia fortè media nox excessit; & hinc comedens peccat, se exponendo periculo peccandi, periculum amans; & sic ad cæteros casus, qui possent adduci, ut Layman tradit de eo, qui post diligentem animi discussionem dubius est, an mortaliter peccaverit, ita ut in neutram partem assentiendo inclinare possit; & affirmat teneri sub dubio confiteri peccatum, quia in hoc dubio, in quo de salute animæ agitur, tutior pars amplectenda est; ut, si homo spiritualiter per peccatum mortuus sit, necessaria illi medicina quæratur per pœnitentiæ Sacramentum.

44. Quæritur, *an liceat absque peccato operari contra conscientiam scrupulosam?*

Resp. Negativè, habetur expresse *cap. Inquisitioni de sent. excom.* ubi Innoc. III. resolvit, quod si alter conjugum pro certo sciat impedimentum dirimens matrimonium, non potest sine peccato mortali debitum exigere, vel reddere; & si habeat conscientiam ex credulitate probabili, & discreta, potest reddere, sed non exigere; si verò conscientiam habeat ex credulitate levi, & temeraria, si eam deponat, non modo reddere, sed etiam licitè potest exigere; requirit ergo textus, ut ante copulam conscientia scrupulosa (judicium nimirum, seù credulitas ex levibus conjecturis, ac motivis animum pulsantibus, quod matrimonium propter impedimentum dirimens sit nullum) deponatur, aliàs, sive quis eorum debitum exigat, sive reddat, juxta Canonum jura mortaliter peccat, juxta *cap. per tuas il 2. de Simonia*; ubi dicitur esse mortale, operari contra conscientiam scrupulosam, id enim important verba textus, ædificat *ad Gehennam*, ut notat *Abbas in cap. Literas de restit. spoliat.* apud Fagnan. *cit. num. 96.* & propterea Cajetanus ab eodem *allegatus num. 88.* dixit scrupulum esse mortem conscientiæ.

45. Optimum remedium contra scrupulos est, eos parvi pendere, eosque ad consilium, & judicium prudentis Confessarii (cui se humiliter scrupulosus, neglecto proprio judicio, submittere debet) deponere, & sic contra eos depositos, operari licitè potest, cui numquam sine peccato id liceret, retenta, seù in sensu composito cum conscientia scrupulosa.

Eli-

Eligant itaque in Confessarium, vel animæ Directorem Virum pium, prudentem, & doctum, cui se subdant, eique credant, & obediant, ac deposito proprio judicio, & ratiocinationibus, ea faciant, quæ sibi imponit, & juxta instructionem: cui, si acquiescere non sint parati, & credere nolint, incurabiles judicentur, & Deo commendentur. Vide Layman. *cit.*

## CAPUT XXI.

*Prop. XXVIII. ab Alex. VII &c. De legis humanæ obligatione.*

1. PROP. 28. *Populus non peccat, etiam si absque ulla causa non recipiat legem à Principe promulgatam.*

Proscriptam propositionem docuerunt apud Fagnan. *in 1. ad cap. ne innitaris sub num.* 335. Azorius, Villalobos, aliique cum Diana scribentes, ut leges, tam Canonicæ, quam Civiles, vim completam obligandi habeant, requiri, ut à populo acceptentur; quorum sententia in ea propositione ab Alex. reprobatur, & nos hic illius occasione aliqua pro praxi de obligatione legum humanarum notamus.

2. Quæritur, *quid, & quotuplex sit lex?* Resp. Est ordinatio *ad bonum commune promulgata ab eo, qui communitatis curam habet, cum voluntate perpetuò obligandi.* Alia est æterna: *& est actus Divinæ Mentis, quo Deus judicat quasdam regulas practicas, necessarias, & æternæ veritatis esse à creatura rationali observandas, cum voluntate ipsam obligandi:* ut Deus est colendus, virtus amanda, &c. Alia naturalis, *& est naturale judicium rationis, quo per lumen nobis a Deo, tanquam Authore naturæ, inditum, & ab æterna ejus lege derivatum, cognoscimus ea esse facienda, quæ recta sunt, & justa, & e contra vitanda esse, quæ a justitia, & rectitudine deflectunt.* Alia est positiva, *& est ordinatio ad commune bonum, literis consignata, & hominibus ad observandum data.* Estque duplex, Divina, & Humana: Divina est illa, *quæ lata est à Deo, tradente humano generi modum, quo possint homines pervenire ad cœlestem beatitudinem.* Hæc subdividitur, ut alia sit veteris testamenti, quæ Christo resurgente, cessavit; & alia novi testamenti, seù Evangelica, quam Christus tulit, & observari mandavit.

3. Humana est, *regula quædam præscripta ab homine habente publicam authoritatem, & à Deo potestatem gubernandi homines, præscribens subditis aliquid faciendum, vel prohibens aliud;* lex promulgatur, & statuitur, ut loquitur Greg. IX. *in proœmio decretalium*, ut genus humanum honestè vivat, alterum non lædat, jus suum unicuique tribuat, & humana coerceatur audacia, ac tuta sit inter improbos innocentia, ut ibi *Glos. in ver. lex proditur.*

4. Humana alia est Ecclesiastica, seù Canonica, & alia Sæcularis, seù Civilis: Ecclesiastica est *à potestate Ecclesiastica pro Ecclesiæ regimine, & ad bonum supernaturale dirigit*; Sæcularis, seù Civilis *à Magistratu, vel Principe Sæculari descendit, & versatur circa temporalia, externum Reipublicæ statum, ejusque politicam felicitatem.*

5. Item, alia est lex affirmativa, *qua aliquid agendum præcipitur*; & negativa altera, *qua aliquid prohibetur agendum*: inter quas hæc est differentia; quod illa certis tantùm temporibus, ista semper obligat: non enim semper actus fidei, spei, & charitatis, qui præcipiuntur, debent elici; semper tamen infidelitas, desperatio, odium Dei, quæ prohibentur, sunt omittenda, juxta dicta *cap.* 1.

6. Quæritur. *An lex humana justa præcipiens obliget in conscientia?*

Resp. Affirmativè, tam de Ecclesiastica, quàm Sæculari, seu Civili, nam omnes derivantur à Lege æterna Dei; ex illa enim regula legis æternæ obediendum est Superioribus legitimè præcipientibus vim suam obligandi originaliter ipsæ deducunt, unde dixit Apost. *ad Rom.* 13. *qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt*; & infra: *subditi estote non solum propter iram*, hoc est metu pœnarum, *sed etiam propter conscientiam*: hoc est: ne peccetis: & en obligatio in subditis ad obediendum Legislatoribus, cum damnatio non acquiratur, nisi propter mortale. Reinffestuel jus can. in procœmi. §. 1. *num.* 18.

7. Sed quæritur. *Quomodo cognoscendum, quando obliget sub mortali, vel sub veniali?*

Resp. Dignoscendum est: cùm lex verbis præceptivis, *præcipimus, mandamus, prohibemus, interdicimus, teneantur*, vel his æquivalentibus, exprimitur in materia gravi, quæ, vel sit talis in se, vel ratione finis, & in suo effectu, quatenus conducit ad bonum communitatis, pacem, & disciplinam conservandam, &c.

8. Sed quæritur. *Quid dicendum sit de lege pœnali?*

Resp. Lex pœnalis duplex est: alia pure pœnalis, & alia pœnalis mixta: illa est, *dum legislator non intendit ad culpam Theologicam, seu offensam Dei, ut conscientia obligare, sed tantum ad pœnam*: regulariter evenit, teste Engel. *colleg. jur. canon. lib.* 1. *tit.* 2. §. 3. *num.* 41. circa actus, qui non contrariantur juri divino, aut naturali, nec Legislator aliquid prohibet, vel præcipit, neque verbis præceptivis utitur, sed solum pœnam statuit, *si hoc, vel illud fiat*; cujusmodi sunt plura Religiosorum statuta, quæ ad peccatum grave non obligant, sed tantùm ad pœnam ob meliorem disciplinæ monasticæ conservationem, verbi grat. *ne Religiosi certo tempore loquantur, ne opus, quamvis honestum, sibi tamen certo tempore non concessum, faciant, &c.* Altera est, *quando aliquid præcipitur, vel prohibetur sub culpa, adjecta pœna transgressoribus*; quæ ex eodem Engel. ut plurimum accidit in delictis, quæ juri divino, aut naturali adversantur, ut homicidio, furto, fornicatione, &c. in qua proinde duplex est obligatio, una ad culpam, alia ad pœnam.

9. Hinc resolvitur, legem pure pœnalem ad culpam Theologicam non obligare, nec ejus transgressionem peccatum coram Deo inducere, nisi aliud Legislator exprimat: modò non accedat Legislatoris contemptus, aliorum scandalum, & perturbatio in Republica. Secus dicendum de lege pœnali mixta, seu

seu præcipiente, quæ juxta materiæ gravitatem sub culpa obligat; sub qua etiam obligaret, licèt nulla pœna temporalis apponeretur; cui pœna temporalis adjicitur ad ejus obligationem confirmandam, Sanch. apud Illsung. *tr.* 1. *disp.* 2. *art.* 2. §. 4. *num.* 76.

10. Quæritur. *An leges vectigalium, quæ à Principibus imponuntur, obligent in conscientia, & fraudantes vectigalia, vel Gabellas peccent mortaliter, & ad restitutionem teneantur.*

Resp. Affirmativè; nam leges vectigalium obligant in conscientia, & ad solvendum, & ad non solutum restituendum, dum vectigalia justè exiguntur, ergo contra justitiam peccat, qui non solvit: pœna imposita aperit gravitatem obligationis; quæ est tutior sententia: Et juxta illud ad *Rom.* 13. *reddite omnibus debita, cui tributum, tributum, &c.* vid. *lib.* 2. *cap.* 21.

11. Quæritur. *An Peregrini, & Advenæ teneantur legibus specialibus locorum, per quæ transeunt, si non ibidem intendant habitare?*

Resp. Affirmativè, ratio est, quia leges immediatè tangunt territorium legislatoris, & ibi existentes afficiunt, eosque obligant, sic ex Suarez, Navarro, Lezana, aliique. & Quilici *qu. nn. miscell. à nu.* 47. Est sententia tutior; aliàs Vagi, vel nullis legibus particularibus tenerentur, vel ubique extra locum domicilii, ab eis crimina committerentur impunè, quod est contra rectam gubernationem.

12. Quæritur. *An Civis Mediolanensis, limina Apostolorum visitans, peccet, si Romæ primis quatuor diebus Quadragesimæ non jejunet, sed carnes, & lacticinia respectivè comedat. Et, an Hispanus peccet, si, dum per alias Regiones, Italiam, Germaniam, &c. peregrinatur, die Sabbati interiora animalium comedat?*

Resp. Quoad utrumque affirmativè, ratio est, quia consuetudo Mediolani vescendi carnibus, & lacticiniis illis primis quatuor diebus, & in Hispania interioribus animalium diebus Sabbati, est privilegium locale, territorio affixum, quo proinde præfati frui non possunt, dum absentes sunt: similes consuetudines à jure communi exorbitant, ergo non debent facilè extendi, juxta *regul.* 28. *jur. in* 6. *quæ à jure, &c.* sed potius tamquam odiosè restringi, Layman. *lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 12. *num.* 4.

13. Quæritur. *An Peregrini teneantur legibus particularibus suæ Patriæ dum sunt absentes?*

Resp. Negativè, ratio est, quia statuta particularia, etiam respectu subditorum, non extenduntur extra territorium statuentis *cap. ut animarum de const. in* 6. ideò non peccabit, qui festum, aut jejunium in sua Patria ab Episcopo statutum, alibi non servat, ubi festum, aut jejunium secundum legem communem Ecclesiæ, non est.

14. Quæritur. *An Peregrinus Mediolani, ubi primis quatuor diebus Quadragesimæ non jejunatur, possit non jejunare?*

Resp. Affirmativè, cum Layman. *cap.* 11. *num.* 5. Engel. *à num.* 34. & Quilici *nu.* 48. ratio est, quia illa consuetudo est veluti privilegium locale, quo frui possunt, etiam Advenæ, & Peregrini, quandiù in tali loco morantur, modò in fraudem non accesserint, quia fraus, & dolus nemini patro-

patrocinatur. *Cap. sedes, cap. ex tenore de reſcript.*

15. Quæritur. *An diſcedens à loco, ubi lex jejunii non ſervatur, poſſit ibi, anteq. diſcedat, carnibus veſci, quamvis eodem die perventurus ſit ad proprium territorium, ubi jejunium obligat?*

Reſp. Affirmativè, quia poteſt ſequi conſuetudines loci, in quo reperitur, Sum. Leand. *ver. abſtinentia à carnibus num.* 12.

16. Sed. *An poſſit carnes manducare, dum veſperè pervenerit ad proprium territorium?*

Reſp. Negative, ratio eſt quia præceptum abſtinendi à carnibus diviſibiliter prohibet carnes comedere pro omnibus diei partibus, ſic, ut, licèt una diei parte, juſta cauſa, abſtinentiam à carnibus non ſerves, tenearis alia diei parte abſtinere, ubi præceptum obligat.

17. Sed quid. *An diſcedens à proprio domicilio, ubi carnes prohibentur, poſſit illas comedere, anteq. diſcedat, ſi perventurus ſit veſperè ad locum, ubi comeduntur.*

Reſp. Negativè; quia quilibet tenetur legibus loci, in quo eſt, quàm diu in ipſo eſt, Sum. Leandri.

18. Quæritur. *An, qui ex loco, ubi non ſervatur jejunium, ſe confert ad locum, ubi jejunium præcipitur, poſſit in eo repetitam refectionem ſumere?*

Reſp. In hoc attendenda eſt circumſtantia majoris permanentiæ in uno, quàm alio loco, & ſecundum eam à Confeſſario judicandum, Layman. *cit. cap.* 11. *num.* 7.

19. Quæritur. *An pueri, adepto rationis uſu, teneantur legibus Eccleſiaſticis?*

Reſp. Affirmativè, quia nec ex jure naturali, nec poſitivo conſtat, majores ſeptennio (tunc enim communiter præſumitur adeſſe uſus rationis) eſſe à lege poſitiva, quoad culpam, exemptos; pro tunc enim ſunt capaces præcepti; hinc, cum lex, & mandatum generale ſit obſervandum à tota communitate, etiam pueros comprehendit: maximè, dum nullum certum tempus determinat, pro ut lex jejunii taxat annum vigeſimum primum completum; aut materia, quæ præcipitur, non ſit incongrua pueritiæ ætati, ſpecialem judicii maturitatem, ac diſcretionem exigens, ſicut ſuſceptio Euchariſtiæ, juxta dicenda *lib. 2. cap. 33.* tenentur itaque ad Miſſam diebus Feſtis, & in eis ab operibus ſervilibus abſtinere; at diebus prohibitis carnes non comedere, & confiteri ſemel in anno, &c. De quo Layman. *cap.* 10.

## CAPUT XXII.

### *Prop. XXIX. XXX. & XXXI. ab Alex. VII. &c. Excuſati à lege jejunii.*

1. PROP. 29. *In die jejunii, qui ſæpius modicum quid comedit, & ſi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.*

PROP. 30. *Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, ſunt excuſati ab obligatione jejunii, nec debent ſe certificare, an labor ſit compatibilis cum jejunio.*

PROP. 31. *Excuſentur abſolutè à præcepto jejunii illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiam ſi iter neceſ-*

*necessarium non sit, & etiam si iter unius dies conficiant.*

Præsenti hoc *cap.* resolvendi dumtaxat sunt casus, occurrentes super causis excusantibus à lege jejunii; nam cæteri respicientes ipsius obligationem, & naturam sunt à Confessario videndi *cap. 16. per totum, & cap. sequenti.*

2. Quæritur. *Quinam excusentur ab obligatione jejunii?*

Resp. Omnes, qui annum vigesimum primum non compleverunt, seu non attingentes 22. ratio est, quia ante illud tempus sunt in statu augmenti, & ideò frequentiore, & abundantiore alimento indigent, sed monendi sunt, ut jejuniis, etiam in ea ætate constituti, se assuefaciant.

3. Sed dubitatur. *An excusentur illi quoque, qui ante vigesimum primum annum voverunt se jejunare certis hebdomada, vel anni diebus?*

Resp. Negativè, sed jejunare debent, quia propria voluntate ad id se obligarunt; sic Religiosi professi in nostro Ordine, qui ex lege Ecclesiastica ante completum 21. annum jejunare non tenentur, obligantur ex voto edito ad observanda jejunia Regulæ.

Et si objiciatur, quod votum jejunii obligat instar legis Ecclesiasticæ de jejunio, & hæc non obligat minores 21. anno, ergo nec votum jejunii.

Resp. Verùm esse votum jejunii obligare instar præcepti Ecclesiastici, quantum ad formam, modum jejunandi, ac refectionis qualitatem, & numerum, sed non quantum ad personas, quarum quædam possunt ex voluntario voto teneri, non ex Ecclesiæ præcepto.

4. Sed quid. *Si quis eorum dubitet, an annum 21. compleverit?*

Resp. Debet inquirere veritatem, ut dubium deponat, vel jejunare juxta regulam: *in dubiis tutior pars est eligenda*; eò quòd cum dubio operari non licet.

5. Deindè excusantur Senes, qui ob virium infirmitatem, & humoris, ac caloris defectum frequentiore cibo indigent; & quia, ut plurimum senectus anno ætatis sexagesimo accidit, præfati post annum sexagesimum à lege jejunii liberantur; modò robusti, & sani, ac validi non sint, quia tunc non excusari tradit Tolet & *apud Ilsung. tract. 4. disput. 1. artic. 3. §. 1. nu. 44.* & De la Cruz *3. præcep. de jejun. artic. 4. num. 7* quia de iis revera ad finem exemptionis à lege jejunii non verificatur senectus.

Quamvis sexagenarii robusti, à lege Ecclesiastica jejunii liberarentur (quod non probo) liberi tamen non essent Religiosi sexagenarii, adhuc fortes, & sani, qui voluntario voto se toto tempore vitæ obligarunt ad jejunia Regulæ.

Denique excusantur Infirmi Convalescentes, & Debiles, Prægnantes, Lactantes, Laborantes, quorum labor non est cum jejunio compatibilis, nec differri potest, & Pauperes, qui necessariis carent ad unicam sufficientem refectionem: vid. Campion. *parte 2. cap. 47. num. 12.*

6. Non excusantur Advocati, Procuratores, Scribæ, Sartores, Barbitonsores, Aromatarii, Pictores, nec Famuli sequentes dominum, (non valdè gravati laborioso officio domestico) & generaliter omnes, quorum labor cum jejunio est moraliter compossibilis.

6. Quæritur. *An Concionatores excusentur à lege jejunii?*

Resp. Negativè, si sermo sit de Concionatore, qui unam, vel alteram Concionem in hebdomada habet, ut DD. communiter apud Ilsung. *num.* 46. asserentes functiones Concionatorum, Confessariorum, & Magistrorum, per se loquendo nullam legis immunitatem conferre; nam labor unius, vel alterius Concionis per hebdomadam cum jejunio optimè compatitur.

Si verò sermo sit de Concionatore, qui per totam Quadragesimam continuò prædicat, distinguendum cum Sylvestro *ver. jejun. quæst.* 9. *num.* 2. aut Concionator ex officio, & obedientia Superioris prædicat, ejusque Concio propter imperitiam aliorum ad idem ministerium, est populo utilis, & necessaria, & tunc ab jejunio excusatur, maximè, dum manifestata sua impotentia ad jejunandum Superiori, adhuc à Superiore ex rationabili, & justa causa ad prædicandum mittitur: jejunium enim alia opera pietatis, cum eo incompossibilia, non impedit; aut voluntariè prædicat, & non missus; aut ideò missus, quia vult, & mitti quærit; aut sua prædicatio non est ita necessaria, quin alii sint, qui æquè benè, vel melius supplere possint, & tunc quia ministerium est voluntarium, non excusatur; ideò, si non jejunet, peccat, cum in fraudem jejunii se exponat ad prædicandum, reddens se impotentem ad præceptum Ecclesiæ servandum; quæ est opinio in praxi tutior, magis pia, & rationi consentanea? idem, proportione servata, dicitur de Confessario, & Magistro.

8. Quæritur. *An dubitans utrum habeat justam causam jejunandi, teneatur jejunare?*

Resp. Affirmativè, nisi dubium deponat; nam possessio stat pro jejunio, Boyvin; & in occasione dubia recurri debet ad Episcopum, vel Parochum, aut Confessarium.

9. Quæritur. *An fatigatus ex labore suscepto ob recreationem, ut ex ludo pila, excusetur ab jejunio, & non jejunando peccet?*

Resp. Vel ille prævidit, aut prævidere debuit, ex impedimento à se voluntariè posito, se non posse jejunare, & tunc non jejunando peccat mortaliter in sua causa; vel non prævidit, nec expertus est ex illo impedimento sequi impotentiam jejunandi, & tunc non peccat posteà, nec in se, nec in sua causa. De la Cruz.

10. Quæritur. *An excusati à lege jejunii, censeantur etiam liberi ab abstinentia à carnibus?*

Resp. Negativè, (excipiuntur infirmi) nam aliud est præceptum jejunii & aliud prohibens carnes; & cum sint diversa, non potest de uno ad aliud discurri, quia à diversis non fit illatio per Sperellum *dec.* 138. *num.* 73. *vid. cap.* 16. *num* 6. *& cap. prat. num. ult.*

11. Quæritur. *An Coqui Religiosorum peccent, parando Religiosis cibos sufficientes ad fractionem jejunii?*

Resp. Affirmativè, quia ex suo officio tenentur solum eos ministrare ad præscriptum Regulæ; & Superiori, secus præcipienti, obedire non tenentur: utpote res contra animam præcepti.

12. Quæritur. *An Camporas, & Taber-*

*bernarii, vendentes, vel ministrantes cibos, teneantur interrogare hospites, an habeant causam justam non jejunandi?*

Resp. Negativè, sed debent præsumere quemlibet esse memorem suæ salutis, & obligationis, adeoque eos habere justam causam cænandi, vel, quod alibi non se refecerint: semper præsumendum est bene de proximo suo, nisi de opposito quis sit moraliter certus; ideò, si eis cibos ministrant, non cooperantur commestioni, quatenus est solutiva jejunii, quia sic procedit à mala voluntate non jejunantis, sed ei cooperantur, quatenus deserviens nutritioni naturali, & substentationi necessariæ; vel, actui comedendi inserviunt, ut est actus hominis, non vitii.

13. Quæritur. *An possint licitè apponere cibum, vel invitare eos ad cœnandum in suo hospitio, quos sciunt jejunium fracturos?*

Resp. Negativè cum Boyvino *de actibus hum. de jejun.* apud quem dicuntur Caupones peccare, qui alteram refectionem apponunt illis, quos evidenter sciunt ad jejunium obligari: solum à peccato excusarentur, si rationabiliter timerent ex tali negatione sibi obventurum notabile damnum, vel si prudenter crederent, quod negando, gravius Deum offenderent, evomendo blasphemias, & convicia: quæ sententia est in praxi tutior: si enim nullus reperiretur, qui ad frangendum jejunium paratis, cœnam apponeret, vellent, nollent, deberent jejunium servare.

Ex quibus possunt erui interrogationes, faciendæ à Confessariis Tabernariis. An cibo vetitos in die jejunii obligatis ad jejunandum apposuerint? an scientes eos se refecisse in prandio, cœnam paraverint? an id effecerint in contemptum legis, & an cum scandalo, & maximè infidelium, &c.

## CAPUT XXIII.

### *Prop. XXXII. ab Alex. VII. &c. Jejunium Quadragesimæ.*

1. PROP. 32. *Non est evidens, quòd consuetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadragesima obliget.*

Jejunio Quadragesimali communia videantur *cap. præterito, & cap.* 10.

2. Quæritur. *An in Quadragesima interdictus sit esus ovorum, & lacticiniorum?*

Resp. Affirmativè; prohibentur sub mortali, tum ab jure *cap. Deniq. dist.* 4. tum ex vi consuetudinis, quæ vim obligandi habet, ut ex decreto Alex. patet; & ideò, quamvis verba legis non essent præceptiva, adhuc tamen, quia consuetudo de iis non comedendis, obligans est mortaliter peccat, qui tunc lacticiniis utitur, vide D. Thom. 2. 2. *quæst.* 147. *art. ult. ad* 3.

3. Sed quæritur. *An ovorum, & lacticiniorum usus interdictus sit, etiam in Dominicis, occurrentibus intra Quadragesimam.*

Resp. Affirmativè, tum ex vi consuetudinis legitimè præscriptæ, tum ratione præcepti ex *cit. cap. Deniq.* in quo teste Bonac. præcipitur, etiam in Dominicis Quadragesimæ abstinentia à lacticiniis, quamvis in illis non extet præceptum jejunandi, & dixit Fagnan. *in* 3. *ad caput*

*Explicari, de observat. jejunii num. 46. cum Glos. ad allegat. cap. deniq. in ver. venia, & ver. consuetudine.*

4. Sed quæritur. *An in illis Dominicis liceat jejunare?*

Resp. Per se loquendo licet, *cap. utinam dist. 76.* quia jejunio colitur Deus, & dies Dominica in honorem Dei fuit instituta; per accidens autem illicitum esse potest, ut ratione scandali, ut, si quis aliis diebus hebdomadæ se ingurgitet, & Dominicam ad jejunandum eligat; vel ratione finis mali, & superstitiosi, vel contemptus religionis Catholicæ. Ad vitandum errorem Manichæorum, & Priscillianistarum (qui in contemptum Resurrectionis Christi, quasi vera non esset, jejunium die Dominico præcipiebant) Sacri Canones *cap. ne quis jejunet dist. 3. de consecrat.* & alibi, jejunium die Dominico interdixerunt, Layman. *lib. 4. capit. 8. cap. 2. num 9.*

5. Quæritur. *An pueri capaces usus rationis, vel alii existentes infra 21. annum, cæteri que, qui aliqua de causa excusantur ab jejunio possint tempore Quadragesimæ comedere lacticinia?*

Resp. Negativè, vid. *cap. præterito.*

6. Quæritur. *An licentiatus in Quadragesima ad comedenda lacticinia, possit carnibus vesci?*

Resp. Negativè, nam facilius obtinetur dispensatio ab abstinentia à lacticiniis, quam ab abstinentia à carnibus; ad quas obligatio, adhuc illa sublata, manet; & quia sunt præcepta divisibilia, & diversa; & quia ova, & lacticinia minus sunt contra finem jejunii, quam caro, majorem habens virtutem nutriendi, & delectandi gulam.

7. Quæritur. *An Catholicus existens in Hæreticorum, & Turcarum locis possit licitè in diebus Quadragesimæ carnes, & lacticinia comedere?*

Resp. Negativè, si comestio illa, data opera, proponeretur ad cognoscendum, quis esset Catholicus, & quis infidelis, aut in contemptum Ecclesiæ, vel ex ea sequeretur grave scandalum; benè verò, si non ad hunc finem proponeretur, & aliàs grave malum sibi ex non comestione immineret; verùm, si nil mali timeretur, & alii cibi non deessent, nec in secreto posset ea comedere, quia nullus excusatur ab observatione legis Ecclesiasticæ, præcisè, quia est inter infideles, cum leges communes Ecclesiæ sequantur non locum, sed personam.

8. Quæritur. *An licentiatus ad carnes in Quadragesima possit tuta conscientia illis uti in diebus Veneris, Sabbati, & quatuor temporum?*

Resp. Negativè, sed eget expressa licentia, specificante illos dies, cum specialis ratio sit pro illis diebus, quæ in aliis non habetur; nam duplici titulo tenetur quis in eis à carnibus abstinere, & quia sunt dies Quadragesimæ, & quia quatuor temporum, vel dies Veneris, & Sabbati; hinc major causa ad dispensandum est necessaria; unde consuetudo, & praxis obtinuit apud viros timoratæ conscientiæ, licentias ad comedendas carnes diebus prohibitis Quadragesimæ ad præfatos non extendere.

9. Sed quæritur. *An possit ad minus in diebus Veneris, & Sabbati comedere ova, & lacticinia?*

Resp. Negativè contra Peyrinum de subdito *qu. 4. cap. 6. qu. 8.* quod est tutius, & con-

& consuetudine receptum. Medicos instrue, ut ad concedendas licentias non procedant, nisi causis benè ponderatis, & videndo, an, quæ sufficiunt ad dispensandum, ut in aliis diebus caro, vel lacticinia comedantur, sint ita graves, ut propterea possint facultatem extendere ad diem Veneris, & Sabbati: vide *cap. 16. in fine* decretum, editum de mandato Clem. XI.

10. Quæritur, *an qui per totam Quadragesimam non jejunat, unicum, vel plura peccata committat?*

Resp. Tot committit, quot diebus non jejunat, quia jejunium est onus singulis diebus annexum, vel cujuscumque diei servitus; quare impotens jejunare, vel omittens uno die Quadragesimæ jejunium, potest, & debet alio die jejunare, in quo non sit impotens. Sylvester *ver. jejun q. 8. num. 4.*

11. Sed dubitatur, *an proponens in principio Quadragesimæ per totam Quadragesimam non jejunare, unum, vel plura peccata committat?*

Resp. Tot committit, quot sunt dies, in quibus sit jejunandum; ratio est, quia actus ille tot æquivalet, quot haberet, qui quolibet die idem proponeret, estque in Confessione aperiendum.

12. Quæritur, *an in principio Quadragesimæ habens expressam voluntatem comedendi singulis diebus carnes in parva quantitate, peccet mortaliter?*

Resp. Leander *q. 15.* negat, sed solùm venialiter dixit peccare, nam quælibet comestio est solùm venialis, ergo & omnes, cum non uniantur inter se, quælibet enim transacto die, transit; sed tutiùs videtur mortaliter peccare, ratione pravæ intentionis; nam, etsi non quolibet die Quadragesimæ notabilem quantitatem comedat, intendit tamen in collectione dierum ad eam accedere. Comestiones, utique in effectu non conjunguntur, sed in affectu, & intentione comedendi moraliter uniri resolvas.

## CAPUT XXIV.

*Prop. XXXIII. ab Alex. VII. &c. Remissivè ad cap. 14.*

1. PROP. 33. *Restitutio fructus ob omissionem horarum suppleri potest per quascumque eleemosynas, quas anteà Beneficiarius de fructibus sui beneficii fecerit.*

Vide ibi dicta. Et quia per Priorem gratuitam liberalitatem, vel eleemosynarum elargitionem, posteriores fructus, omissioni horarum correspondentes Beneficiarius suos non facit, ideò hos adhuc, tamquam non suos, restituere tenetur; nec per eas prius factas à restitutionis debito excusatur; quemadmodùm non liberatur, qui rem alienam detinet, quia debeat ipsam restituere proprio Domino, quamvis uberes prius eleemosynas donaverit.

## CAPUT XXV.

*Prop. XXXIV. & XXXV. ab Alex. VII. &c. Horæ Canonicæ.*

1. PROP. 34. *In die Palmarum recitans Officium Paschale satisfacit præcepto.*

PROP. 35. *Unico Officio potest quis satisfacere duplici præcepto præsenti, & crastino.*

Hoc capite in examen veniunt, quæ tangunt obligationem recitandi horas canonicas, remisso alio ad *lib. 2. cap. 32.* de causis excusantibus à debito legendi Breviarium.

2. Quæritur, *quot personæ sub culpa mortali teneantur ad horas Canonicas recitandas?*

Resp. I. Clerici omnes, majoribus ordinibus initiati, *cap. Presbyter, & cap. Dolentes de celebr. Missarum*, & ibi DD. etiam si sint excommunicati, suspensi, depositi, vel degradati, Layman. *lib. 4. tr. 1. cap. 4. num. 4.*

II. Clerici beneficiati, licèt in minoribus constituti, vide dicta *cap. 14.*

III. Religiosi professi omnes, & singuli (exceptis Novitiis, & Laicis conversis) idque, vel ex vi Regulæ, ut Fratres Minores S. Francisci; vel, vi generalis consuetudinis, quæ per Layman. in omnibus Religionibus, Choro addictis, recepta est.

Ad horas recitandas tenetur Religiosus fugitivus, damnatus ad triremes, & Clericus à Religione expulsus (licèt non esset in sacris) quia ex sua improbitate non debet commodum, vel levamen reportare, Layman. *cit.* & ego ipse *Offic. Cur. to. 2. c. 5. nu. 45.*

IV. Moniales Choristæ, seù ad Chorum deputatæ, ex antiqua, & recepta consuetudine, sub gravi obligatione Chori; in toto corpore Monasterii existente: sumitur *ex Clement. Gravi de celebrat. Missar.* Dixit Roderico *resolut. 24. num. 11.* Pelizarius *de Monial. cap. 6. nu. 12.* & apud ipsum Miranda. De la Cruz *cit. aliique in d. cap. cit. vid. lib. 2. c. 32.*

3. Quæritur, *quando in præfatis ea obligatio incipiat?*

Resp. In Beneficiatis incipit à die pacificæ possessionis beneficii; in Subdiaconis, & Professis à die, quo promoventur, vel professionem emittunt, sic, ut teneantur illa die recitare, vel omnes omninò horas, vel partem residuo diei respondentem, quæ post promotionem, vel professionem solent juxta consuetudinem Ecclesiæ recitari. Ilsung. *tract. 5. disput. 1. quæst. 1. artic. 1. in fine* Gobat. *tract 5. casu 23. sect. 1. numero 161.*

4. Quæritur, *an recitans Divinum Officium cum distractione voluntaria satisfaciat præcepto Ecclesiæ, quod eò idem, ac quærere, an præcepto satisfaciat, qui horas canonicas legit sine attentione interna?*

Resp. Sed notabis, attentionem esse *actum intellectus cum advertentia ad id, quod ore profertur.* Intentionem verò, *actum voluntatis, quo quis vult, & proponit aliquid agere*; quæ, teste Suarez *to. 2. de Relig. lib. 4. de hor. can. c. 16. num. 5.* debet præcedere, tamquam fundamentum attentionis.

5. Item attentionem aliam esse externam, internam aliam: externa est *negatio, & exclusio actionum externarum, quæ possunt internam devotionem, & attentionem impedire*; Ideò, si quis vellet, dum Officium recitat, v. gr. confabulari, pingere, scribere, historias legere, negocia tractare, & similia facere, externam attentionem non haberet. Interna est *interna mentis advertentia, seù applicatio ad divinum Officium.*

6. Dein-

6. Deinde attentio interna triplex est ex D. Thom. 2.2. *qu.* 83. *art.* 13. *in corpore Superficialis, Literalis, & Spiritualis.*

7. *Superficialis* est ad materialia verba, ne quis in eis erret, confundendo, sincopando, seù mutilando, transponendo, omittendo, & integrè non proferendo.

8. Literalis est ad sensum literalem verborum, sic, ut quis mente verum verborum sensum, & quid significent, percipiat; quam habere non possunt fœminæ Choro addictæ, ignorantes linguam latinam.

9. Spiritualis est; qua attenditur ad Deum, vel ad finem in oratione propositum, seù ad res divinas, passionem Christi contemplandam, &c. & sufficit ad satisfaciendum attentio ad unum, vel alterum Suarez, & Bonaccina: modò.

Quæsito aliqui dixerunt internam attentionem ad horas canonicas recitandas non esse in præcepto, sed sufficere externam, ut scilicet, dum quis actu recitat, se non occupet in aliquo negocio externo incompatibili cum attentione interna, ut in scribendo, confabulando, pingendo, & simili.

Ex opposito Suarez, Layman, Bonace. & apud eos alii plures cum Fagnano ad alleg. *cap. Dolentes*, negant internam attentionem ab Ecclesia non præcipi. Cùm istis negatur eum satisfacere præcepto Ecclesiæ, qui dum recitat, voluntariè distrahitur; & hæc est sententia vera: nam, si non attendit internè, perindè se habet, ac si non recitaret, vel dormiendo legeret.

Totum colligitur ex alleg. *cap. Dolentes*, nam ibi. 1. prohibetur in divinis Officiis intermiscri fabulas, commessationes, & alia exteriora, quæ devotionem impediunt, & consequenter præcipitur externa devotio, quantum ad compositionem, & humiliationem corporis II. præcipitur, ut divinum Officium celebretur *studiosè*, quantum ad pronunciationem, distinctè scilicet, & sine sincopa. III. præcipitur, ut celebretur *devotè*, & ne hoc superflùè dicatur apponi, intelligi debet de interna attentione: legas Glos. ad illud *cap.*

Et probatur ex Trid. *cap.* 12. *sess.* 24. *de ref.* omnes verò, &c. *in Choro ad psallendum instituto, hymnis, & canticis, Dei nomen reverenter, distinctè, devotèque laudare:* dicitur *reverenter*, quantum ad humiliationem, & compositionem corporis: *distinctè*, quantum ad oris pronunciationem; *& devotè*, quantum ad mentis elevationem, & internam attentionem.

10. Quæritur, *an attentio debeat esse actualis, vel virtualis?*

Resp. Actualis non est necessaria, ut semper duret, sed sufficit virtualis, ut DD. communiter. Fagnan. *cit. num.* 49. dixit, præcipitur attentio in Officio, quantum ad substantiam actus, quia tenetur quis ad Officium accedere cum intentione *solvendi pensum, vel Deum colendi, seù Officium recitandi*, sed non præcipitur, ut hæc intentio, consequenter attentio actualis, semper duret, nam hoc est impossibile, propter evagationem humanæ mentis, sed præcipitur, ut maneat ad minus virtualiter, hoc est, in prosecutione recitationis inceptæ cum actuali attentione.

11. Pon-

11. Pondera, quòd attentio triplex est, actualis una, & illa est, *qua quis actu advertit ad id, quod operatur.* Virtualis alia: & habetur, cùm quis initio operis habuit attentionem actualem, posteà tamen involuntariè distrahitur; quàm nec expressè revocavit per contrarium actum, quo velit non recitare, nec tacitè; quod fit, cùm quis advertens se verba proferre sine actuali attentione, non revocat mentem ad ipsam. Et tertia habitualis, in eo existens qui ex habitu, vel usu aliquid facit, non advertens ad id, quod operatur, nec ad id faciendum, ex aliqua præcedenti advertentia à principio procedit: prima est optima, & consulenda: secunda sufficit: tertia ab omnibus reprobatur. Vid. *lib. 3. ad prop. 28.* divisionem, & intentionis naturam.

12. Quæritur, *an, ut quis impleat præceptum de horis canonicis recitandis debeat de necessitate habere expressam intentionem satisfaciendi præcepto?*

Resp. Negativè, cum Suarez *tom. 4. de relig. cap. 26. num. 6.* Bonacc. *de legib. disp. 1. qu. 1.* Layman. *lib. 1. tr. 4. cap. 4. num. 9.* ratio est, quia, licèt lex præcipiat opus fieri, non tamen præcipit, ut fiat cum expressa intentione adimplendi præceptum; sic Ecclesia præcipit auditionem Missæ in die festo, sed non, ut habeatur expressa intentio satisfaciendi præcepto per auditionem; alioquin plures præceptum non implerent, quia plures habent intentionem audiendi, & attentè audiunt, quin habeant eam reflexam intentionem; sic dicendum de recitante Breviarium, in quo tamen reperitur intentio interpretativa satisfaciendi, quia ad interrogationem responderet, se recitare, ut præcepto satisfaciat. Hæc duo distinguas: intentio faciendi opus præceptum, & intentio per opus præceptum adimplendi præceptum, quæ sunt notanda, & diversa, & primum semper est necessarium, ut expressè præcedat.

13. Quæritur, *an peccet mortaliter, qui omittit partem notabilem divini Officii?*

Resp. Affirmativè, sic DD. communiter, ratio est, quia violans præceptum in re gravi peccat mortaliter, sed omittens partem notabilem divini Officii, violat præceptum in re gravi, pertinente ad virtutem Religionis, & colendum Deum.

14. Sed quæritur, *quænam dicenda sit quantitas notabilis, ex cujus voluntaria omissione quis mortaliter peccet?*

Resp. DD. non conveniunt; quidam dixerunt unam integram horam esse quantitatem notabilem: sed hi, ex Rotario, nimis laxè loquuntur: quidam verò unum Psalmum, etiam minimum parvæ horæ: quorum sententia nimis dura videtur. Integer itaque Psalmus unius horæ parvæ, si sit longus, quantitas notabilis est: in matutino duo psalmi, non tamen ex longioribus, vel unicus longus, ut in matutino Dominicæ, *Confitebor tibi, vel diligam te, Domine.* De la Cruz; vel, tres lectiones cum suis responsoriis, quia defectu hujus quantitatis moraliter censetur non salvari essentia totius. Omittens in Sabbato Sancto Vesperas mortaliter peccat: & omissio unius horæ integræ, etiam parvæ, judicio prudentum notabilis reputatur. Sum. Leand. *ver. hora canon. num. 29.* Videndus

dus Gavant. *sect.* 1. *cap.* 5. *de hor. canonic. tit.* 1. *num.* 4. Rotarius *Theol. par.* 3. *cap.* 8. *sect.* 2. *num.* 5. & Suarez *cap.* 25. *num.* 16.

15. Sed quid, *si quis in singulis horis modicum quid omitteret, quod simul sumptum integraret quantitatem notabilem?*

Resp. Peccaret mortaliter, quia secundùm se pars notabilis est, & respectu totius Officii pars notabilis deficeret, licèt respectivè ad singulas horas defectus notabilis non reputaretur.

16. Quæritur, *an obligatus ad Officium peccet mortaliter, si non recitet Officium B. M. V. Psalmos pœnitentiales, graduales, & Officium Defunctorum, quando eorum recitatio in Quadragesima à rubrica præscribitur?*

Resp. Negativè, ratio est, quia illæ sunt obligationes Chori, non Personæ, ut ex Rubricis Breviarii, suis locis videndis; hinc Choro adstrictus, si tunc non adsit, non tenetur sub læthali privatim recitare, ut habetur ex Bulla Pii V. apposita in principio Breviarii; ex opposito tenetur ad Litanias in die S. Marci, & Rogationum, ac ad Officium Defunctorum in die commemorationis, si processioni non interfit, vel Choro, ratio est, quia sunt pars obligationis illius diei, ut colligitur ex rubrica eam exprimens verbis præceptivis, *dicant*, & non hortativis, *monemus*, vel facultativis, *possunt*. Gavant. *cit. cap.* 16. *num.* 3. Suarez *cap.* 19. *num.* 9.

17. Quæritur, *an omittens integrum unius diei officium, unicum, vel plura numero peccata committat?*

Resp. Tabiena, & Lessius *alleg.* à Bonac. *disp.* 1. *q.* 5. *punc.* 1. *prop.* 3. *in* 6. affirmant tot numero peccata committi, quot sunt horæ omissæ; ratio est, quia omittens singulas horas, omittit septem opera distincta. Bonacc. *cit. prop.* 3. *num.* 5. apud quem plures, & Gavant. *tit.* 1. *cap.* 5. *num.* 2. dixerunt omittentem uno die totum officium, unum peccatum committere; ratio est, quia transgreditur unum præceptum, habens pro objecto totum officium, quod ex septem horis Canonicis, tamquam ex partibus, integratur: utraque sententia est probabilis, secunda videtur communior.

18. Verùm in utraque sententia id est certum, quod omittens totum officium unius diei, non satisfacit, si in Confessione dicat, *peccavi graviter contra obligationem recitandi officium*, sed oportet, ut exprimat se septem horas omisisse, quia ad minus gravius peccat, quàm, si unicam omitteret.

19. Quæritur, *an mortaliter peccet, & præceptum recitandi officium impleat, qui sponte, & advertenter horas canonicas permutat, recitando V. G. de Sancto, dum est recitandum de feria, vel de uno Sancto, cum recitandum est de alio, aut Dominica? quod est idem ac quærere, an sit in præcepto servare formam Breviarii, ut applicatam ad tale tempus, vel diem? id est, an sit in præcepto in Adventu officium Adventus legere, & in Quadragesima, illud Quadragesimæ?*

Resp. cum communi DD. apud *alleg.* Bonac. & Suarez *qu.* 22. *num.* 12. mutantem officium unius diei in officium alterius, mortaliter peccare, & præcepto non satisfacere, ratio est, quia non implet præceptum, quoad substantiam; nam, licèt substantia præcepti in genere

sit de septem horis in genere, substantia tamen præcepti in particulari, & in individuo, est de septem horis talibus, & quoad talem substantiam in individuo, hoc est, quod constet ex his psalmis, & ex his lectionibus ergo, si juxta distributionem, diei accomodatam, non recitetur, præceptum non impletur.

20. Sed quid, *si quis involuntariè unum officium pro alio recitet?*

Resp. debet, dum ad mutationem, vel errorem adverterit, priusquam sit elapsus dies, omissa supplere, *alleg.* Bonac. Suarez *num.* 15. & Layman. *lib.* 4. *tract.* 1. *cap.* 3 *num.* 5.

21. Quæritur, *an recitans privatim cum socio, satisfaciat præcepto recitandi?*

Resp. Affirmativè cum Bonac. Suarez *sum.* Leand. *cit. num.* 29. Gavant. *cit. cap.* 5. *num.* 3. nam est modus similis ei, quo in choro recitatur; qui autem in choro alternatim recitant, præceptum implent;

Nota alternatim recitantes debere clara voce officium dicere, ut quisque alium audiat, aliàs obligationi non satisfaciunt: nam sic recitantes supplent audiendo, quod omittunt recitando.

22. Sed quæritur, *an, qui ex officio, vel mandato Superioris occupantur in pulsandis organis, transferendis libris ex una ad aliam partem, vel in thure deferendo, teneantur eam partem recitare, quæ ab aliis tunc temporis persolvitur?*

Resp. Affirmativè, quia non dicitur recitare divinum officium, qui verba divini officii non profert, vel ad illa attentè non attendit.

23. Quæritur, *an Beneficiatus attentè audiens in choro socios canentes suam partem, & ipse, submissa voce suos versus recitans, satisfaciat obligationi recitandi horas Canonicas.*

Resp. Affirmativè, ratio est, quia ipse suam partem revera recitat, & communicat in parte sociorum, qui ei suam partem communicant, dum alta voce psallunt, quamvis ipse submissè recitans non communicet suam partem ipsis.

Verùm non satisfacit debito servitio Chori, nec potest distributiones percipere; ratio est, quia, qui non facit, quod debet, non recipit, quod oportet: Canonicis, & Beneficiatis dantur redditus Ecclesiastici specialiter, ut Choro inserviant, sed, si non canant, non serviunt, nec implent officium suum; ideò contra justitiam peccant, atque adeò ex genere suo mortaliter. Non conducitur operarius ad vineam, ut ibi assistat, sed, ut ibi laboret: nec Parocho datur Cura, ut suæ Ecclesiæ sit præsens, sed, ut in ea ministret, & onera Parochialia exerceat.

24. Quæritur, *an, ut impleatur præceptum, horæ canonicæ sint voce recitandæ, vel solùm mente?*

Resp. Sensibili voce recitari debent; quia obligatio est de oratione vocali. Considera, *in cap. dolentes* illud *studisse:* at sufficit, si te ipsum percipias; neque hoc requiritur, si sis Surdaster.

25. Quæritur, *an mortaliter peccet, qui horas canonicas statutis horis non recitat, ut, si manè recitet vesperas, vel post vesperas differat matutinum, primam, tertiam, &c.*

Resp. Negativè, ratio est, quia implet præceptum, quoad substantiam, modò intra eundem diem naturalem, qui est tempus pro toto officio determinatum, seù

seù habile ad ipsum implendum, integrum officium recitet; si absque justa causa notabiliter tempus horarum invertat, venialiter peccat, Bonac. *cit. q. 3. pun. 3. num. 4.* & DD. communiter.

26. Quæritur, *an recitans horas canonicas, dum Missam die festo audit, utrique præcepto satisfaciat?*

Resp. Affirmativè, Bonacc. *cit. pun. 2. num. 14.* ratio est, quia recitatio, & auditio ad unum finem diriguntur, & attentio divini officii non est incompossibilis cum auditione Missæ; id tamen sine justa, & rationabili causa non est consulendum, de quo *lib. & cap. cit.*

27. Quæritur, *an sicut post vesperas diei, V. G. Dominicæ, potest recitari matutinum cum laudibus diei Lunæ, possint, etiam tunc, recitari cæteræ horæ?*

Resp. Negativè, & si quis recitet, tenetur sub mortali die Lunæ horas repetere, juxta generalem consuetudinem, praxim Ecclesiæ, & sensum DD. asserentium privilegium potestativum, seù habilitativum ad recitandum matutinum diei sequentis, non extendi ad cæteras horas.

28. Quæritur, *quomodo se gerere debeat Confessarius cum accusante se officium non recitasse?*

Resp. interroger, an totum, vel partem omiserit? an teneatur, etiam ratione beneficii? & quatenus affirmet, eum juxta quantitatem omissionis ad restitutionem fructuum beneficii obliget; quoties omiserit, & an fuerit causa, ut cæteri non recitarent, & quot fuerint, &c.

## CAPUT XXVI.

*Prop. XXXVI. ab Alex. VII. &c.*
*Privilegia Regularium.*

1. PROP. 36. *Regulares possunt in foro conscientiæ uti privilegiis suis, quæ sunt expresè revocata per Conc. Trid.*

Præfatam propositionem docuerunt Henriquez, & Sanchez apud Fagnan. *in 1. decretal. ad caput ne innitaris de const. sub num. 335.* Virginius Alviset, *cit. ab* Ilsung. *Theol. tract. 1. disp. 3. art. 10. num. 65.* laboravit in stabilienda probabilitate propositionis sequentis: *nullum privilegium Regularium est sufficienter revocatum, ad hoc, ut ab illo abstinere teneantur.* Simile quid dixit Bruno Cassaing. Quorum doctrina, utpotè à parte rei falsa, ad praxim non est deducenda; nec pro foro externo, in quo ex ipsius sequela multum pax læderetur, & inter Episcopos, & Religiosos non minora orirentur litigia; nec pro interno, & conscientiæ; nam, omisso, lites non posse tam de facili inter eos enasci, non est dubium ex ea fideles damnum spirituale reportaturos, quippe sæpè absolutionem à peccatis reciperent ab iis, qui à locorum Ordinariis approbati non forent, & sic invalidè. Hinc est evidens, privilegia Regularium à Trident. revocata, tam pro foro externo, quàm interno revocari.

Quæ autem privilegia Trid. expresè revocaverit, enumerat alleg. De la Cruz *num. 9.* Ilsung. *num. 8.* & ego ipse Offic. Cur. *tom. 1. cap. 24. num. 8.* legatur Trid.

& præsertim *sess. 25. de regul. per 22. capita.*

3. Jam prius Trid. ad pacem, & quietem conservandam inter Ecclesiarum Prælatos, & Religiosos fuerunt privilegia Regularibus data, moderata à Leone X. const. *dum intra, edita in Concil. Lateranen.* Post Conc. verò, Greg. XIII. *const. incip. In tanta sub die 25. Martii* 1573. ad terminos juris veteris, & Conc. Trid. reduxit dispositiones Const. B Pii V. in quibus plura Mendicantibus, & Religiosis Ordinibus privilegia dedit, etiam in Trid. revocata. Vide Quaranta Bullar. *ver. privil. regular.* & De la Cruz *numer.* 10.

Post Greg. verò exemptorum privilegia, quoad animarum, & Monialium curam, Verbi divini prædicationem, & Sacramentorum administrationem, restrinxerunt, & respectivè limitarunt Greg. XV. *const. inservitabili*, & Clemen. X. *const. Superna*, legendis in Bullar. Cherub.

4. Quæritur, *quando censeantur privilegia a Concilio expresse revocari?*

Resp. Cùm revocantur, adjecta clausula derogatoria, *non obstantibus privilegiis, vel consuetudinibus etiam immemorabilibus*, aut simili.

5. Sed quæritur, *an per privilegiorum confirmationes, sine ulla exceptione, renoventur, instaurentur, & revivisçant, etiam à Trid. revocata?*

Resp. Negativè, propter clausulam literis adjectam: *modo Sacris Canonibus, & decretis Sacri Conc. Trident. non adversentur.*

6. Sed quid, *si hæc clausula non apponatur?*

Resp. Nec tunc reviviscunt, quia privilegia, à quovis Concilio Generali revocata, in confirmatione privilegiorum semper excipiuntur tacitè, vel expressè: expressè, cùm ea adjicitur clausula: tacitè, cùm Pontifices privilegia confirmant, sed non addunt se confirmare velle, etiam à Concilio revocata. Ideò observandum, quòd, cùm expressè excipiuntur privilegia revocata à Trid. intendunt significare, privilegia à Conc. revocata, non amplius tacitè, sed expressè excipi. Ilsung. *cit. à num. 66.*

7. Sed quid, *cùm privilegia confirmantur, & innovantur hac clausula*, non obstantibus quibuscumque Constitutionibus Apostolicis, Provincialibus, & Generalibus?

Resp. Nec tunc à Concilio revocata confirmantur, ratio est, quia particula *Generalibus*, non ponitur ad significandas constitutiones Conciliorum Generalium, sed Constitutiones à Summis Pontificibus, non pro solis particularibus Provinciis, sed pro tota Ecclesia editis: certè aliud est Constitutio Generalis, & aliud Constitutio facta à Conc. Generali: hæc posset, etiam esse pro unica Provincia.

8. Quæritur, *an ad minùs renoventur privilegia, quæ sunt Concilio contraria, licèt in eo non expressè revocata per clausulam derogatoriam* non obstantibus, &c.

Resp. DD. cum Roderico *resolut. 116. num. 14.* inter decreta Trid. contrarta privilegiis Regularium numerant, aliqua cum clausula derogatoria *non obstantibus*, & alia sine illa clausula; exemplum est in *sess. 23. cap. 8. de ref.* ubi duo definiuntur, unum absolutè sine expressa derogatione privilegiorum, ut, quòd Sacri ordines

dines statutis ab jure temporibus, & non extra tempora conferantur, nec apponitur clausula derogatoria; propterea plures docent adhuc post Trid. posse Regulares extra tempora ordinari; eo quia, quoad hoc, privilegia non sunt expressè revocata; iterum, ut unusquisque à proprio Episcopo ordinetur, cum expressa derogatione privilegiorum in contrarium: quo notato

Dicimus, neque ea innovari, quia, licèt per clausulam derogatoriam expressè non revocentur, tacitè tamen revocantur per contrariam legem, & decretum à Trid. editum; consequenter decretis Trid. sunt contraria: quæ autem iisdem adversantur non intendunt Pontifices sub confirmatione comprehendere, ut ex dictis patet.

9. Propterea *off. Cur. Eccleſiaſt. cap.* 35. dixi Regulares non posse in vim privilegiorum, priùs Trid. obtentorum, extra tempora ordinari. lege ibid.

10. Quæritur. *An in locis, in quibus non sunt recepta Trid. vel Bullæ revocatoriæ, possint Regulares suis uti privilegiis, per præfata revocatis; & an per communicationem privilegiorum valeant iisdem gaudere Religiosi existentes, ubi Conc. & Bullæ vim habent?*

Resp. Negativè, ratio est, quia ad valorem revocationis non exigitur consensus privilegiati, vel, quod revocatio ab eo acceptetur: nam privilegia ex mera voluntate Principis conceduntur, ergo ex eadem voluntate sine ordine ad acceptationem possunt in toto, vel in parte revocari. De la Cruz *cit. cap. v. dub* 3. *num.* 51 Quare communiter asseritur: privilegia invitis non solent dari, benè verò ab eis auferri; ideò, tametsi Trid. & Bullæ non sint ubique recepta, nihilominus valet ubique revocatio privilegiorum in illis revocatorum; quia, ut directè, & immediatè tollatur usus privilegii, sat est, ut per publicationem hic Romæ, more consueto factam constet de voluntate Concilii, vel Pontificis, revocantis privilegia; quibus quisque illicitè utitur, statim à notitiam revocationis acquirit. Tanta enim est efficacia clausulæ adjectæ *cap.* 22. *sess.* 25. *de regul. non obstantibus eorum omnium, & singulorum privilegiis sub quibuscumque formulis verborum conceptis, &c.* ut, cum privilegiis directè concessis, privilegio etiam deroget communicationis. Layman. *lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 23. *in fine* Ilsung. *cit. num* 64.

11. In praxi itaque Confessarius Regularis advertat I, quod Sæcularium Confessiones audire non potest, nisi ab Ordinario loci approbetur. Trid. *sess.* 23. *cap.* 15. *de ref.* Greg. XV. *const. Inscrutabili,* & Clemen X. *const. Superna.*

II. Quòd approbatus pro Sæcularibus, Monialium Confessiones excipere non valet, sed egeat speciali approbatione. Greg. & Clemen. *ibid.*

III. Quòd approbatus pro uno Monasterio, non potest Monialium alterius Monasterii Confessiones audire. *ibidem* Clemen.

IV. Quòd Confessarius extraordinarius Monialium, approbatus pro unica vice, iterùm est approbandus, *ibid.* Clemen.

V. Quòd non potest absolvere à casibus, & censuris Episcopo reservatis sine licentia speciali Episcopi, *ibid.* Clemen.

VI. Quòd non potest absolvere à censuris ab homine latis. Leo X. Const. *dum intra*, nec à contentis in Bulla Cœnæ, aliisque Constitutionibus Apostolicis.

Alia plura in præfatis constit. referuntur, & in alia Innoc. X. incip. *Cum sicut, edita die* 14. *Maji* 1648. super controversiis vertentibus inter Episc. Angelopolitanum, & P.P. Societatis, ut in *Bullar. Cherub. & tom. offic. Cur. cap.* 24. *num.* 22.

## CAPUT XXVII.

### *Prop. XXXVII. ab Alex. VII. &c. Indulgentia, & Jubileum.*

1. PROP. 37. *Indulgentiæ concessæ Regularibus, & revocatæ à Paulo V. hodie sunt revalidatæ.*

Paulus V. revocavit omnes, & singulas Indulgentias directè, & principaliter personis regularibus, quarumcumque Religionum, & Ordinum, etiam Mendicantium, & Monialium, à suis Prædecessoribus concessas, adjecta clausula derogatoria omnium *derogatoriarum, & privilegiorum. sub quarumcumque formula concessorum*, aliasque loco ipsorum est elargitus, ut expresè Const.

2. Et quoniam quidam, inter quos Roderico *resolut.* 77. *num.* 45. existimarunt Indulgentias à præfato Paulo revocatas, revalidatas esse; propterea Alex. VII. enunciatam proscripsit prop. & post Alex. Innoc. XI. in decreto *de aprocriphis Indulgentiis, incip. Delatæ edito die* 7. *Martii* 1678. *& publicato die* 12. *ejusdem mensis, & anni*: §. *ac demum* declarat *omnes Indulgentias concessas ante Breve Pauli V. incip. Romanus Pontifex, & editum die* 23. *Maji* 1606 *personis Regularibus, quarumcumque Religionum, & Ordinum, etiam Mendicantium, &c. nisi fuerint deinde Romani Pontificis, auctoritate innovatæ, aut confirmatæ nullius esse roboris, & momenti.*

Hinc constat, per generalem confirmationem privilegiorum, Indultorum & gratiarum sine expressione, & speciali mentione Indulgentiarum, non innovari, nec confirmari Indulgentias revocatas; ratio est, quia juxta *reg.* 81. *in* 6. *in generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter concessurus*; sub generali autem concessione privilegiorum, indultorum, & gratiarum non continetur concessio Indulgentiarum; nam Pontifices in Bullis, cum Indulgentias concedunt, eas proprio nomine, tamquam membrum à præfatis distinctum, exprimunt, ergo nec sub generali privilegiorum confirmatione venire debent, per Gobat. *tom.* 2. *de Indult. tract.* 4. *cap.* 2. *num.* 22. In similibus tenor rescripti, & mens Pontificis, non verò speculantium consequentiæ, & illationes attenduntur.

Quæ omnia adnotanda duxi, ut Confessarius dubiis super revalidatione Indulgentiarum excitatis respondeat, cui pro praxi aliqua Indulgentiarum, & Jubilei communia exhibeo.

3. Quæritur. *Quid sit Indulgentia?*

Resp. Est *relaxatio, seu remissio pœnæ temporalis debitæ pro peccatis actualibus, jam dimissis, facta à Prælato Ecclesiæ, existentibus in gratia, per applicationem Thesauri Ecclesiastici.*

Pro notitia notabis, quod bona morientis

rientis in Republica sine hæredibus applicantur ærario publico, & Princeps, ut administrator, cum causa potest illa educere in subsidium reliquorum subditorum; ita in Ecclesia Christi satisfactiones Christi, B.M.V. ac illæ, quæ Sanctis ipsis superabundarunt, reponuntur in Thesauro Ecclesiæ, & Summus Pontifex, cujus curæ commissæ sunt Claves, potest applicare cum causa satisfactiones illas aliis Christianis; & hæ sunt Indulgentiæ: sed pondera, principaliter Thesaurum Ecclesiæ constare ex satisfactionibus Christi. Lege *extravag. Unigenitus de pœnit. & remiss. int. comm.*

4. Quæritur. *Quinam sit effectus Indulgentiæ?*

Resp. Remissio pœnæ temporalis, debitæ peccatis remissis. Ubi notandum, quòd, condonato peccato, pœna æterna, quæ ipsi debebatur, commutatur in temporalem: duplex autem pœna temporalis debetur peccatis dimissis, una in foro Dei, luenda in Purgatorio, altera in foro Sacramentali, ex præcepto Confessoris subeunda in hoc mundo: utraque per Indulgentias remitti potest: in toto, si Indulgentia sit plenaria, & in parte, si plenaria non sit *cit. cap. Unigenit.*

5. Advertas, quòd secundum Sacros Canones gravioribus criminibus olim pœnitentia imponebatur, unius, quinque, vel septem, aut decem annorum, prout referunt Canones pœnit. *ad finem decret. Gratiani.*

6. Item nota, quòd, *quadragena*, vel *quarantena* dicebatur pœnitentia, consistens in jejunio quadraginta dierum, quod communi modo fit, Gobat. *tom. 2. oper. moral. tract. 4. cap. 4. nu. 294.* quæ quadragena, cum acrius jejunium, in pane nimirum, & aqua præscribebatur, *carena* fuit dicta, hoc est, carentia aliorum ciborum per 40. dies. Glos. *ad cap. Accusasti de accusat. in verb. carena.*

Doctores resolvunt per Indulgentiam unius anni remitti tantam Purgatorii pœnam, quanta deleretur per pœnitentiam unius anni, quæ imponeretur à Confessario, juxta Canonum pœnitentialium dispositionem; idem, proportione servata, dicendum, dum conceditur Indulgentia v. g. unius quadragenæ: nam per Marchant. ibidem significatur remissio tantæ pœnæ, quanta fuisset deleta, si quis 40. continuis diebus in jejuniis, aliisque laboriosis operibus pœnitentiam egisset.

7. Sed. *Quid significatur, cum conceditur Indulgentia mille annorum?*

Resp. Remitti tantam pœnam Purgatorii, quanta deleretur per pœnitentiam mille annorum, si quis mille annis vivens, tot annis ad præscriptum Sacrorum Canonum pœnitentiam egisset.

8. Quæritur, quid indicat. *Illud vulgatum: Indulgentiæ tantum valent, quantum sonant?*

Resp Indicat 1. quod non valent plusquam sonent; ideò, si centum dies dentur, non plus Indulgentia confert, quam centum dies; Cum in tenore Indulgentiæ additur *de pœnitentiis injunctis*, est sensus, voluntatem Prælati esse, per hujusmodi Indulgentiam tantam Pœnam Purgatorii remitti, quanta exipiaretur per impletionem pœnitentiæ à Confessario impositæ, contra Gobat. *cit.* Nec est Indulgentia, sub ea verborum formula concessa, extendenda ad pœnitentias, ex-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

iam injungendas: nam, si Papa id intendisset, expressisset. Dum in concessione non sit restricta, ut relaxentur pœnitentiæ injunctæ, extenditur etiam ad non injunctas, ut dixit de la Cruz: nam beneficium Principis, dum ab eo non limitatur, latè est interpretandum, juxta *cap. quia circa de privil.*

9. Quæritur. *Quid significet clausula: Indulgentiam, & remissionem peccatorum concèdimus?*

Resp. Significat per Indulgentiam concedi remissionem peccatorum, quoad reatum pœnæ temporalis, non quoad reatum culpæ quia quoad hunc supponit peccata remissa; in alleg. *extravag. Unigenitus* fit mentio *remissionis pœnæ temporalis pro peccatis debitæ:* ideò peccatum ibi sumitur pro pœna peccati, juxta illud 1. Machab. *ut à peccatis solvantur*; ut communiter DD. Ergo lucraturus Indulgentiam, & remissionem pœnæ peccatis remissis debitæ debet esse in statu gratiæ, & per gratiam unitus aliis membris, quorum satisfactionibus solvit. In corpore naturali manus abscissa non participiat aliorum membrorum influxum, ergo nec pœna per Indulgentiam existenti in peccato remittitur: nam, qui inimicus est Dei, indignus est tali remissione, & favore. Propterea Pontifices dum Indulgentias concedunt, *verè pœnitentibus, & confessis* elargiuntur, *tex. expressus in alleg. extravag.*

10. Quæritur. *An, qui lucratur Indulgentiam plenariam, sit liber ab implenda pœnitentia sibi à Confessario imposita?*

Resp. Affirmat Sum. Leand. *ver. Indulg. num.* 78. Gobat. *tract.* 3. 170. & *sequen.* loquendo de pœnitentia vindicativa, punitiva, & satisfactiva, non verò de præservativa, & medicinali ad futura evenda.

11. Sed contraria sententia in praxi sequenda est. Nam sæpè incertum est, an Indulgentiam lucrati simus, vel saltem, an ita plenè, ut pro omni pœna satisfecerimus; deindè, implenda est ad obediendum Confessario, & non privandum Sacramentum Pœnitentiæ sua parte integrali.

12. Quæritur. *In quo differant Indulgentia plenaria, & Jubileum?*

Resp. In hoc, quod Jubileum ultra Indulgentiam plenariam, facultatem continet absolvendi à reservatis, commutandi vota, & eligendi Confessarium, ex Palao Gobat *tract.* 3. *cap.* 1. *nu.* 4. Item, quodlibet Jubileum est Indulgentia plenaria, sed non è contra; quia in quavis plenaria Indulgentia illa facultas non conceditur; ut in literis concessionis quisque videre potest. Quas debet Confessarius prius diligenter inspicere, ut videat, quid erga pœnitentes sibi concedatur.

13. Quæritur. *An ad lucrandum Jubileum, vel Indulgentiam necessarium sit actualiter confiteri?*

Resp. Si Indulgentia sit concessa verè *contritis, seu verè pœnitentibus, & confessis*, requiritur actualis mortalium Confessio Sacramentalis, nec sufficit sola contritio, quamvis perfecta; ratio est, quia verba sunt clara, à quibus in dubio recedendum non est; nam *Indulgentia tantum valent, quantum sonant* Nota cum Confessione sufficere attritionem supernaturalem.

14. Sed

14. Sed quid, *si quis non habeat conscientiam peccati mortalis, & sit in statu gratiæ?*

Resp. Tutior sententia apud Nicol. Flos. *ver. Jubil. num.* 2. est opinio, affirmans, esse præmittendam Confessionem, utpotè magis congruens cum verbis Bullæ exigentis Confessionem absolutè, & non distinguentis, an debeat esse mortalium, an venialium. Sanchez, & Lezana apud Gobat. *cap.* 23. *num.* 158 & Sum. Leand. *nu.* 58. Rationem affert Poncius *disp.* 46. *qu* 15. *conc.* 5. quia Confessio, non obstante statu gratiæ, est bona, ergo æquè benè potest requiri, ac alia bona opera præscripta.

15. Advertendum Confessionem exigi interdum, *ut opus injunctum*: interdum, *ut meram dispositionem*: exigitur, *ut opus injunctum*, quando in formula Indulgentiæ ponitur expressè & specificè: *Confessione præmissa: vel, verè pœnitentibus, & Confessis*: nam tunc Pontifex vult eam absolutè, & secundum se esse faciendam: nec contritio sufficit; & licèt Gobat. *cap* 24. *tract.* 3. *num.* 167. restringat ad solos existentes in mortali: tamen, cum Pontifex absolutè loquatur, absolutè intelligendus est, nec nos distinguere debemus, ubi ipse non distinguit. Propterea Bonac. *de Jubil. qu.* 1. *disp.* 6. *punct.* 5. *num.* 6. dixit in praxi, eis etiam, esse consulendam Confessionem, ne quis se exponat periculo non lucrandi Indulgentiam; exigitur verò, ut *dispositio*, quando in Bulla non fit expressa Confessionis mentio, sed fit mentio solius Communionis, & tunc existens in mortali debet se per Confessionem disponere, ut dignè Eucharistiam suscipiat, & Indulgentiam consequatur; nec sufficit contritio, si habeatur copia Confessoris. Layman. *cap.* 4. *à num.* 6.

16. Quæritur. *An, qui, intra tempus ab Jubileo præscriptum confitetur, sed ante hebdomadæ finem incidit in mortale, teneatur iterum confiteri?*

Resp. Affirmativè, quia Pontifex intendit concedere Indulgentiam, verè contritis, & confessis: talis est praxis fidelium & via securior ad Indulgentiam lucrandam.

17. Quæritur. *An, quando in Jubileo præscribuntur duæ hebdomadæ, qui in prima jejunat, visitat Ecclesiam, & tribuit eleemosynam, in alia vero confitetur, & communicat, lucretur Jubileum?*

Resp. Negativè; duæ hebdomadæ assignantur, non, ut opera in eis dividantur, sed, ut duo tempora disjuncta, in commodum fidelium, ut, quibus prima hebdomada commodum non fuit Indulgentiam lucrari, lucretur in secunda. In praxi id teneas, & una, ac eadem hebdomada omnia opera præsta. Sum. Leandr. *num.* 66.

18. Quæritur. *An necesse sit ad Indulgentiam lucrandam, ut omnia opera præscripta fiant in statu gratiæ?*

Resp. DD. requirunt, ut saltem ultimum opus, quo completo, Indulgentia acquiritur, fiat in gratia; ratio est, quia Indulgentia est relaxatio pœnæ, pœna autem non remittitur, nisi remissa culpa; secutius tamen est, ut omnia in gratia fiant.

19. Quæritur. *An, si quis ex oblivione, ignorantia, vel impotentia, aut negli-*

*negligentia aliquod opus omittat; Indulgentiam obtineat?*

Resp. Negativè; ratio est, quia Indulgentia conceditur sub conditione implendi omnia opera præscripta, nisi à Confessario commutentur; non impleta autem conditione, non consequitur, quod sub conditione datur: conditionalis enim, nisi conditio verificetur, nil ponit in esse.

20. Sed quæritur. *An ad lucrandum Jubileum sufficiat opera præscripta per alium perficere?*

Resp. Negativè, loquendo de jejunio, Oratione, Visitatione, Confessione, & Communione, quæ verè sunt actiones personales, ad quas electa est industria personæ, Layman & Bonaccin. facere enim, quòd alius jejunet, non est jejunare, Sum. Leandr. *num.* 38. Eleemosyna autem potest per famulum dari, quam si non conferret, Dominus committens Indulgentiam non lucraretur; quia revera pauperes eleemosynam non accepissent.

21. Quæritur. *An qui loco Sabbati jejunat feria 5. lucretur Jubileum?*

Resp Negativè, quia opera perficienda sunt juxta formam præscriptam, sic, ut nullius sit propria authoritate opera præscripta mutare, etiam in melius; & omnia una, & eadem hebdomada impleri debent juxta *d. nu.* 17.

22. Quæritur. *An, adolescens, qui annum 21. ætatis non expleverit, & ideo non obligatus ad jejunia Ecclesiæ, teneatur jejunare, si velit lucrari Jubileum?*

Resp. Affirmativè, cum Layman, Gobat, Bonacc, nam hæc est voluntas Pontificis. Idem dicitur de senibus (non infirmis) & pauperibus ac Mechanicis, si labor sit cum jejunio compatibilis, alias Confessarius commutet in aliud opus.

23. Quæritur. *An ad lucrandum Jubileum sufficiat jejunium, ad quod alia obligatione voti, vel præcepti teneris?*

Resp. Affirmativè, Layman. *cap.* 8. *nu.* 13. Marchant. *lect.* 4. *prop.* 2. ratio desumitur ex usu Pontificum, & praxi promulgandi Jubilea, etiam in Quadragesima, & in quatuor temporibus, in quibus jejunium est sub præcepto; & in quibus illo jejunio, quo impletur præceptum, satisfit Indulgentiæ; nil enim prohibet, quin unico actu pluribus obligationibus satisfiat, modò natura talium obligationum id patiatur, & intentio obligantis non repugnet.

24. Quæritur. *An pro consequenda Indulgentia Jubilei, sit facienda eleemosyna?*

Resp. Affirmativè, si id in Bullis exprimatur; & advertendum, quòd si eleemosyna præscriberetur, pro cujusque facultate, major eleemosyna esset facienda à divite, quàm ab egeno.

25. Sed quid *dicendum de pauperibus, aliisque, qui non possunt eleemosynam dare.*

Resp. Debet à Confessario ejus loco aliud opus imponi, v. g. oratio, vel visitatio loci pii, vel aliud opus misericordiæ; cui, ut plurimum, ad id facultas datur per adjectam clausulam: Confessarius, *ex approbatis, possit iis qui opera injuncta præstare nequeunt, commutare in alia pietatis opera, vel in aliud tempus proximum prorogare.*

26. Idem

26. Idem dicitur de Regularibus, & Monialibus, pro quibus debet Superior exbonis communibus Monasterii eleemosynam præscriptam dare (quod ego præticavi in Jubileo, promulgato à Clemente XI. occasione terremotus 1703.) Quod si Superior nollet pro subditis eleemosynam largiri non possent isti aliquid de bonis Monasterii, inscio Superiore, in eleemosynam dare; quidquid dixerit Diana, sed deberent commutationem petere. Idem dicas de uxoribus, & filiis familias.

27. Quæritur. *Quanam facultas competat Confessario approbato per Bullam Jubilei electo?*

Resp. Ea dependet ex dispositiva Bullarum; & solet concedi potestas absolvendi à censuris, & peccatis reservatis: commutandi vota: commutandi opera præscripta, & prorogandi opera in aliud proximum tempus.

28. Quæritur. *An cum in Bulla datur facultas absolvendi à censuris, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, detur potestas absolvendi à casibus Bullæ Cœnæ, si istud non exprimatur?*

Resp. Negativè Gobat. *cap.* 33. ratio est quia censuræ in Bulla Cœnæ contentæ propter suam speciclem rationem, gravitatem, & reservationem non censentur in generali concessione contineri, nisi exprimantur; de absolutione ab hæresi diximus *cap.* 3. *num.* 7.

29. Quæritur. *Quot peccata committit & censuras incurrit, qui sine facultate absolvit à casibus Bullæ Cœnæ.*

Resp. Tot, quot personas absolvit, ita Quilici Confes. *manud. qu.* 4. *art.* 2. *nn.* 8. Et, cum sult absolvi à censuris, debet exprimere numerum personarum absolutarum, aliàs, si unam nominet, aliis omissis, ab una liberatur, sed aliis adhuc ligabitur.

30. Quæritur. *An peccata reservata, in Confessione omissa ex oblivione, tempore Jubilei, possint transacto Jubileo, absolvi à quovis Confessario approbato ab Episcopo?*

Resp. Affirmativè; nisi Confessio fuerit invalida, quia tunc nec à Confessis directè, nec ab oblitis indirectè absolvitur, ergo sublata non est reservatio. De quare diximus *cap.* 8. *num* 14.

31. Sed quid. *Si culpabiliter quis omitteret opera ad Jubileum lucrandum?*

Resp. Non posset transacto Jubileo, absolvi à Confessario, non habente facultatem super reservata, ratio est, quia talis culpa videtur ipsum reddere indignum gratia Jubilei.

32. Sed. *Quid etiam, si Confessus est animo lucrandi Jubileum, & postea non facit opera ad lucrandum necessaria?*

Resp. Tunc etiam, transacto Jubileo, non potest à reservatis oblitis absolvi; nisi à prædito facultate, quia ex sui culpa, non debet commodum reportare; ergo, dato etiam fuisse reservationem sublatam, adhuc est obligatus ad ea directè exponere apud habentem facultatem.

33. Quæritur. *An; qui omnia fecit ad lucrandum Jubileum, & oblitus est petere commutationem voti, possit, transacto Jubileo, illius commutationem exigere, à quovis Sacerdote approbato?*

Resp. Negativè cum Layman. *num.* 9.

& Marchant. ratio est, quia nullum votum fuit Confessario detectum, & super nullo posita commutatio; propterea non potest dici, oblita esse indirectè commutata. Addo, propterea, Jubileo transacto, potest simplex Confessarius approbatus absolvere à reservatis, oblitis in Confessione, facta tempore Jubilei, quia pœnitens fuit ab illis indirectè absolutus, & sublata reservatio, sed nullum votum fuit commutatum ergo. Nota ex Bonaccina tempore Jubilei non posse extra Confessionem commutari, idque, ut tutius recipitur, etiam ex verbis *Bullæ, & insuper vota, &c.*

34. Quæritur. *An, cum Bulla negat facultatem commutandi votum castitatis, intelligitur de voto castitatis emisso ad tempus, v.g. biennium?*

Resp. Negativè, nam per votum castitatis, quod, nec vi facultatis Jubilei commutari potest, intelligitur votum castitatis perfectæ, de cujus essentia est, quod sit perpetua, & solet describi, *est abstinentia in futurum ab omni voluntaria delectatione venerea, tam extra, quàm intra conjugium, tam interna, quàm externa.* DD. communiter *lib. 2. capit. 28. & lib. 3. capit. ult.*

35. Hinc virtute Jubilei potest Confessarius commutare votum non fornicandi, & non committendi peccatum mollitiei: quia nullum istorum est votum perfectæ castitatis, sed partis, contra, quæ non peccatur ineundo matrimonium.

36. Est commutabile votum non nubendi, quia non est votum totius castitatis, sed partis, cum per fornicationem non violetur, tametsi contra castitatem fornicando delinquatur.

37. Item votum, quo conjuges vovent se numquam reddituros, vel petituros debitum, quia non est promissa perfecta castitas: nam contra votum non peccarent, si se voluntariè polluerent, vel adulterium committerent, licèt aliàs gravissimè peccarent.

38. Item, votum suscipiendi sacros ordines, quia id non est votum castitatis: nec ipsa castitas in se promittitur, sed tantum status, cui votum castitatis tacitè annexum est. De la Cruz *de voto*, & Layman. *Theol. moral. lib. 4. tract. 4. cap. 8. num. 8.*

39. Regula generalis est, quòd quoties materia voti, deficit à materia integra voti castitatis, possit vigore Jubilei commutari, quia est votum partialis castitatis.

40. Sed quid. *Si quis diceret, vovi me ad centum annos castitatem servare?*

Resp. Non posset virtute Jubilei commutari, quia votum censetur perpetuum, cum vita hominis tanto tempore durare non præsumatur.

41. Sed. *An Bulla intelligenda sit, tam de voto simplici, quàm solemni castitatis?*

Resp. Affirmativè, quia utroque vovemus castitatem perfectam, licèt uno cum solemnitate per emissionem professionis in aliqua Religione approbata, aut susceptionem Sacri Ordinis, & alio privatim sine tali solemnitate.

42. Quæritur. *An vigore Jubilei possit quis absolvi ab hæresi, quæ non sit purè interna?*

Resp. Negativè. Nisi expressè, & nominatim facultas concedatur, juxta decretum Alex. VII. quod refert infra *cap. 34. n.*

34. *nu.* 29. Et resolutio intelligitur etiam de Apostasia à Fide, & Schismate includente hæresim.

An autem possint vigore Jubilei absolvi violatores Immunitatis Ecclesiasticæ in terminis Greg. XIV. *Cum aliàs.* Videndum supra *cap.* 8. *num.* 34.

43. Sed quæritur, *an vigore Jubilei possit absolvi denunciatus excommunicatus, non satisfacta parte?*

Resp. Negativè, propter clausulam, quæ in literis apponi solet: *Intendimus, &c. neque etiam, easdem præsentes iis, qui à Nobis, & Apostolica Sede, vel ab aliquo Prælato, seu Judice Ecclesiastico excommunicati, suspensi, interdicti, seu alias in sententias, & censuras incidisse declarati, vel publicè denunciati fuerint, nisi intra tempus dictarum duarum hebdomadarum satisfeeerint, aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse, aut debere:* per satisfactionem intelligitur restitutio honoris, famæ, bonorum, &c. ob quorum læsionem fuit quis excommunicatus.

44. Cæterùm, si pœnitens non potest satisfacere ante absolutionem, & absolutio nequeat diù differri, poterit Confessarius illam validè, & licitè impertiri, sed non nisi juxta dicta *cap.* 2. *num.* 15.

45. Quæritur, *quomodo se gerere debeat Confessarius cum pœnitente, qui secunda hebdomada omnia opera fecit, sed die Dominico inadvertenter bibit, ut non possit communicare?*

Resp. Potest communionem prorogare in aliud proximum tempus, aut commutare in aliud opus pium, quia revera adesset impedimentum communicandi: nisi in Bulla limitetur facultas.

46. Sed quid, *si quis sua malitia nil 1. aut 2. hebdomada fecerit, & ultima Dominica dolens de sua negligentia, accedat ad lucrandum Jubileum, & petat opera omissa commutari, vel prorogari?*

Resp. Potest Confessarius ea commutare: ratio est, quia tunc pœnitens est verè impotens ad ea facienda intra statutum tempus, nec spirat facultas in Confessario.

47. Quæritur, *quomodo se gerere debeat cum pœnitente, qui, omnibus reliquis peractis, venit ultimo Sabbato ad Confessionem, Confessarius autem putat probabiliter, quod, si eum absolvat, sit permansurus in occasione proxima peccandi?*

Resp. Debet Confessionem, & Communionem prorogare per aliquas hebdomadas, prout ipse magis expediens judicaverit, ut ipsum eruat ab occasione peccandi, & posteà illum absolvat ab omnibus, etiam reservatis. Idem dicitur, quando, ipso tempore Jubilei, non potest Confessio propter casus intricatos integrè absolvi, & absolutio ex causa justa differtur, Gobat. *cit. num.* 114.

48. Sed quæritur, *à quibus, transacto Jubileo, potest Confessarius eum absolvere?*

Resp. Ab omnibus peccatis, censuris, & votis, à quibus poterat durante Jubileo DD. communiter apud cit. *cap.* 32. *nu.* 243. ratio est, quia, cepta causa apud Judicem delegatum, durat hujus potestas, donec finiatur judicium *cap. nemini de offic legat.*

49. Sed dubitatur, *an possit absolvi à peccatis, & censuris reservatis, quæ commisit, etiam post Jubileum?*

Resp. Negativè, ratio est, quia per

dilationem Confessionis, non acquirit Confessarius majorem jurisdictionem, quam anteà habuerat, sed tempore Jubilei non poterat absolvere à censuris, & peccatis reservatis post Jubileum committendis; ergo neque ab admissis post illud. Gobat. *cap.* 34. *num.* 168.

50. Sed quæritur, *quid significet illa clausula: Indulgentia potest applicari per modum suffragii pro animabus Purgatorii?*

Resp. Significat, aliter vivis, aliter mortuis Indulgentias à Pontifice concedi. Vivis conceduntur per modum juridicæ absolutionis, quia Pontifex habet in illos jurisdictionem, ejusque judicio sunt subjecti, & ideò potest eos absolvere à pœnis debitis: animabus verò Purgatorii per modum suffragii, seù auxilii satisfactorii: nam Pontifex eas non absolvit à pœnis per modum juridicæ absolutionis, quia, cùm sint extra forum ipsius, in eas jurisdictionem non habet. Layman. *cap.* 7. *num.* 3. sed cum habeat jurisdictionem in Thesaurum Indulgentiarum, ipse de Thesauro Ecclesiæ offert Deo portionem satisfactionis, ut à pœnis liberentur, quàm Deus acceptat, easque liberat, & ejus debitum pœnæ remittit, in totum, vel in partem juxta qualitatem Indulgentiæ concessæ.

Nota, quod lucrari Indulgentiam pro tali defuncto, vel ei Indulgentiam applicare, est, ipso designato, facere opera præscripta in Literis, quæ defunctus, si viveret, deberet facere, ut Indulgentiam lucraretur; quo posito, Pontifex authoritativè offert Deo partem satisfactionis de Thesauro, ut Deus ipsum à pœnis liberet. Gobat. *tract* 4. *de Indulg. p.* 2. *cap.* 22. *nu.* 490. Ronacc. *de Indulg. disp.* 7. *qu.* 1. *punct.* 7. *Prop.* 11. Marchant. De la Cruz, & alii.

51. Quæritur, *an Indulgentiæ pro defunctis concessæ prosint eis infallibiliter?*

Resp. Negat cum aliis Layman *cit. nu.* 3. affirmat Gobat. *cap.* 22. *num.* 484. Marchant. Hort. *past. tract.* 5. *de Indulg. sect.* 5. *prop* 2. & istis adhæremus; deducitur ex Epistola Leonis X. ad Card. Cajetanum de Indulg. in qua pari modo loquitur de Indulgentiis, rationabili causa, tàm vivis, quàm defunctis concessis; sed vivis datæ infallibiliter prosunt, si opera præscripta impleantur, & causa sit proportionata, ergo, sic dicendum de datis pro defunctis, quibus certò, & infallibiliter prosunt, vel aliqua ex parte, si sit Indulgentia non plenaria, vel integrè, si sit plenaria, habeatque conditiones necessarias.

52. Sed dubitatur, *an determinatè liberetur ea anima, pro qua celebratur in Altari privilegiato?*

Resp. Affirmativè, ita videtur significari in formula Indulgentiæ, quam pro defunctis solet Pontifex concedere Altaribus privilegiatis, ut ex Brevi Gregorii XIII. (quod ad manus habeo) quo concessit Indulgentiam Altari privilegiato hujus Ecclesiæ Sancti Bartholomæi, ubi: Greg. &c. *auctoritate nobis à Domino tradita concedimus, ut, quoties Missa defunctorum ad dictum Altare celebrabitur pro anima cujusque fidelis, quæ Deo Charitate conjuncta migraverit ab hac luce, ipse de thesauro Ecclesiæ Indulgentiam consequatur: quatenus, D. N. Jesu Christi, & Beatiss. Virginis Mariæ, Beat. Apostolorum Petri, & Pauli,*

*Pauli, aliorumque Sanctorum omnium, meritis suffragantibus, à Purgatorii pœnis liberetur.* Si illa sit beata, & suffragiis non egeat, applicabitur à Deo, cui ipse voluerit.

§ 3. Sed cur, si res ita se habet, *solet sæpius pro una, & eadem anima, vel Indulgentia plenaria applicari, vel pro ea in Altari privilegiato sacrificari?*

Resp. Quia non constat, an, & quomodo prior Sacerdos applicuerit suam intentionem; nec scitur, an omnes conditiones impletæ sint. Tum quia, sententia opposita est etiam probabilis. Vide Doctores.

Nota, quod celebrans in Altari privilegiato pro aliqua anima, non solùm debet applicare indulgentiam, sed eam, pro ea celebrare; ut indulgentia suum habeat effectum. Ratio est, quia petens Missam in Altari privilegiato, utrumque petit: & Pontifex non concedit indulgentiam in tali Altari ad animam liberandam per modum suffragii, nisi mediante celebratione Missæ. Quæ autem Missa sit celebranda diximus *c. 6. n. 20.*

§ 4. Quæritur, *an possit quis sæpius Jubileum obtinere, si sæpius perficiat opera præscripta?*

Resp. Negativè, cum Filliucio, qui apud Gobat. tract 3. *num.* 92. sic loquitur: *hoc Mense Majo anno* 1620. *declaravit S. Cong. Concilii, tantùm semel acquiri Indulgentiam per Jubileum, & semel tantùm à casibus quempiam absolvi posse*, quare huic declarationi standum est. Pondera in literis clausulam, *alterius ex præfatis hebdomadis*; undè, si, prima hebdomada omnia requisita perfeciſti, & Jubileum obtinuisti, non potes iterùm eo potiri secunda hebdomada, nec absolvi à reservatis, commissis post primam hebdomadam; ratio est, quia facultas absolvendi à reservatis conceditur per ordinem ad Jubileum obtinendum; Jubileum autem jam fuit obtentum, & sortitum est effectum, & casus reservatus fuit admissus, obtento Jubileo; quod Confessarius virtute Jubilei electus debet notare.

§ 5. Idem dicitur de Indulgentia plenaria affixa diei determinatæ, ex decreto Innoc. XI. cit. supr. *num.* 2. ubi hæc sunt: *semel autem dumtaxat in die plenariam Indulgentiam, in certos dies Ecclesiam visitantibus concessam, vel aliud pium opus peragentibus, lucrifieri.*

§ 6. Hinc constat Indulgentiam Portiunculæ, cum sit plenaria, nonnisi, semel in die posse acquiri; nec aliud crediderim posse colligi ex responso Sacr. Congreg. Conc. quæ ad dubia, an toties, quoties, eadem die secunda Augusti, visitantes Ecclesias FF. Min. Indulgentiam lucrentur, *die* 17. *Julii* 1700. respondit, *servandum esse solitum.* Crederem tamen, semel pro se ipso acquiri, & semel pro animabus Purgatorii, quibus per modum suffragii potest applicari, Innoc. XI. *const. Alias Felic. record.* 22. *Januar.* 1687.

§ 7. Cùm Indulgentia Altaris privilegiati sit ea, quam Pontifex concedit pro liberandis defunctis fidelibus per modum suffragii mediante celebratione Missæ, & circa hujusmodi fuerint à S. Congr. C. quibusdam dubiis responsa reddita, maximè super numero missarum celebrandarum in Ecclesia, in qua est Al-

Altare privilegiatum, ideò hìc ea refero. Petebatur itaque

Primò: *An absentibus Religiosis, ex causa prædicationis, tempore Quadragesimæ, & Adventus, vel, quando occasione Festivitatum, vel funerum, aut similium, à Superioribus ad celebrandum alibi transmittuntur, Indulgentiæ concessæ, cum certo numero Missarum, qui ob dictas causas adimpleri non potest, prorsus cessent, vel pro eo tempore, quo dictus numerus Missarum non fuerit adimpletus, sint suspensæ, vel potiùs remaneant in suo robore?*

Secundò; *An idem sit statuendum, deficiente præfixo numero Missarum, ob infirmitatem Sacerdotum, tam Regularium, quàm Sæcularium?*

Tertiò, *An pariter idem sit statuendum, deficiente prædicto numero Missarum, ob absentiam ab Ecclesiis Sæcularibus Canonicorum, & Sacerdotum per aliquot dies, & menses?*

Horum dubiorum resolutionem Summus Pontifex remisit Sacræ Congregationi Concilii, quæ anno 1701. 30. Julii respondit.

Ad primùm. *Quoad primam partem, pro tempore Adventus, & Quadragesimæ remanere suspensas, non autem in reliquis, dummodo rarò contingat.*

Ad secundùm: *Non remanere suspensas.*

Ad tertium: *Provisum in primo.*

## CAPUT XXVIII.

### *Prop. XXXVIII. & XXXIX. ab Alex. VII. &c. Dispositio Sacrificantis.*

1. PROP. 38. *Mandatum Trid. factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate, cum peccato mortali, confitendi quamprimum, est consilium, non præceptum.*

PROP. 39. *Illa particula quamprimum intelligitur, cùm Sacerdos suo tempore confitebitur.*

Est certum, solos Sacerdotes posse sacrificare; verùm, ut licitè sacrificium offerant, necesse est, ut immunes sint ab omni culpa mortali; sicut enim Confessio Sacramentalis est Communioni præmittenda ab iis, qui peccati mortalis se reos agnoscunt, quamvis sibi contriti videantur, ita à fortiori debet à Sacerdotibus celebrationi præmitti, si se mortaliter deliquisse cognoverint, ut expressè Trid. *sess. 13. cap. 7. de Euch.*

Et quia plures negarunt Concilio esse præceptum, ut *confiteatur quam primùm*, qui, urgente necessitate, non habens copiam Confessoris, inconfessus celebrat, Alex. præfatas prop. damnavit; occasione quarum brevi calamo quosdam casus referam super dispositione, ex parte animæ requisita in Sacerdote Sacrificante.

2. Quæritur, *an præceptum de præmittenda Confessione, Sacrificio, & Communione sit divinum, an Ecclesiasticum.*

Resp. Divinum, idque DD. colligunt ex textu Trid. loco cit. *Ecclesiastica consuetudo*

*suetudo declarat probationem necessariam esse, &c. ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis contritus videatur, absque præmissa Sacramentali Confessione, ad Sacram Eucharistiam accedere debeat*; ubi non refundit præceptum in consuetudinem Ecclesiasticam, tamquam in causam, sed ex illa consuetudine arguit præceptum, aliàs positum: nec aliud potius, quàm divinum: hinc gravatus mortali, priùsquam celebret, per se tenetur confiteri; dicitur per se, quia per accidens, si copiam confessoris non habet, & debet de necessitate celebrare, poterit, prætermissa confessione, celebrare, præmissa tamen contritione perfecta, & cum onere quamprimum confitendi, ut ibid. Trid.

3. Quæritur, *quando Sacerdos censeatur habere necessitatem celebrandi?*

Resp. Cùm ei ex officio celebrare incumbit, ut Parocho, diebus festis, & Dominicis, si alium nequeat de facili substituere, & ex non celebratione aliquod grave scandalum, damnum, aut infamiæ periculum, arbitrio prudentis viri, imminet.

4. Quæritur, *quando ex necessitate celebrandi censeatur deesse copia Confessoris?*

Resp. cùm nullus est præsens Sacerdos approbatus cum jurisdictione; item, cùm est præsens, sed non vult eum absolvere; item, cùm est tantùm distans, ut ad eum non possit accedere sine magna difficultate salutis, & incommodo honoris, & famæ: in quo consideranda est qualitas, & circumstantia itineris, personæ, & temporis: super quo nullus in judicio sit laxus.

5. Quæritur, *an, urgente necessitate celebrandi, Sacerdos, qui occulta excommunicatione reservata est ligatus, debeat confiteri, si Confessarius careat facultate absolvendi à præfata censura?*

Resp. Affirmativè, Poncius *Theol. disp. 45. qu. 14. num. 112.* Bonac. *de pœnit. disp. 5. qu. 7. punc. 5. § 3. num. 8.* ratio est, quia verè habet conscientiam peccati mortalis, ergo debet implere præceptum de præmittenda Confessione celebrationi, & confiteri peccata illi Sacerdoti, ut ab eis, quibus est annexa censura, indirectam absolutionem, & ab aliis directam obtineat; cum onere posteà præsentandi se Superiori, ut directè à peccatis, & censura absolvatur, vide Campion. *cap. 21. num. 3. instr. par. prima, & nos lib. 2. cap. 36.*

6. Sed quæritur, *an celebrando fiat irregularis?*

Resp. Negativè, ratio est, quia, licèt ligatus majori excommunicatione, suspensione ab Ordine, aut interdictus, etiamsi occultus sit, & toleratus, irregularitatem incurrat, si actum Ordinis sacri exerceat, ut constat ex *cap. cum æterni, de sent. & re judicata, & cap. Is, cui de sen. excom. in 6.* tamen DD apud Layman. *de censur. lib. 1. tract. 5. par. 5. cap. 3. num. 4.* & Bonac ibid. *disp. 7. quæst. 3. punc. 5. propos. 1. num. 1.* ad hanc irregularitatem exigunt, ut Clericus exercendo ministerium mortaliter peccet. Irregularitas enim ex delicto, cum gravis pœna sit, nonnisi ob grave peccatum incurritur; propterea cap. *Apostolica de Cleric. excom. ministran.* excusatur, nec irregularis efficitur, qui celebrat, & inculpabiliter ignorat se esse excommunicatum,

catum, vel suspensum, quia ratione ignorantiæ ministrando non peccat; idem propter ipsam rationem dicendum de celebrante, urgente necessitate, sive celebret confessus, sive tantùm contritus, dum Confessoris copia deest; nam excommunicatus privatur celebratione, & sumptione Sacramentorum ex præcepto Ecclesiæ, quæ in eo casu non videtur obligare cum tantò incommodo, ibidem Bonac. *disp. 4. punc. 6. qu. ult. num. 8.*

7. Quæritur, *quomodo intelligendum est illud, quamprimùm à Concilio præceptum?*

Resp. Sic, ut valdè citò Sacerdos, finita Missa, si opportunè, & sine notabili incommodo possit, quærat Confessarium, & confiteatur; hoc est *quamprimùm confiteri*, juxta significatum illius apud Calvinum Lexicon. Ex quo notabis, quod valdè citò non dicitur confiteri, qui non vult confiteri ad minus infra duos, vel tres dies. Campion. *par. 2. cap. 34. num. 5.*

8. Quæritur, *an, qui celebrat, vel susscipit Eucharistiam, non præmissa Confessione, dum Confessoris copiam habet, unum, aut duplex peccatum mortale committat?*

Resp. Si præceptum Confessionis tunc temporis per se obliget, tria peccata committit, alterum omissionis ex non impleto præcepto Confessionis, & duo commissionis, unum per indignam Eucharistiæ sumptionem, & aliud per sacrilegam celebrationem; si verò per accidens, & in ordine solùm ad Communionem, & celebrationem, duo posteriora solùm committit; ratio est, quia, ubi unum est propter aliud, unum mortale est, ex Bonacc. *de Euchariss. disp. 2. qu. 6. punct. 1. nu. 33. & cap. 1. num. 3.*

9. Sed quid, *si celebret ligatus majori excommunicatione?*

Resp. Tria committit, unum contra reverentiam debitam Eucharistiæ, aliud contra excellentiam ministerii, & alterum contra obedientiam Ecclesiæ; quæ excommunicatos repellit à participatione Sacramentorum: obligationes sunt distinctæ rationis, ideò circumstantia in Confessione exprimenda. Bonacc. *ibid.*

10. Quæritur, *an sit mortale celebrare Missam, matutino non recitato?*

Resp. Negativè. Suarez *to. 2. de Relig. lib. 4. cap. 24. num. 6* & Bonacc. *de hor. canon. disp. 1. qu. 3. punct. 4. prop. 2. num. 11.* Sum. Leand. *ver. horæ can. num. 44.* ratio est, quia Matutinum nullam connexionem habet cum Missa, nec recitatio matutini est dispositio per se animæ requisita ad Missam; nec mutatio res gravis, magis quàm recitare Primam ante Matutinum, & tamen recitans Primam ante Matutinum mortaliter non peccat, ut ibid. Bonac. & Suarez; ergo, nec mortaliter peccat, qui ante Matutinum Missam celebrat. Verùm, si id faciat sine justa causa, peccat venialiter, & si ex contemptu, mortaliter.

Nec ex Rubrica colligitur præceptum; quia, vel Rubrica solùm admonet, quid sit faciendum, vel non est recepta cum tanta obligatione; unde, sicut ibi Rubrica consulit ante Missam esse aliquantulum orandum: sic consulit Matutinum esse celebrationi præmittendum; ut optime Suarez ibid. *nu. 7.* affirmans sententiam oppositam esse valdè communem, & melius practicè esse illam sequi, verum

rum nostram securam, & in rigore veram esse ait.

11. Nota, Sacerdotem celebrantem sine notitia Rubricarum peccare mortaliter, quia exponit se periculo errandi in materia gravi. Inter quas distinguas, alias esse directivas simul, & præceptivas, & alias purè directivas, & sub consilio; illæ sunt, quæ notant, & præscribunt aliquid, quòd aliàs ex jure divino, vel Ecclesiastico, aut legitima consuetudine sub gravi obligatione præcipitur: ut sunt, quæ disponunt de integritate Sacrificii: quòd sit consecrandum in pane triticeo (qui inter Latinos azymus esse debet) in vino de vite: quòd aqua est vino miscenda: quòd cum debita intentione est proferenda forma consecrationis: quòd à Sacerdote jejuno celebrandum est, tali hora, cum lumine, Ara consecrata, cum Ministro, Missali, Calice, Patena, Corporali, Palla: de Canone integrè, & secretò celebrando: aliisque, de quibus in Rubricis Missalis. Istis se non conformare, nisi inculpabilis inadvertentia, vel in quibusdam parvitas materiæ excuset, semper est mortale. Secus de purè directivis, & sub consilio, quæ præscribunt esse orandum ante, vel post Missam, ordinem Orationum, &c. Verùm, & istas cum scandalo, vel contemptu negligere, vel eis non uti, animo inducendi novum ritum, est mortale. Lege Trid. *sess.* 22. *in decret. de observ. in celebrat. Miss.*

## CAPUT XXIX.

### *Prop. XL. ab Alex. VII. &c. Oscula, & tactus impudici.*

1. PROP. 40. *Est probabilis opinio, quæ dicit esse tantùm veniale, osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, & pollutionis.*

2. Distinguunt DD. cum Bonac. *de matrimonio qu.* 4 *punct.* 10. *num.* 4 & Gobat. *de matrim. tract.* 10. *cas.* 17. *num.* 672. duplicem delectationem percipi posse ex osculis, & tactibus; unam, quæ dimanat in partibus honestis, labiis, & genis ex mollitie, temperamento, & proportione partium, quæ tanguntur osculando; alia, quæ oritur in partibus generationi destinatis cum commotione carnis titillantis adveneream turpitudinem, quando oscula exercentur inter personas diversi, & aliquando ejusdem sexus.

Hinc difficultas oritur, an Alex. utramque *delectationem in suo decreto comprehenderit?*

Resp. Affirmativè, utraque enim sensibilis est, & carnalis, cùm in carne, & in sensu per osculum excitetur; immò utraque ad pollutionem disponit: secunda magis propinquè, & proximè, quam natura instituit, ut medium ordinatum ad generationem, & copulam; prima autem remotiùs, & tamquam disponens ad secundam, formaliter libidinosam, & veneream; & ideò utraque est peccatum mortale, *vid. lib.* 2. *cap.* 30. *nu.* 5.

In examine eorum, quæ in hac re possunt occurrere, temperato calamo procedam, ne Lectores offendam, & species excitem incongruas: in re venerea timendum periculum: natura satis est ad malum proclivis; consule DD. & vide, ne imprudenter interroges pœnitentes, ne scandalum patiantur, & ex te peccare discant.

3. Quæritur, *an mortaliter peccet puella, quæ se præbet conspiciendam adolescenti, à quo credit turpiter concupisci?*

Resp. Affirmativè, quando, data opera, ejus aspectui se offert absque necessitate, sed potiùs ex quadam curiositate, non ignorans illius turpem amorem, etiamsi ad finem nubendi; nam cooperatur alieno peccato; & peccat peccato, etiam scandali, præbens proximo occasionem ruinæ spiritualis; secus, si aliqua necessitate, vel utilitate id agat, ne scilicet privetur libertate adeundi ad Ecclesiam, exeundi à domo ad invisendos vicinos, &c. tunc potiùs foret scandalum acceptum ex malitia Juvenis, quam datum à puella, utente suo jure. Sicut scandalum acceptum censetur, cùm fœminæ se ornantes juxta propriam conditionem, & morem Patriæ prævident fore, ut turpiter amentur ab aliis, modò hoc non faciant intentione provocandi eos ad libidinem, & modò forma vestimentorum non sit de se provocativa ad libidinem, ut V.G. quia nimis denudant pectus, vel, pudenda veste transparente cooperiunt; nam, ad hujusmodi vestitum inhonestum nullum habet jus honesta fœmina, & ex eo occasionem ruinæ spiritualis proximo præbet.

4. Sed quæritur, *an puella sine peccato possit habere amatorem, & sinere se ab illo videri, & cum illo discurrere?*

Resp. Affirmant plures, quando id fit ad finem nubendi, ad quem possunt parentes concedere, maximè si sint paris conditionis. Verùm tutior est sententia opposita, ne in se, vel in parte permittat delectationes carnales de præsenti: difficile enim est, quod videns, quem diligis, & facialiter discurras, & non commovearis; propter periculum igitur, ne in se, vel amante delectationes, & impuræ cogitationes excitentur, amatorem sine peccato retinere non potest, & parentes permittendo peccant.

5. Quæritur, *an turpia loqui, & turpia canere sit peccatum mortale?*

Resp. Affirmativè, si id quis faciat animo excitandi se, vel alios ad turpia, vel cum periculo delectationis libidinosæ circa objecta narrata; immò, etiam isto periculo remoto, potest mortale esse ex circumstantia scandali audientium, ut, cùm non sunt probatæ virtutis, & verba, aut cantiones sint multùm lascivæ, & inhonestæ: tunc est prudenter præsumendum scandalum inde suboriri.

6. Hinc sequitur, eum, qui exhibet turpes comædias, & inhonestas picturas facit, cantiones obscænas componit, mortaliter peccare: in similibus videtur semper esse connexa moralis certitudo præbendi proximo occasionem ruinæ spiritualis.

7. Quæritur, *an sponsis liciti sint tactus, oscula, & amplexus?*

Resp. Negativè; sub mortali eis vetiti sunt, ac si sponsi non essent; ideò cavendi, utpotè ad copulam conducentes: hæc est eis illicita, ergo etiam, quid-

quidquid ad eam conducit. Unde peccant mortaliter parentes, vel tutores, & custodes sponsæ, qui eam solam relinquunt cum sponso propter periculum, ut inter se ad turpia procedant.

## CAPUT XXX.

### *Prop. XLI. ab Alex. VII. &c. Concubinatus.*

1. PROP. 41. *non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgo regalo, dum deficiente illo, nimis ægrè ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent; & alia famula nimis difficilè inveniretur.*

Propositionem docuit Joannes Sancius *in select. disp. 20. num. 20.* apud Fagnan. *in decret. ad cap. ne innitaris de const. à num. 336.* contra quem, etiam ante Alex. decretum scripsere DD. ejusdem doctrinam vocantes scandalosam, improbabilem, & indignam viro catholico; occasione cujus nos hìc Confessario aliqua pro praxi de concubinatu subnotamus; plura dicturi *lib. 2. cap. 38.* agentes de occasione proxima peccandi.

2. Quæritur, *quid sit concubinatus?*

Resp. Est status, in quo *quis cum certa aliqua fœmina, soluta, aut alteri maritata, sive intra, sive extra propriam domum assiduam libidinem exercet.* Engel. *colleg. jur. can. lib. 5. tit. 16. §. 3. num. 21.* ad concubinatum igitur requiritur consuetudo peccandi, & cubandi cum aliena muliere. Barbos. in Trid. *ad sess. 25. cap. 14. de ref.* Hinc concubinarius censetur habens consuetudinem peccandi cum eadem fœmina.

3. Quæritur, *quid sit concubina, & in quo à meretrice differat?*

Resp. Concubina est fœmina, qua quis ex consuetudine abutitur ad luxuriam, *arg. ex cap. si quis post. dist. 33.* Sylvester *sum. ver. concubinarius*; vel, mulier semper dispositа, & parata eidem viro circa copulam, & venerea obtemperare; meretrix autem est mulier, quæ multorum libidini est exposita, *cap. vidua dist. 34.* seù, cujus turpitudo publicè venalis est, ut ibi *Glos. in ver. meretrix, & cap. meretrices 32. qu. 4.* hinc differentia est: quod meretrix plures admittit, concubina autem ex consuetudine semper cum eodem carnaliter commiscetur.

4. Quæritur, *an possit absolvi concubinarius, usque dum expellat, & relinquat concubinam?*

Resp. Negativè, contra aliquos asserentes posse absolvi bis, ter, vel quater, modò habeat propositum relinquendi, & expellendi; quorum sententia est omninò improbabilis, & falsa, nam præceptum non retinendi concubinam, quam quis potest dimittere, est negativum, per hæc explicatum, *ne retineas*, sed præceptum negativum obligat semper, & pro semper, ergo, etiam pro tempore, quo facit examen conscientiæ, & confitetur, sed tunc non implet, ergo non implet, dum est implendum, ergo eo ipso tempore, quo conscientiam discutit, & confitetur, actualiter violat præceptum, & sacrilegè confitetur, ac invalidè absolvitur propter defectum veri doloris, & propositi, quia, si istud haberet, dimitteret de præsenti, dum po-

teſt,& in periculo proximo peccandi voluntariè non perſeveraret.

5. Sed quæritur, *an poſſit abſolvi concubinarius, qui prima vice ſe accuſavit de occaſione proxima concubinæ, ignorans eam occaſionem eſſe impedimentum abſolutionis?*

Reſp.Filguera *in expoſit. prop.61.ab Innoc.XI.* damnatæ affirmavit; ſed, nec in hoc caſu abſolvendus eſt,donec expellat, ut optimè Cardenas *diſſert.40.cap.5.a.2. ad prop.61. ab eodem Pontif. damnat. nu.* 95. licèt enim ignoraverit obligationem expellendi,tamen, cum à Confeſſario de ea monetur, inſtat præceptum negativum, *ne retineas*, quod obligat ſemper,& pro ſemper: nullus ſe liberat à periculo mortis corporis,per hoc, quod proponat fugere de futuro à periculo, quod imminet de præſenti, ſed debet ſtatim fugere,cum poteſt, ergo, nec à periculo mortis animæ; nec ſufficit pro diſpoſitione pœnitentis habere propoſitum de futuro, ſed eſt neceſſaria voluntas non permanendi in periculo infringendi propoſitum: ergo, &c. Quid prodeſt homini,ſi,dum confitetur,auferat nummos à Confeſſario, quod habeat propoſitum non furandi in futuro?

6. Sed quid, *ſi concubinarius paratus eſſet jurare: ego faciam, quod hactenus non feci: jurabo P. V. per Deum vivum me revera quamprimum illam dimiſſurum?*

Reſp.Gobat. *tract.7.caſu 16.nu.*534. admittit juramentum, & ideò eum abſolveret,non tamen,ſi poſteà rediret, etiam reùs perjurii. Choninch verò *diſp.*8. *de pœnit dub.*17.*nu.*113. dixit,eos,qui vivunt in concubinatu, non eſſe abſolvendos, antequam de facto ſeparentur; etiam ſi parati ſint jurare, ſe in poſterum caſtè victuros; quale juramentum Sacerdos nec exigere,nec admittere debet,ſed jubere eos ante abſolutionem ſeparari; & id in praxi ſequere.

7. Quæritur *an poſſit abſolvi concubinarius, qui concubinam non in propria Domo, ſed in aliena, & propriis expenſis eam alit, & tantum ſemel in menſe ad ipſam accedit.& cum ea peccat?*

Reſp. Negativè, quia cenſetur non habere propoſitum abſtinendi, aliàs eam non retineret, & ſic indiſpoſitus eſt pro beneficio abſolutionis; & verificatur, etiam ſi cum ea amplius non peccaret, modo ſcandalum præberet, *vid. lib.1. cap.*37.

8. Quæritur, *an poſſit abſolvi filiusfamilias, qui in domo patris retinet concubinam, cum qua ſolet peccare, illam tamen expellere non poteſt,quia eſt ſervus patris?*

Reſp. In caſu opus eſt magna prudentia in Confeſſario, ne abſolutionem impendat indigno: ideò debet prius interrogare pœnitentem, an ipſe poſſit operari, quod ancilla removeatur: & ſi affirmet, ante abſolutionem debet id exequi: ſi neget, eſt interrogandus, an aliàs aliis Confeſſariis ſuper hoc confeſſus ſit; & quatenus affirmet; videat, an impleverit,quæ ei fuerunt ab illis injuncta ad vitandum peccatum: ſi omiſiſſe reperiat,ſine abſolutione dimittat, ſed admonitus de periculoſo ſtatu ſuæ ſalutis, & quod tenetur ea implere,ſi abſolutionem deſideret; ſi impleverit,& à peccato abſtinuit, abſolvi poteſt; verùm crederem multum proficere,ſi dirigeretur ad priorem

rem Confessarium, qui eum curare incœpit.

Si respondeat se de illo numquam fuisse confessum, quia peccare cœpit ab ultima Confessione, à tribus mensibus facta, interrogandus est, an, si illo mane non communicat, revera immineat periculum scandali: si affirmet, quia adsunt parentes, qui volunt videre ipsum ad sacram Mensam accedere, tunc ad vitandum scandalum potest absolvi, imposito tamen onere, & per eum suscepto, implendi necessaria ad extenuandum periculum proximum; si asserat, scandalum ex omissione Communionis non suboriri, absolutionem differat, & ipsum admoneat, teneri suis actibus ad extenuandum, & superandum periculum proximum peccandi; & propterea ex parte sua debere adhibere omnem diligentiam, quæ ad id conduce re potest: ut, non conversari, & loqui cum illa in ullo solitario loco, in quo haberet occasionem proximam tactuum illicitorum, & similium: numquam hilari facie se illi præbere: frequenter Deum orare: actum contritionis elicere, sæpius confiteri, & alia, de quibus *lib. 2. cap. 38.*

9. Sed *quid dicendum, si talis filius iterum relabatur in peccatum cum ancilla.*

Resp. Videndum, an impleverit injuncta: si non impleverit, non absolvatur; & quamvis adducat sibi periculum scandali imminere, non est admittenda excusatio, & sibi id imputet; alias semper deberet absolvi, quia semper tale periculum afferret, & sic numquam tolleretur occasio. Deinde consideretur, an lapsus potius ex fragilitate, & repentino casu fuerit, quam ex voluntaria expositione periculo peccandi, & tunc posset in casu scandali absolvi, sed Confessarius deberet se difficilem ostendere ad absolutionem impendendam, eique significare nullum damnum æquiparari posse damno animæ, & nil magis infame, quam esse turpem coram Deo.

10. Sed, si iterum relabatur, videtur non absolvendus, quia spes emendationis non apparet.

11. Quæritur, *an absolvi possit concubinarius, qui in articulo mortis existens, non potest tunc concubinam expellere?*

Resp. Bonac. *nu. 13.* affirmat, modò habeat firmum propositum eam ejiciendi, quam primum poterit; hac in re non essem ita facilis, cum non videam, quid in tam periculoso statu possit impedire, & retardare, quin concubinam statim expellat; scandalum datum est certum, sicut ipsum periculum peccandi probabilissimum, si non copula, ad minus cogitatione, & desiderio: hæc tenetur vitare, ergo & ipsam expellere; legatur March. Hort. *past. Candelabr. Myst. tract. 5. lect. 9. prop. 3.* referens lacrymabilem concubinarii de hac luce exitum.

12. Sed quid, *si infirmus adducat,* Pater à viginti annis habito in hac Parochia cum hac fœmina, quæ ex me hos duos filios concepit, & ab omnibus creditur mea Uxor legitima, ideò eam non possum expellere sine gravi, & notabili ejusdem, & mea infamia in loco; *quid agendum?*

Resp. In casu Confessarius debet eos matrimonio conjungere, modò sit Parochus, alias vocandus, vel ab eo, aut Episcopo licentia obtinenda est, ex Trid. *sess.*

*seſſ.24.cap.1. de ref. matrim.* ita neceſſaria eſt præſentia Parochi, vel alterius Sacerdotis de ipſius, aut Epiſcopi licentia, ut, etiam ſi coram toto populo, ipſo abſente, contraheretur, nullum, & irritum foret, ut ibid. textus.

13. Etiam duo teſtes debent eſſe præſentes, ex eodem Trid. ibid. ubi irritat contractum aliter celebratum, & matrimonium ſine ipſis contractum, Clandeſtinum appellat, hoc eſt, clam, ſecretò, & furtivè factum, quod expreſsè prohibet.

Sed quid: *ſi, vel Parochus, vel teſtes non poſſent haberi?*

Reſp. Quamvis caſus videatur Metaphyſicus; dicendum, ſi infirmus ſeriò affirmet, quod cum ea de præſenti matrimonium celebraret, ſi præfati non deeſſent, & jurata promiſſione ſpondeat ſe id facturum ſtatim ac haberi poterunt, ac proponat numquam peccaturum cum ea, nec eam pro tunc ad ſuam præſentiam admiſſurum, poſſet abſolvi. In propoſito caſu debet Confeſſarius cavere, ne vocando teſtes frangat ſigillum; ideò optimum eſſet petere à pœnitente licentiam vocandi eos. De auditis enim in Confeſſione loqui extra non licet, ſed poteſt de expreſſo pœnitentis conſenſu in ipſius pœnitentis bonum. De la Cruz *q.6.* de ſigillo Quillici *q.10. ar.1. nu.5.* & alii.

14. Sed quid, *ſi dum Confeſſarius accedit, reperiat infirmum ſenſibus deſtitutum, ut non valeat ad interrogationes reſpondere nec Confeſſarius de ejuſdem propoſito certificari?*

Reſp. Vel adſtantes teſtantur Confeſſarium petiiſſe, vel non, ſi primum abſolutio non negetur, ſaltem ſub conditione, *ſi es diſpoſitus*, quia ſupponi debet cum vero propoſito non peccandi, & expellendi fœminam Confeſſarium optaſſe: ſi de eo non poſſunt teſtari, nec nutibus, & ſignis ipſe dolorem, & propoſitum confitendi oſtendit, commendetur divinæ Miſericordiæ. Vid. *lib.2. cap.35.*

15. Sed quid dicendum, *ſi infirmus poſſet ſolum ſigna doloris oſtendere, & fœmina, quæ ipſi miniſtraret, eſſet occulta ejus concubina, nota Confeſſario, ex hoc ſolum, quod dum ſcalas domus aſcenderet, id ab homine fide digno, & zelante ſalutem ſpiritualem infirmi, ſecreò ſcivit?*

Reſp. In caſu utique in praxi non impoſſibili, prudentia eſt utilis; cenſerem eſſe admonendam mulierem de periculo damnationis æternæ, quod infirmo propter ipſam imminet, & proinde neceſſarium, ut à domo diſcedat; ſi acquieſcit, jam aliquid in favorem abſolutionis, Confeſſarius obtinuit; ſi verò pertinax reſiſtat, acriter reprehendatur, & interim ab infirmo quærat ſigna doloris peccatorum: ipſum interroget, ſi peccandi occaſionem cum ulla muliere habeat: an hæc mulier ſit in ſua domo? & dum ſtringendo manum affirmet, petat, an velit, ut ipſa è domo expellatur, quam ipſe expelleret, ſi poſſet, nolitque amplius eam præſentem habere, & doleat de peccatis commiſſis? & quatenus item affirmet diſpoſitum putarem pro abſolutione. Si fœmina non vult egredi, curet Confeſſarius, ne cubiculum intret, & ipſe miniſtret, ſi alius non ſit: neque hic utitur ſcientia Confeſſionis, quia id aliundè ſcit.

16. Quæritur. *An, poſſit abſolvi puella,*

*la, quæ parentibus orbata, & omni humana spe destituta, ne fame periret, mansit per aliquod tempus in honesto servitio Domini, postea verò cum eo concubinatum exercuit; deinde stimulis conscientiæ lacerata, accedit ad Confessarium, cui sic loquitur*; Pater, à tribus annis sum concubina Domini mei, agnosco statum meæ damnationis, vellem ad illum gratiæ redire; verùm, si à domo, & Domino discessero, certè fame peribo, nam consanguineos non habeo, laborare non valeo: si mendicem, sum in periculo lapsus cum multis, nam multi me insequuntur. *Unde Confessarius agnoscens necessitatem moralem persistendi in ea domo, eam hortatur, eique præcipit, ut in domo resistat luxuriæ Domini, & adhibeat remedia* de quibus supra *à n.* 8 verùm ipsi ipsa respondet; id mihi est impossibile, quia si resistam, de domo certè expellar, quo facto, præ fame peribo, & enarrata incommoda sequentur, &c. *petitur, quid faciendum cum ea habente impossibilitatem moralem relinquendi occasionem proximam, & impossibilitatem moralem extenuandi periculum proximum, per propositum efficax non peccandi, &c.*?

Resp. Non est absolvenda, & tenetur ad egrediendum è domo, etiam si fame sit peritura; nam homo tenetur peccatum mortale vitare etiam cum periculo vitæ.

Sed quid, *si ipsa respondeat*: promitto resistere libidini heri, sed prævideo certissimè, quod expellar, si restitero?

Resp. Non est absolvenda ante egressum; nam, cùm, posita resistentia, prævideat expulsionem, & sponte nolit egredi, est signum evidens, quod vult persistere in domo, & concubinatu.

17. Quæritur, *an, Confessarius possit absolvere meretricem, & concubinam, dum advertit ipsam nescire meretricium esse prohibitum, adeò ut propter ignorantiam excusetur à peccato?*

Resp. Negativè; quia verè peccavit cognoscendo carnaliter ad se accedentes; nec ignorantia excusatur, nam in re adeò clara lege naturæ, & divina prohibita, ignorantia non potest allegari.

18. Sed quæritur, *an liceat locare domum meretrici?*

Resp. Affirmativè, Quilici *qu. 7. art. 4. num. 29.* Joan. de la Cruz *6. præcept. art. 1. dub. 3. num. 7.* quia locatio non est proximè ordinata ad fornicationem, sed indifferens; sed non cum intentione, ut in ea peccet, sed, ut ibi habitet. Verùm, si domus, quæ locatur, ex se majorem præberet commoditatem peccandi, seù fornicandi, putà, quia plures habet portas secretas, vel esset in loco tuto, tunc non liceret eam meretrici locare.

19. Quæritur, *super quo sint concubinæ, meretrices, & concubinarii interrogandi?*

Resp. Vide supra *cap. 10. num. 18.*

## CAPUT XXXI.

*Prop. XLII. ab Alex. VII. &c.*
*Usura.*

1. PROP. 42. *Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.*

Præsens caput occasione propositionis

Confessario exhibet quosdam casus ex principalioribus, quos solent DD. excitare tractantes de usuris, & quia hac de re sermo redibit *lib. 2. cap. 24.* de illis breviter.

2. Quæritur. *Quid sit usura?*

Resp. Est lucrum *proveniens immediatè ex mutuo, ratione mutui*; seu, *est contractus, quo ultra sortem, id est, summam capitalem, aliquid temporale pretio æstimabile, tamquam debitum ex justitia, vel gratitudine, aut benevolentia exigitur, aut speratur.* Per *lucrum* intelligitur omne temporale pretio æstimabile, sive sit pecunia, sive obsequium, sive munus, sive aliquod aliud. Per illud proveniens *ex mutuo* excluditur quodcumque lucrum, quod non sit ex mutuo; & ita injustum pretium, quo venditur aliquid plus justo; quia, quamvis lucrum sit injustum, tamen non est usura, cum non sit ex mutuo, sed ex iniqua venditione. Additur *ratione mutui*, ad excludendum lucrum, quod provenit ex alio titulo, ut in recompensationem damni certò emergentis, & lucri cessantis. Ponitur *temporale*, quia, si mutuans paciscatur cum mutuatario, ut, præter restitutionem pecuniæ, vel frumenti, vini, olei, &c. mutuati, pro se oret, sacrificet, conferat beneficium, vel quid simile, usura simul, & simonia dici debet. Ponc. *disput. 55. qu. 3. conc. 2. num. 9.*

Hinc usuræ reus est, qui ultra sortem mutuatam à mutuatario recipiendam, eidem aliam obligationem ex vi mutuationis imponit, quæcumque illa sit, ex qua doctrina plures casus solvi possunt.

3. Quæritur. *Quotuplex sit usura?*

Resp. Multiplex, *aperta, palliata, vel virtualis, realis, & mentalis. Aperta est*, quando in mutuo expresse exigitur lucrum supra sortem, *ut do tibi centum scuta, ut post annum reddas mihi centum, & quinque. Palliata est*, dum sub aliquo alio contractu emptionis, &c. veluti sub pallio occultatur contractus mutui, & aliquid ultra sortem exigitur: ut, cum quis vendit carius ob dilatam solutionem, & emit vilius ob solutionem anticipatam. Realis est, quando intercedit pactum explicitum, vel implicitum de lucro dando, vel recipiendo propter mutuum supra sortem: (& convenit cum usura, aperta, & manifesta.) Pactum implicitum, sufficienter intentionis usurariæ significativum, reputatur esse, dum mutuans solet pecunias, vel alias res mutuò dare, sed cum aliquo fructu semper ad se eas vult reverti; vel, cum quis scit pecuniam mutuò aliter obtinere non posse, nisi liberaliter donet aliquid mutuanti; tales dationes in effectu parum differunt à pactis propriè usurariis, quia lucrum ex mutuo, non voluntate libera datur, sed necessitate recipiendæ pecuniæ. *Mentalis* est, quando nullum pactum externum intercedit, sed mutuans eo animo dat ut lucrum ex mutuo recipiat, aliàs non daturus. Hinc, qui dat mutuò decem cum spe, quod mutuatarius venturus sit ad emendum in sua officina, usuram mentalem committit; cujus item reus est, qui mutuat decem cum spe, & proposito recipiendi ex eo lucrum, etiam si minus principaliter id speret; nam, non licèt sperare, quod non licet accipere.

4. Quæritur. *An ratione lucri cessan-*

*tis*

*nis, vel damni emergentis possit aliquid à mutuante supra sortem à mutuatariis exigi?*

Resp. Affirmativè, sic DD. communiter; ratio est, quia lucrum non provenit ex vi mutui, nec est fructus pecuniæ mutuatæ, sed ex alio titulo, ad compensandum nimirum, & satisfaciendum pro damno emergente, & lucro cessante.

4. Explico, *de lucro cessante*, quod est utilitas, quæ cessat ob mutuum: habet Mercator centum scuta, quæ revera vult negotiationi exponere, ex qua, deductis expensis, sperat lucrari 10. *accedit Paulus, petit à Mercatore, ut sibi illa centum det mutuò; Mercator respondet se non posse, ne illo lucro privetur; instat Paulus: cui Mercator, dabo, modò, exacto anno, ultra sortem, des quoque decem, Paulus consentit*, & ideò tenetur ad centum, & decem. Quod si mutuans à principio nil in pactum deduxit, tametsi postea ex mutuatione damnum incurrat sine culpa mutuatarii, nullam compensationem postulare potest.

5. Sed quid, *si Mercator alias pecunias haberet præter eas, quas vult negotiationi exponere?*

Resp. Si non decrevit eas servare in alios usus, non potest paciscì de lucro cessante, quia verè tunc lucrum non cessaret, cum posset aliàs lucro exponere. Joan. de la Cruz 7. *præcept. qu.* 5. *de usura*, licet oppositum dicat Layman. lib. 3. *tract.* 5. *cap.* 16. *à num.* 8. sed prima opinio est tutior, & ad palliatas usuras viam occludit.

6. Sed quæritur, *an ratione mutui liceat exigere totum lucrum cessans?*

Resp. Negativè, sed debent deduci expensæ, & pericula; ponderandum est, quod lucrum est in potentia, & in spe, lucrum autem in potentia minoris æstimatur, quam res in actu, & ideò non debet accipi, quantum lucrum speratum valeret, sed debet aliquid detrahi ratione expensarum, incertitudinis, & periculi.

7. Sed quæritur, *an mutuans, qui convenit cum mutuatario de pretio lucri cessantis, possit, quod recepturus est, anno exacto, à principio recipere?*

Resp Negativè; si quis mutuaret centum pro decem, si statim illa decem acciperet, non centum, sed nonaginta solùm daret, & ex istis solum lucrum cessaret, non verò ex illis.

8. Explico de *damno emergente*, quod est detrimentum, quod quis propter mutuum patitur in rebus, quas habet; habes pecuniam ad emendum vinum mense Octobris, si cogaris mense Maji cariùs emere, dicens pati damnum in illo majori pretio: nunc, si Petrus mutuò vult eam pecuniam, & tu significes, te non posse eam dare, ne in Majo tale damnum cogaris pati, & ipse instet, ut accipiat, & in te onus compensandi damnum suscipiat, ad tale damnum, pecunia recepta, tenetur; nullus enim tenetur beneficium alteri præstare cum suo damno.

9. Verùm, ut licitè, tam lucrum cessans, quàm damnum emergens, à mutuante in pactum deducatur, tria sunt necessaria: 1. ut mutuum sit vera causa damni. 2. ut mutuatarius moneatur de illo damno, aliàs non posset innotescere, an fecisset illum contractum cum conditione, adeò onerosa. 3. ut in sua pote-

state relinquatur ad talem contractum celebrandum.

10. Nota, dum mutuatarius est in mora restituendi ultra tempus præfixum, & potest restituere, tenetur ad damnum ex dilata solutione proveniens.

Notes item lucrum cessans esse de bonis acquirendis; & damnum emergens de bonis acquisitis.

11. Quæritur; *an liceat mutuanti, accipienti pignus in assecurationem mutui, accipere fructus pignoris? quod est idem ac quærere, an contractus, qui dicitur Antichryseos: descriptus, pactum inter creditorem, & debitorem, ut creditor tandiu pignore uti, & ejus fructus lucrari possit, usque dum pecunia, mutuò data, à debitore restituatur?*

Resp. Contractus est usurarius, nec fructus pignoris possunt accipi, & si accipiantur, sunt computandi in sortem principalem cit. De la Cruz *dub. 4. Engel. §. 2. num. 27.* & DD. communiter; ratio est, quia in pignore non transfertur dominium pignoris in eum, qui pignus accipit, & ideò remanet in domnio ipsius mutuatarii, ergo ipsi fructificat; ergo mutuans eos fructus sibi applicare non potest, sed debet reddere mutuatario, vel computare in sortem, vel in partem solutionis debiti.

12. Sed quid, *si pro pignore daretur vestis?*

Resp. Non posset uti veste, quia usus vestis est pretio æstimabilis; immò cum vestis per usum atteratur, jam novum onus imponitur mutuatario; nam præter integrum mutuum suo tempore reddendum, patereturdamnum ex usu vestis; secus De La Cruz putat de pignore, cujus usus solet gratis concedi, ut est liber. Verùm, & hic cautè procedatur, ne deducatur in pactum pro assecuratione mutui liber, quo mutuans egeat, quia sic certe onus imponeretur mutuatario ad tale pignus.

13. Sed quid, *Marito à parentibus non datur dos pro alenda uxore, sed pignus fructiferum, an liceat ei fructibus uti?*

Resp. Affirmativè, non computando eos in sortem *cap. salubriter de usuris*; ratio est, quia maritus tenetur alere uxorem ex dote, ergo, dum hæc non datur, potest ex fructibus pignoris illi providere; etiam si uxor, & maritus habeant aliàs, quo vivant, quia non ex hoc, sed ex dote debet vir uxori alimenta; verùm, si fructus pignoris excederent fructus dotis, non posset maritus excedentes accipere, sed solum adæquantes dotis fructus.

14. Sed quæritur, *an in contractu mutui, liceat apponi hoc pactum: si mutuatarius, præfixo tempore, mutuum non reddat, pignus, quod est in manu mutuantis, intelligatur esse venditum ipsi mutuanti pro suo mutuo? quod solet vocari pactum legis commissoriæ?*

Resp. Negativè, ratio est, quia obligatio ad illam venditionem est pretio æstimabilis, & gravamen mutuatarii, præsumiturque fieri ad lucrum creditoris, ergo non potest poni in contractu mutui sine usura. In pœnam autem moræ licitè apponi tradit Basseus; sed nec tunc admitterem, nisi in casu damni veri; & neque tunc, si notabilius detrimentum mutuatarius subire deberet;

immò

immò pactum deberet esse, quod alteri vendatur pro pretio justo, reddito excessu ipsi mutuatario, si quis sit, ut usuræ suspicio evitaretur. Gonzalez in *Bullar. titul.*

15. Quæritur, *an usurarius sit contractus, quo quis rustico mutuat pecuniam cum pacto, ut teneatur eam solvere tempore messis, in frumento, oleo, vino, &c. aliisque fructibus, pretio justo, quo tunc fructus valebunt?*

Resp. Affirmativè, quia additur gravamen rustico; nam mutuum pecuniæ exigit, ut reddatur pecunia, & tu obligas ad frumentum. Tamburinus.

16. Quæritur, *an liceat aliquid, ultra sortem exigere pro periculo, & metu, quæ rationabiliter timentur in recuperando mutuo?*

Resp. Negativè, videtur expressum *cap. Naviganti de usur.* ubi dicitur, usurarium esse, qui recipit aliud ultra sortem ex eo, quod suscipit in se periculum mutui; nam, cùm periculum, & metus mutuantis non sint quid separatum à mutuo, gratis sunt præstanda cum mutuo, & inde nil debet sperari, ut observat ibid. Glos. in ver. *periculum*, & juxta illud Lucæ relatum cap. *consuluit eodem tit. date mutuum, nihil inde sperantes*, vid. lib. *& cap. cit.* non nego posse mutuantem deducere in pactum expensas faciendas ad debitum recuperandum.

17. Quæritur, *an sit usura vendere carius ob expectatam solutionem, aut emere vilius ob solutionem anticipatam?*

Resp. Affirmativè, sic D. Thomas 2. 2. *qu. 75. artic. 2. ad 7.* nam vendere rem, valentem centum, pro centum, & decem expectatis, idem est, ac mutuare centum, pro centum, & decem solvendis; ubi illa expectatio pretii solvendi videtur mutuari pro decem; sic in solutione rei valentis centum, dando anticipatè nonaginta, illa anticipatio solutionis videtur mutuari pro decem, dum virtute ipsius diminuitur aliquod de justo pretio rei emptæ.

18. Sed quid *de mercatore, qui V. G. servat mille mensuras frumenti in Majum, quo plus valebit, an in Octobri possit illas vendere pretio currente in Majo?*

Resp. Affirmativè, si verè erat illud frumentum servaturus usque ad Majum, verùm debet de hoc emptor moneri, ut sic sciat, se esse causam moralem, ut modo frumentum in ejus commodum vendatur. De pretio tamen debent deduci expensæ faciendæ, pro conservando tritico, usque ad Majum, & pericula, si quæ verisimiliter timentur in ejus conservatione; deindè debet attendi pretium, quo in Majo frumentum æstimabitur, si usque tunc servaretur; nam certè, si mille mensuræ frumenti in Majum serventur, ex copia pretium posset vilescere.

Si non erat servaturus, videndum est, an dubium sit, quod in Majo possit plus, aut minus valere? tunc enim potest licitè vendi, ea lege, ut pretium solvatur secundùm, quod valebit in Majo, quia uterque contrahentium æquali fortunæ se subdit, ut, quod plus, vel minùs alter det, & alter recipiat; cum autem probabilius sit, quod plus valebit, eo pacto vendi prohibetur. Layman. *num. 14.*

19. Nota, usuram esse, si venditor sub prætextu lucri cessantis paciscatur, ut solvatur ipsi frumentum pretio summo,

quo valebit ab Octobri usque ad Majum, id enim videtur esse ad tutum lucrum venditoris, qui potuit non vendere frumentum pro eo pretio; vel, quia aliis præpeditus negociis, vel, quia expectans se majori pretio vendere, interim decrescit. Divisionem pretii habes *lib. 2. cap. 23. num. 2.*

20. Quæritur, *an usurarius sit contractus, quo in Majo V. G. emitur frumentum, quod erit in Augusto consignandum pro pretio, quo in Augusto valebit?*

Resp. Negativè; nam ibi non datur mutuò pecunia, ut loco ipsius detur frumentum, sed solvitur in pretium frumenti, quod quis vendit consignandum suo tempore.

21. Quæritur, *an liceat emere lanas anticipatè viliori pretio, quam quo æstimantur tempore traditionis?*

Resp. Negativè, aliàs liceret emere vilius ob solutionem anticipatam, quod supra negatum est; si igitur, anticipata solutione, lanæ vendantur, debent vendi eo pretio, quo valebunt tempore traditionis: nam tunc solùm consummatur venditio, ergo justum pretium erit illud, quo æstimantur tempore, quo traduntur: valor enim rei æstimandus est juxta valorem, quem habet, quando traditur emptori. De la Cruz *dub. 7.*

22. Quæritur, *an mutuare cum pacto, ut mutuatarius tempore messis, vel vindemiæ vendat mutuanti triticum, vel vinum pretio tunc currenti, sit usura?*

Resp. Affirmativè, & quia gravatur mutuatarius, qui fortè tunc non esset venditurus; & quia, ut plurimum tunc segetes vili venduntur pretio.

23. Quæritur, *an sit usura mutuare hic Romæ vinum Albanum, cum pacto, ut tibi restituatur Lucæ; ubi æqualiter valet, sed tu debes illuc transportare?*

Resp. Affirmativè, quia imponitur mutuatario gravamen transportationis. Tamburino.

24. Quæritur, *cur ex usu domus locatæ, & equi conducti potest aliquid lucri accipi, & non ex usu pecuniæ mutuatæ?*

Resp. Propter differentiam, quæ est inter mutuum, commodatum, & locatum, quæ communiter assignatur: Quòd in mutuo transfertur dominium rei, quæ mutuatur in eum, cui mutuò datur; & ideò mutuum dictum, quasi ex *meo facio tuum*; in commodato autem, & locato dominium non transfertur; & ideò is, cui res datur mutuò, potest eam alienare, & consumere, quia est Dominus ejus, cum onere tamen restituendi tempore præfixo, aut cum potest rationabiliter repeti; is autem, cui Domus locatur, vel equus accommodatur, nec unum, vel alterum alienare potest, quia Dominus non est, sed solùm usuarius.

25. Et hinc sequitur, quòd cum mutuans non sit Dominus pecuniæ mutuò datæ, non possit aliquid pro ea recipere: cùm autem locator, & accomodans sit Dominus rei locatæ, potest pro usu ipsius lucrum sumere ab eo, cui rem accommodat, & locat.

26. Item, Regulariter mutuum fit in eis, quæ usu consumuntur, ut pecunia, vino, oleo, frumento, & similibus: vinum enim consumimus eo utendo ad potum, triticum ad cibum, & pecuniam expendendo, ex D. Thoma *cit. artic 1. in corpore*, ideò materia mutui in illis rebus reperitur, quarum usus est earum consum-

sumptio; in quibus propterea res, & usus ejus seorsim non computantur, quasi essent separata, sed cui conceditur unum, conceditur aliud. Commodatum autem, & locatum fit in rebus immobilibus, & in rebus, quarum usus non est ipsa rei consumptio; sic usus domus est inhabitatio, non autem dissipatio, & uti equo, est ipso ad cursum uti, quod non est ipsum consumere; ideò in istis potest concedi usus, non concesso dominio, & pro usu aliquid justè peti, sibi reservato dominio, ibid. S. Doctor.

27. Propterea DD. communiter resolvunt, recipientem pecuniam mutuò, & equum commodatum, si utroque à Latrone spolietur, teneri ad restitutionem pecuniæ, non equi, quia res domino perit; quod, si equus pereat culpa illius, cui commodatur, tenetur damnum resarcire, sed vide lib. 2. *cap.* 23. & 24.

28. Item, mutuum debet restitui in eadem specie, ut oleum pro oleo, vinum pro vino: in pecunia verò non attenditur ad speciem materialem, sed ad moralem; ideò, qui accipit mutuò decem nummos argenteos, satisfacit reddendo tantum in pecunia auri, quantum æquivalet: nisi in pacto exprimatur, quod restitutio fiat in eadem specie Physica, ut de reddendo v.g. aurum hispanicum, pro auro hispanico; locatum autem, & commodatum idem numero redditur, ut idem equus, eadem domus, &c.

29. Quæritur, *an usurarius teneatur ex justitia restituere lucrum usurarium?*

Resp. Affirmativè, nam justitia commutativa obligat ad dandum alteri, quod suum est, tale autem lucrum est mutuatarii, ex cujus voluntate mutuans non habet ejus dominium; nam ei ab illo non datur voluntariè, sed coacte, non potens aliud facere, si velit pecuniam, qua indiget; ipsi itaque, vel hæredibus, & in horum defectum, pauperibus, aut locis piis restituatur *cap. Super de usur.*

30. Sed quæritur, *an teneatur restituere fructum, seù lucratum ex usura?*

Resp. Affirmativè, loquendo de lucro ex usura fructifera: ut optimè D. Thomas *cit. ar. 3. in corpore*; ubi, considerat, aliquas res esse, quarum usus est ipsarum consumptio, & quæ proinde non habent usum fructum, ut sunt ex dictis pecunia, vinum, &c. ideò, si fuerunt per usuram extorta, non tenetur quis ad restituendum, nisi id, quod accepit, non verò fructus, quia tales non sunt fructus pecuniæ, vel vini, sed industriæ, & personæ usurariæ, in quos, non verò in pecuniam usurariam dominium habet: aliquas verè esse, quarum usus non est earum consumptio, & talia habent usum fructum, ut est domus, ager, equus, &c. & ideò, si quis domum alterius per usuram extorsisset (quatenus noluit mutuò dare mille, nisi post annum reciperet ea, & domum) teneretur restituere non modò domum, verùm etiam fructus inde perceptos, quia sunt fructus rei, cujus dominus est mutuatarius, ideò ei debentur, nam res Domino fructificat.

31. Sed quid, *si mutuatarius ex sua negligentia eos fructus, quos usurarius percipit, non esset percepturus, quia agrum non coleret, domum non locaret, equum non commodaret, &c.*

Resp. Etiam illos fructus, deductis expensis,

pensis, quæ fecit in cultura, debet usurarius restituere, utpotè fructus rei, quæ est mutuatarii, nam res Domino fructificat. Tambur. *lib. 9. de contract. tr. 1. cap. 7. num. 12. & cap. 9. num. 1.* Vide *lib. 3. cap. 22.*

32. Sed quid, *si usura consisteret in tritico, quod servasti ad tempus, in quo pluris vendidisti, ad quod a mutuatario non erat servandum?*

Resp. Debes restituere totum pretium, quo triticum tunc vendidisti, demptis expensis factis pro ejus conservatione: ratio est, quia pretium est idem cum ipsa re, & sic ejusdem Domini.

33. Quæritur, *an haredes teneantur restituere usuras defuncti, eis relictas?*

Resp. Affirmativè, ex bonis hæreditariis; ratio est, quia onera defuncti cum hæreditate descendunt ad hæredes, qui in locum defuncti succedunt, & una eademque persona reputantur; propterea, ad exonerationem conscientiæ defuncti tenentur, pro viribus hæreditariis, satisfacere omnibus illis, quibus defunctus damnum intulit, licèt ex illo damno hæreditas aucta non sit *cap. Parochiano de sepult.* Si quis eorum rem ipsam in specie apud se haberet, in solidum deberet eam restituere, nam hæc tota debetur Domino, & semper pro Domino clamat.

Advertè, ex bonis usurarii, prius sunt solvendæ usuræ, deinde danda legitima hæredibus, & quod remanet, distribuendum inter legatarios, si usurarius legata reliquit. Tambur. *cap. 9. §. 3. nu. 7.*

34. Sed quid, *dicendum de usurario, qui in statum honorificum ascendit propter lucrum usurarium?*

Resp. Tenetur ad restitutionem, etiam cùm diminutione status, injustè acquisiti, quia hoc non esset cadere, sed redire ad suum. Vide *d. loc. cit. lib. 2.*

35. Quæritur, *usurarius ex pecunia usuraria domos, vel prædia emit, petitur, an mutuatarius, vel ejus hæres, hæc, tamquam sua, acquisita nimirum, propria pecunia, possit petere, sicut potuisset ipsam pecuniam usurariam?*

Resp. Si mutuans non habeat aliam pecuniam ad satisfaciendum debitori propter usuras, debet talia bona vel in solutionem dare, vel vendere, & de pretio usuras malè acceptas compensare *cap. Cum tu de usur.* & ex his ad dubium vid. *cit. num. 30.*

36. Sed quid, *si ager ab usurario pecunia usuraria emptus, tertio vendatur, vel donetur?*

Resp. Si venditio, & donatio agri fuerit facta in fraudem mutuatarii, quatenus usurarius sciebat se aliundè debitori, per usuras læso, satisfacere non posse, ager venditus revocabitur, secundùm ea, quæ habentur toto *tit. ff. qua in fraud. credit.* & posset mutuatarius agrum ab emptore repetere, & ipse reddere teneretur, res enim succedit loco pretii, *cap. Cum tu de usur.* si verò usurarius posset solvere cum pretio agri, vel alterius rei, apud ementem remanebit, Sylvester *ver. usur. 6. nu. 11.*

37. Sed quæritur, *an cùm usurarius pecunia usuraria emit agrum, possit venditor illas pecunias retinere?*

Respond. Affirmativè, quia, etsi usurarius non acquirat dominium ipsarum, non tenetur restituere easdem numero, & ideò fat est, quod aliis satisfaciat;

faciat; quòd si non habeat, revendat agrum pecunia usuraria emptum, & restituat.

38. Quæritur, *an ministri usurarii teneantur restituere usuras, usurario non restituente?*

Resp. Affirmativè, loquendo de Ministris ad usuras formaliter concurrentibus, ut sunt Fautores, Proxenetæ, seù Mediatores, & quærentes mutuatarios usurario: Servi scribentes debita usuraria, maximè si non sit alia scriptura, qua mutuatarius solvere cogatur, quia talis scriptura excitat memoriam usurarii, & ut causa moralis concurrit ad exigendas usuras, & cogendum mutuatarium, ut juret, an ita se obligaverit. Idem dicitur de Judice, cogente solvere usuras, ac de Procuratore, Advocato, & Testibus, & de Notario palliante usuram in favorem usurarii; possunt tamen aliqui excusari, si invincibiliter ignorent aliquem contractum esse usurarium.

39. Quæritur, *an pauperes recipientes eleemosynam ab usurario, teneantur eam restituere, si ipse ex eo fiat impotens ad restituendum usuras?*

Resp. Affirmativè, quia quæ accipiunt, sunt mutuatarii; immò, si accipiunt in specie, quæ usurarius usura acquisivit, ut v.g. vestem, debent restituere, etiam si usurarius esset potens. Quia res pro Domino clamat. Sylvester *cit. usura* 8. *nu.* 13.

40. Quæritur, *an peccet, qui mutuum accepit sub usura?*

Resp. Negativè; si, qui dat mutuò, paratus sit ex sua malitia illud sub usuris dare, & petens indigeat, aliter non petiturus; nam nec complacet in peccato alterius, aut inducit, vel peccatum approbat, sed solùm ex justa, & rationabili causa, petit id, quod alter potest licitè dare, nimirum, mutuum.

Dices, non licèt petere ab alio, quod non potest præstari sine peccato, sed mutuare sub usuris est peccatum, & intrinsecè malum, ut fornicatio, blasphemia, maleficium, &c. quæ, nec à paratis ad ea, peti possunt, ergo.

Resp. Quod mutuare sub usuris duo distincta dicit: alterum mutuare, & alterum sub usuris: primum est bonum, quod à mutuatario directè petitur, cui mutuans ex sua malitia addit secundum, quod est malum, & à mutuatario non petitur, sed ad summum permittitur; immò sibi displicet, cùm sentiat se gravari ex usura danda, quam non intendit, sed proprium commodum; aliàs peccaret etiam, qui, ne à latronibus occidatur, eisdem manifestat sua bona, quæ ipsi peccando surripiunt; quod falsum est ex D. Thoma cit. exemplo decem virorum, qui dixerunt ad Ismael, *noli occidere nos, quia Thesauros habemus in agro Jer.* 41. nam ibi petitur vita propria, quod non est illicitum, cui latrones ex sua malitia addunt peccatum furti; excusatur itaque mutuatarius à peccato, quia mutuum de se bonum est, & ipse non est causa usuræ, neque illas petit, sed permittit, ideò mutuantem in peccatum non inducit. Suarez *to.* 1. *de relig. lib.* 2. *cap.* 18. *num.* 4.

41. Et hinc patet discrimen à fornicatione: tota fornicatio est mala, nec ulla via honestatur ejus petitio, nec ab ea malitia est separabilis, ideò, qui eam petit, ipsum actum malum petit, & consequen-

sequenter peccat: idem dicitur de petente à malefico parato maleficium, quia totum opus malum est à malitia inseparabile, & propterea qui tale opus petit, etiam à parato, ad totum opus, & malitiam ejus inducit. Suarez *cit.*

Quare ad discernendum, an aliquid ab alio peti possit, oportet videre, an, quod petitur, possit ab eo, à quo petitur absolute, sine peccato fieri. Cajetanus *ad cit. loc.* D. Thomæ.

42. Sed quid, *si petat sine necessitate?*

Resp. Peccat, quia nullum justum titulum petendi habet, nec vitat ruinam spiritualem proximi, cùm possit. Bonacc. *de contract. disp. 3. qu. 3. punct. 13. prop 2. num. 3.*

43. Sed quid, *si mutuatarius juramento promitteret usuras solvere?*

Resp. Deberet juramentum implere ex *cap. debitores de jurejurando.* Vide *lib. 2. cap. 24.*

## CAPUT XXXII.

### *Prop. XLIII. ab Alex. VII. &c.*
### *Legatum.*

1. PROP. 43. *Annuum legatum pro anima relicti non durat plus, quàm per decem annos.*

Cùm mens testatoris, vel legantis sit executioni mandanda juxta proprietatem, & rigorem verborum, quibus ipsi utuntur in dispositione legati, debent attendi verba, & quatenus videantur ab iisdem fuisse absolutè, indefinitè, & absque ulla restrictione prolata, sic sunt accipienda, & non restringenda ad aliquod tempus determinatum, novenium, vel decennium; quia certè alia verborum formula usi essent, si non perpetuum esse voluissent; propterea hæredes defuncti, supposito, quod acceptent hæreditatem, ab eo relictam, tenentur ad legata, modo ab ipso institutore dispositio, nec fas est eis dispositionem alterare, vel minuere, ut DD. communiter; quod notasse sufficeret. Verùm ne Confessario sim debitor, de legatis aliqua tangam.

2. Quæritur, *quid sit legatum?*

Resp. Est donatio *quædam à testatore relicta ab hærede de bonis hæreditariis præstanda.* Sylvester *ver. legatum* 1. n. 1. ubi scribit legatum communiter his verbis fieri, *lego, do, dare jubeo, volo, &c.*

3. Quæritur, *quid sit legatum pium, vel ad pias causas?*

Resp. Quod pietatem re ipsa continet: & est quidquid relinquitur pro Dei, & Sanctorum honore, pro salute animæ, pro miserabilibus personis, pro pupillis, viduis, peregrinis, pauperibus, Ecclesiis, & locis piis, ut, hospitalibus, Conventibus, pro ornamentis Ecclesiæ, maritandis puellis, &c.

4. Sed quæritur, *an hæres, vel alii executores legatorum negligentes, aut longo tempore differentes implere pia legata, à defuncto relicta pro anima sua, verbi gratia, quod annuatim centum Missæ celebrentur: quolibet anno pauperibus distribuantur decem mensuræ frumenti, &c. mortaliter peccent?*

Resp. Affirmativè, quia injustè inferunt defuncto damnum notabile, nam pro tempore, quo executio differtur, ejus anima privatur suffragiis, quibus, si non in totum, ad minus secundùm partem,

partem, sublevaretur à pœnis Purgatorii. Ideò non debet executor multùm tardare exequi voluntatem defuncti, & sine justa causa executionem differre; justa autem causa differendi aliquandiù, posset apud Layman *lib. 3. tract. 5. cap. 11.* esse, si sit spes vendendi res defuncti majori pretio, ut sic ampliores eleemosynæ in subsidium animæ adhiberi possint; verùm id ex D. Thoma licitè fit in mora solùm modici temporis, in qua non videtur magnum periculum, vel detrimentum.

5. Quæritur, *Testator voluntatem suam expressit in schedula, manu sua scripta, quàm Confessario tradidit, petitur, an hæres teneatur, omnia scripta solvere?*

Resp. Affirmativè, maximè pertinentia ad pias causas, in quibus non requiritur juris solemnitas, nimirum, quod fiat coram septem, vel quinque testibus; nam in extrema infirmitate, sufficit præsentia Parochi, & duorum testium ex *cap. cum esses de testament.* immò, cum aliundè constat de voluntate testatoris disponentis ad causam piam, vel ex indubitato ipsius manuscripto, vel signo, cùm loqui non posset, vel, ex Confessione hæredis, aut alterius fide digni, nec duo testes sunt in foro conscientiæ necessarii: *ex cap. Judicante cit. tit.* ubi propter Confessionem solius marìti jubetur tradi monasterio scutella aurea ab uxore nudis verbis legata.

6. Sed quid, *si moriturus, qui cœpit facere testamentum, vel Codicillum, morte præventus, non absolvat?*

Resp. Debet exequi, quoad legata pia relicta, quæ in sua imperfecta dispositione jam expresserat; quoad ea enim ejus voluntas constans, & firma manet, ut pluribus citatis. Layman. ibid.

7. Quæritur, *Testator disponit, ut executores erigant hospitale in suo fundo, pro cujus dote legavit summam scutorum decem millium, executores volunt ædificare Ecclesiam cum Monasterio Religiosorum, propterea accedunt ad Confessarium pro consilio, an possint nec ne; quomodo Confessarius se gerere debeat?*

Resp. Debet eos monere, ut pro facultate erigendi Monasterium loco hospitalis, ad Sedem Apostolicam pro rescripto, contrario dispositioni testatoris, recurrant, aliàs tenentur in conscientia, pro ut ipse voluit, eam exequi, quia voluntas defuncti pro Regula servanda est, *capit. tua de testam.* Fagnan. *cit. ad cap. Dolentes de stat. Monach. num. 46.*

8. Quæritur, *an Religiosus, cui Testator legavit annuam moneta portionem pro suo usu expendendam, possit eam portionem ad eum effectum percipere?*

Resp. Negativè, nam obstat Trid. *sess. 25. de Regul. cap. 2.* statuens Personis Religiosis non licere bona *mobilia, vel immobilia cujuscumque generis fuerint, &c. tamquàm propria, aut, etiam nomine Conventus, possidere, vel tenere, sed statim ea Superiori tradantur, Conventuique incorporentur*; annuus autem redditus inter stabilia computatur ex Clement. *Exivi, 6. cùmque annui redditus, de verbor. signif.* Ideò legatum in effectu quoad Regularem non valet, alioquin esset propriè usufructuarius, & Dominus illius portionis, quia haberet jus utendi, & fruendi, quod repugnat præfatæ dispositioni, & voto paupertatis; ideò ex ejus

persona tale legatum acquiritur Monasterio: *cap. quanto de off. ord.* ut nec momento temporis maneat apud Religiosum, Fagnan. *cit. ad cap. cum dilectus de succeſſ. ab inteſt. num.* 20.

9. Sed quid, *ſi Religioſo relinqueretur legatum ſub hac conditione, ut non quæratur Monaſterio?*

Reſp. Tale legatum continet impoſſibilitatem, & repugnantiam, nam Monachus non poteſt habere aliquid, ſed totum eſt Monaſterii ex alleg. *cap. Trid.* & vulgato dicto, *ex capit. exiit de verb. ſignif. in 6. quidquid acquirit Monachus, acquirit Monaſterio*; ideò ea conditio, tamquam turpis, debet haberi pro non adjecta, & hæredes tenentur in conſcientia legatum Monaſterio ſolvere.

10. Quæritur primò, *an Fr. Min. de Obſ. ſint capaces legatorum annuorum, quæ fiunt, adjecto onere perpetuo Miſſarum, vel quorumdam Officiorum?*

11. Secundò, *An ſint capaces annui legati, facti ad favorem Infirmariæ eorumdem pro neceſſitatibus infirmorum, pane, vino, medicamentis, & Lineaminibus?*

12. Tertiò, *An ſint capaces legati annui, pro Oleo lampadis, quæ debeat ardere in eorum Eccleſia?*

13. Quartò, *An ſint capaces legati relicti ſine onere perpetuo, ut, ſi relinquatur ager, vel cenſus ad fruendum, poſſidendum, aut locandum?*

Reſp. Ad primùm vide *cap. 6 in fin.* & hic iterùm pondera, vel Fratres prætendunt ea legata, tamquàm ſibi debita in perpetuum, civiliter, ſeù vigore actionis ex teſtamento, vel juris ad ipſa, vel ſolùm volunt recipere ea, ſecluſa omni obligatione, actioneque civili, per modum puræ, & ſimplicis eleemoſynæ, ſibi ſponte dandæ ab Hæredibus, vel Executoribus teſtamenti, & præmiſſa prius per Guardianum, & Diſcretos proteſtatione, ſubſignata ſigillo Conventus, in ejuſque libris regiſtranda, & tranſmittenda ad ipſos Hæredes, ſeu Exequutores, quòd ipſi nullũ jus habent in ea legata, vel ipſorum præſtationes, & ſolutiones, juxta monitum D. Bonaventuræ, & diſpoſita à Sac. Congr. propoſita Conſultationibus Fratr. Min. de Obſer. apud Fagn. *in 5. ad cap. nimis prava nu. 55. de exceſ. Prælat.* & me ipſum *Offic. cur. cap. 10. tom. 2. num. 7.* ubi *nu. 15.* ejuſdem formula datur.

In primo ſenſu Fratres prædicti ſunt omninò ipſorum Legatorum incapaces, utpotè inhabiles poſſidendi, vel habendi annuos redditus, qui altiſſimæ paupertati, quam profitentur, repugnant, & inter bona immobilia computantur juxta *text. in Clement. exivi, §. eumque annui redditus, de ver. ſignif.* in quo ſenſu inter DD. recipitur, præfatos Fratres eſſe incapaces ſimilium legatorum, & in eo loquitur Sac. Congr. infra *nu. 23. diſt. 3. ad primum.*

In ſecundo verò capaces ſunt, quia ea non recipiunt, per modum annuæ, & certæ aſſignationis, revelantis eorum mendicitatem, & eximentis eos à debito vivendi ex dietim mendicatæ, recurrendo ad menſam Domini, petendo eleemoſynam oſtiatim, ſed per modum manualis eleemoſynæ in ſtipendium celebrationis Miſſarum, eis ſponte, & liberè datæ ab eis, ad quos ſpectat legata implere, qua ratione ea recipere non eſt contra Regulam, nec Paupertati repugnans,

gnans, sicut non repugnat quotidiana receptio stipendiorum, quæ eis in dies dantur pro celebratione Missarum adventitiarum; nec est contra disposita à Sede Apostolica, quæ sæpius declaravit, eos posse similia recipere per modum puræ eleemosynæ vid. infr. *nu.* 28. & Rotæ decisionem coram Emerix *in Turritana Legatorum de anno* 1695. *&* 1696.

14. At quæritur, *an nolentibus hæredibus dare Fratribus eleemosynam legatam, possint per Judicem compelli? & quatenus, affirmativè; an ad instantiam ipsorum Fratrum per se ipsos, vel per ipsorum Syndicum, aut per alium?*

Resp. Judex, vel ex officio, ut Episcopus, uti ordinarius executor omnium piarum dispositionum juxta textum *in cap. Nos quidem de testam.* vel ad instantiam unius de populo, ne Anima Testatoris debitis suffragiis defraudata maneat, potest hæredes cogere ad conferendam eleemosynam præfatis pro Missarum celebratione; facit decretum à Sac. Congr. prout *infr. num.* 28.

Neque hoc casu hæredes compulsi dicuntur coacti respectu Fratrum, quibus non cogentibus semper verum est, quòd ipsi, respectivè ad ipsos Religiosos, sponte conferant; vel saltem Fratres liberè recipiunt ab Judice per modum simplicis eleemosynæ, ut firmavit Rota in allegata Turritana; sed Fratribus ipsis est prohibitum sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, in decreto videndo infrà *num.* 26. ne audeant per se, vel per alios, Syndicos, Ministros, seu Procuratores, tam Sæculares, quàm Regulares, annuas præstationes, seu legata, nec judicialiter, nec coram quocumque Judice, nec aliàs, nisi juxta formam decreti Congreg. Fratr. Min. de Obser. Cismont. Famil. prout infrà *num.* 19. ab hæredibus, vel aliis petere, vel exigere; per quod patet ea non esse illis debita, nec circa ipsa jus aliquod civile, & actionem habere.

Verùm ipsorum Syndicus, non tamquam Syndicus, sed veluti unus de populo, potest coram Ordinario agere, & instare, pro implemento Legati, & ne mens testatoris in sua pia dispositione fraudetur. Immò crederem, etiam ipsos Fratres, posse Ordinario, ut piarum dispositionum executori, significare, quod hæredes N N. non implent legata à Testatore relicta, ad effectum dumtaxat, ut istis satisfaciant, non verò, ut in ea aliquod jus prætendant, vel in eum finem, ut legata consequantur: experimur enim, quod in his fiat, sæpè sit causa, cur similia in oblivionem descendant, & animæ Fidelium debitis suffragiis fraudentur.

15. Dices. Ergo Fratres possunt esse certi moraliter de victu, & eleemosyna annua; ex quo eorum paupertas relevatur, & ita contra puritatem Regulæ eis similia relinquuntur legata.

Resp. Negando consequentiam, quia semper Fratres reciperent legata per modum eleemosynæ, vel ab Judice, vel ab hæredibus, nec de illis recipiendis essent omninò certi; quia semper esset in prudenti, & rationabili judicio Executorum, vel Judicis, perspectis circumstantiis eleemosynarum, atque locorum, vel iisdem Fratribus legatariis relinquere, vel alius committere. Immò, quandoque, ut Rota cit. ponderavit, ad eos

spectaret, ut aliis committerent, si viderent legata, seu eleemosynas, sic esse adauctas, ut per Fratres reciperentur in fraudem paupertatis, eosque eximerent à necessitate sibi victum quærendi incerta mendicitate, sicut juxta professionem tenentur, dum oblata liberaliter ad id non sufficiunt.

Non tacendum, quod ex aliis titulis tolli potest certitudo; vel, quia, cum omnia Fratribus relicta sint in absoluto dominio Sedis Apostolicæ, ut in *capit. exiit, §. ad hæc cum Fratres de verb. signif. in* 6. in ordine ad tales Eleemosynas semper Fratres pendebunt à Summi Pontificis voluntate, quibus poterit eos privare, & aliis applicare; vel, quia, cum Fratres non obligentur jure actionis ad celebrationem Missarum, eleemosyna non debetur, nisi conditionaliter, si Missas celebrent; contingere autem potest, quòd Missæ non celebrentur, vel, quia nolunt, vel, quia aliis præpediti negotiis non possint, & sic eleemosyna non erit certa, sed conditionata pro singulis annis, pendens ex futuro eventu, de quo certitudo moralis non datur, *ut* benè ex Roderico discurrit Pitonius *Disceptat. Ecclesias. par. prima disceptat. 2. num.* 32. immò, dum celebraverint, nec certi esse possunt de consecutione, quia apud Judicem instare non possunt; vid. *num.* 24.

16. Ad 2. Affirmativè, ut ipsa Rota in cit. Turritana firmavit, ratio est, quia natura hujusmodi legati non respicit necessariam sustentationem ipsorum infirmorum, pro qua juxta text. Regulæ *cap. 4. debent Ministri, & Custodes recurrere ad amicos spirituales*, sed potius majorem ipsorum curam, quam, quæ aliàs illis præstari posset per eorum Conventus.

Verùm Fratribus legatum non debetur; & est obligatione conscientiæ, quamvis non civili, implendum ex parte hæredum, seu executorum in ipsa re, in specie legata, secluſa ex parte Fratrum, quavis instantia, etiam per implorationem simplicis officii Judicis; & recipere debent annuam præstationem per modum simplicis eleemosynæ; nec possunt eam in alios usus convertere, quam taxatos à Testatore, ac præmissa protestatione, ut supra diximus; super quo observetur Decretum à S. Congr. C. editum *in Romana Donationis*, pro pane albo ministrando Fratribus infirmis in Conventu de Aracæli, quæ sub *die 2. Junii 1663.* censuit *licere prædictis fratribus prænarratam annuam præstationem, titulo dumtaxat eleemosynæ, recipere, ad præscriptum Decret. Congr. Fabr. editi sub die 14. Febr. 1633.* apud Lantusc. *Theatr. Regul. ver. legat. num.* 5. vid. *num.* 23.

17. Ad 3. Affirmativè, ratio est, quia, licèt Fratres præfati ex Regula, quam profitentur, & Constitutionibus Nicolai III. *exiit in* 6. & Clementis V. Clementin. *exivi de verb. signific.* sint incapaces cujuscumque juris, & proprietatis, tam in communi, quam in particulari, prætactorum tamen incapaces non sunt, cum eorum incapacitas procedat, quoad ea, quæ concernunt utilitates, & commoda ipsorum Fratrum, pro quotidiano victu, & vestitu, & per quæ ipsorum mendicitas relevatur; non verò quoad ea, quæ concernunt decorem eorumdem Eccle-

Ecclesiarum, ac certum usum Cultus Divini, ut in terminis similium legatorum, frumenti pro hostiis, vini pro Sacrificio, & pecuniæ pro luminibus dixit Rota allegata sub die 6. *Aprilis* 1696. & tradit Fagn. in 2. *de probat. ad cap. in præsentia nu.* 60. Ventriglia *prax. par.*2. *annot.*28. §.2. *n.*17. & Bordonus *op. posth. de Legat. cap.*3. *n.*56. asserentes præfata legata, esse facta Ecclesiæ, vel Sacristiis, non Fratribus, qui præstationes legatorum in alios usus non possunt convertere, quam in eos à Testatoribus fixos; consequenter, omnia in præsenti præfacta esse debita ipsorum Ecclesiis, quæ sunt in proprietate Ecclesiæ Romanæ: quarum nomine peti per Syndicum Apostolicum poterunt. Sed vid. infrà *num.* 32.

Ad 3. Negativè, juxta allegatas decretales. Trid. *sess.*25. *de regul. cap.*3. & Decreti S. Congr. infrà *num.*25. *dist.*4. *primum.*

Quæ censeo sufficere posse Confessario, ut super similibus interrogatus valeat tuta conscientia responsa dare, Fratresque instruere circa rem, cujus notitia est ipsis omninò necessaria, ne abusus circa paupertatem admittant, & graviter contra puritatem Regulæ delinquant, & interim sequentia à S. Sede in similibus dispositia dictis subnecto.

*Decreta S. Congr. à S. Mem. Urb. VIII. Fratr. Min. de Observ. Consultationibus præposita.*

*Distinctio prima de Legatis Bonorum mobilium.*

„ 18. ART. Primus. An Fratres Minores, tam de Familia, „ quàm Reformati, sint capaces Legatorum Bonorum Mobilium, quæ unica „ solutione, seu præstatione adimplentur, tam in pecunia numerata, quam in „ aliis speciebus?

„ Art. 2. An possint eadem legata in „ judicio, aut extra exigere per se ipsos, „ vel Syndicum Apostolicum?

„ Art. 3. An Fabricæ S. Petri liceat in „ hujusmodi Legatis se ingerere infra annum, ex quo dies legati cessit?

„ Art. 4. Et quid, elapso anno?

*Distinctio secunda de legatis Fabricæ.*

„ 19. Art. 2. An valeat Legatum annui redditus factum Fabricæ, Sacristiæ, „ vel Ecclesiæ Fratrum Minorum, tam de „ Familia, quàm ex Reformatione?

„ Art. 2. An liceat Fratribus hujusmodi legata in judicio exigere per eorum „ Procuratores, vel Syndicos Apostolicos?

„ Art. 3. An liceat eisdem erogare „ prædicta legata in usus Fratrum? an „ verò illa omninò converti debeant in „ usus à Testatoribus præscriptos?

„ Art. 4. An Fabricæ Sancti Petri liceat „ infra annum se ingerere in proprietate horum Legatorum pro Fabrica, vel

„ Sacri-

„ Sacristia, transigendo cum hæredibus,
„ aut aliàs de eadem proprietate dispo-
„ nendo?
„ Art. 5. Et quid transacto anno?
„ Art. 6. An liceat eidem Fabricæ San-
„ cti Petri se immiscere præstationibus,
„ seu fructibus eorundem Legatorum
„ ab anno decursis, & non solutis?
„ Art. 7. Et quid infra annum, ex quo
„ cessit dies præstationis.

*Distinctio tertia de legatis annuis cum onere.*

„ 20. Articulus primus. An Fratres
„ Minores, tam de Familia, quàm Re-
„ formati, sint capaces Legatorum an-
„ nuorum, quæ fiunt adjecto onere ce-
„ lebrationis Missarum?
„ Art. 2. An iidem possint pro his Le-
„ gatis in judicio experiri agendo, aut
„ Judicis officium implorando?
„ Art. 3. An possint Fratres illa accipe-
„ re à sponte offerentibus celebrando
„ Missas ad rationem rei acceptæ?
„ Art. 4. An possint illa sponte oblata
„ accipere per se ipsos: An verò per Syn-
„ dicum Apostolicum?
„ Art. 5. An Fratres possint hujusmodi
„ legata extinguere, aut illorum propria-
„ tatem vendere, & pretium erogare in
„ usus Fabricæ, vel Sacristiæ?
„ Art. 6. An liceat Fabricæ Sancti Petri
„ proprietatem eorundem Legatorum
„ cum onere Missarum sibi vindicare,
„ tam elapso anno, quam anteà?
„ Art 7. An eidem Fabricæ liceat sibi
„ vindicare annuas præstationes decur-
„ sas, & non solutas, tam ante annum
„ quam post?

*Distinctio quarta de legatis annuis sine onere.*

„ 21. Articulus 1. An Fratres Mino-
„ res, tam Observantes, quam Reforma-
„ ti, sint capaces Legatorum annuorum
„ sine aliquo onere, aut modo adjecto,
„ saltem ad effectum illa extinguendi,
„ & pretium erogandi in usus Fabricæ,
„ vel Sacristiæ?
„ Art. 2. An ad hunc effectum possint
„ eandem proprietatem in judicio pete-
„ re per Syndicum Apostolicum?
„ Art. 3. An possint illam convertere
„ in usus Fratrum?
„ Art. 4. Et quid, si cæperint illorum
„ annuas præstationes accipere?
„ Art. 5. An possint Fratres exigere ju-
„ dicialiter annuas præstationes eorum-
„ dem Legatorum in vim Martinianæ?
„ Art. 6. Et quid post ultimum Dec. S.
„ Congreg. hac de re editum?
„ Art. 7. An Fratres teneantur prote-
„ stari se esse incapaces eorundem Lega-
„ torum?
„ Art. 8. An possint illas à sponte dan-
„ bus accipere per se ipsos, vel per Syn-
„ dicos Apostolicos?
„ Art. 9. An hæredes teneantur illorum
„ præstationes Fratribus solvere in foro
„ conscientiæ?
„ Art. 10. An Fabrica Sancti Petri jus
„ habeat sibi vindicandi horum Legato-
„ rum proprietatem, tam elapso anno,
„ quam anteà?
„ Artic. 11. Et quid de annuis præ-
„ stationibus decursis, & non soki-
„ tis?
„ Art. ult. An hæc omnia procedant,
„ etiam

„ etiam in Legatis annuis ad modicum
„ tempus.

„ Die 9. Septembris 1628. Sacra Congregatio Negotii Fratrum Minorum „ Sancti Francisci de Observantia à Sanctiss. Domino Nostro præposita ad singulos articulos superius propositos ad „ hunc modum respondit, videlicet.

*Distinctione prima.*

„ 22 Ad primum Articulum. Fratres „ Minores, tam de Familia, quam Reformatos, esse capaces Legatorum bonorum mobilium, quæ unica solutione, „ seu præstatione adimplentur, tam in „ pecunia numerata, quàm in aliis speciebus, dummodò tamen hujusmodi „ legata sint in quantitate moderata, & „ non in fraudem paupertatis.

„ Ad secundum. Fratres quidem, nec „ per se ipsos, nec per interpositam personam posse eadem legata in judicio „ exigere; sed Syndicum Sedis Apostolicæ tantùm Judicis officium implorare, dummodò similiter illa in moderata sint quantitate, & sine ulla fraude „ paupertatis, & re ipsa erogentur in „ Fratrum necessitates. Extra judicium „ verò ita demum legata hujusmodi accipi posse à Fratribus per se ipsos, si in „ aliis speciebus consistant, & accipiantur in ea tantum quantitate, quam vera, & imminens eorum necessitas postulet; sed superfluam, aut pecunias, à „ Syndico tantum posse accipi, dum tamen id omne in Fratrum necessitates „ convertatur.

„ Ad tertium. Non licere Fabricæ Sancti Petri in hujusmodi legatis bonorum mobilium se ingerere infrà annum, ex quo dies legati possit.

„ Ad quartum. Elapso anno licere ad „ præscriptum suarum facultatum.

*Distinctione secunda.*

„ 23. Ad primum Articulum. Valere „ legatum annui redditus factum Sacristiæ, vel fabricæ Ecclesiæ, vel Conventui Fratrum Minorum, tam de Familia, quam de Reformatione, nisi adsit „ excessus in quantitate.

„ Ad secundum. Nec per se ipsos, nec „ per alios, licere Fratribus in judicio „ exigere hujusmodi legata, sed Syndico „ Apostolico dumtaxat.

„ Ad tertium. Non licere eisdem annui redditus legata erogare in usus „ Fratrum, sed illa omnino converti „ debere in usus à Testatoribus præscriptos.

„ Ad quartum. Fabricæ Sancti Petri „ non licere infrà annum se ingerere in „ proprietate horum legatorum, cum „ Hæredibus transigendo, aut alias disponendo de eadem proprietate.

„ Ad quintum. Itidem non licere.

„ Ad sextum, & septimum, posse Fabricam Sancti Petri se immiscere in præstationibus, seu fructibus eorundem „ Legatorum ab anno decursis, & non „ solutis: Non autem infra annum, ex „ quo dies præstationis cessit.

*Distinctione tertia.*

„ 24. Ad primum Art. Fratres Minores, „ tam de Familia, quam ex Reformatione, nullatenus esse capaces legatorum

„ annuorum, quæ sunt adjecto onere celebrationis Missarum.

„ Ad secundum. Non posse pro his legatis in judicio experiri, aut Judicis „ officium implorare.

„ Ad tertium. Posse Fratres illa accipere per modum eleemosynæ à sponte „ offerentibus, celebrando Missas ad rationem rei acceptæ, citra tamen ullam „ obligationem ad onus perpetuum, & „ dummodò prius protestentur se illorum capaces non esse.

„ Ad quartum. Syndicum Apostolicum & pro Fratrum necessitatibus, non „ autem Fratres ipsos, etiam per alios, „ posse hujusmodi legata, utcumque „ spontè oblata, accipere, si in pecunia „ consistant.

„ Ad quintum. Non posse Fratres hujusmodi legata extinguere, aut illorum „ proprietatem vendere, & pretium erogare in usus fabricæ, vel Sacristiæ.

„ Ad sextum. Licere Fabricæ Sancti Petri ad suarum facultatum præscriptum „ sibi vindicare eorumdem legatorum „ proprietatem cum onere Missarum celebrandarum, tam elapso anno, quam „ anteà.

„ Ad septimum. Similiter licere.

## *Distinctione Quarta.*

„ 25. Ad primum Art. Fratres Minores, tam Observantes, quàm Reformatos, non esse capaces legatorum annuorum, quæ fiunt sine aliquo onere, „ aut modo adjecto, nisi ad effectum illa „ extinguendi, seu illorum proprietatem, & pretium convertendi in usus „ Fabricæ, vel Sacristiæ.

„ Ad secundùm. Non Fratres ipsos, „ sed Syndicum Apostolicum tantùm, „ posse eandem proprietatem in judicio „ petere.

„ Ad tertium. Posse convertere.

„ Ad quartum. Si Fratres experiatur illorum annuas præstationes accipere, „ ne hinc fiat fraus Paupertati, expedire, „ ut de cætero decernatur, eo casu non „ licere amplius Fratribus eandem proprietatem vendere, ac pretium in usus Fabricæ, vel Sacristiæ erogare: „ Ideòque agendum cum Sanctissimo „ D. Nostro.

„ Ad quintum, & sextum. Fratres nullo „ modò posse in judicio exigere annuas „ eorumdem legatorum præstationes.

„ Ad septimum. Teneri.

„ Ad octavum. Posse illa per modum „ eleemosynæ, & à sponte dantibus accipere, etiam per se ipsos, si in aliis „ speciebus consistant: quod si in pecunia, non nisi per Syndicum Apostolicum.

„ Ad nonum. Non teneri.

„ Ad decimum. Fabricam Sancti Petri „ nullum Jus habere vindicandi horum „ legatorum proprietatem, nisi elapso „ anno, juxta suas facultates.

„ Ad undecimum. Similiter non habere jus vindicandi hujusmodi annuas „ præstationes, nisi ab anno decursas.

„ Ad Ultimum. Hæc omnia locum „ non habere in legatis infra decennium; „ sed in his tantùm, quæ fiunt ad „ decem annos, & ultra.

Decre-

*Decretum Sac. Congr. Fabricæ Principis Apostolorum de Urbe super legatis relictis PP. Minor. de Obser. S. Francisci.*

„ 26. DUm sæpius fuerit habitus re-
„ cursus ad S. Congregationem
„ Ven. Fabricæ S. Petri super annuis le-
„ gatis factis, seu faciendis ad favorem
„ Fratrum S. Francisci Min. de Obser.
„ cum onere Missarum, seu officiorum,
„ sivè gratis, sivè alio modo.
„ Prætendente Ven. Fabrica S. Petri
„ ad illam spectare propter DD. Fra-
„ trum incapacitatem hujusmodi lega-
„ torum.
„ Dictis autem Frætribus allegantibus
„ posse annua legata hujusmodi recipe-
„ re tuta conscientia, quatenus hæres ex
„ sua libera voluntate voluerit illa dare
„ in eleemosynam, & committere Fra-
„ tribus dictis Missas, & officia juxta
„ sententiam S. Bonaventuræ, & decreta
„ S. Congreg. à S. D. N. Frat. Min. de
„ Observ. S. Francisci Cismontanæ Fa-
„ miliæ Consultationibus præpositæ sub
„ die 4. Junii 1628. publicata.
„ Eadem Sac Congregatio pro oppor-
„ tuna præmissorum provisione, facta
„ prius relatione S. D. N. Urbano Papa
„ VIII. ac de illius expresso ordine, &
„ mandato, decrevit in futurum super
„ hujusmodi legatis observari, ut infra.
„ Quod hujusmodi legata per debito-
„ res; vel hæredes non extinguantur,
„ vel reducantur per compositionem
„ cum Ministris Fabricæ faciendam, vel
„ alio quovis modo, sed illorum capita-
„ le, sive sors principalis, vel Proprietas
„ absque aliqua diminutione conserve-
„ tur semper & perpetuò ad effectum,
„ ut in usus Romano Pontifici pro tem-
„ pore existenti benè visos possint appli-
„ cari; Ita tamen, ut quamdiù applica-
„ tionem specialem Auctoritate Apostо-
„ lica fieri non contigerit, hæredes, vel
„ Debitores possint liberè, si velint, di-
„ ctis Fratribus dare dicta annua legata
„ per eosdem Fratres recipienda in elee-
„ mosynam, non autem per eos exigen-
„ da. Et quod quævis extinctio, reductio,
„ seu diminutio capitalis, seu proprieta-
„ tis, aliter absque speciali Romani Pon-
„ tificis permissione facta, eo ipso nulla
„ sit, nec Debitoribus, aut aliis quibus-
„ cumque suffragetur.
„ Quodque Commissarii, aliique Mini-
„ stri Ven. Fabricæ super hujusmodi ca-
„ pitale, seu proprietate supradicta, se
„ de cætero non intromittant, nec di-
„ ctos hæredes, seu debitores aliquo
„ modo molestent, nisi ad effectum re-
„ investiendi in casu reinvestimenti, seu
„ providendi, ut conservetur, ut suprà,
„ aut aliàs in executionem applicatio-
„ nis auctoritate Apostolica facta, vel fa-
„ cienda.
„ Et quod nolentibus dictis hæredibus,
„ vel debitoribus dare supradictis Fra-
„ tribus dictas eleemosynas, seu annuas
„ præstationes, sivè legata, ut supra sol-
„ vere, vel illas, seu illa non solventibus,
„ tunc, & eo casu, lapsis duobus annis à
„ die obitus Testatorum, si fuerit matu-
„ ratum legatum, vel à die maturatæ il-
„ lius solutionis, eadem Fabrica, & illius
„ Comissarii, & Ministri id totum quod
„ solutum non fuerit pro pretio, pro
„ rata tamen, in qua fuerit, ut supra

„ elapsum biennium, vel ultra, possit, „ & valeat, annuas præstationes hujus- „ modi exigere, exigique facere ad sui „ beneficium, juxta suas facultates, & „ Privilegia: salvo semper capitali, seu „ proprietate, ut supra, ad effectum, quod „ hæredes, vel debitores (dummodò de „ eis per Romanum Pontificem pro „ tempore existentem aliter non fuerit „ dispositum, nec prædicta legata in a- „ lios usus ejus auctoritate applicata fue- „ rint, vel applicari contigerit) possint, „ si velint, quandocunque futuris tem- „ poribus, & deincepsin perpetuum da- „ re dictis Fratribus dicta annua legata „ in eleemosynam, ut supra, nec Fabrica „ eosdem hæredes, vel debitores mole- „ stare possit, & valeat toties, & quoties „ casus contigerit, nisi pro præterito, & „ tunc in illis terminis tantum, post quo- „ rum maturationem fuerit elapsum „ biennium, vel ultra, ut supra: salva „ semper erectione beneficiorum, & ap- „ plicatione legatorum, seu quorum- „ cumque bonorum, & reddituum, ac „ jurium eisdem beneficiis, seu aliis usi- „ bus piis auctoritate Apostolica facta, „ vel in posterum quandocumque, & „ quomodocumque facienda, & execu- „ tione litterarum Apostolicarum desu- „ per expeditarum, seu expediendarum; „ Itaut præfata decreta ad illas nequa- „ quam se extendant, sed illæ semper fir- „ mæ, & illæsæ remaneant ac suos plena- „ narios, & integros effectus sortiri de- „ beant, ita quod neque Fabrica, neque „ hæredes, vel debitores præfati, ullo „ modo illas impedire, retractare, vel „ controvertere valeant & salvis semper „ Sedis Apostolicæ auctoritate, & facul- „ tatibus competen. dictæ Sacræ Con- „ gregationi Ven. Fabricæ.

„ Prohibuit tamen eadem Sacra Con- „ gregatio Fratribus supradictis sub pœ- „ na excommunicationis ipso facto in- „ currenda, ne audeant, seu præsumant, „ nec quilibet eorum audeat, seu præsu- „ mat per se, nec per alios Syndicos, Mi- „ nistros, seu Procuratores, tam Sæcula- „ res, quam Regulares dictas annuas „ præstationes, seu legata, nec judiciali- „ ter tam coram quocumque Judice Ec- „ clesiastico, quam Sæculari, Ordinario, „ vel Delegato, nec alias, nisi juxta for- „ mam dicti decreti Congregationis „ Frat. Min. de Obser. S. Francisci Cis- „ montanæ Familiæ à S.D.N. deputatæ „ ab hæredibus, seu quibusvis aliis eo- „ rum debitoribus petere, minusve di- „ ctis hæredibus, seu debitoribus facere „ aliquas receputas pro dictis annuis „ præstationibus, nisi pro rata, & pecu- „ nia, seu eleemosynis supradicti cum „ effectu, ac verè, & realiter eisdem Fra- „ tribus data, vel soluta, seu datis, vel so- „ lutis, nec sub alia data, nisi sub ea, qua „ verè fuerit iisdem Patribus, aut aliis „ pro eis facta realis satisfactio; & insu- „ per ne Provisos Apostolicos pro tem- „ pore de Beneficiis, quibus legata su- „ pradicta fuerint applicata, vel eorum „ Procuratores, & Ministros super ere- „ ctione dd. legatorum directè, vel indi- „ rectè impedire vel molestare quovis „ quæsito colore, ve. prætextu audeant, „ vel præsumant. In quorum fidem, „ &c. Datum Romæ, &c. die 14. Fe- „ bruarii 1633.

Con-

*Constitutio Clem. X. confirmans Decretum S. Congr. in causa Turritana legatorum.*

„ 27. CLem. Papa X. Ad futuram, &c. Nuper pro parte dilecti Filii Syndici Apostolici Conventus S. Petri de Syrchis in Sardinia Ordinis S. Francisci de Obser. &c. Congregationi Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, &c. Episcoporum, & Regularium præpositæ exposito, quòd quondam Petrus Moros de Molinos in suo ultimo testamento, quod anno 1645. condiderat, diversa annua legata pro Missis per Fratres dicti Ordinis celebrandis fecerat, modo sequenti: *Primò, mando*, quòd meus hæres teneatur expendere pro confectione tumuli, & exequiarum quolibet anno lib. 25. pro una Missa cantata, & aliis sexdecim Missis pro Animabus meorum Parentum celebran. à Fratribus Franciscanis S. Petri de Syrchis, & pro hoc legato volo, quòd sint perpetuò obligata bona mea. *Item, volo*, quòd dictus meus hæres solvat ex dictis bonis meis quolibet anno lib. 40. quæ inserviant pro oleo lampadis meæ Capellæ majoris in dicta Ecclesia S. Petri. *Item relinquo* in perpetuum Missas septem qualibet hebdomada pro Animabus Purgatorii, &c. & eleemosyna sit septem solidorum pro qualibet Missa, &c. & proprietas illarum est 400. lib. quæ sit super domo mea, in qua habito. *Item relinquo* pro eleemosyna dicto Conventui S. Petri de Syrchis lib. 300. ut illæ applicari debeant per meos Curatores in loco securi ad rationem lib. 24. annuarum, & inserviant pro emendis linteaminibus pro pauperibus Fratribus infirmis. *Item*, quia D. Mater mea reliquit, ut dicantur duæ Missæ perpetuæ qualibet hebdomada à dictis Fratribus, mando, quod super bonis meis solvantur quolibet anno lib. 28. *Item*, quia D. Pater meus reliquit unam Missam perpetuam qualibet hebdomada celebrand. à dictis Fratribus, & reliquit pro eleemosyna censum lib. 150. debitum à Gavino Padnano, &c. quatenus perdiderint supradictum, mando, ut meus hæres solvat lib. 11. annuas, &c. & factis aliis pluribus legatis profanis, &c. instituit sibi hæredem Deum, & animam suam, mandans suis exequutoribus, ut adimpletis, & satisfactis legatis, instituerent unam tertiam dignitatem Archidiaconalem in Cathedrali Turritana, cum annuo redditu lib. 1000. & de residuo unum, vel plures Canonicatus secundùm capacitatem bonorum suorum, & aliàs, prout in dicto testamento dicitur uberius contineri.

„ Et subinde in executionem dicti testamenti unus Canonicatus, & unus Archidiaconatus in Ecclesia Turritana erecti fuerant, dictusque Archidiaconatus, ex dispositione ejusdem Petri testatoris collatus fuerat quondam Didaco Moros ejus Fratri Germano, exequutori testamentario, qui bona fide, dum in vivis erat, eadem legata pia adimpleri curaverat; verùm post ejus obitum de eodem Archidiaconatu provisus fuerat dilectus Carolus de

„ Capudoro, ad cujus favorem dile-
„ ctus filius Provicarius Generalis Tur-
„ ritanus, nesciebatur quo jure, decla-
„ raverat Fratres Minores prædictos le-
„ gatorum capaces tantùm, factorum
„ pro oleo lampadis, & linteaminibus in-
„ firmorum, & incapaces pro reliquis,
„ quæ Archidiacono prædicto adjudi-
„ caverat, prout in ejus sententia dicitur
„ contineri; unde dictus Syndicus, tam-
„ quam unus de Populo, pro suffragio
„ Animarum, pro quibus instituta fue-
„ runt dicta legata pia, & pro sua pietate
„ erga dictos Fratres de Observantia, qui
„ in magna necessitate propter eleemo-
„ synarum deficientiam in prædicta In-
„ sula Sardiniæ reperiebantur, prout ex
„ attestatione juratorum, & Officialis
„ Civitatis Turritanæ constare dicebа-
„ tur: Nobis humiliter supplicaverat, ut
„ omnimodum adimplementum legato-
„ rum, prædictorum Ven. Fratri Archie-
„ piscopo Turritano, non obstante præ-
„ dicta Pro Vicarii Generalis sententia,
„ committere de benignitate Apostoli-
„ ca dignaremur.

„ Instantia verò hujusmodi ad præ-
„ dictam Cardinalium Congregationem à
„ nobis remissa, & de mandato ipsius
„ Cong. citato dilecto etiam Filio Ale-
„ xandro Bulla supradicti Caroli de Ca-
„ pudoro Archidiaconi Procuratore,
„ Syndicus prædictus plurimùm cupie-
„ bat declarari, prædictos Fratres Mi-
„ nores de Observantia posse recipere
„ præinserta annua legata Missarum,
„ per modum puræ, & simplicis elee-
„ mosynæ, juxta doctrinam S. Bonaven-
„ turæ in quadam Constitutione fel. re-
„ cord. Urbani Papæ.

„ VIII. Prædecessoris nostri, cujus
„ initium; *Sacrosanctum Apostolatus*
„ *Ministerium*, *&c.* proinde debere
„ dictum Archiepiscopum Turritanum,
„ tamquam executorem ultimarum vo-
„ luntatum, & præcipuè piarum, cu-
„ rare omnimodum adimplementum
„ eorum legatorum, & voluntatis dicti
„ Petri Testatoris, compellendo hære-
„ des, & detentores bonorum ad satis-
„ factionem, ne animæ ejus Auctorum,
„ & Benefactorum suffragiis defraudatæ
„ remanerent. Emanavit ab eadem
„ Cardinalium Congregatione decre-
„ tum tenoris, qui sequitur. *Sac. Con-*
„ *greg EE. S. R. E. Card. negotiis, & con-*
„ *sultationibus Episcoporum, & Re-*
„ *gularium præposita, Procuratore*
„ *Archidiaconi Turritani sæpiùs cita-*
„ *to, referente Eminent. D. Cardinali*
„ *Portocarero, decrevit esse dandas de-*
„ *clarationes sæpè aliàs factas, videlicet*
„ *Fratres Minores de Observantia non*
„ *posse possidere census, & bona stabi-*
„ *lia, posse tamen recipere per viam e-*
„ *leemosyna quidquid eis traditur ab*
„ *exequutoribus ultimarum voluntа-*
„ *tum pro celebratione Missarum, &*
„ *Anniversariorum, & propterea cen-*
„ *suit committendum, prout præsentis*
„ *decreti tenore committit Archiepisco-*
„ *po Turritano, ut ad limites præfixa*
„ *declarationis in causa, de qua supra*
„ *agitur, procedat, & ad illius obser-*
„ *vantiam quantum opus fuerit, juris*
„ *remediis, & in subsidium, etiam*
„ *censuris Ecclesiasticis compellat. Ro-*
„ *mæ 3. Augusti 1674. Card. Brancа-*
„ *cius.*

Loc † Sigilli.

Cùm

„ Cùm autem ſicut dictus Syndicus
„ Nobis ſubinde exponi fecit, ut decre-
„ tum hujuſmodi firmiùs ſubſiſtat, &
„ obſervetur exactius, Apoſtolicæ No-
„ ſtræ confirmationis patrocinio com-
„ muniri ſummoperè deſideret. Nos ip-
„ ſum Syndicum, &c. abſolventes, &c.
„ Supplicationibus ejus inclinati, &c.
„ Decretum præinſertum Authoritate
„ Apoſtolica tenore præſentium appro-
„ bamus, & confirmamus, illique in-
„ violabilis Apoſtolicæ firmitatis robur
„ adjicimus, &c. ſicque in præmiſſis per
„ quoſcumque Judices, &c. irritum,
„ &c. Dat. Romæ apud S. Mariam Majo-
„ rem die 22. Auguſti 1674. Pontificatus
„ noſtri anno quarto, &c.

„ 28. *Decretum Sac. Congreg. Epiſcop.*
„ *& Reg. in una Lucana ſub die 26.*
„ *Martii* 1677. *ut in Regeſto ejuſdem:*
„ *Oſſervanti di Lucca.* Sacr. Congreg.
„ &c. Sæpius declaravit Fratres Min. de
„ Obſerv. S. Franciſci, quamvis attenta
„ diſpoſitione, *Exivi de Paradiſo* Cle-
„ ment. V. & conſtitut. Nicolai III. *Exiit,*
„ ſint incapaces obtinendi cenſus perpe-
„ tuos, & bona ſtabilia, poſſe tamen
„ per viam puræ, & ſimplicis eleemoſy-
„ næ recipere quidquid ab executori-
„ bus ultimarum voluntatum eis tradi-
„ tur, pro celebratione Miſſarum, pro
„ ornamento Eccleſiæ, aliiſque neceſ-
„ ſariis procurandis juxta doctrinam D.
„ Bonaventuræ relatam in Conſt. S. M.
„ Urbani VIII. incipiente, *Sacroſan-*
„ *ctum Apoſtolatus Miniſterium*; at-
„ que in præfatis caſibus dictos executo-
„ res ultimarum voluntatum curare de-
„ bere, ut hujuſmodi piæ diſpoſitiones
„ adimpleantur, ne Teſtatorum Animæ
„ debitis ſuffragiis defraudatæ remaner
„ ant; quam quidem declarationem,
„ illiuſque tenorem in caſu, de quo a-
„ gitur, eadem Sac. Congreg. ſervari
„ præcipit, committendo Ordinario
„ Lucenſi, pro tempore exiſtenti, ut
„ quatenus alius Executor non exiſtat,
„ prænarratam pii Teſtatoris diſpoſitio-
„ nem executioni demandet, &c.

„ *Decretum Sacræ Congregationis*
„ *Fabr. editum* 15. *Decembr.* 1646.
„ *ad providendum indemnitati Fra-*
„ *trum in annuis legatis, & occur-*
„ *rendum hæredum, vel executorum*
„ *malitiæ.*

„ 29. Sac. Congr. Generalis R. Fabr. S.
„ Petri de Urbe ad conſulendum non
„ minus indemnitati Fratrum Ord. Min.
„ de Obſerv. S. Franciſci, quàm provi-
„ dendum malitiæ hæredum, & alio-
„ rum, quomodolibet obligatorum, qui
„ differunt ultra bienñium illis ſolvere
„ annua legata pia cum oneribus Miſſa-
„ rum, ſeù Officiorum, vel etiam gra-
„ tis, dictis Fratribus, ſeù eorum Ec-
„ cleſiis relicta, ac in futurum relin-
„ quenda, ſub ſpe poſteà ſuper illis pro
„ minori ſummæ ſe componendi cum
„ Commiſſariis, & aliis R. Fabr. Mini-
„ ſtris, & Officialibus, prohibuit, &
„ expreſsè mandavit Commiſſariis, Æ-
„ conomis, Secretariis, & aliis qui-
„ buſcumque Officialibus, & Miniſtris
„ R. Fabr. præſentibus, & futuris, tam
„ Urbis, & Status Eccleſiaſtici, quàm
„ Regni Neapolis, & aliorum quorum-
„ cumque Locorum, ſub pœnis arbitrio
„ ejuſdem Sacr. Congreg. ne de cætero
„ cum hæredibus, vel aliis quomodoli-
„ bet obligatis ad ſolutionem dictorum

Lega-

„ Legatorum, ad aliquam compositio-
„ nem, remissionem, vel transactionem
„ deveniant, sed ab aliis omnes annatas
„ supra biennium decursas, & non so-
„ lutas, integraliter exigant, & exige-
„ re faciant in beneficium dictæ R. Fabr.
„ sine relaxatione alicujus minimæ por-
„ tionis, seù quantitatis, servato in
„ reliquis tenore Decreti in hac mate-
„ ria ab eadem Sac. Cong. editi *sub die*
„ 14. *Februar.* 1633. & compositiones,
„ &c. eo ipso nullas, & irritas esse de-
„ crevit, mandans, &c.

*Epistola Sac. Congr. R. Fabr. concernens capacitatem Fr. Minor. de Obser. circa Legata.*

„ 30. MOlto Reverendo mio Ama-
„ tissimo. Hà fatto rappre-
„ sentare à questa Sacra Congregatione
„ della Fabrica il P. Commissario di Cor-
„ te della Religione de Minori Osser-
„ vanti di S. Francesco, come la Q. Bar-
„ tolomea Ginchelli da Ancona lasciò
„ al Convento di detta Città annui scu-
„ di cinque, perche li celebrino un'Of-
„ ficio con 30. Messe; ne, che li Eredi
„ ricusano pagarglieli, sotto pretesto
„ della loro incapacità: Questa Sacr.
„ Congregatione altre volte dichiarò
„ detti Frati capaci per modum elee-
„ mosynæ: *però provederete il Legato*
„ *si eseguisca, ne sotto il detto pretesto*
„ *li Eredi ritardino il pagamento.* Go-
„ vernandovi conforme al Decreto fat-
„ to in questa materia, e conservatevi:
„ *Roma* 31. *Decembre* 1634. Tutto vo-
„ stro: il Cardinal Lante. Andrea Ghet-
„ ti Economo.

*Alia ejusdem Epistola.*

„ 31. MOlto R. mio Amatissimo.
„ Per parte delli Frati Min.
„ Osserv. di S. Francesco d'Offida, è stato
„ rappresentato à questa Sac. Congrega-
„ tione, che il Capitano Alfonso Paoli-
„ ni per il bisogno, che tenevano d'au-
„ gumentare il loro orto, gli lasciò cer-
„ to sito à quello contiguo, con peso d'
„ una Messa la settimana. E perche i
„ detti Padri è permesso ritenere simi-
„ li orti per gli herbaggi necessari: non
„ solo non li proibirete, ma operarete
„ ancora con la vostra autorità, che
„ detti Padri godano il beneficio di det-
„ to Legato, facendogli dalli Eredi con-
„ segnare detto Orto lasciatoli, e con-
„ servatevi. *Roma li* 2. *Novemb.* 1641.
„ Tutto vostro: il Cardinal Lante. An-
„ drea Ghetti Economo apud Pitonium
„ *cit. num.* 142.

*Decretum S. C. Conc. in Faventina legatorum.*

„ 32. IN assignatione bonorum facta
„ per Constantiam Severolam,
„ *anno* 1657. ad effectum fundandi in
„ Terra Mutilianæ, vel beneficium Ec-
„ clesiasticum, vel Monasterium Monia-
„ lium, tria onera Fundatrix imposuit.
„ Primum, annuæ præstationis, lib. 100.
„ olei pro manutentione lampadis ante
„ sacras Reliquias in Ecclesia Patrum
„ Capuccinorum dictæ Terræ. Secun-
„ dum, lib. 25. Ceræ albæ pro usu ejus-
„ dem Ecclesiæ. Et tertium denique,
„ unius ferculi valoris solidorum 20. ip-

„ sis PP. Capuccinis per singulas hebdo-
„ madas subministrandi.
„ Secuta de anno 1686. Monasterii fun-
„ datione, recusarunt Moniales submi-
„ nistrare dd. præstationes, sub prætextu
„ omnimodæ incapacitatis Frat. Capuc-
„ cinorum. Quare ad instantiam Ale-
„ xandri Ronconi, tamquam unius de
„ Populo, citatis, & informantibus,
„ quoque Monialibus, declarari humi-
„ liter supplicatur.
„ 1. An Monasterium Monialium tene-
„ atur subministrare singulis annis di-
„ ctas libras centum olei, & 25. ceræ albæ
„ pro usu Ecclesiæ Frat. Capuccinorum?
„ 2. An similiter teneantur præstare
„ singulis hebdomadis supradictum fer-
„ culum bononenorum 20. pro ipsis Ca-
„ puccinis?
„ Die 2. Martii 1697. S. Cong. C. ad pri-
„ mum respondit affirmativè.
„ Ad secundùm, servanda esse decreta
„ Congreg. Fabricæ *die* 14. *Febr.* 1633.
„ supra *num.* 26. apud Pitonium *cit. nu-*
„ *mer.* 175.

33. Denique, ponderandum Fratres Min. non posse in fundatione Conventuum pacisci, & convenire cum Fundatoribus pro annua solutione pecuniæ ad emendam pitantiam, vel pro frumento, vino, & similibus, quia debent ex mendicato vivere; præfata autem ipsorum mendicitati repugnant, & contra Regulam, ac prætactas Regulæ declarationes recipiuntur, & in pactum deducuntur; nam accedunt ad naturam annui redditus, quorum ipsi incapaces sunt. Quod, si Fundatores velint sponte aliquid ipsis conferre, possunt id per viam simplicis eleemosynæ recipere juxta superiùs dicta; sed caveant, ne id in pactum deducant; nam nulla esset pactio, & conventio contra Regulæ puritatem celebrata, cùm incapaces sint, vel se obligandi civiliter erga alios, vel terminandi obligationem civilem in aliis fundatam ad ipsos; quinimmò etiam, quando Fundatores vellent ex sua libera voluntate aliquid dare, vel legare, semper esset ab ipsis præmittenda protestatio, de qua supra sub *num.* 13.

34. Item, dd. FF. vel pro eis Syndicum non posse institui hæredes, etiam hac lege, ut bona hæreditatis vendant, & pretium erogetur in reparationem Ecclesiæ, Capellæ, sacrarum supellectilium, &c. ut probat Fagnan. *ad cit. cap. nimis prava num.* 33. & ego dixi *cit. cap. Offic. Curiæ num.* 18. ratio est, quia est eorum statui repugnans; maximè, quia sic instituti, non desinunt esse hæredes, consequenter tenentur ad omnia jura, & onera defuncti; & sic quomodo consultum esset creditoribus? Quis teneretur de evictione, si bona hæreditatis distracta evincerentur, aut alia impleret, quæ ab hæredibus præstari oportet? Non ipsi Fratres, qui non possunt actione personali conveniri, quorum inopia omnem actionem excludit, & reddit inanem, & quibus Clement. *cit.* §. *Amplius, similibus actionibus se immiscere prohibetur, ut per hoc scandalum proximorum evitetur, & puritati satisfaciant sui voti:* ut ibi expresse textus. Lege, quæ dixi *cap.* 30. *Offic. Cur. Ecclesiast.*

# CAPUT XXXIII.

## *Prop. XLIV. ab Alex. VII. &c. Praxis quoad absolutionem à censuris.*

1. PROP. 44. *Quoad forum conscientiæ, reo correcto, ejusque contumacia cessante, cessant censuræ.*

Est communis sententia DD. nullum à censura incursa liberari, nisi absolutione data ab eo, qui ad id jurisdictione, vel ordinaria, aut delegata non caret; nam finis censuræ (quæ utique est pœna, sed medicinalis, ex cap. Cùm medicinali *de sent. excom. in* 6.) est peccantem corrigere, & emendare; ergo non debet censuratus absolvi, nisi emendatus à contumacia legis recedat, & Ecclesiæ satisfaciat; idque Superiori notum esse debet, contra Auctores propositionis; occasione cujus hìc pro praxi absolutionis à censuris aliqua aperiam.

2. Quæritur, *quid sit censura?*

Resp. Est *pœna spiritualis inflicta ab Ecclesiastica potestate, privans hominem baptizatum usu aliquorum bonorum spiritualium, donec à contumacia recedat, vel ad ejus correctionem.*

3. Quæritur, *quotuplex sit censura?*

Resp. Triplex, *ex cap. Quærenti de verb. signif.* excommunicatio, suspensio, & interdictum.

Interdictum *est censura Ecclesiastica in locum, vel personam lata, prohibens usum quorumdam Sacramentorum, divina officia, & sepulturam interdictis ministrari.* Aliud est locale, cum interdicitur locus, ne in eo prædicta exerceantur; aliud personale, cùm interdicitur persona, ne in eis ad præfata admittatur; & aliud mixtum, cùm locus simul, & personæ interdicuntur.

4. Sacramenta prohibita in interdicto. Vide apud Piasec. *prax. cap. 4. art. 11. & in cap. quod in te de pœnit. cap. permittimus de sent. excommunic. & capit. alma mater eo tit. in* 6.

5. Suspensio, est censura, *qua Ecclesiasticæ personæ inhibetur exercitium sui officii, Ordinis, seù jurisdictionis Ecclesiasticæ in totum, vel in partem, ob culpam, & contumaciam; in totum*, tunc contingit, quando non modò functiones ordinis prohibentur, ut administrare Sacramenta, celebrare Missam, eique ministrare, sed & functiones jurisdictionis, ut absolvere à peccatis, censuris, conferre beneficia, ac perceptiones reddituum provenientium ex beneficio, *&c. in partem* verò, cum unus, vel alter spiritualis officii actus prohibetur, ut, si Sacerdos ab audiendis Confessionibus, vel à celebratione Missæ suspendatur; & quia effectus suspensionis non sunt connexi inter se, sed in potestate suspendentis, suspensus à celebratione, ex vi hujus, non intelligitur suspensus ab audiendis Confessionibus, si sit approbatus.

6. Excommunicatio est censura, *per quam homo baptizatus ab Ecclesiæ communione separatur*; & est duplex, Minor, & Major.

7. Minor est censura, quæ privat solùm passiva Sacramentorum receptione, cap. *si quem de sent. excom. & cap. à nobis de exceptionibus*; unde, si excommunicatus excommunicatione minori ante absolutionem aliquod Sacramentum recipiat, mortaliter peccat, ita DD. communi-

muniter, sicut mortaliter delinquit, si celebrat, sed non fit irregularis cap. *si celebrat de Cleric. excom. ministran.* dum verò Sacramenta ministrat, si sine necessitate faciat, delinquit venialiter ex alleg. cap.

8. Quæritur, *quando incurratur excommunicatio minor?*

Resp. Cùm quis in vetitis communicat, & participat cum excommunicato majori excommunicatione cap. *Constitutionem de sent. excomm. in* 6. verùm is debet esse non toleratus, hoc est, denunciatus, vel declaratus, aut notorius Clerici percussor Piasec. *cit. art.* 13. *num.* 23.

9. Casus, in quibus est vetitum cum eo communicare, referuntur cap. *nuper de sent. excom.* & isto comprehenduntur carmine

*Os, orare, vale, communio, mensa negatur.*

*Os*, significat osculum, collocutionem, etiam per nutus, literas, & interpositam personam: signa amicitiæ, munera recipere, mittere, & similia.

*Orare*, cum eo divinis officiis interesse; pro eo publica oratione orare; in privata non est prohibitum.

*Vale*, salutationem, verbo, facto, vel signo, ut aperire caput, dare locum decentiorem, &c.

*Communio*, commercium in eodem negocio, cohabitationem in eadem domo, societatem in eodem itinere; excommunicatus majori excommunicatione privatur communicatione forensi, & sic non potest esse Judex, Testis, Advocatus, Tabellio, Procurator, Tutor, Curator, &c.

*Mensa*, convictum in eadem mensa, & convivio; undè, si cœpta mensa excommunicatus superveniat, teneris discedere.

10. Dantur causæ, propter quas licet communicare cum excommunicato non tolerato, & sequenti exprimuntur versiculo.

*Utile, lex, humile, res ignorata, necesse.*

*Utile*, significat utilitatem communicantis; in civilibus potest quis petere solutionem debiti, à Medico medicinam, consilium à Doctore, necessaria ad victum emere à Mercatore, excommunicatis; quando hæc æquè bene non possint haberi ab alio, non sic excommunicato.

*Lex*, nimirum matrimonii, operatur, ut uxor possit communicare cum Marito excommunicato, cap. *Quoniam* 11. *qu.* 3. tam, quoad debitum conjugale, quàm curam domus, & mensam; idem dicitur de viro respectu uxoris, quàm tamen debet cogere ad petendam absolutionem, si possit.

*Humile*, significat hominem subjectum posse participare cum excommunicato, ut servus cum Hero, Religiosus cum suo Prælato, cum Episcopo Clericus, qui sit de ejus familia, Miles cum Duce, filius, vel naturalis, sivè legitimus, & emancipatus cum Patre.

*Res ignorata*, significat ignorantiam, sivè juris, quod scilicet non sit prohibitum communicare cum excommunicatis; sivè facti, quod quis non sit excommunicatus; quæ (modò affectata non sit) excusat cit. cap. *Quoniam*; & si quis dubitat, tenetur veritatem inquirere, & interim abstinere, sicut, si quis sciret

Petrum hìc Romæ esse publicè denunciatum excommunicatum, non teneretur eum Venetiis, ubi nil de tali excommunicatione scitur, in publico vitare, benè verò privatim.

*Necesse*, significat magnam, & urgentem necessitatem, vel excommunicati, vel participantis, cap. *inter alia*, cap. *si verè de sent. excom.*

11. Major est censura *Ecclesiastica separans hominem baptizatum ab externa communicatione fidelium, tam in civilibus, quàm in divinis; & privans communibus, ac publicis Ecclesiæ suffragiis, ut Missa, Indulgentiis, recitatione publica horarum, & cæteris publicis spiritualibus exercitiis, eorumque fructu, excepta concione.* DD. communiter.

12. Quæritur, *an irregularitas sit censura?*

Resp. Conveniunt DD. illam ex defectu non esse; dubitant de illa ex delicto, sed communior negat, etiam de ista Bonac. aliique, & patet, ex ipsius definitione, in qua dicitur, quod est *inhabilitas, seù impedimentum canonicè introductum ad suscipiendos Ecclesiasticos Ordines, vel ad ministrandum iniam susceptis*: & non dicitur pœna. In solis casibus in jure expressis incurritur, DD. communiter. Incurritur, dum Clericus censura affectus solemniter, vel ex officio ministrat in ordine Sacro, quem habet, vel quem non habet, exercet, aut aquam benedicat, vel solemniter baptizet sine licentia, Diaconus celebret, prout videre est *tit. de Cleric. excom. ministran. & cap. 1. & 2. de Cleric. non ordinato cap. it. cum æterni de sent. & re jud. in 6. cap. is de pœnit. & remiss. in 6*, Layman. Bonacc. & De la Cruz *artic. 1. de cens. in com. dub. 2. conc. 2.*

13. Irregularitas à censuris per De la Cruz ibid. distinguitur, quia per irregularitatem arcemur directè, & immediatè ab Ordinibus, ut Ordines sunt, sed non ut Sacramenta, nec fructu orationum Fidelium privamur; per Excommunicationem verò ab eis immediatè, & directè arcemur, ut sunt Sacramenta, & communicatio cum fidelibus; per Suspensionem, ut sunt officia Ecclesiastica, & per Interdictum, ut res spirituales.

14. Quæritur, *quænam differentia sit inter censuram latam ab jure, & latam ab homine?*

Resp. Hæc, quia illa ab jure (quæ etiam dicitur censura in canone contenta) est perpetua, & fertur à Legislatore cum intentione condendi legem, & statutum perpetuum; quod statutum nec morte ferentis, nec officii depositione extinguitur; illa verò ab homine non est perpetua, & fertur per legem, seù præceptum Superioris, quod solùm durat, dum perseverat ejus jurisdictio. Verùm utraque incursa durat, quousque relaxetur, nam jure communi cavetur, ut nemo liberetur à censura incursa sine absolutione.

Utraque, & est latæ, & ferendæ sententiæ: illa latæ sententiæ, statim ante Judicis condemnantis sententiam incurritur, per verba significantia non solùm comminationem in futurum, sed actionem inflictivam censuræ, ut jam existentis: ut, *ipso facto, ipso jure excommunicetur: excommunicamus, volumus, vel declaramus esse excommunicatum: absque ulla alia declaratione: cæterùm,*

terùm, ut quis in foro externo sit excommunicatus, exigitur declaratio delicti, hoc est, constare debet delictum, ob quod censura incurritur; fuisse pattatum. Illa verò ferendæ sententiæ, est, quando Superior, vel Legislator utitur verbis dubiis, vel significantibus censuram imponendam de futuro, *ut prohibemus sub censura, noveris te incursurum censuram, volumus excommunicari, &c.* vide DD. & sufficiat hæc de censurisin communi notasse, modò ad praxim.

15. Quæritur. *An quivis Sacerdos possit absolvere ab excommunicatione minori?*

Resp. Affirmativa sententia fuit olim communis propter facultatem, quam quivis Sacerdos prætendebat in venialia, propterque ipsa incurritur; sed est falsum, quemlibet Sacerdotem posse à venialibus absolvere ex dictis *cap. 9. nu.* 11. ergo ad absolvendum in foro Sacramentali debet esse approbatus ab Ordinario.

16. Quæritur. *Quinam possit absolvere ab excommunicatione majori?*

Resp. Si non sit reservata, nec ab homine lata, potest quilibet Sacerdos approbatus; nam, dum lator excommunicationem sibi non reservavit, videtur concessisse facultatem aliis habilibus absolvendi. *cap. Nuper de sent. excom.* ut infr. *nu.* 68. A lata ab homine, & à reservata debet absolvere, vel is, qui eam tulit, vel alius, cui ipse commiserit. cap. *cum ab Ecclesiarum de off. ord.* etiam si excommunicatus domicilium extra territorium excommunicantis mutet: excipitur mortis articulus.

17. Quæritur. *An, cum conceditur facultas absolvendi à censuris, Papæ reservatis, possit absolvi ab illis contentis in Bulla Cœnæ, quando non est facta mentio Bullæ.*

Resp. Negativè, quia in concessione generali non comprehenduntur casus Bullæ propter eorum specialem reservationem. Papæ enim aliæ reservantur censuræ, videndæ in consist. Apostolicis, & ideò rescriptum verificatur, licèt non extendatur ad illas Bullæ.

Praxim Confessoris cum infirmo ligato censura Bullæ Cœnæ, hæresis, vel alia reservata legas *cap. 2. nu.* 15. *& cap. 3. nu. 7.*

18. Quæritur. *An possit absolvi ab ordinario Confessario, approbato, qui in Clericum, vel Monachum manus violentas injecerit?*

Resp. Negativè, nam innodatur excommunicatione Papæ reservata, quæ incurritur ob violentam injectionem manuum in Clericum, cap. *si quis suadente, &c. in Clericum, vel Monachum* 17. *qu.* 4. & est casus eidem reservatus ex decreto Clement. VIII. prout supra *cap. 8. §. 4.* ibi videas.

19. Sed quid, *si quis propinaret Clerico venenum & Clericus sumeret?*

Resp. Non potest absolvi, quia censura ligatur, ita Sperel. *dec. 20.* ratio est, quia maxima offensio, & violentia resultat ex propinatione veneni, statim enim, ac venenum hausum est, operatur ad mortem, licèt statim non sequatur, vide *tom. 1. off. Curiæ cap. 23.*

20. Sed quid, *si ex odio in Clericum, vel Monachum mortuum manus violentas injiciat?*

Resp. Sperellus decis. 21. probat esse excommunicatum, ex quo privilegio Canonis gaudeant in memoriam pristinæ dignitatis; ponderavit enim Felinus Privilegium Canonis non esse datum ratione Ordinis præcisè, cum sit etiam datum Conversis, Laicis Religiosis, & Novitiis, cap. *non dubium de sent. excom.* & ideò absolvi non potest; propter quod ego ibid. ad Sperellum accessi. Sed id non placet Fagnan. *in 5. cap. à nobis il secondo de sent. excom. nu. 29.* nam *Canon. si quis suadente*, loquitur de Clericis, corpus autem mortuum non est Clericus, quia characterem non habet, quod non corpori, sed animæ imprimitur; & sicut præcidens caput mortui, non fit irregularis, quia cadaver mortuum non est homo; sic in casu, quia corpus mortuum non est Clericus, excommunicationem ipsam non incurrit. Nec obstat, quod privilegium Canonis sit datum, etiam Conversis, & Novitiis non ordinatis, quoniam datur eis, dum vivunt, non autem post mortem; utraque sententia est probabilis, secunda tamen mihi magis placet, & ideò retracto dicta *offic. curiæ capit. 23. numero 31.* verùm percutiens semper peccat.

21. Sed quid, *si explodens sclopum in Clericum, non ex pila, sed ex strepitu territus, Clericus decedat?*

Resp. Est excommunicatus, & non potest absolvi, quia hæc actio censetur injuriosa, & violenta in Clericum, clamor enim sclopi tangit ipsum, & violentiam majorem ei non potest inferre. Bonacc. *de cens. disp. 1. quæst. 4. punct. 1. §. 1. nu. 12.*

22. Quæritur, *An possit absolvi, qui percutit Clericum consentientem percussioni?*

Resp. Negativè, quia est excommunicatus, cum injuriam inferat Ordini Clericali, in cujus favorem, & non solum Clerici ordinati, Canon fuit promulgatus, cap. *contigit il primo de sent. excommun.* immò, & ipse Clericus consentiens excommunicatur, quia injuriam infert statui Clericali.

23. Quæritur. *An possit absolvi, qui Clericum, vel Monachum invenit cum matre, sorore, & propria filia, venerem, vel impudicos amplexus exercentem, aut in loco suspecti consortii, & percutit, vel occidit?*

Resp. Affirmativè, quia, licèt mortaliter peccet, non censetur excommunicatus, cap. *si verò il 1. de sent. excom.* modò ex dolo, & fraude Clericus ad dictas personas non invitetur, ut deprehensus ibid. lædatur; verùm censura ligatur, si statim non percutiat, aut occidat, sed interposito temporis spatio, quo justus dolor sedari posset; vel, si cum aliis consanguineis reperiat peccantem, ut ibi in terminis textus.

24. Sed quid, *de famina honesta, qua Clericum, vel Religiosum ad turpia provocantem percutit?*

Resp. Si alia via, ut fugiendo, vociferando, vel alio modo se tueri non possit, & provocatio fiat facto, & non solo verbo, ab excommunicatione excusatur. Toletus, & Diana cum Navarro, & sic absolvi potest.

25. Quæritur. *An absolvi possit, qui vim vi repellendo percutit, vel occidit Clericum, vel Religiosum injustum aggressorem?*

Resp.

Resp. Affirmativè, quia excommunicatione non ligatur *ex alleg. cap. si verò, & cap. ex tenore*, modò cum moderamine inculpatæ tutelæ, sic scilicet, ut non ad vindictam sumendam, sed ad injuriam propulsandam, & se defendendo percussio, vel occisio sequatur, juxta dicta *cap. 13. num 11.*

26. Quæritur. *An possit absolvi mandans Clerici percussionem?*

Resp. Negativè, quia effectu sequuto, excommunicatione innodatur, cap. *Mulieres, §. Illi verò tit. cit.* nec obstat, si mandatum revocaverit, nisi curaverit notitiam de revocatione ad mandatarium pervenire, priusquam occidat, vel percutiat. Idem valet de Sociante homicidam animo occidendi, cap. *sicut il. 1. de homicid. §. autem*, & de non impediente, qui tenetur impedire, ut Reges, Judices, Superiores, Patres, Majores, Heri, Parochi, & similes respectu filiorum, & subditorum, quorum cura ipsis data est, cap. *quantæ de sent. excom.* Bonac. *disp. 3. q. 4. quæres 1. num. 9.* & de ratum habente, cum ad eum pervenerit Clericum suo nomine fuisse percussum, licet percutienti non commiserit cap. *cum quis de sent. excom. in 6.* quia, ut ibi textus *ratihabitio retro trahitur, & mandato debet comparari*: super quo Gloss. *ver. Titius, notat:* ratihabitionem trahi retro, & operari idem, ac si in principio actus intervenisset: secus dicendum, si rata habeatur percussio, non suo nomine facta, licet graviter peccet.

27. Sed quid, *de eo, qui consulit Clerici percussionem, & postea revocat consilium, sed adhuc consultus ad percussionem procedit?*

Resp. Mihi satis probabilis est solum Layman. *lib. 1. tract. 5. par. 2. cap. 5. à nu. 7.* ubi hæc sunt: qui alteri, propositis rationibus, homicidium Clerici persuasit, si eas postea serio, & quatenus potest efficaciter retractet, non incurrit excommunicationem, quamvis postea homicidium sequatur; ratio est, quia quilibet prudens certè præsumet, quod, cum sit persuasus contrariis rationibus, præponderantibus jam datis, homicidium postea sequutum non consulentis consilio, & suasioni, sed propriæ malitiæ, quæ dissuasionem, serio oblatam noluit acceptare, debeat adscribi.

28. Quæritur. *An Comes triremium, vulgo* Aguzzino de Galera, *incurrat excommunicationem Canonis, percutiendo Clericos, & Religiosos Galeotas?*

Resp. Negativè, modò percutiat, sicut cæteros remigantes: secus si ob alias causas, sicut alius quilibet, qui rixando illos percuteret, Sum. Leand. ver. degradat. *num. 3.* Bonac. *disp. 2. qu. 4. punct. 3. num. 4.*

29. Sed quid, *de Magistro, & Superiore, qui causa disciplinæ, & correctionis Clericum, & Religiosum percutiunt?*

Resp. Non incurrunt excommunicationem, quia id non suadente diabolo, sed suadente justitia, charitate, & zelo Dei, ac disciplinæ efficiunt, cap. *ex tenore, & cap. cum voluntate de sent. excom.* modò castigatio non exirato animo procedat, ex Gloss. *ver. inferiorum graduum*, & sit moderata, ac sine notabili excessu, aliàs censura non evitabitur.

Verum, si Magister, &c. sit Laicus, possunt tantùm causa disciplinæ percutere filios, & subditos in Minoribus

bus constitutos, ut expresè alleg. *cap. cum voluntate*; indecens enim est statui Clericali, Laicis concedere potestatem corrigendi Clericos in Saeris; & hinc, nec ipsi Prælati possunt per Laicos, Clericos, vel Monachos punire; alias, tam mandans, quàm Mandatarius censura ligatur *cap. universalitatis cit. tit.*

30. Quæritur. *An occidens Clericum, quem putabat esse feram, vel hominem laicum, incurrat excommunicationem Canonis?*

Resp. Negativè, ratio est, quia probabilis ignorantia facti excusat à censura, ex cap. *si verò il* 2. *de sent. excom.* nam; qui ignorans est, non potest dici contumax contra prohibitionem Ecclesiæ, & legem contemnere, modò ignorantia non sit crassa, sed sit invincibilis, vel probabilis vid. *lib.* 2. *cap.* 39. *num.* 2.

31. Sed quid, *si percutiens Clericum, quam dubitat esse Clericum, nullam, vel modicam adhibuit diligentiam ad se certiorandum, an esset Clericus?*

Resp. Ligatur excommunicatione, nam iste laborat ignorantia crassa, & vincibili, quæ ab excommunicatione non excusat. *Bonacc. disp.* 1. *qu.* 2. *punct.* 1. *num.* 18. & Engel. *jus can. lib.* 5. *tit.* 39. §. 1. *num.* 10.

32. Quæritur. *An procurans baculo, vel lapide Titium Clericum percutere, si casu, & errore manus offendat Cajum Clericum, excommunicatione ligetur?*

Resp. Negativè, ratio est, quia in eo non fuit intentio nocendi Cajo, &, quod ipsi nocuerit, fuit præter intentionem; modò diligentiam adhibuerit, ne ictus pervenerit ad Cajum, vel sufficienter inquisierit, an ille, qui errore manus percutitur, esset Clericus, & cognoverit non esse. Engel. *cit.* & ex Suarez, Bonac, *num.* 19.

33. Sed quid de eo, *qui nocte volens percutere Titium Clericum, percutit Sempronium Clericum, quem ex incessu cognovit esse Clericum, putat tamen esse Titium, & non Sempronium?*

Resp. Ligatur excommunicatione, ac si Titium percussisset, quia ejus intentio fuit Clericum percutere, & defacto percussit, quamvis in persona erraverit, & hinc tam intentio, quam opus externum fuerunt injuriosa statui Clericali; in cujus reverentiam imposita fuit excommunicatio.

34. Quæritur. *An percutiens Laicum credens percutere Clericum, & ex percussione ipsius incurri excommunicationem, excommunicatione ligetur?*

Resp. Negativè, ratio est, quia id in jure non exprimitur; nec erronea conscientia inducit excommunicationem, sed legitimus Superior. Adverte, quod in casu peccaret peccato Sacrilegii interni, propter intentionem contra personam Clerici, non verò Sacrilegio externo, quia opus externum non foret contra Clericum.

35. Quæritur. *An percutiens plures Clericos, successivè, plures incurrat excommunicationes Canonis?*

Resp. Affirmativè; tot incurrit, quot Clericos percutit; ratio est, quia percussiones sunt plures formaliter, & numero distinctæ, sicut sunt plura numero distincta objecta, & plures Clerici, Bonac. *disp.* 1. *qu.* 1. *punct.* 5. *num.* 6.

36. Sed quid, *si simul, & eodem tempore*

*pore uno ictu tres Clericos percutiat, vel occidat?*

Resp. Tres excommunicationes incurrit; hæc est sententia tutior, quam tuentur Navarrus, Zerola, Sayrus, Ugolinus, aliique; ratio est, quia pluralitas peccatorum sumitur, etiam ex multiplicitate personarum, & objectorum; sed in casu sunt tres Clerici, quibus omnibus injuria, & læsio infertur, ergo tria peccata, ergo tres censuræ, sicut tres percussiones passivæ.

37. Sed quid, *si eumdem Clericum pluribus verberibus percutiat, & pluribus ictibus perfodiat?*

Resp. Si eodem impetu iræ simul, & sine interruptione verberat, unam tantummodò excommunicationem incurrit, ratio est, quia censetur una tantùm actio moralis, una percussio, una transgressio, unum delictum; si verò verberet successivè cum morali interruptione unius percussionis ab altera, tot censuras incurrit, quot sunt percussiones numero distinctæ moraliter interruptæ: nam toties injuria Clerico irrogatur.

38. Quæritur. *An percutiens Monachum Primæ Tonsuræ initiatum duplici censura ligetur?*

Resp. Affirmativè, ratio est, quia in Monacho sunt duæ circumstantiæ mutantes speciem, nam illa Monachi differt specie ab illa Clerici, cum alia ratione ei debeatur reverentia, ut Clerico, & alia, ut Religioso, ideò quamvis sit una percussio materialiter, & entitativè, formaliter tamen sunt plura peccata, & transgressiones.

39. Quæritur. *An possit quilibet Confessarius, approbatus ab Ordinario, absolvere excommunicatum propter percussionem Clerici, in casu aliquo necessitatis, qui non sit articulus mortis, ut, si propter aliquod legitimum impedimentum non posset Sedem Apostolicam pro absolutione adire; puta, si foret famina, senex, puer, impubes, infirmus longa infirmitate, non periculoso, Cæcus, Claudus, Debilis qui ad tale iter suscipiendum impediti censentur juxta cap. ea noscitur, cap. Nuper, cap. Mulieres, cap. de Monialibus, capit. Quamvis de sentent. excommunic.*

Resp. Negativè, nam prohibetur in dec. Clement. VIII. per dicta *cap.* 8. *nn.* 20. In casu veri impedimenti adeundi Sedem Apostolicam instruantur de recursu ad Sacram Pœnitentiariam per Epistolam, vel Procuratorem pro absolutione obtinenda.

40. Quæritur. *Quid ab absolvendo ab excommunicatione reservata ante absolutionem sit exigendum?*

Resp. De hac re diximus *cap.* 2. *num.* 15. legas *cap. ex tenore de sent. excom. & cap super de raptor.*

41. At dubitatur. *An valida sit absolutio, qua datur excommunicato, antequam parti læsæ sit satisfactum, vel priusquam juramentum sit præstitum de parendo in posterum mandatis Ecclesiæ?*

Resp. Affirmativè, *ex cap. Venerabilibus de sent. excom. in 6. §. Sanè in fine*; excipitur casus Bullæ Cœnæ juxta notata, *cap.* 3. *num.* 26. Sed Confessarius peccat, quia in re gravi facit contra Sacros Canones.

42. Quæritur. *An qui hac lege est excommunicatus*: sis excommunicatus, donec satisfacias, vel restituas; *tollatur*

*tur censura statim, ac quis satisfecerit, vel restituerit, absque absolutione verbali, solita dari à Ministro Ecclesiæ?*

Resp. Negativè, ratio est, nam, licèt satisfecerit, non habetur ab Ecclesia pro absoluto, sed absolvi debet, *cap. quod in dubiis de sent. excomm.* ergo non statim tollitur excommunicatio; ideò sensus hujus clausulæ: *sis excommunicatus, donec satisfacias*: est, excommunicatum non posse absolvi ante satisfactionem, posse verò, ea præstita, Bonacc. *disp. 4 quæst. 3. punct. 9. num. 10.*

43. Quæritur. *An ob diversas culpas, & contumacias pluribus excommunicationibus, sivè numero, sivè specie distinctis, ligatus, ut, propter violentam manuum injectionem in plures Clericos, vel propter istud, & violationem immunitatis Ecclesiasticæ, absolutus ab una, censeatur absolutus ab omnibus?*

Resp. Vel petens, petit absolutionem ab una, vel ab omnibus, si ab una, quoad eam tantùm absolvitur, non quoad reliquas; hinc, qui tres Clericos percussit, & petit absolutionem à censura, incursa ob percussionem unius Clerici, aliis non expressis, ab una solùm censura absolutus remanet, *cap. ex parte de offic. ord. & cap. cum pro causa de sent. excom.* Piasec. *prax. Epis. p. 2. cap. 4. ar. 13. nu. 30.* ratio est, quia absolutio ex Bonaccina *cit. disp. 1. qu. 3. punct. 5.* debet accommodari petitioni, ideò, si petitio limitata est, limitata est absolutio; si petit ab omnibus, debet exprimere numerum quantum possibile est & causas, ob quas fuit excommunicatus, *ex Gloss. ad cit. cap. ex parte in princip.*

44. Quæritur. *An possit, quis absolvi peccatis, nondum absolutus ab excommunicatione?*

Resp. Affirmativè, in casu, quo confiteatur peccata, & inculpabiliter ignoret, se esse ligatum censura, vel, dum in Confessione ex inculpabili inadvertentia censuram aperire omittit, vel, dum Confessarius ex oblivione, aut malitia eum solum à peccatis absolvit; ratio est, quia talis recipit validè Sacramentum Pœnitentiæ, tam quoad substantiam, quam, quoad fructum gratiæ & remissionis peccatorum; quoad substantiam, quia adest materia, forma, & intentio, ac jurisdictio, ut suppono: quoad fructum etiam, quia res, quæ culpæ caret, in damnum vocari non convenit, *cap. cognoscentis de const.*

45. Cæterùm, dum cognoverit se censura esse innodatum, tenetur petere absolutionem censuræ, & confiteri peccatum, cui annexa fuerit censura omissa; nisi fortè confessus sit Confessario, habenti facultatem absolvendi ab illa censura, & ab eo obtinuerit generalem absolutionem à censuris; nam tunc non tenetur in posteriori Confessione aperire peccata oblita, ut à censura absolvatur, sed, ut integrè confiteatur peccata. Bonacc. *disp. 22. quæst 2. punct. 2. num. 2. de excom.*

46. Quæritur. *An in articulo mortis quivis Sacerdos possit absolvere ab excommunicatione reservata?*

Resp. Affirmativè, juxta Decret. Trid. *sess. 14. cap. 7.* de casuum reservatione, sed ad praxim deduces dicta *cap. 2. num. 15.* & notabis in eo articulo non posse quemlibet simplicem Confessarium dispensare ab irregularitate, aut absolvere à suspensione

pensione ab Ordine, Officio, vel Beneficio: ratio est, quia irregularitas, & suspensio à præfatis non retardant à consecutione gloriæ, nec impediunt susceptionem Sacramentorum, & ideò non est paritas de excommunicatione.

47. Quæritur, *an sit aliqua forma adhibenda in absolutione ab excommunicatione, suspensione, & interdicto?*

Resp. Cum quis pro foro interno, & in Sacramento pœnitentiæ absolvitur à censuris, sufficit proferre illa verba, *Dominus, &c. & ego absolvo te à vinculo excommunicationis, suspensionis, & interdicti*, ut tradit Rituale Romanum de *Sacrament. pœnit.*

48. Cùm verò est quoque quis pro foro externo absolvendus, si absolutio sit ab excommunicatione, præmisso *Misereatur, &c. Indulgentiam, &c.* dicendum est: *Dominus noster Jesus Christus te absolvat, & ego authoritate ipsius, & Sanctissimi D. N. Papæ N. vel Reverend. Episcopi N. aut Reverend. Generalis, &c.* (cum absolvit ex delegatione ab eis respectivè habita) *mihi concessa, absolvo te à vinculo excommunicationis,* (*vel excommunicationum*) *in quam incurristi* (*vel incurrisse declaratus es*) *propter tale factum, vel causam* (*ut percussionem Clerici, violationem immunitatis Ecclesiasticæ*) *&c. & restituo te Communioni, & Societati fidelium, & Sacramentis Ecclesiæ, in nomine Patris, &c.*

49. Pro absolutione à suspensione dicendum: *Dominus, &c. & ego, &c. absolvo te à vinculo suspensionis, quam propter tale factum, vel causam incurristi, & restituo te executioni tui muneris, vel Ordinis, vel ad tuum beneficium, in nomine, &c.*

50. Pro absolutione ab interdicto, aliis præmissis, *ego, &c. absolvo te à vinculo interdicti, quod propter tale factum, vel causam incurristi, vel incurrisse declaratus es, & restituo te executioni ordinum, & participationi bonorum, quibus ob interdictum remanebas privatus, in nomine, &c.*

51. Cùm verò agitur de tollenda irregularitate (quæ non sub absolutione, sed sub dispensatione cadit) post absolutionem à censuris dicatur. *Eadem authoritate mihi commissa, dispenso tecum super irregularitate, in quam ob talem causam ver. gr. propter homicidium, aut ministerium Ordinis sacri in excommunicatione, vel similem, &c. incurristi, & habilem reddo, ac restituo te executioni Ordinum, & Officiorum tuorum, in nomine Patris, &c.*

Nota, Sacerdotem ligatum excommunicatione majori, & simul irregularem, absolutum ab excommunicatione, & non dispensatum ab irregularitate, non posse licitè celebrare, & si celebrat, mortaliter peccat.

52. Agunt etiam DD. de excommunicatione, quæ fulminatur in monitoriis ad finem revelationis, hoc est, ad revelanda furta, res subtractas, aut deperditas, vel rem alienam restituendam, juxta extravag. Infidelis Joan. 22. *inter extravag. com. sub tit. de furtis, & cap 3. Trid. sess. 25. & Constit. B. Pii V. incip. Sanctissimus in Christo apud Quaranta Bullar. ver. excom. ad fin. revelat.* de qua re videndus Piasec. *cit. cap. 4. art. 13. num. 15.* Engel. *cit. §. 1. num. 22.* Quilici Confess.

*manud. qu. 4. art. 4.* Genuen. *prax. cap. 2.* ex quibus aliqua transferimus pro praxi Confessarii.

53. Quæritur. *An principalis, seu fur teneatur se revelare, & possit compelli excommunicatione, non solum ad restituendum, sed etiam ad revelandum se rem detinere?*

Resp. Decisio pendet à tenore monitorii, si datum sit, tam contra principalem non restituentem, quam non revelantem, tunc tenetur restituere, & revelare sub pœna excommunicationis; si verò sit datum contra principalem non restituentem, & contra alios scientes, occupatores, & non revelantes, sub excommunicatione, alii, at ipse non, tenentur revelare, sed ipse sub ea pœna restituere tenetur.

54. Sed quid, *si ei immineret periculum majoris damni in vita, vel fama?*

Resp. Non tenetur, se revelare arg. in *c. officii de pœnit. & remiss.* verùm tunc debet, si potest occultè restituere, vel alio modo cum parte concordare, saltem per interpositam personam, quæ nomen principalis taceat, vel ei remissionem debiti impetret.

55. Sed quid etiam, *si in compensationem justam sui veri debiti retineat rem, de qua quæritur?*

Resp. Ex Quilici, & Genuen. tunc non tenetur se manifestare, nec restituere, cum tunc non sit in peccato mortali, ratione cujus fertur excommunicatio: peccavit, tamen, dum sibi compensavit, juris ordine non servato, non expectando exitum causæ; verùm si alius furtum esset imputandum, crederem debere se prodere, vel rem restituere.

56. Sed quid, *si principalis sit factus impotens ad solvendum?*

Resp. Nec tunc obligatur ad se manifestandum, quia tunc non potest restituere, & nemo ad inutile tenetur; verùm restituere tenetur, cum poterit, &, si tunc potest partem aliquam furti, debet Quilici *num. 8.* ubi excusat, etiam habentes notitiam de ejus impotentia.

57. Quæritur. *An sciens teneatur revelare, dum probare non potest, id, quod scit, & revelat?*

Resp. Affirmativè, nam monitoria non dantur nisi pro revelandis occultis, & quomodo scit, quod probari non possit? pareat ipse præcepto, & de onere probandi non curet.

58. Adverte, quod tenetur quis revelare impedimentum matrimonii, etiam occultum; cum unus testis sufficiat ad impediendum Matrimonium, & sit plena probatio ad hunc effectum, *cap. proterea de sponsalibus.*

59. Non tenentur ii revelare, quos pars, vel Judex, verisimiliter non intendit includere, nec comprehendere in monitorio. Sic pater non præsumitur, quòd velit filium, qui ejus bona furripuit, excommunicari, nec maritus uxorem, & ideò non comprehenduntur, licèt teneantur ad restituendum. Genuen. *num. 10.*

60. Quæritur. *An, qui audivit ab alio, teneatur revelare?*

Resp. Vel, qui audivit, ei sub secreto naturali fuit narratum, petendo consilium, vel alia via, quam consilii: primo modo non tenetur revelare, quia ad bonum commune spectat, ut quis ab Advocato, Theologo, Medico, &c. consilium

silium petat sine timore revelationis; sed hoc limitatur, nisi bonum commune Reipublicæ, & Religionis præferendum sit bono particulari, in quo casu, etiam sine monitorio, tenetur quis revelare per dicta *cap.* 4. *num.* 6.

Secundò modò tenetur aperire, à quo audivit, quia poterit Judex ex officio interrogare illum, qui fortè majorem lucem afferet; maximè, si persona sit fide digna; in dubio autem; quando audiens nescit discernere dictam qualitatem in eo, à quo audivit, debet revelare ex regula juris, *quod tutior via sit eligenda*, ex Navarro Genuen. *nu.* 11.

61. Sed quæritur, *an possit Confessarius absolvere ab excommunicatione contracta à sciente, qui non revelavit?*

Resp. Negativè, sivè excommunicatio sit specialiter lata, hoc est, per sententiam specialem impositam alicui certæ personæ nominatim, & determinatè; sivè generaliter inflicta, per sententiam Judicis, vel Superioris generaliter contra peccata futura, ut, *si quis hoc fecerit, sit excommunicatus*; vel præterita, in eorum satisfactionem, ut, *si quis pro tali delicto non satisfecerit, sit excommunicatus, non determinando personam, quæ est postea determinanda*; nam de utraque verificatur, quod sit ab homine lata, à qua absolvere diximus *num.* 16. esse ordinario Confessario prohibitum. Legas Layman. *Th. moral. lib.* 1. *tr.* 5. *p.* 1. *cap.* 7. *an.* 2. *& 3.*

## REGULA UNICA.

*Quamplures excommunicationes reservata Pontifici.*

CAthalogus excommunicationum, tam earum, quarum absolutio est Summo Pontifici reservata, quàm ipsarum, quæ reservatæ non leguntur, eruendus est ex Decretalibus Gregor. IX. Sexto Decretalium, Clementinis, Extravagantibus, Decreto Gratiani, Bullario, Conciliis, & aliis Apostolicis Literis; ex quibus ego huc referre conabor aliquas, & fortè frequentiores, pro quarum absolutione recurrendum est ad Sedem Apostolicam, remisso lectore pro cæteris, & non reservatis ad loca præfata, & DD.

### §. I.
### *Ex Decretalibus Greg. IX.*

62. I. REservatur Summo Pontifici absolutio ab ea excommunicatione, quæ incurritur ob violentam manuum injectionem in Clericum, vel Monachum. Cap. *Super eo*; cap. *Si verò il* 1. *&* il 2. cap. *Non dubium*; cap. *Parochianos*; cap. *Sunnos de sent. excom.* & cap. *Si quis suadente* 17. *quæst.* 4. etiamsi injectio occulta fuerit; cap. *Porrò* eit. tit.

II. Reservatur absolutio ab ea, qua ligatur mandans Clerici, vel Monachi percussionem; cap. *Mulieres ibid.*

III. Reservatur absolutio ab ea, qua ligantur scienter in divinis officiis communicantes excommunicato à Papa; cap. *Significavit ibidem.*

IV. Reservatur absolutio ab ea, qua irretitur incendiarius, postquam fuerit excommunicatus denunciatus; capit. *Sua nos.*

V. Reservatur absolutio ab ea, qua ligantur spoliantes Ecclesias cum effractione, qui per Papam tantùm post denunciationem absolvuntur; cap. *Conquesti* ibid.

VI. Reservatur absolutio ab ea, qua ligantur tam Prælatus, quàm Laicus, cui Prælatus committit, etiam causa disciplinæ Regularis Clericum verberare; ipse enim Prælatus id per se ipsum, vel si necessitas urget, per alium Clericum, vel Monachum, debet exequi; capit. *Universitatis* ibid.

VII. Reservatur absolutio ab ea, qua ligatur consentiens in Clerici percussionem; cap. *Quanta* ibid. ubi Glos. dixit, *Quod, qui Clericum verberat, & qui verberari facit, vel consentit cooperando, vel, qui auctoritatem habet ex officio, & non prohibet, si potest, est verè excommunicatus.*

VIII. Reservatur absolutio ab ea, qua ligatur Laicus detinens Clericum, vel Monachum in custodia publica, aut privata, vel sine læsione corporali; capit. *Nuper* ibid.

IX. Reservatur absolutio ab ea, qua ligatur Clericus, etiam consentiens in sui percussionem; cap. *Contingit*, ibid. ratio est, ut ibi textus, *quia hujusmodi manus injectio, & si non violenta, tamen injuriosa videtur: cùm ille Canon non tam in favorem Clerici ordinati, quàm in favorem ordinis Clericalis fuerit promulgatus.* Ubi Glos. prima notavit, quod volenti, scienti, & patienti fit injuria, si in eo lædatur jus alterius.

Et non modò consentiens, verùm & percutiens censura ligatur; quia manus temerarias, & causa ulciscendi injuriam suam manus temerarias in Clericum injicit. Percussio, tametsi injuriosa non esset Clerico percusso, ut Petro, ei tamen, ut Clerico, & statui Clericali injuriam irrogaret.

## §. II.

### *Ex Sexto Decretalium.*

63. I. SUmmo Pontifici reservatur absolutio ab excommunicatione, qua ligatur percutiens Novitium Religiosum; cap. *Religioso. §. Quamvis de sent. excom.*

II. Reservatur absolutio ab ea, qua ligatur ratam habens violentam injectionem manuum in Clericum, nomine suo, licèt non suo mandato, factam; cap. *Cùm quis* ibid. Ratio datur in textu: quia ratihabitio retrotrahitur, & mandato comparetur; *si verò injectio eadem tuo nomine non sit facta, tunc, licèt pecces ratam habendo, non tamen propter hoc excommunicationis illius vinculo innodaris, cùm quis ratum habere nequeat, quod ejus nomine non est gestum.*

III. Reservatur absolutio ab ea, qua ligantur deliberatè in scriptis glossantes, & depravantes intellectum Decretalis, *Exiit*, ac facientes libellos, & ex certa scientia prædicantes contra regulam, & statum Frat. Min. cap. *Exiit de verb. signif. in 6.*

§. III.

## §. III.

*Ex Clementinis.*

64. I. REservatur Summo Pontifici absolutio ab excommunicatione, qua ligantur Religiosi, & Clerici Sæculares inducentes aliquos ad vovendum, jurandum, vel promittendum, ut eligant sepulturam in propriis Ecclesiis, vel, ut jam electam ulterius non immutent. Clementina *Cupientes* §. *Sanè de pœnis.*

II. Reservatur absolutio ab ea, qua ligantur Religiosi Clericis, aut Laicis ministrantes sine licentia Parochi Sacramentum Extremæ-unctionis, vel Eucharistiæ (intellige per modum Viatici) vel solemniter benedicentes matrimonia, aut absolventes excommunicatos à Canone (præter quam in casibus à jure expressis; vel per privilegia Sedis Apostolicæ eisdem concessa) vel à sententiis per statuta provincialia, aut Synodalia promulgatis. Clement. *Religiosi de privileg.*

III. Reservatur absolutio ab ea, qua ligantur Domini temporales cogentes aliquos celebrare divina officia in loco interdicto; vel ad ea officia audienda facientes voce præconis; vel Campanæ vocare aliquos præsertim excommunicatos, vel interdictos. Vel prohibentes, ne publicè excommunicati, aut interdicti exeant de Ecclesiis, dum in ipsis Missarum solemnia aguntur, & à celebrantibus monentur, ut exeant. Vel publicè excommunicati, aut interdicti, qui in ipsis Ecclesiis, nominatim à celebrantibus, moniti, ut discedant, remanere præsumunt. Clement. *Gravis de sent. excom.*

## §. IV.

*Ex Extravagantibus communibus.*

65. I. REservatur excommunicatio, qua ligantur Religiosi, qui sine sui Superioris licentia se transferunt ad partes transmarinas, hoc est ad loca Turcarum; *cap. Ad nostrum de Regul. & transeuntib. ad relig.*

II. Reservatur absolutio ab ea, qua ligantur Religiosi exigentes tam à maribus, quàm à fœminis volentibus ipsorum Monasteria ingredi, aliquid etiam ad pium usum deputatum, vel deputandum; cap. *Sanè de Simonia.* Qua etiam ipsi dantes supposita pactione innodantur. *Ibidem.*

Verùm possunt Religiosi recipere quidquid ingredientes purè, spontè, & plena libertate, ac omni pactione cessante dare, vel offerre, Ecclesis, Monasteriis, Domibus, &c. voluerint. *Ibidem.*

Sed id ante professionem, excepto victu, & vestitu, recipi sub excommunicatione prohibetur à Trid. *cap.* 16. *sess.* 25. de Regul.

III. Reservatur absolutio ab ea, qua ligantur omnes, qui simoniam, dando, vel recipiendo committunt, sivè sint principales, sivè mediatores, & procuratores, ut simonia committatur; cap. *Cùm detestabile ibid.* & *tom.* 1. *Bullar. const. Eugenii IV. Cùm detestabile, la* 7.

IV. Reservatur absolutio ab ea, qua ligan-

ligantur absolventes à casibus expressis in Extravag. *Et si Dominici Gregis de pœnit. & remiss. inter extravag. com.* Hinc Confessarius sciat, Sixtum IV. plura privilegia absolvendi, & dispensandi concessisse, sed quia id cedebat in animarum perniciem, ne facilitas veniæ peccandi tribueret incentivum, ut ipse loquitur, declaravit privilegia à se concessa non esse extendenda ad casus, quos in ea enumerat, in qua disponit, à se privilegiatos absolvere non posse à casibus contentis in Bulla Cœnæ: item ab omni læsione immunitatis Ecclesiæ: à violatione interdicti positi à S. Sede: ab hæresi: à conspiratione in Romanum Pontificem: à rebellione, & inobedientia ejusdem, & S. Sedis.

Circa verò vota statuit, non posse commutare vota *peregrinationis ultramarinæ, visitationis liminum Apostolorum, Petri, & Pauli, S. Jacobi in Compostella, & Castitatis, ac Religionis*, sub pœna nullitatis absolutionis, & commutationis, ac excommunicationis absolventibus, & commutantibus, Romano Pontifici reservatæ. Quod debent privilegiati notare, nutè super hoc habuerint ab hoc Papa privilegia, quia cùm hodie sint revocata, in vim illorum nullibi possunt absolvere, & commutare.

V. Reservatur absolutio ab ea, qua ligantur, qui alterutram opinionem de Conceptione B. M. V. damnant peccati mortalis, vel hæresis. Sixtus IV. capit. *Grave de reliq. & venerat. Sanct.*

VI. Reservatur absolutio ab ea, qua ligantur alienantes absque beneplacito Apostolico bona Ecclesiastica. Extravag. *Ambitiosæ.* Pauli de reb. Eccles. non alienan. Et licèt in Extravaganti expressè excommunicatio non sit reservata Pontifici: tamen Confessarius ordinarius non potest se in absolutione ingerere. Nam praxis S. Congr. Concilii est, absolutionem ea de re Episcopis committere, ut dixi Offic. Curiæ Eccles. capit. 45. ideò saltem ex praxi reservata est; Tum quia sic alienantes sine beneplacito incurrunt non tantùm pœnas dictæ Extravagantis, sed etiam censuram Papæ reservatam, *cap. 11. sess. 22. Trid. de ref.*

## §. V.

### *Ex Bullario Cherubini.*

66. I. SUmmo Pontifici reservatur absolutio ab excommunicatione, qua ligantur promittentes, & acceptantes, dantes, & recipientes aliquid pro obtinenda gratia, vel justitia à Sede Apostolica. Item scientes, & non revelantes: const. *Excommunicamus la 1. Bonifacii VIII. tom. 1. Quod to. 5.* renovavit Alex. VII. const. *Inter la 19 & sub anno* 1699. Innoc XII. const. *Sacerdotalem, & Regiam.* vide *dicta cap. 19.*

II. Reservatur absolutio ab ea, qua ligantur pugnantes in duello, ad id irritantes, provocantes, auxilium, consilium, vel favorem dantes, ac illis astantes, & intereſſentes, ac cartas subscribentes, vel publicantes; const. *Providentia la 20. Pii IV. tom 2.* Vide *supra capit. 2.*

III. Reservatur absolutio ab ea, qua ligantur rei confidentiæ beneficialis, ibid. const. *Romanum Pontificem la 85. Pii IV.* & const. *Intolerabilis Pii V. la 85. ibid.*

IV. Re-

IV. Reservatur absolutio ab ea, qua ligantur Moniales exeuntes extra Clausuram extra casus in const. permissos, eas comitantes, ipsarumque receptatores, & licentiam concedentes; const. *Decet. la* 8. B. Pii V. ibid.

V. Reservatur absolutio ab ea, qua ligantur mulieres ingredientes Monasteria, & Domos Regularium virorum; const. *Regularium*; & const. *Decet la* 20. B. Pii V. *ibid.*

VI. Reservatur absolutio ab ea, qua ligantur, qui abutuntur licentiis ingrediendi Monasteria Monialium, ingrediendo necessitate non urgente, quam etiam incurrunt Moniales eos admittentes; const. *Ubi gratia* Greg. XIII. la 28.

VII. Reservatur absolutio ab ea, qua ligantur spondentes, paciscentes, & excommissas stipulantes, super vita, morte, & futura electione Romani Pontificis, ac promotionibus S.R.E. Cardinalium; const. *Cogit nos*, Greg. XIV. *la* 4. *ibid.*

VIII. Reservatur absolutio ab ea, qua ligantur docentes, defendentes, imprimentes, & ad praxim deducentes propositionem asserentium, *licere per literas, seù internuncium Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere*; Decret. Sanctiss. Clement. VIII. *l'87. tom.* 3.

IX. Reservatur absolutio ab ea, qua ligantur, qui pecuniis montium Pietatis status Ecclesiastici ad alios usus, quàm in ipsorum erectione destinatos utuntur; const. *Onerosa* Pauli V. *la* 82. *ibid.*

X. Reservatur absolutio ab ea, qua ligantur, qui Astrologia judiciaria, vel ante alia divinatoria per se, vel per alios inquirunt de statu Reipublicæ Christianæ, sivè de vita, aut morte Romani Pontificis; const. *Inscrutabilis* Urbano VIII. *la* 114. *to.* 4.

Super quo considerandum est, quòd licèt excommunicatio in adducta constitutione reservata non legatur, tamen qui contravenerit constitutioni Urbani solùm à Romano Pontifice absolvitur: nam Innoc. XII. const. *Romanus Pontifex edita super facultatibus Majoris Pœnitentiarii* disposuit, nec eum posse, etiam in occultis, & in foro conscientiæ tantùm absolvere, & mandare absolvi in simili culpabiles.

XI. Reservatur absolutio ab ea, qua ligantur, præsumentes retinere apud se, vel legere librum, cui titulus Augustinus Cornelii Jansenii Ipren sis Episcopi; ac audentes de articulis, & opinionibus, & sententiis in eo contentis loqui, scribere, & disputare: simili censura ligatur, qui, & de propositionibus à Bajo assertis extra casum impugnandi, loquitur, scribit, & disputat; constitut. *In eminenti* Urbani VIII. *la* 289 *tom.* 5.

XII. Reservatur absolutio ab ea, qua ligantur publicè, aut privatim tractantes, vel docentes (nisi forsan impugnando) unam, vel plures ex propositionibus respectivè damnatis in Cong. SS. Inquisit. sub die 14. *Septembris* 1665. & 18. *Martii* 1666. ab Alex. VII. *il* 162. *& il* 167. *Bullar. to.* 5.

XIII. Reservatur absolutio ab ea, qua ligantur contravenientes contentis in Bulla Cœnæ; const. *Pastoralis* Clement. X. *la* 34.

XIV. Reservatur absolutio ab ea, qua

ligantur sentientes, prædicantes, & docentes de quinque propositionibus Jansenii contra constitutionem Innocentii X. *Cum occasione*, & Alex VII. Const. *Ad Sanctam* in 28. *Bullar. to.* 5.

XV. Reservatur absolutio ab ea, qua ligantur, qui in Concionibus, aliisque publicis actibus asserunt B.M.V. conceptam esse in peccato originali Alex. VII. const. *Sollicitudo* in 17. *Bull. to.* 5.

67. Quibus has alias, ex quibusdam aliis Apostolicis decretis, quæ ad manus habeo, lecturo subnecto. Quare I. Reservatur Summo Pontifici absolutio ab excommunicatione, quam incurrunt Confessores, tum Sæculares, tum Regulares, qui prætextu facultatum obtentarum extra mortis articulum, sine nova licentia, aut facultate, præsumunt absolvere à casibus contentis in Bulla Cœnæ; à casibus locorum Ordinariis reservatis, & sex aliis, de quibus supra *cap* 8. *nu.* 22. Decretum S.C. Epis. & Regul. de mandato Clement. VIII. editum fuit 9. *Januarii* 1601. & 26. *Novembr.* 1602.

II. Reservatur absolutio ab ea, quam incurrunt docentes, vel publicè, aut privatim defendentes, aut prædicantes (nisi forsan impugnando) unam, vel plures ex 65. propositionibus ab Innoc. XI. damnatas, sub die 3. *Martii* 1679.

III. Reservatur absolutio ab ea, qua ligantur docentes, tenentes, vel ad praxim deducentes unam, vel plures ex propositionibus assertis à Michaele de Molinos, & ab eodem Innoc. XI. proscriptis, 28. Augusti 1687.

IV. Reservatur absolutio ab ea, qua ligantur, qui docuerit, vel defenderit aliquas, vel plures ex propositionibus ab Alex. VIII. circumscriptis; aliis sub die 24. Augusti 1690. & aliis die 7. Decembr. ejusdem anni.

V. Reservatur absolutio ab ea, qua ligantur ingredientes Clausuram Monialium ad malum finem, ut dixi *capit.* 8. *num.* 22.

VI. Reservatur absolutio ab excommunicatione, qua ligantur rei simoniæ realis scienter contractæ, *ibid.*

VII. Reservatur absolutio ab ea, qua ligantur asserentes, tenentes, & prædicantes, quod ad obediendum Literis Innocentii X. & Alex. VII. editis contra quinque propositiones Jansenii necesse non sit, ut quis interius ut hæreticum damnet sensum in dictis constitutionibus damnatum, sed satis sit, si ea de re obsequiosum silentium teneatur: & quod Formulæ juramenti ab eodem Alexandro præscriptæ subscribi licitè possit, etiam ab iis, qui interius non judicant in Jansenii libro doctrinam hæreticam contineri; Const. *Vineam Domini*. Clement. XI. 17. Kal. Augusti 1705.

68. Dubitatur. Si excommunicatio ab jure non fuerit reservata, quis ab ea absolvat?

Resp. DD. non concordant; debere ab ea absolvere Episcopum privativè quoad alios inferiores, dixerunt Sayrus *de censs. lib.* 2. *cap.* 19. *nu.* 2. Covarruv. & Paludanus, aliique apud Gonzalez *in* l. *tit.* 31. *cap.* 8. *nu.* 9. Piasecus *prax. p.* 2. *cap.* 4 *art.* 13. *nu.* 36. scripsit, quod ab excommunicatione majori à jure lata, si Conditor legis absolutionem sibi non reservavit, absolvere debet Episcopus. Quos sequitur Monacell. *for. p.* 2. *for.* 4. *n.* 9. *tit.* 14.

Ideo

Ideò Confessarius alius non potest, nisi ei ab Episcopo committatur.

Diana verò *Coord. to. 5. tr. 1. resol. 194.* Layman. *Theol. moral. lib. 1. to 5. p. 2. cap. 5. nu. 1.* Illsung. *Theol. moral. tr 3 art. 3. n. 17.* Gonzalez cit. Fagnan. *in 5. ad cap. Nuper nu. 16. de sent. excom.* Abellii *Medul. p. 2. de censur. cap 6. §. 6. nu. 1.* dixerunt ex tacita commissione Conditoris Canonis posse absolvere etiam Parochos, cæterosque Sacerdotes habentes jurisdictionem ad absolvendum à peccatis, per tex. in cap. *Nuper de sent. excom.* ibi: *à suo Episcopo, vel proprio Sacerdote poterit absolutionis beneficium obtinere .... quia tamen Conditor Canonis ejus absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi.* Appellatione autem Episcopi veniunt omnes habentes jurisdictionem Episcopalem, Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, & Episcopi. Appellatione verò proprii Sacerdotis, Sacerdotes illi, qui præpositi sunt administrationi Sacramenti Pœnitentiæ, Gonzalez ibid. Quare prima sententia procedit quo ad utrumque forum; secunda verò quoad forum conscientiæ tantùm; & ita concordantur, ut apud d. Piasec. *cap. 1. art. 3. numer. 8.*

69. Sed, *an possint saltem quoad forum conscientiæ Confessarii Regulares absolvere sæculares.*

Resp. Eis negatur in d. Clement. Religiosi, nisi à Sede Apostolica habeant privilegia. Quisque videat, quid à Sede Apostolica receperit.

70. Peti potest, quid importet clausula, quæ solet in nonnullis Literis inseri, *& in subsidium juris excommunicamus, &c.*

Resp. Importat, quod tunc censura ferenda est, ubi in causis tam civilibus, quàm criminalibus fieri non potest executio realis, vel personalis, juxta Trid. *sess. 25. cap. 3. de ref.* ubi disponitur, quòd ubi executio realis, vel personalis fieri potest, est à censuris abstinendum: ubi verò vel hæ locum non habebunt, vel alia via non poterit provideri, tunc in subsidium procedendum est ad excommunicationem, quod jure communi cautum non erat; sed potius ordine inverso, prius utendum erat gladio excommunicationis; eoque non proficiente in subsidium deveniendum erat ad capturam, seù personalem districtionem; cap. *Odoardus de solution.* cap. *Licet de pœn.* Fagnan. *in 5. ad cap. Sacro n. 25. de sent. excom.*

71. Confessarius ponderet, quod licèt Sedi Apostolicæ peccata regulariter reserventur ratione censuræ, aliqua tamen dantur, quæ reservata censentur ratione sui, & sine censura: hujus generis est peccatum, quod committunt, qui munera à Regularibus contra const. Clement. VIII. *editam 13. Kal. Julii 1594.* recipiunt; quorum absolutio reservatur Summo Pœnitentiario, prout *in Bulla Innoc. XII. edita tertio nonas Decembr. 1692. super facultatibus Majoris Pœnitentiarii: cui injungitur, ne recipientes ultra valorem decem scutorum, exceptis medicinalium, seù devotionis muneribus, ante factam restitutionem, absolvat, nec mandet absolvi: infrà verò prædictum valorem, nonnisi facta, arbitrio ipsius Majoris Pœnitentiarii,*

*seu per eum eligendi Confessarii, eleemosyna, quæ in beneficium Religionis, seu Conventus, cui de jure facienda esset restitutio, si cautè fieri potest, erogetur:* ut ibi textus; quem inutile non foret inspicere.

## CAPUT XXXIV.

### *Prop. XLV. ab Alex. VII. &c. Libri prohibiti.*

1. PROP. 45. *Libri prohibiti, donec expurgentur, possunt retineri, usque dum adhibita diligentia corrigantur.*

Propositio directè opponitur dispositioni, quæ habetur in primo Canone Bullæ Cœnæ, & in decima ex regulis Indicis librorum prohibitorum, jussu Tridentinæ Synodi editis, & à Pio IV. const. *incip. Dominici* 24. *Martii* 1564. comprobatis, prout in sequentibus patebit, quæ propterea Confessarium legere non pigeat.

2. Quæritur, *an sit differentia inter libros prohibitos?*

Resp. Affirmativè: duplex statuitur librorum prohibitorum classis: in prima, ponuntur libri hæreticorum tractantes de Religione, vel hæresim continentes; in secunda verò, libri cujusvis auctoris, etiam Catholici, qui prohibentur propter Doctrinam, quam continent, falsam, non sanam, suspectam, offensivam, scandalosam, &c.

3. Quæritur, *quinam libri dicantur tractare de Religione, vel hæresim continere?*

Resp. Hæresim continet, qui aliquid docet contra aliquem articulum fidei, V. G. *septem non esse Sacramenta: sub speciebus panis non esse Corpus Christi: Pontificem Romanum non esse verum Christi Vicarium, & Petri successorem, &c.* de Religione tractat, qui de iis agit, quæ ad fidei expositionem spectant, in quibus divina scriptura, aut aliqua pars illius explicatur; aut, qui tractat de Theologia scholastica, vel morali, vel de aliqua illius parte, aut agit de cultu, Deo, & Sanctis debito, de Sacris ritibus, de Clericis, de Monachis, & Prælatis, de visibili, & invisibili Ecclesia; hæc omnia ad Religionem Catholicam spectant. *Sousa Aphorismi Inquisit. lib. 1. cap. 21. num. 5.*

4. Quæritur, *qua pœna ligetur, qui legit Hæreticorum libros, hæresim continentes, vel de Religione tractantes?*

Resp. Ligatur excommunicatione in Bulla Cœnæ, reservata Pontifici; nam in ejus primo Canone excommunicantur, *scienter absque Sedis Apostolicæ licentia, legentes, aut retinentes, imprimentes, seu quomodolibet defendentes, publicè, vel occultè libros Hæreticorum, hæresim continentes, vel de Religione tractantes;* & quia loquitur per disjunctivam, *vel*, sufficit, quòd, aut hæresim contineat, vel de Religione tractet; & necesse non est, quod ex instituto, vel ex professo de hæresi tractet, sed sufficit unicam continere, quia unam continens verificatur hæresim continere; expressè tamen debet de Religione tractare, nec sat est obiter unam, vel alteram propositionem de Religione intermiscere cùm materia diversa, quàm ex instituto tractat: discrimen habes ex istis *hæresim continentes, vel de Religione tractantes.*

5. Qui-

5. Quatuor itaque conditiones ex Fagnan. *in* 1. *Decretal. cap. damnamus de sum. Trinit. num.* 19. requiruntur ad excommunicationem incurrendam 1. ut Libri sint Hæreticorum. 2. ut hæresim contineant, vel de Religione tractent. 3. ut scienter legantur, vel imprimantur, hoc est, cum notitia, quod sint tales. 4. ut fiat sine licentia Sedis Apostolicæ.

6. Sed dubitatur, *an requiratur, quod Author sit damnatus?*

Resp. Negativè, sed satest, ut sit hæreticus, sivè damnatus, sivè non; nam de Hæretico non damnato, nec notorio, verè dicitur, quod sit hæreticus, & in Bulla absolutè ponitur; *libros Hæreticorum.* Advertens in legendo, hæresim in Libro contineri, etiam ignorato authore, tenetur cessare, quia licèt ignorantia excuset à censura, tamen tunc non ignoratur Auctor, sed solùm certus, & damnatus; Carena *de offic. Inquisit. par.* 2. *cit.* 10. *num.* 4.

7. Quæritur, *an scienter legens librum Hæretici, simul hæresim continentem, & de Religione tractantem duplici excommunicatione innodetur?*

Resp. Affirmativè; ratio est, quia alterutrum per se ad excommunicationem sufficit, ergo, dum simul concurrunt, duas inducunt; alioquin æquè puniendus foret, qui duplicatam habet in transgressione malitiam, quàm, qui simplicem, quod non conceditur.

8. Quæritur, *an ad censuram Bullæ incurrendam sufficiat legere manuscripta ab hæretico, si hæresim contineant, aut de Religione tractent?*

Resp. Affirmativè, Sousa *num.* 8. nam sunt verè libri; unde excommunicantur, qui præfatorum allegatos libros, vel eorum partes legunt, quamvis in ea parte, in qua hæresis non continetur. Item, si legatur Index Libri, proemium, & litera ad Lectorem, quia hæc sunt pars libri; quod debet esse inter Doctores commune, utpotè sententia tutior; nam, Index totam Libri summam amplectitur; proemium, & litera ad lectorem, ea, quæ in libro tractantur, & Authoris mentem aperiunt, in quibus legendis est periculum perdendi fidem.

9. Sed quid, *si legat folia, & fragmenta, in Librum non congesta, seù tractatus non integros?*

Resp. Eadem censura ligatur, quia verè hæc sunt partes libri: qui librum prohibet, singulas ejus partes prohibere reputatur; ideò, sicut in libro legi nequeunt, sic nec extra; maximè, quia in foliis, & fragmentis reperiri potest illa sola hæresis, ob quam liber erat damnatus, & periculum iamminet semper infectionis hæresis, & erroribus Hæreticorum succumbere, cui legens se exponit; & quamvis Bulla libros nominet, non ideò excludit folia, & fragmenta, quæ sunt partes libri, aliàs in fraudem legis, per folia in volumen non redacta, tutò legi possent hæreses, & sic disseminari: exprimit itaque Bulla libros, quia eorum frequentior est usus; at nominatis iis, etiam censentur, expressa alia, quæ ad hæc reducuntur; rigori verborum standum non est, quoties præsumitur intentionem legis extendi, & speciem principalem pro genere accepisse, Layman. *lib.* 2. *tract* 1. *cap.* 15. maximè, quia difficile sit assignare, quænam foliorum quantitas librum constituat.

10. Sed quid, *si quis Epistolam ab Hæretico de materia Religionis scriptam, vel hæresim continentem, scienter legat, imprimat, vel retineat?*

Resp. Ligatur censura Bullæ. Layman. ibid. propter adductam rationem periculi, & inobedientiam Ecclesiæ.

11. Idem dicitur, si librum hæretici non continentem hæresim dividas, ut legas ea parte, in qua hæresis non continetur; nam in fraudem legis operaris, & librum hæretici legis, Sousa.

12. Sed quid, *si hæresis, quæ erat in libro, inveniatur abrasa, aut ea folia detracta?*

Resp. Ligatur censura, quia propter hæresim totus liber est prohibitus, & abrasio non est facta potestate Ecclesiæ, quæ relinquat totum librum liberum ad legendum, vel retinendum; aliàs in potestate cujusque esset libros prohibitos transferre ad non prohibitos.

13. Sed quid, *dicendum de libro continente hæresim, edito ante baptismum, si post baptismum Auctor labatur in hæresim; & de libro de Religione tractante, edito, etiam post baptismum, ante lapsum in hæresim?*

Resp. Legentes ligantur censura Bullæ, quia sunt libri ejus, qui tunc hæreticus est, & de legente verificatur legere librum hæretici, quamvis hæreticus non fuerit tempore compositionis.

14. Quæritur. *An excusetur ab excommunicatione legens librum hæretici hæresim continentem, non malo animo, sed ex sola curiositate, aut ad confutandos Hæreticorum errores?*

Resp Negativè, nam verificatur, quod sine Apostolicæ Sedis licentia legat; Bulla non considerat animum, sed factum; nec excusatur, qui est ita in fide firmus, ut moraliter non sit periculum sequendæ hæresis: nec ille idem, qui librum composuit, etiam si ad detestandos, & retractandos errores legat; aut, si statim post ipsam scriptionem ipsum percurrat, & poeniteat; immò tunc, &, ut Hæreticus, &, ut lector libri Auctoris Hæretici continentis hæresim, duplici excommunicatione Bullæ innodatur. Generaliter nullus omninò finis excusat, sed semper est adhibenda licentia; nec curiositas ob imminens periculum, & inobedientiam Ecclesiæ, quia graviter peccaminosa.

15. Quæritur. *An excommunicatione Bullæ innodetur, qui librum Hæretici hæresim continentem, oculis percurrit, cum advertentia mentis ad ea, quæ in eo scripta sunt, quamvis ore nil proferat?*

Resp. Affirmativè. Sousa *nu.* 11. Carena *nu.* 4. aliique; nam secundum communem usum ille talis dicitur legere: nam legere secundum Ugolinum non requirit prolationem verborum, sed solùm, ut colligantur verba ad sensum percipiendum, quod etiam mente efficitur.

Nec dicatur, quod cum verba exterius non proferat, ejus peccatum non videtur externum; adeòque, nec subjectum dispositioni Ecclesiæ, & censuræ Bullæ, quæ propter actum merè internum non fertur.

Nam illius peccatum est in his actionibus externum, aperitione libri ad legendum, in defixione oculorum, & revolutione foliorum, &c.

16. Sed quid, *si legens librum Hæreticum, non intelligat id, quod legit? legit Rusticus*

*ficus librum lingua latina scriptum, sed, quod legit, non percipit.*

Resp. Suarez excusat à censura; nam illa non est lectura formalis, ad quam exigitur, ut percipiatur, quod legitur: & aliàs non est infectionis periculum. Sed negamus non innodari: adæquatus finis prohibitionis non est dumtaxat periculum errandi, sed eos Ecclesia prohibet, etiam in odium authoris, & hæresis detestationem: undè legens, facit contra legem prohibentem. Hinc ad censuram incurrendam, non est necesse, quòd legens formaliter legat, sed sat est, ut librum legat: aliàs, si lectio formalis necessaria foret, censuram non incurreret, qui eos retineret, & non legeret, quod falsum est, ex Canone; hæc sententia est tutior.

17. Quæritur. *An excommunicationem incurrat, qui librum Hæretici hæresim continentem, vel de Religione tractantem, non ipse legit, sed alteri legendum tradit, mandat, & imperat, ut, Dominus famulo, ut ipsum legentem audiat?*

Resp. Affirmativè, nam Dominus moraliter loquendo, quantum ad effectum, librum per se ipsum legit, licèt per alterius ministerium: juxta regul. jur. *in 6. qui per alium.* Si lectio impunè per alium suppleretur, lex eluderetur; nec mandans, nec jussio Domini legentem ab ea excusat, si sine licentia legat.

18. Sed quid, *dicendum de illis, qui audiunt aliquem legentem librum hæreticum, si non jubeant, petant, aut consulant, ut illum legat?*

Resp. Incurrunt excommunicationem, quia transgressio præcepti non consistit propriè in inductione alterius, sed in participatione lectionis per auditum, *cit. sum.* ex Suarez. *nu.* 28. contra Sousam, & Pueronum; etiamsi legens licentiam haberet, quia audiens, dicitur legere, quamvis per alium: & legens peccat cooperando peccato alterius.

19. Quæritur. *An parvitas materiæ in legendo excuset ab incursu hujus censuræ.*

Resp. Affirmativè, etiamsi liber hæresim contineat; nam est probabile in peccatis, quæ sunt contra fidem, ratione periculi infectionis, quale immiuet legenti, dari parvitatem materiæ. Prohibet Ecclesia librum legere, vel communicationem cum Hæreticis ob periculum, ne subvertatur Catholicus; si legas unam, vel alteram lineam, unum, vel alterum verbum proferas, dum desit grave periculum, ex parvitate materiæ excusaris; verùm, etiam minima attenduntur, ubi grave periculum imminet: furari obolum secundum se non est mortale, sed ob grave alterius damnum læthale ab omnibus dicitur; legere unam, vel alteram lineam libri prohibiti, non est grave peccatum, sed unicam scienter legere, in qua hæresis contineatur, gravissimum; nec censura vitatur, non modò quia periculum infectionis imminet, verum etiam, quia cum illa linea sit tota causa prohibitionis, inobedientia est gravis; nec à peccato, & censura excusatur, qui scienter in libro prohibito, tractante de Religione, dimidium paginæ legit (& si sit magni voluminis minus sufficit) nam inobedientia contra legem Ecclesiæ, quæ etiam damnat librum in odium Auctoris, gravis est. Vide

de Felic. *tom.2.nu.363.* Campion. *par.2. instruct.cap.5.nu.7.*

20. Quæritur. *An ligetur censura Bullæ, qui legit Hæreticorum libros, Grammaticos, Poeticos, Historicos, Politicos, &c.*

Resp. Negativè, modò hæresim non contineant, nec de Religione tractent, nam Bulla solum istos legentes hujusmodi censura ligat. Sed innodatur excommunicatione non reservata, contenta *in reg.10. Indicis*, ubi hæc sunt: *si quis libros Hæreticorum, vel cujusvis Auctoris scripta ob hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem damnata atque prohibita, legerit, sivè habuerit, statim excommunicationis sententiam incurrat:* ad istam incurrendam sufficit, legere librum Hæretici, quamvis hæresim non contineat, aut de Religione non tractet. Ut incurratur legendo librum Catholici, necesse est, ut ejus libri sint ob hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem prohibiti; ex his sequitur, legentem libros Auctoris Catholici, ob res obscænas, & lascivas, *in reg.7.* prohibitos, nullam censuram incurrere, sed reus est peccati mortalis, ut ex eadem *reg.10.* in fine, ubi: *qui verò libros alio nomine interdictos legerit, aut habuerit, præter peccati mortalis reatum, quo afficitur, judicio Episcoporum severè puniatur.*

21. Sed quid, *si quis apud se haberet, vel legeret Sacra Biblia, vel eorum partem aut compendium Historicum, vulgari lingua scriptum?*

Resp. Peccaret mortaliter, modò sine licentia legeret, nec posset absolvi, nisi priùs Ordinario ipsa redderet, *ex reg.4.* Indicis *ver. qui autem?*

In Regula 6. permittuntur antiqui ab Ethnicis conscripti, propter sermonis elegantiam; pueros autem eos legere prohibetur. Libri Origenis, Tertulliani ob specialem utilitatem permittuntur, & jam sunt expurgati *Fel.tom.2.num.355.*

22. Quæritur. *An legens Talmud Hebræorum, & libros Cabalisticos censura Bullæ ligetur?*

Resp. Negativè, quia Bulla loquitur de legentibus libros Hæreticorum, hæresim continentes, vel de Religione tractantes. Hebræi autem non sunt hæretici; nam ut, quis Hæreticus dicatur, requiritur, ut sit baptizatus: non potest dici ab Ecclesia Dei divisus, qui in Dei Ecclesia numquam fuit. Carena *tit.14.§.1.nu.2.* Christiani tamen legentes, retinentes, imprimentes, & exemplantes excommunicatione Papæ non reservata innodantur, *ex regul.10.* Indicis, & Const. Clement. VIII. Cum Hæreticorum pridie Kal. Martii 1592.

23. Sed quid, *de legente, & retinente Alcoranum Mahumetis, seu legem Turcarum?*

Resp. Ligatur excommunicatione lata in alleg. 10. regula Indicis, nam certè quamvis liber præfatus non sit auctoris hæretici, tamen falsissima continet dogmata; An autem, tam legens Talmud, quàm Alcoranum censura, etiam reservata, innodetur? mihi non constat, cum ad manus non habeam Constitutionem Apostolicam, ex qua possim id colligere; ideò me submitto declarationibus S. Matris Ecclesiæ.

24. Quæritur. *An legentes libros Astrologiæ judiciariæ, & scripta Geomantiæ, Hydromantiæ, Aeromantiæ, Chyr-*

*Chyromantia, Necromantia, & Pyromantia, sive, in quibus continentur sortilegia, veneficia, auguria, incantationes, artes magicæ, quæ prohibentur in reg. 9. Indicis excommunicentur in Bulla Cœnæ?*

Resp. Negativè, modò non sint hæretici auctoris, hæresim continentes, aut de Religione tractent.

Sed *dubium est, an ligentur excommunicatione contenta in præfata 10. regula?*

Resp. Affirmat Bonac. *nu.* 4. quia præfati libri in regula 9. Ind. damnantur; & videntur damnari ob hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem; nam in eis continetur modus recedendi à Catholica fide, adorandi Dæmonem, & similia fidei Catholicæ contraria. Quæ est tutior sententia.

25. Nota, Geomantiam ex Dæmonum industria occulta manifestare ex signis in corpore terrestri apparentibus, ut lapide, ligno, &c. Hydromantiam per signa apparentia in aqua. Aeromantiam per signa apparentia in aere. Chyromantiam per lineas manuum. Necromantiam per fictas mortuorum suscitationes, vel locutiones. Pyromantiam per signa ex igne. Omnes istæ divinationes, & prædictiones rerum occultarum, & futurarum, quæ naturaliter fieri nequeunt, ineludunt pactum expressum, vel implicitum cum Dæmone consequenter sunt ab intrinseco malæ, quemadmodum ipsa divinatio Pythonica, qua per homines vivos Dæmon occulta prædicit. Sousa Aphorismi *lib.* 1. *cap.* 12. *& sequen.* Legas Const. Sixti V. *Cœli, & Terræ, & sup. cap.* 4. *nu* 19.

26. Quæritur. *Quomodo Confessarius se gerere debeat cum legentibus & retinentibus libros Hæreticorum hæresim continentes, vel de Religione tractantes?*

Resp. Absolvere non potest, quia excommunicatione Bullæ Cœnæ ligantur, à qua nisi Summus Pontifex, aut alius de ipsius authoritate absolvit. Vide *cap.* 3.

Item, injungat, ut libros Inquisitoribus deferant; nec numquam absolvi debent (etiam cum possit) nisi realiter, & cum effectu eis, & in eorum defectum, Ordinario libros consignaverint.

Et interroget pœnitentem, an sciat aliquos legere, vel retinere, etiam in alienis domibus, libros hæreticorum hæresim continentes, vel de Religione tractantes, & dum affirmet, et antè absolutionem præcipiat, ut Inquisitoribus eos infra mensem, denunciet *jux. cap.* 4. *nu.* 16.

Deinde inquirat, à quanto tempore apud se libros habeat; quoties legerit, & an aliquibus, & quoties, ac quibus commodaverit.

Denique aperiat gravitatem delicti: quod peccavit læthaliter contra obedientiam Ecclesiæ debitam, & contra fidem, propter periculum, cui se exposuit ipsam perdendi; ipsum excitet ad eliciendos actus fidei divinæ, ac alia agat, quæ quivis prudens Confessarius in Instructione pœnitentium ante absolutionem non debet omittere, & tunc, si habeat facultatem absolvat.

27. Sed dubitatur, *an legens libros prohibitos teneatur seipsum denunciare?*

Resp. Negativè: edictum S. Officii alleg. *cap* 4. præcipit omnibus, ut denuncient eos, de quibus habent, habuerint,

vel habebunt notitiam, quod absque debita licentia retineant, legerint, &c. scripta continentia hæreses, aut libros hæreticorum tractantes ex professo de Religione, &c. juxta edictum citatum; ex quibus patet onus denunciandi esse ad scientes, non ad habentes, vel legentes; aut reos; habens autem, vel legens, est à Confessario monendus, quod si sponte non compareat coram Sacro Tribunali, & sincerè proprium delictum aperiat, sed ab alio se juridicè denunciari sinat, non evitabit pœnas, quas benignè sponte comparentibus remittit.

28. Sed quæritur. *An reus in legendo, & retinendo præfatos libros, teneatur denunciare complicem?*

Resp. Affirmativè, &, ne ipse postea patiatur ex subsecutura Confessione alterius Complicis, eum Confessarius instruat, ut primo sponte compareat pro suo delicto, ipsum non diminute aperiendo, sed cum omnibus adminiculis, & circumstantiis, & postea complicem denunciet.

29. Quæritur. *Quomodo tempore Jubilei se gerere debeat Confessarius cum legentibus libros præfatos, it. quæ datur facultas absolvendi ab omnibus casibus, etiam in Bulla Cœnæ contentis?*

Resp. Interroget, an, quando legerit librum, hæresim continentem, habuerit etiam errorem in intellectu contra fidem, & dum fatetur, absolvere non debet, quia est hæreticus formalis, etiam externus; ab hæresi autem formali vigore Jubilei nullus absolvere potest, nisi expresè id in Bulla concedatur, prout expresè ex sequenti Congr. S. Officii decreto: Sanctiss. D. N. Alex. Papæ VII. *sub die 13. Maji 1656. cum crimen hæresis, præ cæteris gravissimum, speciali nota dignum sit, decrevit, facultatem absolvendi ab hæresi in Jubileis, vel aliis similibus, concessionibus non censeri comprehensam, nisi præcisis verbis concedatur facultas absolvendi ab hæresi.*

Si verò hæresim in intellectu non habuerit, absolvat ab excommunicatione incursa, sed prius curet, ut realiter, & cum effectu Inquisitori libros consignet.

30 Quæritur. *Quomodo se gerere debeat Confessarius cum legente alios libros in Indice librorum prohibitos, ut, continentes res aliquas lascivas, &c.*

Resp. Interroget, an, quando legerit habuerit errorem in intellectu, credendo non esse in Ecclesia Dei authoritatem prohibendi, & damnandi libros, nec posse eos damnare; nam tunc erit innodatus excommunicatione Bullæ Cœnæ, & formaliter hæreticus, cum hæreticum sit dicere in Dei Ecclesia eam potestatem non reperiri. Ex actibus Apostolorum *cap.* 19. refertur plures libros fuisse combustos: res est certa.

Si sine errore, interroget, ut supra *nu.* 26. *ver.* Deinde, &c. &, an eorum occasione carnaliter peccaverit, saltem per delectationes sensuales, quoties, & erga quos, vel quas passus sit.

Item curet, ut ante absolutionem libros Inquisitori realiter, & cum effectu consignet; nec absolvi debent, qui volunt retinere libros continentes res lascivas & bonis moribus contrarias, ratione periculi peccandi mortalitet.

31. An *autem retinentes libros ob res lascivas prohibitos sint denunciandi S. Officio?*

Resp

Resp. Affirmativè, si sint de hæresi suspecti ; alias negat Carena *num.* 60. nam non videntur comprehendi in edicto S. Officii; verum me ejusdem S. Tribunalis determinationi submitto.

32. Quæritur. *Contra quam virtutem peccet, qui legit, & retinet libros prohibitos?*

Resp. Si libri sunt primæ classis, hæretici nimirum auctoris, continentes hæresim, de Religione tractent, aut damnati, propter falsi dogmatis suspicionem, peccat contra fidem, quia se exponit periculo illam perdendi; nam fides obligat non modò ad non discredenda, quæ Deus revelavit, & Ecclesia Catholica, ut credenda, proponit, vel ad non dubitandum de illis; verùm & ad non se exponendum periculo ipsam amittendi ; & contra obedientiam, quæ Ecclesiæ præcipienti debetur.

Si verò sint secundæ classis, & prohibiti ob res lascivas, & obscœnas, peccat contra castitatem, quæ obligat etiam ad non se exponendum periculo peccandi carnaliter, vel in re, vel affectu : unde regula generalis est, quod qui se exponit periculo peccandi, peccat eadem specie peccati, cujus periculo se exponit. Et hæc sint satis de libro primo.

# LIBER SECUNDUS
## CONTINENS PROPOSITIONES AB INNOCENTIO XI. PROSCRIPTAS.

Successivè ad Alex. tempora *sub anno* 1679. *die* 2. *Martii* & Innoc XI. alias quinque supra sexaginta propositiones, in praxi itidem pernicioſas, ac Eccleſiaſticæ diſciplinæ relaxativas, proſcripſit; quas, conſulendo utilitati pœnitentis, & ad effectum, ut à Confeſſario, in ſuo munere non errante, in foro pœnitentiæ plenè, & ſanctè inſtruatur, caveatque errores per eas aſſertos, hic eas, variis reſolutis dubiis, per ſequentia capita brevi methodo exhibeo.

### CAPUT PRIMUM.

*Prop. I ab Innoc. XI damnata. Opinio tutior circa valorem Sacramentorum.*

1. PROP. 1. *Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, niſi id vetet lex, conventio aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc ſententia probabili tantum utendum non eſt in collatione Baptiſmi, Ordinis Sacerdotalis, aut Epiſcopalis.*

Authores propoſitionis voluntinel ſentialibus Sacramentorum, & illorum adminiſtratione fas eſſe, uti opinione probabili, & minus tuta, relicta tutiore, & probabiliore; ac propterea licere in ipſorum adminiſtratione, etiam materia incerta uti, eò quia probabile id à nonnullis reputetur, tametſi contrarium ſit probabilius & tutius, & Miniſter ſe expo-e nat periculo faciendi irritum Sacramentum.

Reſtrin-

Restringunt tamen opinionem propriam, dum rectè affirmant in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis, aut ad vitandum periculum gravis damni, esse semper eligendam opinionem tutiorem circa valorem Sacramenti, quod est commune apud omnes; ratio est, quia, si in præfatis eligeretur minus tuta, gravia sequerentur incommoda in pernicem salutis animarum; in Baptismo quidem periculum damnationis æternæ in baptizato; in Ordine verò Sacerdotali periculum nullitatis consecrationis, & absolutionis Sacramentalis, si eam conferat inordinatus; & in Ordine Episcopali periculum nullitatis Ordinum: & inde innumera absurda, quæ quisque potest colligere; sed errant, dum in conferendis cæteris Sacramentis admittunt, fas esse in concursu tutioris de validitate, & valore Sacramenti, uti minùs tuta, & probabili; nam certè, quamvis indè nullum damnum tertio oriretur, irreverentia Sacramento esset inevitabilis, propter periculum nullitatis, & frustrationis, cui exponeretur; propterea id esse absolutè, & in quolibet Sacramento illicitum, debet Confessarius notare.

2. Supponat de fide esse ex Florentino quòd omnia Sacramenta tribus perficiuntur, materia, forma, & intentione ministri.

3. Quòd Sacramenta habent materiam, & formam determinatas à Christo Domino, quæ semper necessariò requiruntur, & nunquam, quoad substantiam, mutari possunt, ex Trid. *sess.* 21. *cap.* 2. ubi declaratur, fuisse semper in Ecclesia Dei potestatem in Sacramentorum administratione, ea statuere, vel mutare, quæ suscipientium utilitati, & Sacramentorum veneration magis expedire judicaret, *salva illorum substantia Sacramentorum* (per quam intelligitur materia, & forma) demonstrat Concilii sensum fuisse, quòd non possit immutari; quòd si Ecclesia id facere nequit, certum est multò minus ullum alium id facere posse.

4. Quæritur, *quæ opinio dicatur minus tuta circa valorem Sacramentorum, & quæ magis tuta?*

Resp. Illa minus tuta dicitur, quæ affirmans probabile esse valere Sacramentum sic, vel sic collatum, exponit ipsum periculo nullitatis: illa verò tutior, quæ non exponit Sacramentum tali periculo, dum probabiliter asserit Sacramentum tali modo administratum non esse validum: explico: est quæstio inter DD. an valeat Baptismus collatus in lixivio: opinio probabiliter affirmans valere, dicitur minus tuta, quia, cùm non sit certum baptismum valere, exponit ipsum periculo nullitatis; materia enim Sacramentorum à nostro judicio non pendet, & ideò ad ipsorum validitatem est necessaria materia, quam Christus instituit, & determinavit: propterea, si coram Deo lixivium non foret materia apta pro Baptismo, nec opinio id asserens vera, Sacramentum foret nullum, & Baptizatus privaretur fructu, & effectibus suis, gratia nimirum, & charactere, & sic non obtineretur effectus intentus à Christo in institutione Sacramentorum.

Opinio verò, quæ dicit illum Baptismum non valere, dicitur tutior; ex qua sequitur, quod, (extra casum necessitatis)

tis) in lixivio conferendus non est, ne Baptismus exponatur præfato periculo, & baptizans periculo faciendi ipsum iritum; & hinc tutius est, quod in lixivio non conferatur, sed materia certa adhibeatur.

5. Sed quid, *si non habeatur materia certa, aqua nimirum naturalis, & usualis, quæ per Trid. sess. 7. canon. 2. de Baptismo, est materia Baptismi?*

Resp. Quod, sicut, nulla necessitate urgente, unquam licèt in administratione Sacramentorum uti materia probabili, incerta, & dubia, omissa probabiliori, & certa; sic in necessitatis casu, dum certa non habetur, nec haberi potest, & ex omissa Sacramenti administratione exponitur anima periculo damnationis, potest quis materia probabili uti; explico exemplo; infans est moribundus, habetur lixivium, non aqua, debet in lixivio baptizari sub conditione, ut, si fortè coram Deo, & à parte rei sit materia Baptismi, consequatur vitam æternam.

Nec tunc potest dici, quod eligatur minus tuta, relicta tutiore, quia, cùm in eo casu urgentis necessitatis aqua naturalis non possit haberi, impossibile est eligere tutiorem; & ideò non relinquitur tutior; quoniam non dicimur relinquere, nisi, quæ habere possumus.

Quænam *autem sit opinio probabilis, quænamvè tutior, tuta, & probabilior, habes lib. 1. cap. 20. num. 2.*

6. Quæritur, *an Confessarius possit absque peccato ad praxim deducere sententiam, dicentium attritionem sufficere ad Sacramentum pœnitentiæ, relicta opinione asserentium, eam non sufficere, sed requiri contritionem perfectam; quod est idem ac quærere, an possit absolvere pœnitentem, quem cognoscit habere dolorem attritionis de suis peccatis?*

1. Resp. Sed suppono, quod dolor de peccatis est pars essentialis Sacramenti pœnitentiæ, sine quo validum esse non potest, nam validum sine sua parte essentiali esse nequit, sicut sine anima rationali homo non subsistit, prout *infr. cap. 3.*

2. Quòd dolor de peccatis, sive attritio sit, sive contritio, debet esse supernaturalis, ut ex dicendis ibid. constabit; quibus suppositis ad dubium.

Quidam negant, & moventur, ex quo Confessarius in casu se exponeret periculo faciendi nullum Sacramentum; nam; cùm opinio asserens ad valorem Sacramenti attritionem sufficere, sit minùs tuta, & tutior sit opposita id negans, & requirens contritionem perfectam, Confessarius illam sequendo exponit Sacramentum periculo nullitatis, quoniam, si coram Deo, & à parte rei attritio non esset dolor sufficiens, Sacramentum esset nullum; & ideò deberet abstinere ab absolutione pœnitentis, quem solùm attritum agnosceret.

Sed nos contra præfatos affirmamus: quorum discursus concluderet, si sententia affirmativa de sufficientia attritionis esset merè probabilis, & non omninò certa, & indubitabilis; sed certa est omninò propter definitionem Trid. *Sess. 14. cap. 4.* ubi: *illam verò contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, &c.* & infrà, *& quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere*

*ducere peccatorem nequeat, tamen ad Dei gratiam in Sacramento impetrandam disponit.* Unde ex Concilio aliter ad Dei gratiam dispopit intra Sacramentum, & extra: nam extra Sacramentum dixit non perducere peccatorem ad justificationem, intra verò disponere peccatorem ad illam; & quidem proximè, & immediatè, quia remotè, etiam extra Sacramentum disponere dicitur; & ideò, cùm sententia, quòd attritio sufficiat, sit omninò certa, dici non potest esse minus tuta circa valorem Sacramenti.

7. Sed instant. In articulo mortis non sufficit attritio, sed requiritur etiam contritio perfecta: quod verum non foret, si attritio esset certò sufficiens ad Sacramentum Pœnitentiæ: nam tunc etiam in eo articulo foret sufficiens.

Resp. Negando, quòd in articulo mortis ad justificationem obtinendam per Sacramentum Pœnitentiæ non sufficiat attritio, nec ex isto capite contritio perfecta charitate formata tunc requiritur, sed ex alio asseritur à D. D. necessaria; tum ex quo pro tunc Deus est super omnia diligendus, & dolendum est de offensa ipsi, ut summo bono, facta; tum ex quo homo non habens omnimodam evidentiam, aut certitudinem de valore sui baptismi, neque de valore Ordinis Sacerdotis illum absolventis, debet se reddere securum pro salute æterna consequenda per actum dilectionis Dei super omnia, & detestationem peccati, ut est offensa Dei summi boni: ad quam securitatem requiritur contritio charitate formata. Vide cap. 34. *in fine*.

8. An autem *sufficiat attritio cognita ut talis, vel debeat esse cognita aut contritio? dicendum infra cap. cit. nu.* 31.

Sed adhuc quæritur, *an opinio affirmans attritionem conceptam ex metu pœnarum temporalium, quæ à Deo, tamquam à delictorum vindice, infliguntur, esse sufficientem ad valorem, & effectum Sacramenti, licitè possit ad praxim deduci, relicta tutiore, quæ dicit, sufficientem non esse: & sic absolvi pœnitens, qui cognoscitur solùm dolere de peccatis, quia timet à Deo bonis temporalibus, sanitate nimirum, & filiis, privari?*

Resp. Negativè, ratio est, quia opinio illa non modò est minùs tuta, verùm etiam improbabilis, & falsa; nam, ut dolor attritionis sit dispositio sufficiens ad justificationem, debet esse supernaturalis, hoc est, regulatus à fide, quæ est principium supernaturalitatis; & hinc non sufficit timor pœnæ temporalis, cùm fides non doceat peccanti propter peccata imminere talem pœnam, seu peccatum à Deo castigari morte, aut bonorum temporalium amissione; nam mors temporalis omnibus, etiam justis, communis est, & cæteris hujus vitæ mala, etiam justos, affligunt, non solos peccatores, quos sæpè potiùs prosperari experimur; fides autem docet imminere peccanti pœnam æternam inferni, eumque ob peccatum à Deo castigari morte æterna, & æternæ beatitudinis carentia; hinc dolor de peccatis conceptus ex timore pœnarum inferni, & amissionis beatitudinis est à fide regulatus, non verò ille conceptus ex timore pœnarum hujus vitæ; & propterea iste sufficiens non est ad valorem Sacramenti, bene verò ille: super-

per-

per quo debent, etiam pœnitentes instrui, sed de hoc cap. *cit.*

9. Quæritur, *contra quam virtutem peccet, qui utitur opinione minus tuta circa valorem Sacramenti, relicta tutiore?*

Resp. ContraReligionem,& Charitatem; contra Religionem sanè, quia,cùm conficere Sacramentum irritum, atque nullum, sit peccatum mortale contra reverentiam Sacramento debitam, exponere se periculo faciendi nullum Sacramentum est peccatum mortale contra eamdem reverentiam, & est Sacrilegium; quandoquidem, ut loquitur Suarez, in moralibus perindè *est aliquid facere, & exponere se periculo faciendi*; contra Charitatem verò, quia exponit se periculo defraudandi fideles fructu Sacramentorum,quæ instituta sunt, ut fideles eorum fructus percipiant.

Et ideò, ut ex Scoto *in 4. dist. 3. qu. 2.* ponderat Fagnan. *in 1. Decretal. ad cap. Ne innitaris de const. num.* 303. non modò ex charitate erga proximum, sed etiam ex reverentia, quæ debetur Sacramento, semper tenetur quis sequi partem omninò tutam, ne se exponat periculo faciendi illud, irritum.

10. Sed dubitabis, *non ne, dum Confessarius absolvit Pœnitentem, quem probabiliter cognoscit esse verè dispositum per contritionem, vel attritionem, sine peccato, etiam extra casum necessitatis, absolvit? & tamen tunc exponitur Sacramentum periculo nullitatis; quia ea cognitio est de materia essentiali, seù requisita ad valorem Sacramenti, & cùm sit merè probabilis, fallibilis est, & falsa esse potest; in casu verò, quod esset falsa, & coram Deo peccator non sufficienter dispositus, Sacramentum esset nullum, ergo non peccat, qui exponit Sacramentum nullitati, sequendo opinionem minus tutam de valore Sacramenti, relicta tutiore?*

Resp. Ut non peccet Sacerdos absolvendo, non modò de dispositione pœnitentis debet cognitionem probabilem, sed moraliter certam habere; nam non debet prudenter dubitare, aut suspicari de legitima dispositione pœnitentis, aliàs invalidè absolvit; quam cognitionem Confessarius colligit ex pœnitentis Confessione, dolore, proposito, lachrymis, compunctione,emendatione vitæ, &c. quæ licèt secundùm se sint fallibilia, tamen in istis circumstantiis apta sunt, ut ex ipsis formetur judicium moraliter certum, hoc est, prudenter judicetur de vera dispositione peccatoris, sic, ut imprudentissimum sit quodlibet aliud judicium: & ideò tunc non peccat,sed prudenter operatur, nec minùs tuta utitur, relicta tutiore: nam tutior non habetur, & est impossibile,quod alia tutior, præcisa divina revelatione, pro isto statu à Confessario habeatur. De absolvendo in articulo mortis dicendum *cap. 3. à num. 4. & cap. 37. nu. 9.*

11. Si dicas, *non ne tutius esset non absolvere?*

Resp. Hoc esset negare Sacramentum pœnitentiæ; nam,cùm Confessarius non possit de pœnitentis dispositione habere pro statu isto, præciso miraculo, majorem certitudinem, & tutiorem securitatem, quàm moralem (physica enim,& methaphysica est impossibilis, nec exigitur) cùm dicis, cum hac non posse licitè absolutionem conferre, sequitur, quod num-

numquam poterit, & sic frustra, & inutiliter esset à Christo Domino Sacramentum pœnitentiæ institutum, & præcepta Confessio, quod est hæreticum asserere; quid autem sit certitudo moralis, diximus cap. 20. *cit. nu.* 15. *in fine.*

12. Quæritur, *an sit valida absolutio data à Confessario, qui communiter reputatur habere jurisdictionem, quam à parte rei non habet?*

Resp. Affirmativè; sed requiritur: primò, quod error sit communis, seù communiter teneatur ut Confessarius ab omnibus, tam sapientibus, quàm insipientibus; nam, si aliqui dubitarent, error esset, sed non communis; cùm commune non sit, quod communiter non admittitur.

2. Quod Confessarius habeat titulum à legitimo Superiore collatum, hoc est, quod ab Ordinario Parochiam, vel jurisdictionem obtinuerit, adeò ut ab omnibus pro Parocho, & Confessario habeatur, quamvis propter aliquod impedimentum occultum titulus invalidus sit, ut, quia est suspensus; in quo casu affirmant DD. valere absolutionem, quia Ecclesia supplet jurisdictionem, juxta, dicta lib. 1. *cap.* 9. *nu.* 16. Vide Bonacc. *de matrim. q.* 2. *punc.* 8. *nu.* 32. & Fagnan. *ib. allegatum:* qui optimè scripsit non supplere, si fuerit sua authoritate intrusus, & *in* 1. *Decretal. ad alleg. c. Nonnitaris nu.* 380. dixit, Ecclesiam non tribuere jurisdictionem ad absolvendum Sacerdoti eligenti opinionem probabilem, prætermissa probabiliori, nam eo ipso, quod Sacerdos eligens opinionem probabilem cognoscit contrariam esse probabiliorem, excluditur communis error, & titulus putativus proveniens à legitimo Superiore; sed oritur tantùm ex sua propria opinione: quod debet Confessarius notare; quemadmodùm scire, quòd quamvis aliquis communiter teneretur pro Parocho, & à legitimo Superiore Parochiam obtinuisset, si baptizatus non foret, vel esset fœmina, aut non Sacerdos, ei ab Ecclesia ad absolvendum jurisdictio non tribueretur, non obstante communi errore, ac putativo titulo à legitimo Superiore obtento, propter impedimentum, & incapacitatem lege divina, & Ecclesiastica statutum.

13. Quæritur, *an in conferendis, vel recipiendis Sacramentis detur parvitas materiæ, sic, ut quis valide ipsa conficiat, vel recipiat, tametsi aliquod minimum ad ipsorum valorem requisitum prætermittat?*

Resp. Negativè, nam Sacramentum, formaliter loquendo, in indivisibili consistit, & ideò, quocumque minimo prætermisso, de requisitis ad valorem, & essentiam, totum Sacramentum est nullum, & non subsistit; sicut non subsistit homo, si omnia ad essentiam ipsius requisita non ponantur.

## CAPUT II.

*Prop. II. ab Innoc. XI. &c. Judicium juxta probabiliora ferendum.*

1. PROP. 2. *probabiliter existimo, Judicem posse judicare juxta opinionem, etiam minus probabilem.*

Judicem posse sequi opinionem probabilem, etiam contra communem, & pro-

babiliorem, docuit Ledesma apud Fagnanum *in 1. Decretal. adcit. cap. Ne innotaris nu.* 31. ubi Sanchez affirmat, hanc opinionem esse probabilem; utrumque autem damnavit Innoc. quod debet Confessarius notare, & ad praxim non descendere contra præscriptum, sive pœnitentes sint Judices, & Advocati, sive Medici, cæterique, quibus non licet juxta minus probabilem, relicta probabiliore, operari. De ministris Sacramentorum diximus cap. præterito; & in præsenti aliqua, etiam ipsi Confessario, ut Judex est, & Medicus, possunt aptari.

2. Quæritur, *quid respondere debeat Confessarius Judici pœnitenti, dicenti*: scrupulis vexor: mihi juxta allegata, & probata constat Petrum fuisse homicidam Pauli, & aliundè habeo certitudinem physicam, quod Petrus sit innocens; nam tunc temporis à Civitate erat absens: quæro, quid mihi agendum sit; si eum ad mortem condemno, operor contra conscientiam, & veritatem, ac innocentem damno, quod est ab intrinseco malum, contra omnia jura, & rationem: si liberem, facio contra justitiam, & officium à Republica mihi commissum; utrumque malum est, expecto instructionem?

Resp. Debet videre, an Judex sit supremus habens facultatem condendi leges, an inferior: si supremum invenit, significet se teneri ad pronunciandum contra allegata, & probata, sed secundùm scientiam, quam privatim habet, ne innocentem damnet; ratio est, quia in casu justam causam habet derogandi legi: & in favorem innocentis debet, modò id possit sine gravi scandalo populi, & damno Reipublicæ. Cæterùm ad satisfaciendum populo, & evitandum scandalum, debet rem sibi notam, cæteris aliquo modo aperire.

Si verò fuerit inferior: quidam censent, eum debere judicare juxta allegata, & probata, ac secundùm conscientiam, quam ex probatis in causa, ut Judex, habet; qui conformari debet in judicando, non secundùm id, quod ipse novit, tamquam privata persona, sed secundùm id, quod sibi innotescit, tamquam persona publica; de quo, ut notavit Cajetanus, diceretur judicare secundùm Deum, seu, ut vult Deus, qui statuit, ut homo judicet secundùm veritatem publicam ex probationibus, dum statuit, quod in ore duorum, vel trium stat omne verbum; & propterea non diceretur, ut Judex, innocentem damnare, quia in scientia, quam, ut Judex haberet, innocens non foret.

Cæterùm crediderim esse priùs instruendum, eum teneri Petrum liberare, si posset: vel impediendo accusationem, vel remittendo causam Superiori, si potest sine gravi damno, & infirmando coram illo testium probationes: quòd, si id non possit, concedat reo appellationem, & in ejus favorem coram Superiore testificetur. Et, si adhuc causa ad eum devolvatur, adeat Superiorem, eumque de veritate moneat, vel pressius, & multoties testes examinet, eis suum testimonium exprobando, vel, si absque scandalo potest contingere, carcerem aperiat, ut reus fugiat. Quilici *Confes. manud. q.* 15. *art* 7. *nu.* 9. De la Cruz 7. *præcept qu.* 3. *de injust. Jud. nu.* 9. quod, si hæc nec executioni

cutioni dari potuerint, poterit prior sententia ad praxim deduci.

3. Sed quid, *si Judex sciat aliquem reum esse, & reus judicè non probetur, sed potius innocens?*

Resp. Non potest ipsum damnare; ratio est, quia cùm judicet, ut persona publica, debet judicare juris ordine servato, adeòque, nisi reus juridice probetur, cap. *cum à nobis de test. & attest.* Immò nec potest reum damnare ex aliorum dictis, nisi prius ejus causa diligenter examinetur, & detur reo locus se defendendi, per se, vel per alium, cùm jus naturæ id poscat, alioquin posset innocens damnari, cap. *qualiter il 2. de accusat.* Vide Bonacc. 8. *præcept. Decal. disp.* 10. *q.* 2. *punc.* 2. *num.* 5.

4. Quæritur, *quare Judex debet sententiam ferre pro parte, quæ habet pro se rationes validiores, & fortiora motiva contra partem, quæ leviores rationes adducit?*

Resp. Quia ab Innoc. damnatur oppositum, & etiam, quia Judicibus à Republica commissa est cura, ut ferant sententiam juxta partem magis probatam. Tum quia, fieret injuria ei, qui melius probavit suam partem. Tum quia, sententia opposita viam aperit oppressioni pauperum, & acceptationi personarum; propterea ab omnibus supponitur Judicem ex pacto, & conventione per acceptationem, & collationem officii inita, obligari ad pronunciandum in favorem habentis pro sua parte validiores rationes. Tum, quia ipse Judex conquereretur de injustitia, si alius Judex in aliqua sua causa pronunciaret pro parte minus probabili in favorem partis adversæ, ergo nec ipse debet pronunciare in causa aliorum, juxta id, *quod tibi non vis, &c.*

5. Sed quid, *si cognoscat probationes esse æquales, & jus utrique parti æqualiter favere?*

Resp. Non debet pro suo speciali favore rem litigiosam parti, cui voluerit adjudicare; nam, cùm non sit Dominus rei, non potest aliquod jus in alterutram partem transferre, & cùm videat utramque partem habere æqualem probabilitatem, tam facti, quàm juris, non potest salva veritate, & justitia, ac pacto ex officio suscepto, declarare, quod una habeat probabilitatem majorem. Ideò, vel res dividenda erit in æquales partes, si est divisibilis; vel retinens totam rem, debet alteri compensationem reddere secundùm æstimationem dimidii: æquale enim est jus ambarum partium.

6. Sed quæritur, *an peccet, si uni potiùs quàm alteri adjudicet?*

Resp. Affirmativè, peccat contra justitiam Reipublicæ, ac partis, contra quam pronunciat, cui proindè tenetur ex justitia damna compensare; immò est perjurus, si juravit jus dicere secundùm leges, & sententias injustas non dare; ac mentitur, si videns utramque opinionem esse probabilem, affirmet unam esse aliâ probabiliorem.

7. Quæritur, *an si Judex non damnet reum ad pœnam pecuniariam secundùm legem applicandam Fisco, Accusatori, aut aliis, teneatur eam restituere illis?*

Resp. Affirmativè: ratio est, quia ratione officii tenetur ex justitia reddere partibus suum jus, sed accusator habet jus legale ad illas pœnas. Idem tamen non videtur dicendum de teste injustè negan-

te, quia non est minister justitiæ, sicut Judex. De la Cruz 3. *præcept. articul.* 1. *qu.* 3. *in fine.*

8. Quæritur, *an peccet Advocatus suscipiens defendendam causam manifestè injustam, quæ scilicet, sit apertè contra leges, aut sciat debitum solutum, &c.*

Resp. Affirmativè, si id scienter faciat; & restituere teneatur parti contrariæ expensas, & damna secuta ex sua Advocatia, & suæ parti restituet, etiam expensas; quia eam injustè lædit, si non monuit de injustitia suæ causæ. D. Thomas 2. 2. *qu.* 71. *art.* 3.

9. Sed quid, *si suscipiens patrocinium causæ, quam putabat justam, in processu reperiat injustam?*

Resp. Tenetur statim deserere, & monere suam partem de injustitia comperta, ipsamque ad cedendum inducere; sed non potest prodere parti contrariæ injustitiam, & secreta suæ causæ, ibid S. Thomas.

10. Quæritur, *an, si Advocatus Clientulo significet rationes partis adversæ esse probabiliores, & tamen voluerit Cliens ejus operam conducere, possit huic ille patrocinium præstare?*

Resp. Negativè; ratio est, quia cùm Cliens non possit agere causam minus probabilem, seù litigare de re, quam putat probabilius ad alterum spectare (hoc enim esset directè procurare, quod fieret injustitia, cùm injustum sit rem judicare habenti minùs probabilem titulum) sic, nec Advocatus potest ejus patrocinium suscipere, quia, ut ibi loquitur D. Thomas in corpore quæsiti, *est illicitum, alicui cooperari ad malum faciendum sive consulendo, sive adjuvando, sive qualitercumque consentiendo, quia consilians, & coadjuvans est quodammodo faciens, in quo injustè læditur is, contra quem Patrocinium præstat*; nam sicut nemo potest consulere alteri id, quod ille absque peccato exequi non potest *cap. Error cum duobus* 83. *dist.* sic nec patrocinari, quod minùs probabile ipsi apparet.

Et sic discurri potest: vel Advocatus videt se inducturum Judicem ad ferendam sententiam adversùs partem, quæ habet probabilius jus, & tunc est causa injusta damni partis læsæ, quæ jus habet, ne alter cooperetur ad ablationem rei, quæ juxta probabiliores rationes ad se spectat; vel prævidet causam esse ab Judice adjudicandam parti habenti probabiliorem titulum, & tunc esset injusta causa inutilium expensarum, & sic restitutioni obstrictus. Vid. Fagnan. *in* 1. *ad cap. ne innitaris de const. num.* 387.

11. Quæritur, *an tuta conscientia, possit Advocatus suscipere causam defendendam, pro qua sunt rationes utrinque æque probabiles?*

Resp. Affirmativè, nam hæc est propria materia litis, unde si in causis dubiis non liceret Advocatis patrocinari, vix umquam liceret, & supprimi possent ferè omnia orbis Tribunalia: ut plurimùm enim solet litigari de rebus dubiis, quæ ob conflictum rationum, utrinque probabilium, sunt dubiæ; & propterea incertus dicitur litis eventus; satis est itaque, ut Advocati moveantur probabilibus rationibus.

Caveant tamen, ne proponant Clientulis suis partem probabilem, & dubiam, tamquam certam, & tutam quia tunc menti-

mentirentur proponendo rem dubiam, tamquam certam, & Clientulos deciperent, ac per deceptionem ad litigandum inducerent, qui fortè non litigarent, si rem dubiam intelligerent; & propterea Advocati peccant, & eis tenentur ad damna & interesse.

12. Quæritur. *An possit Confessarius absolvere Advocatum, qui paratus est cuivis patrocinari, sive causam justam, sive injustam litigandi habeat?*

Resp. Negativè, quia paratus est ad admittenda peccata contra justitiam, & ideò peccat. Layman. *lib.* 1. *tract.* 1. *cap.* 5. §. 3. *num.* 8.

Pro institutione Confessarii danda Advocatis, notetur 1. quod Advocatus susciplens defendendam causam dubiam obligatur, ut prius diligenter inspiciat causæ sibi propositæ æquitatem, vel probabilitatem, & si injustam esse comperiat, hoc est, contra leges, vel debitum fuisse solutum, &c. nullo modo ejus patrocinium suscipiat, nec partem ad litigandum inducat.

2. Ut post diligentem totius causæ considerationem aperiat sincerè Clienti, quanta sit probabilis spes victoriæ,

3. Ut, dum causæ dubiæ patrocinium suscepit, paratus sit, ubi primum in progressu invenerit causæ manifestam iniquitatem, abstinere, & Clienti significare.

Quæ dicta sunt de Advocato dicas de Procuratore, & servata proportione de cæteris justitiæ Ministris.

De Tabellione seu Notario nota eum De la Cruz *cit. dub.* 12. *conc.* 2. quod si conficiat falsam, & injustam scripturam, peccat mortaliter contra Religionem, cum sit perjurus (similes enim jurant de proprio munere fideliter exercendo) & contra justitiam Reipublicæ, & contra justitiam partis damnificatæ.

13. Quæritur. *An Medicus possit licitè dare infirmo medicamentum, quod probabiliter putat minus profuturum, relicto eo, quod probabilius posset prodesse?*

Resp. Negativè, nam sanè nullus sibi eligeret Medicum (nisi mente infirmus foret) quem probabilius putaret, quod occideret, quàm sanaret; debent itaque Medici, & Chirurgi in curationibus semper sequi sententias certas, & tutiores, relictis incertis, & dubiis; hinc, ut ex proprio officio certiori modo ægris subveniant, debent adhibere remedia, quæ probabilius judicant eis debere proficere, & non nocere; propterea sequentes scienter partem minus probabilem, & eligendo medicamenta, quæ ad propositum sanitatis finem minus idonea reputantur, suo officio non satisfaciunt, & sic peccant contra justitiam; & quia amor proximi postulat, ut meliori modo, quo possumus, ei subveniamus peccant etiam contra Charitatem, dum eis adhibent medicamenta, quæ probabilius judicant esse nocitura, quàm profutura. DD. apud Fagnan. *cit. nu.* 293.

14. Sed quid, *si adesset solùm medicamentum dubium, de quo æqualiter judicatur, quod proficere, & nocere posset?*

Resp. Non possunt illud adhibere, ut optimè Sylvester *ver. Medicus qu.* 3. scribens eos debere diligenter attendere, ne illas medicinas conferant, de quibus illis secundùm artem non constat, quod sint profuturæ; quia, si dubitant, utrum prodesse debeant, vel obesse, dando

peccant; in dubiis enim *tutior sequenda est via:* tutius autem est relinquere infirmum naturæ, & in manu Creatoris, quàm ipsum exponere periculo, supponendo eum dubitabili medicinæ, quæ posset mortem accelerare; vide alleg. Fagnan *num.* 374. & Layman. *cit. nu.* 15. unde peccant Medici, si experiendi tantùm causa inexplorata medicamenta infirmis adhibeant.

15. Quæritur. *An Confessarius judicans probabiliter pœnitentem esse dispositum, sed probabilius esse indispositum, possit eum absolvere?*

Resp. Negativè, nam exponit Sacramentum periculo nullitatis, patet ex dictis superiori capite. Confessarius enim nunquam debet pœnitentes absolvere, nisi sit moraliter certus de ipsorum dispositione; & in casu necessitatis, nisi adhibita conditione, *si es capax.*

16. Quæritur. *An Confessarius in foro, & judicio Sacramentali teneatur sequi opinionem pœnitentis, etiam si pœnitens eligat minus probabilem, & minus tutam, adeò ut, si ex hoc capite deneget absolutionem, mortaliter peccet?*

Resp. Duplex est sententia; altera Bonaccin. *disp. 5. qu. 7. punct. 4. §. 2. num. 26. & 27.* cum aliis, & Poncii *disp. 46. qu. 11. conc. 6.* resolventium Confessarium teneri se conformare opinioni pœnitenti contra suam propriam probabiliorem, quorum ratio est, quia pœnitens sequendo illam opinionem non peccavit; cum non peccet, qui operatur juxta opinionem probabilem, ergo, si nil aliud obstet, absolvi debet, cum ex isto capite censeatur bene dispositus pro absolutione; & Confessarius tenetur pœnitentes absolvere, quoties sunt ritè dispositi, aliàs mortaliter peccat.

Altera est Fagnan. *cit. num.* 304. id negans, & movetur, ex quo per Trid. *sess. 14. de cas. reser.* sit Judex: quod officium exercet pronunciando sententiam absolutionis, tamquam actum judicialem, vel remittendo peccata, dum absolvit, vel retinendo, dum sine absolutione dimittit pœnitentem indispositum, vel pœnitentiam injungendo, & ad pœnam ligando, quod falsum esset, si sententiam deberet proferre juxta judicium pœnitentis: judicet Confessarius, eum debere restituere, negotiationem dimittere, votum adimplere, occasionem peccatire linquere, & similia; statim posset pœnitens respondere, super hæc sunt opiniones DD. probabiles in contrarium mihi faventes, quas sequor; & hinc in foro animæ cogeretur Judex sequi judicium rei, & non reus judicium Sacerdotis, & judicis, ac absolvere, & operari contra legem conscientiæ reluctantis, quod esse falsum patet.

Ideo prima sententia videtur limitanda, ut non debeat, nec possit Confessarius sine peccato sacrilegii sequi opinionem pœnitentis, dum agitur de valore Sacramentorum, & damno tertii; & cum verè probabilis non reputatur, sed nimis laxa, & nutritiva peccati, instruendus est, ut ipsam deponat, vel, quia est unius, vel alterius nimis laxi Doctoris, vel, quia licèt olim fuerit probabilis, hodie tamen, quia ab Ecclesia fuit proscripta, improbabilis effecta est, & falsa; quod si parere noluerit, tamquam indispositus dimittendus est; cum siquidem indispositi sint pœnitentes, qui accedunt

cadunt non recepturi monita prudentis, & boni Confessoris, quem Deus in hoc judicio sibi judicem, & Doctorem constituit, sed potiùs, ut, mutato ordine, velint supra magistrum se extollere, & contra Doctorem sentire. Conetur itaque Confessarius ignorantiam à pœnitentibus tollere, eosque ad veritatis notitiam reducere, ubi per rationes fundatas viderit aliquam opinionem esse verè improbabilem, esto illam plures sequantur, ut optimè discurrit Campionus.

## CAPUT III.

### *Prop. III. ab Innoc. XI. &c. Opinio tenuiter probabilis.*

1. PROP. 3. *Generatim, dum probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca, quamvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, confisi, aliquid agimus, semper prudenter agimus.*

Lib. 1. *cap* 20 *nu.* 2. videri potest, quid sit opinio probabilis, quid probabilitas ab intrinseco, quidve ab extrinseco, & *num.* 3. quæ opinio sit verè probabilis; & interim.

2. Quæritur. *Ex quibus potest quis moveri ad rationabiliter dubitandum de probabilitate opinionis?*

Resp. Ex pluribus, 1. cum Auctor opinionis non est omni exceptione major, timoratæ conscientiæ, & in moralibus peritus; nam per Boetium probabile est, *quod videtur, vel omnibus, vel pluribus, vel maximè notis, atqui præcitatis.* 2. Cum Auctor opinionis rationes graves, & firmas non affert, sed levibus movetur, à contrariis enervantur, & ipsa contraria non solvit. 3. Cum unus, vel alter docet opinionem, quæ communiter ab aliis Doctoribus, ut improbabilis, & minus tuta in praxi reprobatur. 4. Cum dubitatur, an ratio, cui opinio nititur, sit levis, an gravis, vel firma: in dubiis enim oportet non citò credere: nam, *qui citò credit, levis est corde*: ideò debet alios consulere, ut de veritate instruatur, & interim sequi, quod tutius est; ubi ergo hæc, vel similia motiva inventa fuerint, dicendum erit opinionem esse tenuiter probabilem, & non posse prudenter eligi, adeò ut in praxi prudenter non operetur, qui eam sequitur; cum prudenter non agat, qui vel se exponit periculo peccandi, vel ad operandum non magni ponderis, & momenti, sed potiùs movetur levibus rationibus, & operatur practicè dubitans de opposito. Vid. Fagn. *in* 1. *ad cap. ne innitaris, de const. nu.* 449.

3. Sed dubitatur, *an liceat in aliquo casu operari, electa opinione tenuiter probabili?*

Resp. Figueroa apud Cardenas *cap.* 7. dixit à Pontifice non damnari propositionem docentem, in aliquo casu posse sequi opinionem tenuiter probabilem, & deducit: ex quo damnetur propositio asserens, *generatim licere* uti opinione tenuiter probabili, non verò affirmans licere solùm in aliquo casu.

Verùm hoc non probo, nam semper, & in omni casu verificabitur de operante ducto opinione tenuiter probabili, quod imprudenter operetur, & hic, & nunc, propter præponderantes rationes in oppositum,

positum, & tenuitatem propriæ opinionis, dubitet de honestate suæ operationis, adeòque quod peccet; & ideò dicendum, numquam licere uti opinione tenuiter probabili.

4. Nota, Sacerdotem invenientem moribundum, & dubitantem, an dolor ipsius sit sufficiens ad valorem Sacramenti, dum non potest ad majorem excitare, debere ipsum absolvere, apponendo conditionem, *si es capax*: per quam vitatur irreverentia Sacramenti: ex lege Charitatis succurritur saluti animæ, extremè indigenti, & ipsa necessitas operatur, ut non leviter, sed prudenter operetur. Felix exam. *to.* 1. *nu.* 78.

## CAPUT IV.

### *Prop. IV. ab Innoc. XI. &c. Infidelis.*

1. PROP. 4. *Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili.*

Author propositionis fuit Sancius *in selectis disput.* 19. *nu.* 7. scribens, quòd, sicut homo in aliis matériis, & præceptis excusatur à peccato, si sequatur opinionem minus probabilem de non peccato: ut si supponatur esse probabile non licere piscari die festo, & minus probabile licere, qui operatur secunda opinione ductus, à peccato excusatur; ita in præcepto credendi veritates fidei Catholicæ, ait, excusabitur infidelis à peccato infidelitatis, ductus opinione minus probabili; sic Lutheranus minus probabiliter judicans, quod sua secta sit vera, & magis probabiliter, quod vera sit Religio Catholica, excusatur per Sancium, si suam sectam, & infidelitatem non deponat. Verùm, quod illatio sit falsa, constat manifestè. 1. Ex decreto Innoc. 2. Ex quo Hæreticus veram probabilitatem habere non possit de veritate suæ falsæ sectæ; etenim si attenderet, vel ponderaret motiva credibilitatis, propter quæ evidenter constat mysteria fidei Catholicæ esse à Deo revelata, juxta dicenda *cap.* 13; experietur suam sectam esse certò falsam.

2. Hinc hæreticus prudenter dubitans de veritate suæ sectæ, tenetur suam infidelitatem deponere, procurando sibi certitudinem fidei Catholicæ, ad quam, sufficienti adhibita diligentia, infallibiliter perveniet, si sincero animo veritatem quærat, & cum viris in Catholica Doctrina peritis, conferat; adeò ut, si hanc diligentiam omittat, peccet: quemadmodùm peccat, qui dubitat, an hodie, v. g. urgeat præceptum audiendi Missam, si non adhibeat diligentiam pro comperienda veritate, vel Missam non audiat; sed infidelis habens opinionem probabilem de veritate suæ sectæ, & probabiliorem de veritate fidei Catholicæ, debet prudenter dubitare de suæ sectæ veritate, &, quod in errore versetur; nam per judicium magis probabile, magis verisimilis ei apparet Religio Catholica, quàm sua secta, ergo non potest absque peccato eam retinere, sed debet ipsam deserere, & Religionis Catholicæ fidem suscipere, vel argumenta examinare, propter quæ Mysteria fidei ita apparent ut imprudentissimus esset, qui non crederet. Quæ omnia in instructione pœnitentis ponderet Confessarius, eum-

eumque ad sequelam probabilioris inducat : nam sanè res maximi momenti est, Deum offendere moraliter, aut non ; & in praxi circa eum in materia hæresis hucreddat, quæ diximus *lib. 1. cap. 3. per totum* ; *& ibi nu.* 4. videat hæresis definitionem, *nu.* 5. naturam pertinaciæ ; *& nu.* 6. divisionem hæresis in internam, & externam, & sequentibus numeris alia plura de schismaticis, & Apostatis, Blasphemia hæreticali, & absolutione ab hæresi ; legat etiam *cap.* 33. *sub nu.* 17. *& cap* 34. *nu.* 29. decretum Alexand. VII. declarantis in Jubileis non dari facultatem absolvendi ab hæresi ; & interim subsequentia non negligat, ut optimi Confessarii partes impleat, & de re non adeò Confessariis obvia plenè instruatur.

3. Quæritur. *In quo differant infidelis materialis, & infidelis formalis ?*

Resp. In hoc, quod infidelis materialis, seu materialiter ille dicatur, qui ideò non credit mysteria fidei divinæ, nec diligentiam adhibet, ut ipsius veritatem assequatur, quia nil de ipsa, aut Ecclesiæ definitione audivit ; & propterea credere non potest, teste Apostolo ad Roman. 10. *quomodo credent ei, quem non audierunt, & quomodo audient sine prædicante ?* in quo infidelitas peccatum non est ex D. Thoma 2. 2. *quæst* 10. in corp. & damnatur propter alia peccata, quæ sine fide remitti non possiunt : iste consignandus est Catechistæ instruendus pro Baptismo, & consulendus Inquisitor, vel Ordinarius.

Infidelis verò formaliter ille est, qui, vel postquam recepit fidem, eam, ut Apostatæ, in totum discredendo pertinaciter omnibus articulis fidei, vel in partem, ut Hæretici, aliquem negando, deserit ; vel, qui credere non vult, quamvis ei mysteria fidei sunt sufficienter ab Ecclesia proposita, esse à Deo revelata ; vel diligentiam non adhibet in indaganda veritate fidei Catholicæ, postquam de ipsa notitiam habuit ; in quo infidelitas culpabilis est, & peccatum, nec absolvendus à Confessario ordinario.

4. Quæritur. *Quanam sit differentia inter Paganismum, Judaismum, & Haresim ?*

Resp. Hæc, quod Paganismus sit infidelitas eorum, qui nunquam receperunt fidem, nec credunt ullo modo in Christum, aut venturum, aut venisse. Judaismus verò sit infidelitas eorum credentium Christum venturum, postquam fides Catholica dictat eum venisse : præfati egent instructione pro Baptismo.

Hæresis autem, est infidelitas eorum, qui licèt credant Christum venisse, discredunt aliquibus articulis fidei sufficienter propositis ; quam suo loco supra citato descripsimns : quod sit error intellectus cum pertinacia voluntatis contra aliquem articulum fidei, quæ absolvi non potest juxta dicta ibid. *cap. 3. nu.* 7.

5. Quæritur. *An sit Hæreticus, qui in ebrietate hæresim internam ore pronunciat, & ab aliis didicit se pronunciasse ?*

Resp. Distinguas triplex genus ebrietatis, *levissimæ, levis, & magnæ*, 1. Est quæ mentem non impedit sed hominem tantùm exhilarat, & promptiorem ad loquendum reddit. 2. Mentem turbat, sed plenè usum rationis non aufert, 3 Totaliter alienationem mentis induit, & usum rationis impedit sic, ut non advertens

tens ebrius loquatur; quod ebrius, 1. & 2. sensu hæreticus formaliter sit, conveniunt DD. asserentes, quod ebrietas levissima, nec à toto, nec à tanto excusat, nec propter eam minuitur pœna, sicut minuitur propter ebrietatem levem, Carena *de off. Sup. Inquisit. par. 2. tit. 5. nu. 32.*

Dubium est de ebrio tertia ebrietatis specie, & ratio dubitandi est; quia hæresis est error intellectus cum pertinacia voluntatis, & pertinacia in hoc consistit, ut quis, non obstante, quod cognoscat aliquid ab Ecclesia de fide teneri, non velit illud credere, sed contrarium: de ebrio autem, ut ebrio, non potest dici ipsum cognoscere, esse contra determinationem Ecclesiæ, quod ipse tenet, vel ore pronunciat, quia supponitur per ebrietatem usum rationis perfectè turbatum, & verbum non significativè, & formaliter, sed solùm materialiter pronunciat.

Verùm, quia difficillimum est cognoscere, an ebrietas inducat totalem mentis alienationem: tutissima sententia est, quod tali ebrio, depositâ ebrietate, à Confessario Ordinario absolutio non conferatur, maximè, quia ad hæresim externam per DD. sat est, quod hæresis interna extra scriptô, verbo, vel facto ostendatur: ab excommunicatione excusant manifestantem hæresim internam coram Inquisitoribus, vel in Confessione Sacramentali, aut ad petendum consilium, vel auxilium ad effectum eam relinquendi; sed hic hunc effectum non reperio. Et ex his patet, quid dicendum de manifestante hæresim internam, in ira, Insania, somno & inadvertenter. In quo meliori me judicio submitto.

2. Quæritur. *Quid agendum Confessario cum pœnitente, qui se accusans, hæc aperit:* Pater, à quindecim diebus non fui confessus, ab illo tempore mihi aliud non occurrit, quam significare, quod in itinere per vim me coegerunt hæretici ad adorandam effigiem Lutheri, & frangendam Imaginem D. Petri, & Romani Pontificis?

Resp. Debet videre, an coactio fuerit *absoluta, & præcisa*, in hoc consistens, quod quis ligatus, & prorsus voluntate renitens, ab extrinseco impellente cogitur genua flectere Idolo, aut frangere Imaginem Sacram; vel *conditionalis* tantùm, quæ habetur, dum, quis pro evitanda morte aliquod factum hæreticale committit.

Si invenerit coactionem fuisse *præcisam*, & in mente errorem non habuisse contra fidem (quem haberet credens Luthero, non Sacris Imaginibus, adorationem deberi, & Romanum Pontificem non esse Christi Vicarium, D. Petri successorem) hæreticus non est, nec in eo peccavit, ratio est, quia sic coactus magis patì, quàm agere convincitur cap. *Sacris de iis quæ vi, metuve, &c.* Carena *cit. par. 2. tit. 1. §. 15. nu 80.*

Si coactio non præcisa, sed conditionalis fuerit ad instantem mortem vitandam (quam utinam, ut optimus Christianus sustinuisset,) si corde credat totum, quod Ecclesia Romana credendum proponit, hæreticus non est, sed gravissimo Sacrilegio peccavit externa illa adoratione, quia cum id sit ab intrinseco malum, nullo potest fine honestari; ideò posse absolvi à Confessario non dubitatur, quia non est excommunica-

tus

tus excommunicatione Bullæ : verùm ante absolutionem deberet ab eo abjurationem exigere, hoc est, curare, ut ipsum detestaretur Lutherum Hæresiarcam, ejusque dogmata, & crederet quidquid Ecclesia Catholica credit, & in ea Romani Pontificis primatum, ac esse Sanctorum Imagines colendas, cum juramento permanendi in fide Catholica, & quod ampliùs in futurum non sit similia commissurus. Monere quoque ipsum deberet, ut se præsentaret S. Tribunali ad factum sincerè fatendum, ut in casu denunciationis per alium gauderet beneficio spontè comparentium; immò optimum esset ad Sacrum Tribunal inabsolutum dimittere. & ita ego practicarem.

7. Quæritur. *Quid agendum Confessario, apud quem pœnitens se accusat: Pater, videns improbos bonis fortunæ, ac corporali salute abundare, sæpè hæc protuli:* oportet in Mundo infamem ducere vitam, ut bona habeamus, nam improbi à Deo prosperantur; *& sæpè addidi:* pro me non est Deus.

Resp. Debet interrogare, an, cum similia pronunciaverit, corde crediderit Deum in suis dispositionibus falli, injustum esse, acceptatorem personarum, ac approbare peccata, eaque his temporalibus remunerare; vel, Deum curam, & providentiam non habere; si invenerit talem, ad absolvendum est impotens, quia contra fidem pertinaciter errat; si verò errorem in mente non habuisse comperiat, peccavit peccato gravissimo blasphemiæ hæreticalis, quæ potest absolvi, ubi non est reservata, quæ tamen ubique extra Urbem talis reputatur.

8. Quæritur. *Quomodo se gerere debeat Confessarius cum rustico pœnitente, quem inter confitendum reperit credere pœnas Inferni, sed non esse æternas, quia id à suo Parocho, instruente Parochianos, audivit?*

Resp. Videat, an dubitaverit de veracitate sui Parochi, & quod falsum dicere potuerit; vel, an aliundè sciat, Ecclesiam tenere oppositum; si primum reperiat, eum peccasse pronunciet, non adhibendo diligentiam pro indaganda veritate, & se in Confessione de negligentia accuset; quinimmò, si aliàs cum eo dubio Confessiones instituit; debet omnes ex integro repetere, dum in eis de tali negligentia mortaliter peccaminosa, non se accusaverit: si secundum, verè hæreticus est, & inabsolvibilis, si error mentis fuerit, etiam externus.

9. Sed quid, *si non dubitavit?*

Resp. Eum ignorantia inculpata à peccato excusat, & ab hæresi formali pertinacia. Vide Sousa *cap. 12. num. 11.*

10. Quæritur. *An quodlibet peccatum contra fidem sit hæresis?*

Resp. Negativè; nam hæresis, ut diximus, est error intellectus cum pertinacia voluntatis, hoc est, viri Catholici; qui, tametsi sciat Ecclesiam aliquod definivisse, adhuc vult tenere contrarium, quæ in quolibet peccato contra fidem non reperitur; ut legens libros prohibitos blasphemias hæreticales proferens, exponens se periculo perdendi fidem, peccant contra fidem, & tamen, qua tales, hæretici non sunt.

11. Sed quid, *dicendum de dubio in*

*fide, Francisco V.G. qui non absolutè discredit, E.C. Corpus Christi esse sub specie bus panis, sed de eo dumtaxat dubitat, quamvis sciat Ecclesiam contrarium tenere?*

Resp. Si dubitat voluntariè, & cum advertentia, hoc est, non obstante, quòd advertat, Ecclesiam id tenere, adhuc vult credere oppositum, hæreticus est; nam sanè habet errorem in intellecto cum pertinacia voluntatis, vid. *lib. 1. cap. 3. num. 11.*

Diximus, si dubitat *voluntariè*, quia si involuntariè dubitet sine ullo consensu præstito, vel, non obstante dubio, actum fidei eliciat, dubiumque repellat, non peccat immò potiùs meretur patiendo & repellendo tentationes fidei. Signa verò, quod consensus defuerit, est dolor, quem quis habet in istis dubiis; quæ nullo modò vellet habere, & ipsa repellere statim, ac cognoscuntur pulsare, eliciendo actus ipsis contratios.

12. Quæritur. *An pœnitens in Confessione teneatur aperire qualitatem hæresis internæ, an nimirum fuerit Lutheri, an verò Calvini?*

Resp. Quamvis neget Lugo, ejus disp. 46. *de pœnit. qu. 7. num. 79.* ex quo una hæresis ab alia non videatur specie differre, cum tota malitia, quæ est in hæresi, consistat in irreverentia, quæ fit Deo, cum ipsi non creditur, quando ab Ecclesia proponitur sufficienter testimonium ipsius; censeo tamen esse affirmandum: ratio est, quia ex parte objecti materialis sunt diversæ; nam Lutherus dicit, corpus Christi esse simul cum substantia panis in hostia consecrata: & Calvinus, in ea non esse verè, & realiter Christi Corpus; sed solùm figurativè; propter. eà pœnitens diversa instructione eget; immò, cum debeat hæreses abjurare, seu detestari, necesse est, ut eas specificet; quia igitur sunt circumstantiæ, adminis notabiliter aggravantes, & mutantes judicium prudentis Confessarii, aperiendæ sunt.

13. Quæritur. *Pœnitens se accusat:* Pater, dixi, Deus est maledictus: Divus Petrus non est Sanctus; & semel: Deus sit maledictus, peto absolutionem?

Resp. Cautè est in hoc procedendum; primò, super duobus primis interrogetur, an internè crediderit Deum esse maledictum, & D. Petrum non esse Sanctum? & si affirmet, cum sit formaliter hæreticus, absolvi non potest; si verò non crediderit, est solùm blasphemus hæreticalis, & absolvi potest, si casus non sit reservatus, vel nil aliud obstet; in 2. casu protulit solùm blasphemiam simplicem, quia non affirmat, sed tantùm optat.

14. Hinc notet Confessarius, quod blasphemia est *convicium, seu locutio per modum convicii, aut contumeliæ, & maledictionis in Deum, vel Sanctos*; cujus species sunt simplex, & hæreticalis; hæreticalis est, *quæ errorem sapit in fide: seu, est locutio contumeliosa contra Deum, continens errorem contra fidem*; quatenus aliquid contra fidem per modum indicativi de Deo affirmat, vel negat; & ideò hæreticalis non est, cum pronunciatur per verba imperativi, vel optativi modi, ut *Deus sit maledictus*, quia per hos modos, cum indicativi non sint, nil falsum dicitur de Deo, nisi in tali locutione aliquid affirmati-

mativum, vel negativum includatur contra Deum, ut si quis dicat, ò *Deum injustum*, quod quidem valet, ac *est injustus*.

15. Simplex, non sapit hæresim, nec contra fidem aliquid affirmat, sed solùm verba injuriosa, & irrisoria, ac maledictionis in Deum, & Sanctos enunciat. Vide *lib.* 1. *capit. cit. num.* 9. & Sousa *cap.* 19. *num.* 7. ac Suarez *to.* 1. *de Relig. lib.* 1. *capit.* 6.

16. Quæritur, *in quo differat blasphemia hæreticalis ab hæresi?*

Resp. In hoc, quod hæreticus corde credit aliquid contra fidem, blasphemus autem hæreticalis nil contra fidem sentit, licèt verba proferat continentia errorem contra fidem: explico: ore pronuncio, *Deus est injustus:* si corde credo esse injustum, sum hæreticus, etiam si pro unico instanti cùm pertinacia credederim, quia, sicut cætera peccata, potest hæresis crimen in unico instanti committi; si autem id non credo, sed justissimum esse, solùm blasphemus hæreticalis efficior; patet à simili, possum verba injuriosa dicere contra Paulum, vocando spurium, non credendo, quod sit spurius; & vocando spurium, & simul credere talem esse; quæ certè est major injuria, dum à parte rei talis non sit.

17. Quæritur, *an blasphemia possit esse venialis ex sola levitate materiæ?*

Resp. Negativè, ratio est, quia blasphemia Deus injuriatur, levis autem injuria certè non est, quæ fit Deo proferendo verba contumeliæ, & improperii, ac maledictionis in ipsum, cujus infinita excellentia offenditur, & ipsius divinæ bonitati derogatur; venialis, & levis esse potest ex fion plena advertentia, & surreptione, ut, si quis convicium in Deum diceret; vel contra Deum ex subito motu loqueretur, non advertens verborum sensum, nam tunc diceretur proferre verba non formaliter, & perfectè significativè.

18. Sed quæritur, *an blasphemus debeat intendere Deum injuriari, vel ipsius honori detrahere?*

Resp. Negativè, sed ad malitiam contrahendam, sat est, quod voluntas advertenter faciat actum de se inhonorativum Dei, & in contemptum ipsius cedentem, quamvis honoris detractio expresè non intendatur; quemadmodùm, ut quis peccet peccato furti, sufficit, quòd rem surripiat, quam alienam cognoscit, quamvis non intendat offendere Deum. Suarez *cit. cap.* 6. *num.* 8. certè, si blasphemia prolata sit cum formali intentione inhonorandi Deum, est circumstantia intrinsecè aggravans, & augens Dei despectum, & irreverentiam; immò, cum ea intentio soleat sæpè provenire ex odio, quo quis velit Deo illud malum irreverentiæ, & contemptus, (quod est peccatum distinctum à blasphemia) debet Confessarius interrogare pœnitentem de intentione, qua eam protulit, & si ex ea intentione prolatam, & hæreticalem invenerit, eum triplex commisisse peccatum judicet: alterum odii contra charitatem, & Dei dilectionem: alterum blasphemiæ contra reverentiam, & cultum, ac laudem Deo debitam: & tertium contra externam fidei Confessionem.

Hinc, cùm pœnitens se blasphemasse accusat, ad officium Confessarii spectat inquirere, quomodò, quibus verbis,

qua intentione, coram quibus, & quoties blasphemaverit. Vide *lib. 1. capit. 3. num. 9. & 10.*

## CAPUT V.

### *Prop. V. VI. & VII. ab Innoc. XI. &c. Dilectio Dei.*

1. PROP. 5. *an peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantùm in vita eliceret, condemnare non audemus.*

PROP. 6. *Probabile est, ne singulis quidem rigorosè quinquenniis per se obligare præceptum charitatis erga Deum.*

PROP. 7. *Tunc solùm obligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, qua justificari possumus.*

2. Ne dicta repetantur, videndus est liber primus cap. 1. ubi *nu.* 2. referimus, quid sit aliquod præceptum per se obligare, & *nu.* 17. taxavimus tempus, in quo per se præceptum charitatis obliget, cujus objectum formale, & materiale, ac modus eliciendi actum amoris Dei aperitur *nu.* 23. ex ipsa itaque dignitate, primatu, & magnitudine præcepti (nam hoc est maximum, & primum mandatum) est communis DD. opinio, ita obligare, ut per multum temporis non sit actus dilectionis Dei super omnia differendus, sed frequentandus, si non sæpius, ad minus sexies in anno; unde Confessarius requirendo numerum peccatorum, interrogabit pœnitentem, an Deum super omnia dilexerit? qui fortè negaturus erit, & tunc, considerato tempore, à quo non fuit confessus, facilè numerum colliget, adeò ut, si per integrum annum inconfessus vixerit, sex peccata mortalia ad minus in transgressione præcepti de diligendo Deum commiserit, & fortè sex in omissione actus fidei, & alia sex in omissione actus spei, quos fortè etiam omisit elicere.

Proindè in præsenti alia dubia circa dilectionem Dei aperienda sunt, ne Confessario in instructione pœnitentis desit doctrina, quam maximè utilis.

3. Quòd Deus sit super omnia amandus, nullus, nisi insipiens, posset negare; nam, si bono (cùm sit objectum amoris) amor debetur, infinito bono, & super omnia bona, à quo omne bonum, & sine quo nihil est bonum, amor super omnia debetur; quod nobis & naturali, & divina lege præcipitur.

4. Amare, est, velle bonum, sive desiderando alteri bonum, quod non habet, sive gaudendo, aut complacendo de bono, quod habet. Deo possumus desiderare gloriam externam, ut, quòd ab omnibus ametur, honoretur, & laudetur (cultus enim, & laus sunt bona externa ipsius) Et possumus gaudere de ipsius bonitate, & perfectionibus. Lauræa *de charitat. disp. 9. art. 1. num. 6.*

5. Sed dubitatur, *an Deus amandus sit super omnia appretiativè, & prælativè, an intensivè?*

Resp. Quamvis decens sit, & ad majorem charitatis perfectionem spectet, ut quis conetur Deum amare amore intensiori, & vehementiori, quàm cætera; adhuc tamen id nobis non est præceptum, ut uno ore DD. loquuntur: ex eo enim homines maximis vexarentur scrupulis semper dubitando, an actus esset sufficienter intensus, & vehemens; tamen quia tenemur

nemur solùm Deum super omnia amare, ideò dicendum, esse amandum super omnia *appretiativè*, *æstimativè*, *seù prælativè*; tunc autem sic amatur, cum omnibus aliis præfertur; & quis paratus est pati potiùs omnia mala, vel perdere res omnes, quàm ipsum Deum offendere, ac ipsi placere, magis, quàm cuilibet alii; De hoc amore est præceptum; nam de illo amore est præceptum, qui infert affectum efficacem non peccandi, & observandi omnia præcepta, sed hujusmodi est amor appretiativus; nam, qui Deum tali modo amat, certè ejus præcepta servabit, alioquin potiùs creaturæ vellet placere in transgressione præcepti, quàm ipsi Deo in observantia; exemplum de amore appretiativo est in homine ingenuo, habente castrum, & catulum: censeret quis ipsum magis amare catulum, quam castrum, illum tenerius fortè amabit, & ferventius, & forsan amore in gradu intenori, non tamen firmiùs, aut magis appretativè, seù æstimativè amat; deducitur ex eo, quod si vel catulus, vel castrum amittendum foret, sine dubio, si sanæ mentis esset, canem, & non castrum relinqueret; sic pariter, licèt quis tenerius, & intensius amet honesto amore Patrem, Matrem, Filios, amicos, &c. quàm Deum, non tamen eos amat magis firmiùs, & appretiativè, quandoquidem, si deberet relinqui, vel amicitia Patris, Uxoris, &c. vel Dei, potiùs illam Patris, & uxoris, quàm Dei omitteret, & sic vellet potius Deo placere, quàm ulli alii.

6. Quæritur, *an peccet mortaliter, & contra præceptum de diligendo Deum ex charitate, qui cupit, & paratus est degere perpetuò in hoc mundo, & Deo Cœlum relinquere, si ipse sibi terram daret?*

Resp. Affirmativè, ratio est, quia magis æstimat hæc terrena, quàm Deum, ejusque visionem, & fruitionem, quibus præfert delicias hujus sæculi, & in istis ultimum finem constituit, quod nonnisi sceleratissimus facere potest; & mortaliter peccat, non modò contra charitatem, non amando amore amicitiæ Deum super omnia propter se appretiativè, verùm etiam contra spem, non amando ipsum amore concupiscentiæ, ut est nostrum bonum, ei hæc temporalia præponendo; quare non est absolvendus, nisi se corrigat; immò interrogari debet, an crediderit, quòd, non Deus, sed bona mundi sint hominis ultimus finis, & beatitudo, & si affirmet, dum error non fuerit merè internus, absolvi non potest.

7. Sed quid, *si optet non semper, sed longo, & determinato tempore in hoc mundo manere?*

Resp. Hoc etiam sufficit, ut mortaliter peccet, si, cùm longam vitam desiderat, præfert pro illo tempore delicias humanas bonis æternis; nam summa perversitas est pro uno, & minimo instanti æternam beatitudinem humanæ voluptati postponere: quod certè nec intendere debent ii, qui ad senectutem optant pervenire.

8. Sed quid etiam, *si ex pusillanimitate, & timore gehennæ optaret semper esse in hoc mundo, timendo gravitatem culparum suarum?*

Resp. Nisi inadvertentia, vel perturbatio mentis excusaret, mortaliter peccaret; nam debet quilibet credere, & sperare remissionem peccatorum, dum

ad

ad Deum totis viribus convertitur: unde peccat contra spem peccato desperationis, & si crederet, Deum non posse sua peccata remittere, esset etiam hæreticus.

9. Quæritur, *an, si quis statuat in peccatis perseverare, dum benevalet, & tamen speret se facturum pœnitentiam, peccet mortaliter?*

Resp. Affirmativè, nimis enim confidit in divina misericordia, & propterea in peccatis imputrescit, & sperat, ut peccet, & addat peccata peccatis; ideò peccat peccato præsumptionis contra spem, nec Deum sibi bonum, nec in se bonum amat.

10. Quæritur, *an, ut quis impleat præceptum diligendi Deum super omnia, debeat ipsum diligere amore supernaturali?*

Resp. Affirmativè ex Trid. sess. 6. ubi can. 3. definit, *sine adjutorio gratiæ non posse hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur*; dilectio autem Dei super omnia est dispositio ad justificationem, ad quam actus naturalis est improportionatus, nec potest ad eam disponere, utpotè inferioris ordinis ad ipsam: nam dispositio, & forma debent esse ejusdem ordinis, ideò, ut in peccatore dilectio Dei ad justificationis gratiam disponat, & in justo, ut sit meritoria vitæ æternæ, & augmenti gratiæ (cum hæc omnia sint supernaturalia) debet esse supernaturalis, hoc est, elicita ex prævia cognitione fidei cum auxilio gratiæ.

11. Sed *unde cognoscendum, quòd sit supernaturalis?*

Resp. Cùm evidentia, & certitudine physica, ex nullo capite; cùm nesciat homo, an odio, vel amore dignus sit, & ignoret, an sit in statu gratiæ; conjecturaliter tamen, arguitivè, & quadam morali certitudine cognoscitur esse supernaturalis, cum à fide divina regulatur, seù, cum tendit in Deum ob motivum revelatum, & supernaturale, & propositum per fidem supernaturalem, adeòque, ut est finis ultimus beatificans, ac in se omni perfectione bonus cognoscitur.

Distinguat Confessarius: fides est necessaria, ut amor sit, & ut cognoscatur esse supernaturalis; non sufficit ipsa sola, ut sit supernaturalis, sed ulterius requiritur, ut procedat à voluntate, & comprincipio aliquo supernaturali, auxilio nimirum divino: in justo à voluntate, & habitu per se infuso charitatis, ac auxilio procedit: in peccatore à voluntate, & auxilio gratiæ; bene verò sufficit ipsa, ut supernaturalis arguatur; quod satis est Confessario hìc scire. Si alia desideret, legat Theologos in tractatu de auxiliis, & de justificatione.

12. Quæritur, *an in odio Dei detur parvitas materiæ?*

Resp. Negativè, quia quodcumque minimum malum velis Deo, ejus summam bonitatem tollis, consequenter Deum; qui non potest esse Deus, nisi summè, & infinitè bonus sit: & sic ipsum non potes super omnia amare, dum ei aliquod malum optas, cum eo actu omne ei malum desideres, ipsum nimirum non esse, quod gravissimum est peccatum. Campion. Vide *lib. 3. cit.*

CAPUT

## CAPUT VI.

*Prop. VIII. al. Innoc. XI. &c.*
*Gula, & ebrietas.*

1. PROP. 8. *comedere, & bibere usque ad satietatem, ob solam voluptatem, non est peccatum, modò non obsit valetudini, quia licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui.*

In hoc capite pro institutione Confessarii agendum est de Gula, & ebrietatis vitio, nimis Christianos inter domestico.

2. Sed difficultas est, *quando quis censeatur comedere usque ad satietatem, & ob solam delectationem?*

Resp. Usque ad satietatem comedit, qui in majori quantitate cibum sumit, quàm sit necessarium ad vitæ substentationem: & ob solam voluptatem, dum sumit aliquid superfluum, & non necessarium, neque utile ad conservationem ejusdem; etenim si comedatur, quod est præcisè necessarium, aut utile ad substentationem, saltem implicitè, & virtualiter assumitur, non propter solam voluptatem, sed etiam propter substentationem vitæ.

3. Sed quæritur, *an, cum dicitur esse peccatum comedere, & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem, intelligatur de peccato mortali?*

Resp. Solutio dubii pendet à quæstione, an Gula sit ex genere suo peccatum mortale; & communiter negatur à Doctoribus, asserentibus per se, & ex genere suo esse dumtaxat veniale, & probant, ex quo nec opponatur charitati Dei, nec proximi; & constat ex modis, quibus committitur: *præpropere, lautè, nimis; ardenter, studiosè*, ex D. Thom. 2.2.*qu.*148. *ar.*4.

*Præpropere*, cùm tempus debitum ad se cibandum prævenitur.

*Lautè*, cum pretiosi, & exquisiti cibi sumuntur, quos nec natura, nec Ecclesia per se sub mortali prohibent.

*Nimis*, dum quis se cibat, & bibit, plusquam egeat.

*Ardenter*, qui non servat modum debitum in edendo, sed voraciter comedit.

*Studiosè*, qui cibos nimis delicatos, & præparatos suscipit.

Colligitur etiam ex Divo Augustino de Purgat. ab eodem Sancto Doctore allegato ibidem, ubi: *quoties aliquis in cibo, aut potu plus accipit, quam necesse est, ad minuta peccata pertinere noverit*; ac ex ratione; nam, cùm alimentum institutum sit à natura, & juxtà rationis præscriptum utendum eo sit ad conservandam vitam, id, quod superfluum respectu conservationis sumitur, est contra ordinem à natura præfixum, & à recta ratione alienum, ergo peccatum est saltem veniale; ergo comedere, & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem est peccatum veniale; verùm potest esse mortale, ut dicendum *nu.*5.

Ut plenè Confessarius instruatur: observet, I. Quod gula, *est inordinata concupiscentia edendi, & bibendi: vel, est inordinatus appetitus usus cibi, & potûs*; opponitur virtuti abstinentiæ, quæ secundùm rationis regulam moderatur appetitum, usumque ciborum: regula, & mensura cibi, & potus capiendi,

di, attenditur ex neceſſitate, & utilitate conſervandi vitam.

4. II. Quòd non omnia ſeptem peccata capitalia ſunt ex ſuo genere mortalia: ſed hæc ſunt tantùm, *Superbia, Luxuria, Invidia, & Acedia: Cætera, ut Gula, Ira, & Avaritia*, non ſunt hujuſmodi; poſſunt tamen per accidens eſſe; verùm omnia ſunt capitalia, quatenus ab eis, tamquam à capite, & fonte, quædam alia vitia dimanant. Vide *capit.* 28.

A gula proveniunt 1. Inepta lætitia, in hoc conſiſtens, quod quis ſupra modum lætetur. 2. Multiloquium, quo quis immoderatè loquitur: per quod ſæpiſſimè in detractiones, contentiones, & rixas prorumpit, & propterea mortale tunc erit. 3. Turpiloquium, ſeù ſcurrilitas, per quàm quis utitur verbis inhoneſtis ad delectandum: ſi intendatur ſola delectatio, eſt contra modeſtiam; ſi ſint ſcandaloſa, contra Charitatem: & propter periculum, ut excitentur ſpecies venereæ, eſt contra caſtitatem, & mortale erit. 4. Immunditia, vomitus nimirum cibi, & potus ſuperflui, & hæc inordinatio directè oppoſitur abſtinentiæ: *carnalis quoque immunditia, ſeù emiſſio ſuperflui pro individuo, ſed neceſſarium ad generationem, quæ fit per pollutionem*, ex Gula, & Crapula oritur, ac ad libidinem venereàm pertinet, & caſtitati opponitur. 5. Hebetudo mentis, per quam ineptus quis ſit ad cognoſcenda diſtinctè objecta, ut cognoſcere debet. Vide D. Thomam cit. *articul.* 6.

5. Quæritur, quid *agendum Confeſſario cum pœnitente, dum ſe accuſat de peccato gulæ?*

Reſp. Interroget. 1. An ob delectationem gulæ fuerit inobediens Eccleſiæ, aut violando præceptum jejunii Eccleſiaſtici, vel naturalis, perneceſſarii ad celebrationem, & Communionem: aut comedendo carnes, & lacticinia diebus prohibitis; aut non audiendo Miſſam. 2. An ineptum ſe notabiliter reddiderit ad functiones, ad quas exercendas tenetur ſub mortali. 3. An cum gravi præjudicio propriæ ſalutis comederit, vel quia immoderatè, vel nondum facta competenti digeſtione, cibos ſumpſerit. 4. An ita continuò epuletur, ut merito dici poſſit: quorum Deus venter eſt. 5. An carnes humanas, non per modum medicinæ, comederit. 6. An ſuperfluè comederit ad excitandum in ſe carnis ſtimulum, & ut aptior fieret ad fornicandum, & pollutionem procurandam. 7. An expertus ſit ex immoderato cibo ſe cadere in peccata carnis; quia in caſu, ut ſatisfaciat gulæ, nil timet ſe ponere in periculo proximo peccandi. 8. An cum notabili detrimento ſui ſtatus, & familiæ id egerit. 9. An propter pecunias conſumptas in ſuperfluo ciborum, reddiderit ſe impotentem ad ſolvenda legata pia, debita, dandam operariis mercedem, & reſtituendam rem alienam. 10. An ſe inebriaverit, vel periculo ebrietatis ſe expoſuerit. Quibus, & ſimilibus gula, quæ ex ſuo genere eſt veniale, fit mortale per accidens: & ideò Confeſſarius eum mortaliter deliquiſſe judicabit, cùm invenerit vitium gulæ cum uno ex præfatis conjungi.

6. Quæritur, *quid ſit ebrietas?*

Reſp.

Resp. Est *immoderatus appetitus, & usus potus potentis inebriare, seù privare usu rationis*; propterea ab aliis describitur: *est insania voluntaria, quæ hominem ratione privans amentem reddit, & stultum*; opponitur sobrietati, quæ moderatur inordinatum appetitum, & usum potus, qui vim habet inebriandi.

7. Quæritur, *in quo formaliter consistat ebrietatis malitia?*

Resp. In hoc, quod quis voluptatem ex potu provenientem tanti faciat, ut ob eam, saltem indirectè, velit contra ordinem naturæ se privare usu rationis, sic, ut in ejus arbitrio non sit ad eum redire, & benè, & virtuosè operari, cùm sibi placuerit; sicut potest redire, somno non obstante, si aliquem adhibeat, à quo in tempore excitetur, vel horologium, aut simili modo, per quem somnus excutitur; per quod patet differentia somnum inter, & ebrietatem; & alia addi potest, quia somnus est medium ordinatum à natura, & naturæ debitus, ac necessarius ad reparandas vires, non sic ebrietas.

Distinguendæ itaque sunt actiones à natura institutæ, & actiones contra naturæ ordinem ex malitia hominum introductæ; de primarum numero est somnus, per quem licèt pro aliquo tempore impediatur usus rationis, tamen non peccat, qui ad rationis regulam, hoc est, juxta necessitatem conservandi vitam ad dormiendum se componit, quia quies illa à somno proveniens est à natura instituta, non, ut vim usui rationis inferat, sed in utilitatem naturæ, &, ut vires per eam restaurentur, & aptior quis post eam sit ad operandum; de numero aliarum est ebrietas, quæ à natura non est instituta: & per quam certè violentia usui rationis infertur; nam quis pro suo arbitrio, etiam per alterius ministerium, non est dominus ad ipsum redire, ideò eam assumens graviter peccat; sicut peccat, qui contra naturæ ordinem aliquod membrum sibi abscindit: non verò, si membrum abscindatur ad vitam salvandam, quia tunc abscissio fit juxta naturæ ordinem.

8. Quæritur, *an ebrietas sit de se peccatum mortale?*

Resp. Affirmativè D. Thom. 2. 2. *qu.* 150. *art.* 2. nam, cùm ebrietas opponatur charitati erga se ipsum, mortale est judicanda: quemadmodùm judicandum de natura sua mortale, quodlibet habens oppositionem cum charitate, & cum ipsa incompatibile, vel mediis necessariis ad conservandam charitatem. Quod charitati opponatur ebrietas, patet; nam charitas vult bonum ei, quem amat: hinc si ex charitate me ipsum amo, debeo velle meum bonum, adeòque rationis usum, qui maximum est hominis bonum in operando, eum à brutis primariò distinguens; ebrietas autem tale bonum destruit, ergo cum charitate non compatitur.

9. Sed quæritur, *an ebrietas pro prima vice sit peccatum; vel, an peccet, qui primò se inebriat?*

Resp. Affirmativè, quia cum charitate erga se ipsum non compatitur, quod quis se voluntariè privet maximo, & specifico hominis bono usus rationis: excusari tamen propter ignorantiam potest, ut, si ignorans efficaciam vini, potentis inebriare, etiam in moderata

quantitate hausti: quia tunc non voluntariè privat se usu rationis; sic propter eandem rationem, peccato ebrietatis non peccat is, cui ab amico datur vinum aliqua qualitate inebriativa conditum, si id ignoret; nam non est peccatum, nisi voluntarium, & voluntarium, sine cognitione non subsistit; potest tamen peccare venialiter, quia plus æquo bibit, D. Thom. *cit. in corp.*

10. Sed quid, *si dubitet, an unico etiam vitro vini possit se inebriare?*

Resp. Mortaliter peccat, si cum dubio illo operetur, quia se exponit periculo peccandi.

11. Sed quid de eo, *qui inter bibendum, sentit, ex calore, & fumositate vini sibi cerebrum aliquo modo perturbari, & prævidet, quod si non cessat plenè, & perfectè usu rationis privabitur?*

Resp. Peccat mortaliter propter periculum, si non cesset, etiamsi posteà plenè usus rationis non perturbetur; quòd si cesset, solùm venialiter peccat propter excessum: sicut venialiter peccat, qui bibit paulò longiùs solito ad lætitiam, quia vinum est valdè suave.

12. Quæritur, *an mortaliter peccet, invitans amicum ad bibendum, qui vino inebriatur?*

Resp. Si invitet cum advertentia, & intentione, quod amicus se inebriet, vel quia vinum scit esse tantæ efficaciæ, ut potens sit ad statim inebriandum amicum: vel expertus sit, quod amicus uno, vel altero vini poculo inebriatur, aut talis naturæ, & vini amator, quod à bibendo non discedat, nisi ebrius; nam eum constituit in occasione proxima peccandi, & ideò mortaliter peccat, cùm peccato proximi cooperetur, quem ad peccatum inducit: secùs dicendum, si neutrum ex præfatis concurreret, sed solùm ex motivo lætitiæ: in quo tamen propter excessum potest venialiter peccari.

13. Sed quæritur, *an sit licitum aliis invitare salutationibus, vulgo* Brindesi *ad bibendum, vel illis correspondere?*

Resp. Si fiant cum intentione eos inebriandi, sunt mortaliter illicitæ, sicut, si prævideatur ebrietatis periculum, quod quilibet vitare tenetur: præcisis istis circumstantiis, regulariter, cùm sunt frequentes, sunt venialiter illicitæ propter excessum bibendi.

14. Quæritur, *an peccent caupones, qui apponunt vinum accedentibus, relicta illis libertate, ut bibant, quantum velint, quorum plures usque ad ebrietatem bibere putant?*

Resp. Affirmativè, si sine incommodo petentibus denegare possunt, & ebrietatem eorum impedire; nam tunc censentur ebrietati cooperari, & consentire, quam non modò non impediunt, verùm etiam, materiam peccandi ministrant; quod si caupo timeat rixas graves, querelas, vel convitia, blasphemias, & juramenta, si deneget: non peccat, si apponat, quia censetur facere involuntariè, & ad vitandum incommodum; nam ea appositio est indifferens, & abusus est ex malitia bibentis, qui ad aliam tabernam posset accedere.

Deducitur ex D. Thoma, qui 2.2. *qu.* 169. *art.* 2. quærens, an ornatus mulierum fiat sine peccato, ad 4. respondet: *si ars sit ad faciendum opera, quibus homines uti non possunt absque peccato, artifices faciendo peccant, utpote præben-*

*tes*

*ter aliis directè occasionem peccandi: ut, qui fabricat idola, vel alia ad cultum Idololatriæ pertinentia; si verò sit ars, cujus operibus possunt homines bene, vel malè uti, sicut gladii, sagittæ, & similia: usus talium artium non est peccatum, &c. quia ergo mulieres licitè se possunt ornare, vel, ut conservent decentiam sui status, vel etiam aliquid superaddere, ut placeant viris, consequens est, quod artifices talium ornamentorum non peccent in usu talis artis, nisi fortè inveniendo aliqua superflua, & curiosa:* hæc Sanctus Doctor; hìc applica; & ex eis colligas regulam universalem ad plura dubia.

Verùm crediderim optimum esse, si Confessarius Tabernarios instruxerit, quod similibus, vel, absolutè vinum denegent, vel in ea quantitate, in qua solent inebriari, modo id moraliter possint, juxta dicta lib. 1. *cap* 22. *num. ult.*

15. Sed quid, *dicendum de Domino respectu famuli, Patre respectu filii, & Superiore respectu subditi?*

Resp. Peccant mortaliter, quia tenentur vigilare, & curare, ne mortaliter peccent ii, quorum cura eis commissa est; & ideò, non solùm materialiter, apponendo materiam, sed etiam formaliter ipsorum ebrietati cooperantur.

16. Quæritur, *an, dum medicus consulit ebrietatem, ad provocandum vomitum ad effectum restituendi salutem infirmo, sit ebrietas licita: quod est idem ac quærere, an ebrietas licita sit ad recuperandam sanitatem, & adhiberi possit ut medicina?*

Resp. D. Thomas cit. *qu.* 50. *art.* 2. *ad* 3. negat licere, quia ad vomitum provocandum non est necessarium vinum inebrians; nam eum, etiam potus aquæ tepidæ potest causare; ad quem, sicut ad procurandam sanitatem non desunt alia media, & propterea non excusabitur ab ebrietate, qui vinum ad id adhibet.

17. Quæritur, *an blasphemiæ, verba injuriosa, homicidia, uxoris maledictiones, verbera, & similia vitia inordinata, quæ solent ab ebriis in ebrietate patrari, sint verè, & formaliter peccata, de necessitate explicanda in Confessione?*

Resp. Vel, qui se inebriat, prævidet, quòd in ebrietate blasphemias pronunciabit, occidet, adulterium committet, proximis detrahet, modò contumelia, modò irrisione, turpiloquio, &c. vel non: si prævidit, & posteà culpabiliter se inebriat, peccat peccato ebrietatis, & peccato homicidii, &c. ratio est, quia dum prævidet, quod, si se privet rationis usu, occidet, si culpabiliter eo se privet, jam vult nunc pro tunc occidere.

18. Quòd si quæratur, *quando committat peccatum homicidii?*

Resp. Actu interiori illud committit, quando inebriatur, quoniam tunc vult ebrietatem, & sequens peccatum; actu vero exteriori, quando jam ebrius, occidit, blasphemat, &c.

Nec est necesse, quod prævideatur talis actus in particulari, hoc est, quod homicidium, furtum, &c. sit commissurus, sed sufficit prævidere, quod ebrii soleant in ebrietate committere aliquos actus peccaminosos; vel scire se ebrium in aliquo peccare, licèt nesciat, in quo genere tunc peccabit; nam, tunc ei imputan-

putantur actiones, quas in ebrietate facit, propter periculum prævisum, cui se exposuit.

Si peccatum, vel effectus prævisus non sit, nec debuit prævideri, tunc ebrio non imputatur ut peccaminosus, quia nec in se, nec in causa fuit volitus; verùm videndum est, an effectus per se, & semper, & ut in pluribus sequatur, quia tunc imputatur; nam tunc, qui vult causam, consequens est, ut velit effectum; si verò effectus non per se, sed per accidens, rarò, & contingenter, & in paucioribus sequatur, tunc non imputatur, ut optimè D. Thomas cit. in corp. adducens ver. Augustini scribentis contra Faustum: *Loth culpandus est, non quantum ille incestus, sed quantum ebrietas meruit; quia neque in genere præviderat, quod filiæ essent peccaturæ cum ipso, & rarò contingit, ebrios induci ad actionem, ad quam filiæ induxerunt Loth.*

19. Nota, quòd plena ebrietas, quæ est mortale, & in qua perfectè usus rationis amittitur, ex his dignoscitur 1. si non recorderis eorum, quæ fecisti, & dixisti. 2. si ea commisisti, quæ sana mente nunquam fecisti, V. G. si protulisti blasphemias, verberasti uxorem, & similia; vide *c. 4. n. 5.* triplicem ebrietatis speciem.

20. Quæritur. *An liceat, se inebriare Tabaco?*

Resp. Quamvis ebrietas propriè ex dictis sit excessus in potu, donec usus rationis adimatur, quia tamen plures per suffitum Tabaci amittunt usum rationis, & sunt similes ebriis: ideò dicendum, quod lethale sit, per suffitum Tabaci se privare usu rationis; nec potest dari disparitas, cur se privare tali usu per potum sit lethale, non verò per fumum Tabaci; cum hic ratio naturalis ligetur non naturaliter per quietem sensuum, sed violenter per operationem Tabaci. Tum quia, malitia mortalis ebrietatis in hoc consistit, quòd ebrius se privet potentia proxima usus rationis, itaut non sit in ejus potestate, dum ebrius est, eo uti pro suo libitu; nam se liberare ab ebrietate non potest, quando vult, etiamsi famulos adhibeat, ut se ad ministerium sensuum vocent; & hinc non potest redire ad rationem, dum vult; consequenter, cum sit magnum malum se privare potentia proxima usus rationis; & aliundè sit certum, hominem non esse dominum, sed tantùm administratorem suæ rationis, sicut aliorum membrorum, & potentiarum naturalium, sequitur, ut se inebriando, vel per potum, vel Tabaci suffitum, & fumum inferat sibi grave damnum, cujus sibi inferendi potestatem non habet, adeòque quod mortaliter peccet. Gobat. *tom. 2. oper. moral. tract. 5. cap. 31. nu. 4. infine.*

## CAPUT VII.

### *Prop. XI. ab Innoc. XI. &c. Debitum conjugale.*

1. PROP. 9. *Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus careret culpa, ac defectu veniali.*

Occasione cujus, agitur hic de debito conjugali, seu obligatione, quam habent conjuges reddendi sibi invicem debitum, duos

dum rationabiliter petunt, in quo mortaliter peccant, cum id sine rationabili causa unus alteri negat.

2. Sed nota, posse conjuges in copula conjugali mortaliter peccare. 1. Si semen scienter, & voluntariè extra vas effundant, quia est contra finem generationis, 2. Si in actu generationis mentem ad alia objecta divertant, ita ut vir aliam mulierem, & mulier alium desideret; quod est in Confessione aperiendum cum objectò cogitato: quia, si vir virginem optaret, esset peccatum stupri, si uxoratam adulterium: & de qualitate objecti tenetur Confessarius interrogare. 3. Si vir in vase præpostero uxorem cognosceret, etiam cum animo consummandi in debito vase; magna enim indecentia in matrimonio apparet: hinc dixit Divus Thomas *in* 4. *distinct.* 32. *quæst.* 1. *articul.* 5. *ad tertiam quæstionem: tenetur unus alteri debitum reddere, salva debitâ honestate.* 4. Si quis sua uxore utatur, non tamquam uxore, sed præcisè, tamquam esset simplex fœmina, & meretrix, paratus ea uti, etiam in tali statu, de quo idem D. Thom. *cit. dist.* 31. *q.* 2. *art.* 3. *ad* 1. scripsit: *tunc voluptates meretricis vir in uxore quærit, quando nihil aliud in eo attendit, quam quod in meretrice attenderet.* 5. Si luxuriis prohibitis se faciant impotentes ad reddendum debitum; nam præbent causam ruinæ spiritualis. 6. Cum faciunt aliquid, per quod impediant conceptionem, etiamsi de facto non impediatur, quia per eos non stat, quin impediatur, 7. Si habens votum simplex castitatis debitum petat, quod tamen potest, & tenetur reddere; & in aliis casibus, quos Authores referunt, ex quibus aliquos dabimus infra.

Nec Authores propositionis asserunt in præfatis casibus mortaliter conjugatos non peccare; sed quod affirmant, est, non peccare venialiter, qui utitur matrimonio ob solam delectationem; & tamen sciendum eis erat, quod qui ob solam voluptatem carnalem utuntur copula conjugali, non utuntur ea propter finem intentum à matrimonio: nam usus matrimonialis copulæ in natura lapsa ordinatur ad gignendos, & educandos filios, tamquam in finem primarium, & ultimum, & in remedium concupiscentiæ, seu ad vitandum periculum incontinentiæ, juxta Apost. 1. ad Corinth. 7. *Propter fornicationem unusquisque uxorem suam habeat:* ideò, qui ob solam voluptatem carnalem uxorem suam cognoscit, venialiter peccat, ex D. August. lib. de bono conjugali *cap.* 6. ubi hæc habet: *conjugalis concubitus generandi causa non habet culpam: concupiscentiæ verò satiandæ, tantùm cum conjuge, venialem.* Ipsum vide, & infrà *cap.* 28.

Sed hodie de hoc dubitari non debet propter decretum Innoc. Ideò Confessarius aliis circa hujusmodi debitum, magis practicis & communibus instruatur.

3 Quæritur. *Quid agendum sit Confessario cum nupta se accusante, à quatuor mensibus sum nupta, & à sex non sum confessa, hoc tempore semel carnaliter cognovi fratrem mariti, nunc ne possum reddere, & petere debitum?*

Resp. Interroget, an cum eo peccaverit ante, vel post contractum matrimonium:

nium: si ante: affirmet matrimonium esse nullum propter impedimentum dirimens, quod contraxit propter copulam cum fratre futuri sponsi.

Ponderet Confessarius I. Ex copula carnali affinitatem induci, adeòque impedimentum dirimens matrimonium, postea contrahendum; describitur autem affinitas: *est quædam conjunctio, & propinquitas personarum orta ex copula carnali, licita, vel illicita, sive sit publica, vel occulta:* ratione cujus consanguinei viri, qui habet copulam cum aliqua muliere, (idem dicatur de consanguineis mulieris respectu viri) dicuntur esse conjuncti cum muliere in eodem gradu, quo sunt cum viro; ad quam contrahendam non sufficit copula attentata, sed requiritur copula perfecta, & consummata, ac seminatio in vase naturali, quamvis generatio non sequatur.

II. Quòd licèt omnes consanguinei uxoris sint affines marito, & è contra; inter ipsos tamen consanguineos utriusque partis non contrahitur affinitas, quæ causet impedimentum matrimonii: & hinc sequitur, quòd duo fratres ex una parte possint accipere duas sorores ex altera; & pater, & filius ex una, matrem, & filiam ex altera, ut clarè textus in *cap. quod super his de consang. & affinit.*

4. Notant DD. differentiam inter affinitatem ortam ex copula licita, & illicita, hanc esse, quod impedimentum ortum ex copula licita, & conjugali dirimat matrimonium usque ad 4. gradum inclusivè; adeò ut maritus propter copulam cum uxore non possit, mortua uxore, ducere ullam, quæ sit conjuncta uxori defunctæ, in 1. 2. 3. & 4. gradu, nam omnes consanguinei uxoris in istis gradibus sunt affines mariti; ortum verò ex copula illicita, ad secundùm gradum tantùm sit restricta per Trid. *sess. 24. de ref. matrim. cap. 4.* unde licèt, qui cognovit sororem, vel aliam conjunctam Bertæ in primo, vel secundo gradu, non possit postea Bertam ducere, potest tamen, si cognovit aliam eidem conjunctam in 3. vel 4. gradu, de quo *lib. 4. de matr.*

4. Sed quid, *si affirmet, cum eo peccavi ante matrimonium invincibiliter ignorans, quod esset frater sponsi: vel quod ex tali copula induceretur impedimentum dirimens matrimonium contrahendum: adeòque cum ignorantia juris, & facti?*

Resp. Propter ignorantiam excusatur ab excommunicatione, qua ligantur contrahentes scienter in gradibus affinitatis, & consanguinitatis, aliisque impedimentis dirimentibus, à qua absolvi non possunt, nisi separentur; & si fuerint denunciati excommunicati, à solo Episcopo. Clement. *Quoniam de consang. & affinitat.* excusatur etiam à sacrilegio, quod commisisset faciendo Sacramentum omninò irritum; at non proinde sequitur, quod matrimonium sit validum, quamvis illud bona fide contraxerit, quia revera est affinis cum sponso, & conjuncta in gradu prohibito cum viro: nec in hoc contractu bona fides supplet, quod Ecclesia pro substantia exigit. Consulat itaque, ut recurrat ad Sacram Pœnitentiariam pro dispensatione, (nam supponitur non posse à viro separari sine gravi scandalo, & præjudicio propriæ famæ, ac filiorum damno,) & interim injungat, quod debitum non petat: & dum ma-

marieus exigit, quærat ipsa modum, & verisimilem excusationem non reddendi; nam, cum matrimonium sit invalidum, quælibet copula, tam petita, quàm reddita est fornicaria: quæ, cum sit intrinsecè mala, à nullo, etiam evidentissimo periculo; & mortis metu honestari potest, nam peccatum mortale propter nullum metum licet admittere, *cap. Sacris de iis, qua vi, &c.* & ideò debet potiùs mortem sustinere, quàm consentire; caveat tamen Confessarius, ne consulat, quod mendaciis reddere debitum effugiat, quia; cum mendacium sit malum, pro nullo bono consuli potest.

Recepta dispensatione, antequam petat, vel debitum reddat, est renovandus consensus matrimonialis, sine quo adhuc copula fornicaria foret, sed non est opus renovare coram Parocho, & testibus, quia occultum fuit prorsus impedimentum (ut supponitur) & in facie Ecclesiæ matrimonium validum reputatur: renovabitur itaque inter ipsam, & virum, cui tamen non debet id significare ad impediendamala, quæ possent suboriri, & prudenter timeri; & propterea hujusmodi modum servet, priusquam reddat debitum marito petenti suaviter inquirat, & postulet: *amas me affectu maritali, ut cæteri viri propriæ uxores? si me non duxisses jam duceres? nonne vis me semper habere pro tua uxore?* & ubi affirmet, jam habetur renovatus consensus; quod si neget, occasionem justam habet negandi petenti, & volenti debitum affectu fornicatio.

§. Sed quid, *si dixerit, se cognovisse fratrem sponsi post contractum matrimonium?*

Resp. Tunc matrimonium non dissolvitur, quia est insolubile, sed privatur jure petendi debitum; non tantùm, quia commisit adulterium, sed singulariter, quia evasit affinis sui mariti, tenetur tamen ex justitia reddere viro petenti, quia maritus propter malitiam uxoris non debet suo jure privari, cap. *Tua de eo, qui cogn. consang.* Interim injungat (ut in futurum ipsa quoque petere valeat) ut dispensationem à Pœnitentiaria impetret, aut Ordinario loci, vel à Sacerdote habente ab eo facultatem dispensandi: aut per se immediatè, aut tacito nomine, pro ea Confessarius quærat sibi communicari facultatem, ut super eo ex rationabili causa, quæ certè non deerit, dispenset, Gobat Theolog *tract.* 10. *casu* 15. *num.* 604. Quilici *Confess. manud. qu.* 15. *art.* 4. *num.* 13. ex Lezana, & De la Cruz *de matrim. art.* 6. *dub.* 12. *de dispens. num.* 3. resolvunt, posse Regularem à Superiore specialiter deputatum, & ab Ordinario approbatum dispensare cum conjugatis incestuosis post matrimonium, ad debitum petendum, in Sacramento Confessionis, in Ecclesiis suis tantùm, quæ deputatio durat ad libitum, & expirat morte, vel mutatione ipsius Superioris; hac formula dispensationem exposcat. Peto à P. V. *ut mecum dispenset in debiti petitione, quo jure privor ob affinitatem contractam cum meo marito*, & Confessarius, data priùs absolutione à peccatis, respondeat: *dispenso*, modò subsit causa rationabilis; quæ sanè reputatur sufficiens, vel, ut mulier vitet incontinentiam in se ipsa, vel ne superba, &

erga se ipsum parum benevola ab ipsomet marito cognoscatur. Videatur Tamb. lib. 8. *de matrim. tract. 2. cap. 6. n. 5.* & infra *lib 3. cap. ult.*

6. Sed quid, *si fateatur, Pater ignorans fuisse fratrem mariti, aut copulæ incestuosæ annecti privationem juris petendi debiti, ab eo invita, & per violentiam cognita fui?*

Resp. Communiter DD. resolvunt, non privari jure petendi, si inculpabiliter accessit ad Consanguineum sui viri, hoc est, cum ignorantia invincibili, argum. *ex cap. si quis cit. tit.* aut per violentiam fuerit cognita; nam cum sic non sit incestuosa, excusatur à pœna incestus per Ecclesiam statuta, etenim sine sua culpa non debet, quis suo jure privari, cap. *discretionem tit. cit.*

7. Sed dices, affinitas contracta, & ignorata ante matrimonium, illud contrahendum dirimit, ergo post matrimonium contracta privabit, saltem jure petendi debitum.

Resp. Negatur consequentia, & discrimen est, quia ante matrimonium non habet fœmina jus contrahendi cum consanguineo illius, cum quo vi, aut ignoranter peccavit, sed post matrimonium habet jus petendi debitum ab eo: quo sine culpa privari non debet; nec affinitas dirimens est pura pœna, sed inhabilitas, quæ etiam sine culpa, contrahitur.

Crediderim tamen, quòd si fœmina post contractum matrimonium voluntariè cognovit Fratrem mariti, quamvis ignoraverit ex eo impediri jus petendi debitum, quod adhuc privetur; ratio est, quia, illa copula fuit peccaminosa, & propterea pœnam inde resultantem impotentiæ petendi debitum sibi ipsi ascribere debet; nec obstat, quod pœnam ignoret, quia cognoscit copulam prohiberi, quod sufficit, Sum. Leand. *debit. conjug. num. 4.*

8. Ponderet Confessarius ex Sacramento Baptismi & Confirmationis contrahi cognationem spiritualem, quæ est *quadam propinquitas personarum ex statuto Ecclesiæ orta, ex eo quod cooperentur ad Baptismi, vel Confirmationis collationem, aut susceptionem*: contrahitur à baptizante, & confirmante cum baptizato, & confirmato, ac istorum patre, & matre; & reperitur in patre, ac matre baptizati, & confirmati cum patrinis, & in istis cum baptizato, & confirmato juxta Trid. *cit. cap. 2.* & à B. Pio V. apud De la Cruz *art. 6.* fuit declaratum patrinos inter se non contrahere. Quæ, si contrahatur ante matrimonium, dirimit posteà contrahendum; si verò post matrimonium contractum, privat dantem causam illius culpabiliter jure petendi debitum, servata proportione de affinitate.

9. Sed quid, *dicendum de patre, qui filium proprium baptizavit an privetur jure petendi debitum, & cognationem spiritualem contrahat cum propria uxore?*

Resp. Negativè, si baptizat in extrema necessitate, cum nimirum alius non sit, qui baptizet, & infans periclitatur; nam, sine culpa non debet suo jure privari, ita cap. *ad limina 30. qu. 1. & cap. si vir de cognat. spirit.* aliàs baptizando peccaret, quod non videtur asserendum; in qua

qua Decretali excusatur, etiam si ignoranter susciplat: si verò scienter, jure petendi privatur, sed reddere debet, de quo *lib. 4. suis locis.*

10. Quæritur, *quomodò se gerere debeat Confessarius cum muliere, quæ se accusat:* Pater: sum adstricta voto simplici castitatis, & nupta, vexor scrupulis, quomodò me gerere debeam circa petendum, & reddendum debitum?

Resp. Eidem significet non posse debitum petere, quamvis teneatur reddere (modò votum non sit emissum de consensu viri, quia tunc censetur juri suo renunciare, adeò ut mulier tunc nec petere, nec reddere licitè possit) sive votum sit emissum ante, sive post contractum matrimonium; quòd, si emisit votum simplex ante matrimonium, quod postea contrahitur, non dirimitur, sed ipsa contrahendo peccavit, & videns se non posse alio modo castitatem servare, quam ingrediendo Religionem, modò sit ad illam habilis, debet eam ingredi ante consummationem matrimonii, intra tempus duorum mensium à contracto matrimonio, (quos jus cap. *ex publico de conver. conjug.* maritatis assignat ad deliberandum, an velint Religionem ingredi, vel in matrimonio perseverare,) & ideò intra illos duos menses non tenetur debitum reddere; si perseveret in matrimonio, debet dispensationem obtinere, ut etiam petere possit; verùm, marito defuncto, non potest ad alias nuptias transire sine expressa licentia Papæ. Layman. *lib. 5. tract. 10. qu. 3. capit. 1. num. 10.*

11. Sed quæritur, *an mulier illa peccet, cum secundà vice exigit debitum, an verò solum peccaverit prima vice?*

Resp. Aliquorum opinio est, quod mulier voto adstricta, peccet solùm prima vice debitum petendo, quoniam putant per subsequens matrimonium, præsertim consummatum, votum extingui: quod esse falsum non dubito; nam, ut DD. communiter loquuntur apud Sylvestr. *v. matrim. 7. qu. 4.* votum non est extinctum, sed executio voti suspensa, pro tempore, & usu matrimonii contracti, & ideò tenetur votum servare, quantum ad ea, in quibus non est facta impotens.

12. Sed quæritur, *quid dicendum, si voverit ingredi Religionem, aut suscipere Sacros Ordines, vel non nubere?*

Resp. Qui, votum Religionis emisit, peccat nubendo, & prima vice consummando, sive petendo, sive reddendo: peccat nubendo, quia transgreditur votum Religionis, cum nuptiis incompossibile: peccat prima vice consummando, quia est ei liberum, Religionem ingredi, & ad id ante consummationem tenetur, ut votum impleat, de quo *lib. 4. de matrim.*, & tenetur reddere petenti; nubendo etiam peccat, qui vovit Sacros Ordines suscipere, quia nubendo factus est impotens ad votum implendum.

Sed, *an ante consummationem debeat ingredi Religionem ad suscipiendos Sacros Ordines?* Res est sub dubio. Ego eum non obligarem ad statum tam difficilem, nisi ipse id intenderit.

Item, nubendo peccat, qui post votum non nubendi nupsit; sed postea potest petere, & reddere, quia voto

non nubendi opponitur contrahere, non verò consummare. Felix tom. *p. Exam. num.* 4264. & sequen.

13. Quæritur, *an dubitans de validitate matrimonii possit debitum exigere?*

Resp. Negativè, ex cap. *Dominus de secund. nupt.* ubi decidituir, mulierem dubitantem de morte prioris conjugis debitum non posse exigere à secundo marito, cui tamen reddere tenetur: & tenetur ad primum redire, dum noverit ipsum adhuc vivere. Idem habetur cap. *Inquisitioni de sentent. excommun.* & ibi resolvitur, quòd si dubium sit ex levi fundamento, potent & reddere, & petere, modò dubium ad consilium sui Pastoris deponat; si verò probabiliter dubitet, seù ex fortibus rationibus, vel quia audivit ab hominibus, quibus credere tenetur, ad dubitandum moveatur, petere non debet, ne contra judicium conscientiæ committat offensam, sed debet reddere, ne peccet contra legem conjugii, ut ibi textus; & interim adhibeat diligentiam ad indagandam veritatem; quòd si noluerit, non est absolvenda: & quatenus constet de certa nullitate matrimonii, nec exigere, nec reddere potest, ibid.

14. Sed cur, *si bona fide contraxit, & fuit in possessione, non modo reddendi, verum etiam exigendi debitum, non potest, exorto dubio, exigere, cùm pro se habeat regulam: in dubiis melior est conditio possidentis.*

Resp. Quia regula illa procedit solùm in materia justitiæ, & foro judiciali, in quo Judex non potest aliquem ad pœnam per sententiam damnare, nisi probetur reus: dubium est apud Judicem: an ego occiderim Paulum: non possum ab eo irregularis judicari, vel absolvi: non judicari, ne mihi absque causa injuriam inferat: non absolvi, ne peccet contra justitiam; ad quam pertinet, quòd delicta non remaneant impunita; & hinc cùm Judex non possit partem tutiorem reperire, in dubio debet servare regulas ab jure præscriptas, *ut: in dubiis melior est conditio possidentis*; verùm, ego in eo dubio debeo me irregularem judicare, & abstinere à ministerio Altaris, quia id est tutius; *& in dubiis tutior pars est eligenda:* ut loquuntur Canones *cap. petitio de homicid.* quæ necessitas eligendi tutiorem consurgit ex obligatione, qua quis tenetur vitare periculum peccati; & propterea dixerunt DD. in foro pœnitentiali ad evitandum tale periculum partem tutiorem esse eligendam. Lege D. Thom. 2. 2. *qu.* 60. *art.* 4. unde, cùm tutius sit, quòd mulier dubitans debitum non exigat, debet omninò abstinere: de qua re diximus aliqua *lib.* 1. *cap.* 20. *nu.* 31.

15. Sed dubitatur, *nonnè tutius etiam esset, si non redderet, cùm peccatum possit esse tam in reddendo, quam denegando debitum? Immò, si semper deberemus tutiorem sequi ex duabus partibus, de quibus dubitatur, si ego dubitem, an in collatiuncula, jejunii tempore concessa, octo unciæ violent jejunium, deberem nil omninò in sero jejunii comedere, quia utius est observare jejunium nil comedendo, quàm comedendo aliquid; quod falsum est omninò, & potest esse res scrupulis abundans.*

Resp. Peccatum utique potest esse tam in reddendo, quàm denegando debitum: nam,

nam, si matrimonium fuit validum, non licet denegare: si nullum, non licet reddere; tamen cùm non constet, quæ pars sit tutior propter æqualem probabilitatem, quam mulier habet de nullitate, & validitate conjugii, in eo dubio est eligendum, quod est favorabilius matrimonio, juxta textum in *cap. duobus de sent. & re judicata*; & proinde Innoc. III. in alleg. *cap. Inquisitioni* in dubio, quod alter conjugum habebat de impedimento conjugii, dixit: *debitum esse reddendum, ne contra legem conjugii committatur offensa*; quòd si judicaret probabilius esse nullum, tunc res non esset dubia, sed certa certitudine, si non morali, majori sanè ex parte nullitatis, & ideò deberet abstinere & ab exigendo, & reddendo; aliàs operaretur contra conscientiam sibi dictantem, probabiliùs esse matrimonium esse nullum, quàm validum, & reddere debitum illicitum, quàm licitum.

Ad exemplum de jejunio dicitur: si est moraliter certum, quod sufficiant sex unciæ, non teneor ad quinque, vel nullam, sed non teneor excedere sex; nam, si sum certus, quod sex, aut octo sufficiant, non dubito, ideò possum, tuta conscientia, sex, vel octo sumere; nec datur hic locus præfatæ regulæ *in dubiis*, cum hìc, ut supponitur, non dubitem, sed sim certus; hæc ponderet Confessarius.

16. Sed quid, *si tam mulier, quàm vir dubitent de valore matrimonii?*

Resp. Dum sic dubitant, nullus potest reddere alteri petenti ratio est, quia petens non petit licitè; nam propter dubium non habet jus: cùm ex conscientia dubia non liceat operari; & sic alter non potest reddere.

17. Quæritur, *an possit licitè mulier denegare debitum suo viro, ut se liberet à doloribus partus?*

Resp. Negativè, quia liberè, & sponte ad id se subjecit.

18. Sed quid, *si medicorum judicio, vel ipsa experta sit per partus antecedentes, sibi ex partu probabilissimum vitæ periculum imminere?*

Resp. Non teneri ad reddendum debitum, docet Sum. Leand. *cit. nu.* 2. ratio est, quia non habet dominium propriæ vitæ, sed administrationem, ergo non potest usum sui corporis alteri permittere cum probabili periculo ejusdem; maximè, quia conjuges in matrimonii contractu sibi invicem corporum potestatem tradunt, & promittunt inservire propagationi speciei salvis propriis individuis. Si vir stimulis carnis pulsetur, potest alia remedia, orationis, jejunii, &c. adhibere ad vincendam concupiscentiam. Layman. *cit. cap.* 1. *nu.* 5. dum tamen est inepta ad concipiendum, tunc reddere tenetur, quia periculum cessat.

19. Quæritur, *an sit mortale peccatum conjugi serio, & instanter petenti, debitum negare, ne proles multiplicetur, quam parentes ob paupertatem difficilè alere possint?*

Resp. Affirmativè; nam aut uxor vult perpetuò negare, aut tantùm ad tempus: si perpetuò, exponit maritum sine justa causa manifesto periculo incontinentiæ, & sic mortaliter peccat: si ad tempus solummodò, ergo frustrà negat; quia, quando consentiet marito, probabilissimè concipiet, & quidem facilius: me-

lius est proli, ut vivat inops, quàm ut omninò non vivat. Layman. *cit. num.* 16. Gobat. *cas.* 16. *nu.* 623. Absolvendæ itaque non sunt mulieres habentes animum negandi matrimonium ob metum difficultatis in prole nutrienda, dum maritus seriò, & instanter petit, nam maritum tunc exponunt periculo incontinentiæ, & in re gravi ei debita ex justitia sunt inobedientes.

20. Quæritur, *accedit mulier, & se accusando aperit:* Pater: sum nupta, sed in ætate quasi sexagenaria, habeo virum sæpè exigentem debitum; cum difficultate ipsum reddo, nam, cùm sim inepta ad generationem, credo id mihi non esse licitum; *peto instructionem?*

Resp. Confessarius interroget, à quanto tempore, & quoties debitum reddiderit: &, an tunc temporis debitum reddiderit cum dubio, quod sibi non esset licitum, & quod mortaliter peccaret; & tunc toties peccasse judicet; & instruat, tria debere concurrere, ut impotentia ad generandum dirimat matrimonium.

I. Ut sit impotentia ad copulam, quæ per se apta sit ad generationem: cujusmodi non est illa spadonum, utroque testiculo carentium, cum semen verum, & prolificum non emittant: quorum propterea matrimonia sunt nulla, ex constit. Sixti V. apud de la Cruz *art.* 7. *nu.* 2.

II. Quòd impotentia sit perpetua, & perfecta; perfecta censetur, cùm quis est impotens cum omni fœmina; nam, si cum una sit impotens, & non cum alia, matrimonium valet, etiam cum illa cum qua est impotens, ut expressè tex. *in capit. Fraternitat. de frigid. & malef.* censetur autem perpetua, cùm nec successu temporis, nec modò naturali, & licito, nec tunc corporis periculo tolli valet, ut ibid. textus, dum ait: *impedimentum illud non erat perpetuum, quod præter divinum miraculum per opus humanum absque corporali periculo potuit removeri.*

III. Quòd impotentia præcesserit matrimonium, & non supervenerit matrimonio jam contracto; etenim obligatio ab initio contracta non dissolvitur, tametsi ad eum casum deveniat, à quo incipere non posset; sic affinitas, vel aliud impedimentum superveniens matrimonio illud dissolvere non valet.

IV. Quòd ex sententia totius Ecclesiæ, & DD. matrimonia Senum, & sterilium valida sunt, nam possunt uti naturali copula, solùm per accidens inepta ad generandum, omitto, quod sæpè contra spem generant prolem. Tum quia, quamvis non possint generare filios, qui est finis primarius, & ultimus matrimonii, salvatur tamen in eo finis non ultimus matrimonii, sedatio nimirum concupiscentiæ. Vide *cap. Nuptiarum* 17. *quæst.* 1. *& lib.* 4. *de matrimon.*

21. Quæritur, *quid agendum Confessario, si animadvertat pœnitentem laborare ignorantia circa impedimentum dirimens matrimonium?*

Resp. Si pœnitens laboret ignorantia vincibili, & mortaliter culpabili, tenetur illi suum errorem aperire, quia fortè, sic monitus, non contrahet; vel, si contraxit, aut separabitur à putata uxore, aut, cùm id moraliter fuerit impossibile, dispensationem à Sacra Pœnitentiaria impetrabit: interim abstinebit

à de-

à debito, tùm exigendo, tum reddendo; quòd si pertinax exequi noluerit, intelliget, cur Confessarius absolutionem neget, eoque rubore percussus, & conscientiæ stimulis pulsatus, posteà fortasse se corriget, & alio tempore confitebitur suum peccatum.

Si verò invincibiliter ignoret se invalidè contraxisse, tenetur Confessarius super eo ipsum instruere; ratio est, quia potens, & debens alios ab errore relevare, & tacens, se ipsum errare demonstrat *cap.* 1. *de hæret.* Tum quia Confessarius exercet munus doctoris, & medici, ideò, ut doctor errantem debet instruere, & ut medicus sanare, ac adhibere remedia ad tollendum morbum, ut sic, vel à matrimonio contrahendo desistat, vel dispensationem impetret, si contraxit, & separari non potest.

22. Sed quid, *si ex aperitione veritatis, & admonitione, nullus speretur fructus, sed potiùs prudenter timeantur rixæ, scandala, lites Parentum, vel liberorum infamia, & Confessarius agnoscit pœnitentem, ita dispositum, ut sciens illud impedimentum, perseveraret in illo statu fornicario, in quo cùm ignoranti a formaliter non peccat, & cum admonitione peccabit?*

Resp. Bonacc. *de matrim. q. 3. punct. ult. num.* 4. Layman. *lib.* 5. *tract.* 6. *cap.* 13. *ar.* 5. Gobat. *cit. cas.* 20. *num.* 357. Aliique resolvunt, in casu dubii, Confessarium non teneri pœnitentem monere de suo errore, quia frustra, & sine fructu, immò cum gravi damno salutis spiritualis pœnitentis; & propterea debere dissimulare, & illum relinquere in tali ignorantia potiùs, in qua formaliter non peccat, quàm aperire impedimentum dirimens, quo patefacto forsitan peccaret; quod probatur *ex cap. quia circa de consang. & affinit.* ubi Pontifex rescribit esse dissimulandum cum illo, qui contraxit cum impedimento dirimente, si grave scandalum ex admonitione immineret; & ex August. relato *cap. si quis il* 2. *de pœnit. dist.* 7. *si scirem tibi non prodesse, te non monerem, te non terrerem:* & ex D. Th. 2. 2. *q.* 33. *art.* 6. qui in corpore quæsiti: hæc habet: *ubi probabiliter æstimatur, quòd peccator admonitionem non recipiat, sed ad pejora labatur, est ab hujusmodi correctione desistendum, quia ea, quæ sunt ad finem, debent regulari, secundùm quod exigit ratio finis.*

Limitatur 1. Si agatur de matrimonio non contracto, nam tunc occultum impedimentum est significandum, quia in casu vix possent prudenter, & verisimiliter timeri incommoda enunciata: id enim exigit reverentia Sacramenti, ne invalidè suscipiatur.

2. Si agatur de contracto, & populus sciat impedimentum, & propterea scandalizetur, tenetur Confessarius admonere; licèt nullus ex admonitione speretur fructus; ratio est, quia illa ignorantia est contra bonum commune, ratione scandali; bonum autem commune secundùm rectam rationem præferendum est private. Bonaccin. & communiter recipitur à Doctoribus. Cautè itaque Confessarius procedat, & juxta disposita in *cap. omnis utriusque de pœnitent. & remission.* ubi hæc sunt, *Sacerdos autem sit discretus, & cautus, ut more periti medici superfundat vinum, & oleum vulneribus sauciati, diligenter inquirens,*

*quirens, & peccatoris circumstantias, & peccati, quibus prudenter intelligat, quale debeat ei præbere consilium, & cujusmodi remedium adhibere, diversis experimentis utendo ad salvandum agrotum.*

23. Quæritur, *an, cùm Parochus, vel alius Sacerdos novit ex Confessione Sacramentali aliquos laborare impedimento dirimente possit eos non conjungere?*

Resp. Negativè; nam non potest extra Confessionem uti scientia in Confessione habita, ne Confessio reddatur odiosa, & onerosa, ipsiusque sigillum frangat; ideò debet pœnitentem intra Confessionem monere, ne contrahat, & quatenus nolit desistere, eum non potest absolvere: sed extra, nec admonere illum potest, nec assistentiam negare.

Dicitur in Confessione, quia, si id noverit extra Confessionem, etiam si impedimentum occultum sit, non debet assistere, etiamsi publicè petat: ratio est, quia non debet assistere matrimonio invalido, sed valido, ne contrahentes maneant in perpetuò damnationis statu: debetque eos fortiter hortari, ne contrahant; & dum verbis non proficiat, dicat: *ego vos non copulabo*; & interim examen impedimenti ad Episcopum remittat, ad quem in foro externo spectat super eo cognoscere, *cap. ex literis de consang. & affin.*

## CAPUT VIII.

*Prop. X. & XI. ab Innoc. XI. &c.*
*Dilectio proximi.*

1. PROP. 10. *Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali.*

PROP. 11. *Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.*

Notet Confessarius de fide esse dari præceptum charitatis erga proximum, ex illo Matth. 22. *diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Et Joan. 1. *cap. 4. si quis dixerit, quia diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est.* Ex quibus patet, duo præcepta erga proximum esse imposita, unum affirmativum, negativum alterum: negativum, de non habendo odio ipsum, seù de non volendo ipsi malum, aut de non concipiendo tristitiam de bonis ipsius, aut lætitiam de malo, obligat semper, & pro semper, sicut cætera præcepta negativa; affirmativum autem, de volendo ipsi bonum, vel de gaudendo, aut complacendo in bono ipsius, vel de benefaciendo ipsi per actus misericordiæ spiritualis, vel corporalis (addentes dilectioni internæ opus externum erga proximum, & executionem ipsius internæ dilectionis, & propterea dictos dilectionem externam ipsius: sicut impletio mandatorum Dei dicitur ipsius dilectio virtualis, seù effectiva, hoc est, effectus internæ dilectionis) obligat non pro semper, sed in particularibus casibus.

Nec Authores propositionis negant dari præceptum charitatis erga proximum, sed dicunt eidem satisfieri per solos actus externos beneficentiæ, & misericordiæ, ut Tambur. in Decal. *lib. 5. cap. 1. in princ.* quod falsum dixit Innoc. in decreto.

Et ideò contra eos, & ad instructionem Confessarii nonnulla, quæ possunt ipsi esse ad praxim utilia circa proximi dile-

dilectionem, & odium inimici, ex charitatis Theologicæ præcepto diligendi, hic necesse est adjicere.

2. Sed priùs observandum, quod charitas Theologica, alia est actualis, habitualis altera: ista, *est habitus supernaturalis per se à Deo infusus, quo inclinamur ad Deum super omnia diligendum propter se, & suam bonitatem, ut fide cognoscitur*; vide D. Thomam 2.2. *qu.*25. *art.*12. Illa verò *est actus voluntatis, quo quis, suppositâ cognitione fidei, Deum super omnia diligit propter se, & suam bonitatem, vel nos ipsos, & proximum propter Deum.*

Item, quod objectum formale charitatis est divina bonitas propter se amanda; objectum verò materiale, primarium est ipse Deus, & secundarium quidquid amari potest propter Deum, hoc est, quidquid placet Deo, ut amemus.

Item, quod est ordo in objectis diligendis ex charitate, & in bonis, quæ sunt desideranda personis, quas ex charitate tenemur diligere, ex D. Thoma cit.

3. Item, quòd tria sunt bonorum genera, quæ, vel nobis ipsis, vel alteri, quem amamus, velle possumus; primum, continet bona spiritualia, gloriam, gratiam, & virtutes: secundum, bona corporalia, vitam, & sanitatem corporis: & tertium, bona externa, famam, honorem, & divitias; ordine itaque charitatis quisque super omnia debet 1. Deum diligere, qui est in se infinitè bonus, & principium beatitudinis, ac bonorum omnium. 2. Se ipsum secundùm bona spiritualia, volendo sibi beatitudinem, gratiam, &c. 3. Proximum secundùm eadem, desiderando ipsi beatitudinem, gratiam, &c. 4. Se ipsum secundùm bona corporis, volendo sibi sanitatem, & vitam. 5. Proximum secundùm eadem ipsa bona sanitatis, & vitæ; tandem se ipsum, & proximum secundùm bona externa, eadem prius sibi, & posteà proximo volendo.

4. Quæritur, *quinam nomine proximi in hac materia intelligatur?*

Resp. Homines, qui sunt per se capaces beatitudinis æternæ, sive sint justi, sive fideles, sive infideles, sive amici, sive inimici: omnes enim isti, dum in hac vita degunt, sunt capaces bonorum supernaturalium, & esse possunt participes beatitudinis supernaturalis, quam per opera bona supernaturalia possunt mereri, eamque illis velle quisque potest.

Etiam Corpus nostrum, quod est infrà nos, possumus amare amore charitatis, quia licèt non per se, per accidens tamen est capax beatitudinis, secundùm scilicet beatitudinis fructum, & effectum, dotem videlicet, ex beatitudine animæ in corpus redundantem, ex D. Thoma *cit. art.* 5. *ad* 2. propterea amore charitatis amari posse concludit.

5. Quæritur, *an, ut satisfaciamus præcepto charitatis de diligendo proximo, debeamus ipsum amare actu interno amoris supernaturalis, an verò eidem satisfaciamus, si amemus ipsum amore naturali?*

Resp. Debemus ipsum amare amore supernaturali, nam præceptum de diligendo proximo datum hominibus est supernaturale; cujus existentiam cognoscimus per fidem supernaturalem, ut patet ex allegatis testimoniis Sacræ Scripturæ,

& ex hoc alio 1. ejusdem Joan. 4 *hoc mandatum habemus à Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum:* nulli autem præcepto supernaturali, seù obligationi ordinis superioris satisfacimus per actum naturalem, & ordinis inferioris, propter improportionem inter ea; & oppositum asserere, idem est ac negare præcepta supernaturalia, & cum Pelagio auxilia gratiæ, quæ necessaria sunt ad operandum supernaturaliter; & ut oportet, ex Trid. *sess. 6. can. 3.*

6. Sed, *unde potest colligi, quod dilectio proximi sit supernaturalis?*

Resp. Vide dicta cap. 5 *num.* 11. arguitur, quod actu supernaturali diligatur, cùm diligitur prævia cognitione fidei (qua cognoscitur, quod sit capax, & particeps æternæ beatitudinis, & cæterorum bonorum supernaturalium) eique omnia hæc, & cætera, quia ad ipsam conducunt, & quia Deo placet, ut sic diligatur, volumus.

7. Sed quæritur, *quænam bona debemus proximo velle, ut perfecta charitatis dilectione eum diligamus?*

Resp. Debemus I. ei gratiam, & gloriam æternam optare, sive bonum æternum simpliciter: denique reliqua bona in ordine ad illud bonum.

II. Erga ipsum tenemur habere non modò benevolentiam, sed etiam beneficentiam; nam debemus diligere non solùm verbo, & lingua, sed opere, & veritate, ita ut quantum in nobis est, tempore, & loco opportunis, proximo benefaciamus, & à statu miseriæ sublevemus, aliàs ficta esset dilectio, quæ, ubi vera est, otiosa non est, sed efficax: qua externa dilectio ad internam sequitur, quia *probatio dilectionis exhibitio est operis.*

III. Tenemur non gaudere de malo proximi, nec tristari de bono.

IV. Tenemur proximum, quantum in nobis est, & fructus speratur, tempore, & loco opportunis, ex lege charitatis, instructione, monitione, precibus, lachrymis, ubi ejus salus spiritualis periclitatur à via erroris, & peccati removere, eique opem ferre.

V. Tanta est hæc obligatio, ut quilibet paratus esse debeat, vitam temporalem pro salute spirituali proximi ponere, si ita res exigeret: sic, si puer V. G. sit moriturus sine baptismo, nisi à me ministretur, teneor illum baptizare, etiam cum vitæ meæ periculo: & deceptum ab hæreticis in articulo mortis, teneor instituere de veritate catholica, si possum, etiam cum vitæ discrimine; nam magis à nobis est diligenda vita spiritualis proximi, & quantum ad salutem animæ, quàm proprium corpus. D. Thomas 2. 2. *qu.* 26. *art.* 5.

8. Sed quæritur, *an ad implendum præceptum de diligendo proximo sufficiat, quòd ametur Deus directè, an etiam debeat amari proximus ex motivo charitatis expresè, & formaliter?*

Resp. Aliqui dixerunt sufficere, quòd Deus expresè ametur, nam amor Dei est implicitè amor proximi, quatenùs est talis naturæ, ut determinet nos ad amandum proximum, & succurrendum ipsi; sed hæc opinio non subsistit; nam si talis dilectio sufficeret, non deberent assignari duo præcepta distincta, unum amandi Deum, alterum amandi proximum, sed sufficeret præceptum amandi Deum;

Deum; propterea, ut obligationi satisfiat, debemus amare proximum, & eidem bonum velle, quia placet Deo summo bono, ut ametur, quòd est ipsum amare ex motivo charitatis, eumque diligere amore interno distincto ab amore, quo amatur Deus.

9. Sed quæritur, *pro quo tempore teneamur proximum tali explicito amore per se diligere?*

Resp. 1. In casibus, in quibus tenemur ipsi per opera misericordiæ spiritualis, vel corporalis succurrere, 2. Dum tentatione pulsamur ad eum odio habendum, aut ei invidendum, quam superare non possumus, nisi per actum amoris erga ipsum; toties enim peccatur contra charitatem, de quo viri timoratæ conscientiæ se accusant.

De præcepto diligendi inimicos, inter Catholicos dubitari non debet, cum apertè loquatur Scriptura: *diligite inimicos vestros*, Matth. 5. Sed quoniam fortè Confessarius, pro quo scribo, per defectum sufficientis notitiæ, nequit negligentem instruere, ideò super obligatione diligendi inimicum, ei sequentia paro.

10. Quæritur, *ex quibus colligatur, quod quis inimicum ex charitate non diligat?*

Resp. I. Si ei grave malum velit, quatenus ipsi malum est; hoc enim propriè est odium inimicitiæ, seù personæ: quo personæ, quæ nobis displicet, tale malum volumus. II. Si offensa ab inimico recepta ex animo ei non condonetur, seù quis eam vindicare velit, & propterea moveatur ad optandum, & faciendum ipsi malum, quà malum est. III. si remissionem offensæ ex corde factam, proximis, & ipsi præsertim inimico, notam non facit; nam ex lege charitatis obligamur nulli esse scandalo, vel non præbere occasionem proximo, qua ipse peccet, quod contingere optimè potest, si inimico hunc condonandi animum non ostendamus; quoniam ipse perdurabit in inimicitia, cujus nos potissima causa jam essemus. IV. si signa communia dilectionis, amicitiæ, & honoris, ex more patriæ, & omnibus communia denegemus, sed de his in particulari.

11. Quæritur, *an peccet mortaliter, qui inimicum non salutat?*

Resp. Sed priùs nota: omissionem salutationis non esse *per se* signum odii, inimicitiæ, & contemptus, excitans non salutatum ad odio habendum non salutantem; cùm ex lege charitatis non teneamur salutare omnes nobis obvios; nam plures insalutatos relinquimus, quos nec odio habemus, nec contemnimus; ex circumstantiis tamen signum odii, & contemptus esse potest. Ideò mortaliter peccat contra charitatem, si anteà illum consuevit salutare, & tunc salutationem omittat, etiamsi nullus alius videat; quia salutationis substractio inter viros, quibus est debita, injuria est, & in eorum contemptum cedit; maximè, si ad ipsum spectet salutare primùm, vel quia est inferior, vel quia ipse alium offendit, & priùs læsit.

Item, si concurrentibus pluribus, inter quos est inimicus, cæteros salutet, excepto inimico; vel, eum præter omissionem salutationis, torvis oculis, ultra solitum, aspiciat, insolitove fastu pileum capiti comprimat, quia sic fo-

mitem odio sine dubio præbet, & majorem iram inimici erga se concitat: in casu præter peccatum contra charitatem per omissionem salutationis, peccat, etiam peccato commissionis per scandalum, contra eamdem charitatem, de necessitate cum numero personarum, quas scandalizavit, in Confessione explicando.

Item, si inimicum salutantem non resalutet, eo modo, quo ex consuetudine Patriæ salutabat ante inimicitiam; nam tunc omissio salutationis non modò inurbanitati tribuitur, sed exodio provenit, & æstimatur notabilis contemptus salutantis.

Item, si prævideat ex sua salutatione posse cum inimico reconciliari, quamvis priùs non fuisset solitus salutare, & non salutet, quia tunc censetur nolle reconciliari. DD. excusant Superiorem, & Prælatum, qui causa justæ correctionis, seù in pœnam justam criminis commissi, judicat prudenter esse resalutationem differendam.

12. Dubitatur, *an possint absolvi V. G. duo Religiosi, qui causa cujusdam præteritæ rixæ se intra septa domestica non salutant, si anteà, dum non erant inimici se invicem salutare consueverunt?*

Resp. Negativè; nam etiam scandalum & sibi ipsis, & cæteris Religiosis præbent, & ex odio, ac ex contemptu, vel in vindictam moventur ad sibi denegandum signum dilectionis, & honoris: & propterea injuriam unus alteri irrogat.

13. Quæritur, *an peccet contra præceptum charitatis de diligendo inimicum, qui distribuens bona communitatis, vel eleemosynam tribuens omnibus incolis oppidi, vel accedentibus, inimicum excludit?*

Resp. Affirmativè; ratio est, quia, licèt eleemosynam elargiri, & tua bona non tenearis distribuere, tamen si distribuas, & inimicum excludas, id est manifestum signum odii; quod si bona communitatis distribuantur, cum inimicus habeat jus ad illa, dum ipsum expellis, & eum odisse, & ulterius peccare contra justitiam distributivam convinceris.

Excipitur Judex, aut Prælatus, qui reum, vel subditum excludit in pœnam delicti; sed delictum debet esse publicum, aliàs scandalum non deesset.

II. Si beneficium pro omnibus non sufficiat, ita ut aliqui, tam amici, quàm inimici sint excludendi, quia hujusmodi exclusio non est signum inimicitiæ, cum excludantur alii, qui non sunt inimici.

14. Sed quæritur, *an quis teneatur sub mortali pro inimicis orare?*

Resp. Distinguendus est in oratione duplex fructus: alter generalis, particularis alius; de oratione quoad fructum generalem omnes totius Orbis justi participant; super quo, ut Confessarius valeat pœnitentes instruere,

Notet, quod de fide credenda est *Sanctorum Communio*, prout Symbolum exprimit: quæ est quædam specialis communicatio justorum in orationibus, suffragiis, & bonis operibus, sic, ut quia sunt membra ejusdem corporis Ecclesiæ, dum unus orat, non tantùm pro se oret, sed pro omnibus: dum alter laborat in via virtutis, non tantùm sibi, sed & cæteris

teris laboret ; ſicut pedes, dum ambulant, pro toto corpore ambulant ; dum manus laborant, pro cæteris membris operantur. In Domo bene conſtituta omnia ſunt communia, agri, pecunia, ſupellex, nobilitas : frater unus ad negotiationem pergit, Soror manibus operatur : altera familiam regit : commune tamen eſt lucrum, propter conjunctionem, quàm inter ſe habent propinquitatis ; ita in Familia, & Chriſti Eccleſia ; Fratres ſumus, & quidquid boni agimus in commune, redundat lucrum ſpirituale ; dum tu hic Romæ jejunas, alter in Indiis orat, ego in miſſionibus apud Turcas occupor, alius propriam ſubſtantiam pauperibus diſtribuit, &c. tu de meis miſſionariis laboribus, ego de tuo jejunio, de alterius eleemoſyna fructum percipio ; quidquid agis, meum eſt, quidquid ego, tuum, participatione : modo ad dubium.

Reſp. Affirmativè, quoad fructum generalem ; ideò peccaret mortaliter, ſi, dum orat, eum à tali fructu excluderet ; nec eſt neceſſe, quòd dum orat, habeat poſitivam intentionem communicandi talem fructum, ſed ſufficit virtualis, & implicita, quam habet, dum orat ; modò non habeat expreſſam intentionem excludendi inimicum à fructu generali : quare, ut peccet, debet orare cum iſta expreſſa intentione excludendi inimicum.

Cum autem ei non vult communicare particularem fructum, videtur non peccare, cum ex præcepto charitatis teneamur exhibere inimicis ſigna dilectionis, & beneficia omnibus communia, particularia verò non, cum hoc ſic tantùm ſub conſilio ; verùm judicarem peccare, ſi orando pro omnibus incolis unius Civitatis, vel Religioſis unius Conventus, fructum particularem hoſti non communicaret ; nam videtur hoc pertinere ad livorem vindictæ D. Thom. *cit. qu. 25. art. 9.* item ſi non ſit animo paratus ad orandum pro inimicis, etiam in particulari in caſu neceſſitatis, & cum egeant : de qua præparatione datur præceptum charitatis.

Quæritur, *an peccet, qui inimicum non alloquitur ?*

Reſp. Sicut ſupra *num.* 11. de ſalutatione.

15. Quæritur, *an poſſit abſolvi Pater nolens admittere ad colloquium filium, eique veniam petenti ignoſcere recuſans, ex quo contra ipſius voluntatem, & cum familiæ dedecore, ſe indigno, & valdè inæquali matrimonio copulaverit.*

Reſp. Reſolvunt DD. poſſe Patrem in pœnam delicti, & ad aliorum filiorum cautelam, reconciliationem filio ad tempus negare. Praxis autem Confeſſarii debet eſſe, I. ut Conſideret, an Pater ex odio, aut iracundia erga filium procedat, an ſolùm juſtam caſtigationem filii, & familiæ honorem, & aliorum cautelam intendat : II. Ut pœna, quæ delinquenti irrogatur, non excedat menſuram delicti ; & ideò in perpetuum non poteſt filio reconciliationem denegare, ſed tantùm ad tale tempus differre, quod prudenter judicatur conveniens ad filii caſtigationem, & alios fines intentos aſſequendos ; hinc abſolvere eum non debet, ſi per tempus notabile judicio prudentis taxandum, & ultra id, quod prudentia dictat, reconciliationem differre

ferre velit, aut, si filio malum desideret, eique indigenti nolit succurrere: neve sit ad hoc paratus.

16. Quæritur, *an teneamur sub mortali inimico veniam petenti, injuriam, & offensam remittere?*

Resp. Affirmativè, quantum ad odium, & culpam in nos commissam, ne erga ipsum in nobis detur actus odii: quem ex charitate tenemur, etiam erga non petentem, deponere, eique signa dilectionis ostendere, juxta conditionem personæ.

17. Sed quæritur, *an teneamur condonare satisfactionem, & pœnam pecuniariam justam, quam licitè possumus coram Judice exigere?*

Resp. Negativè plures resolvunt, modò satisfactio ab Judice justè taxanda, necessaria sit pro reparando proprio honore, ac damno familiæ; nec tunc quis vult offendenti malum, quia ipsi malum est absolutè, (nam sic odio haberet,) sed optat, quòd Judex offensorem puniat juxta leges, & mensuram delicti, ne crimina impunita maneant: in quo per se non apparet esse peccatum, sed potiùs actus bonus, zelans justitiam juxta ordinem divinæ Providentiæ, quæ ideò instituit Judices, ne crimina maneant sine pœna; dicitur per se, quia per accidens potest peccatum contingere, tum ob periculum, ut quis gaudeat de malo proximi: tum ob animum desiderandi vindictam: tum ob notabile damnum, quod deberet familia illius, cui ea pœna optatur, sentire; ideò Confessarius cum his cautè procedet. Vide Layman. *lib. 2. tract. 3. cap. 4. num. 5.* De la Cruz *in Decalog. 1. præcept. art. 3. de charit. num. 3.*

18. Quæritur, *quid agendum Confessario cum pœnitente, qui inter se accusando exponit:* Pater: quoties video Petrum, à quo fui graviter offensus, toties mihi sanguis in venis ebullit: experior me coram eo trepidare, immò & expallescere, & cupere eum non videre, vel, ut longè discedat?

Resp. Interroget, an videns hostem processerit per actus voluntatis ad desiderandum ipsi malum, vel ad tristitiam de bonis illius, aut complacentiam de malo: quod malum optaverit, & de quo sibi complacuerit; an ei tunc denegaverit communia signa dilectionis, salutationem, locutionem, &c. & dum affirmet, peccasse judicet; non verò, si neget; nam illi tunc sunt motus naturales necessariò sequentes ex præsentia objecti apprehensi, ut sibi molesti, & non actus voluntarii de malo alterius. Tambur. *in decal. lib. 5. cap. 2. §. 3. num. 1.*

19. Quæritur, *quid agendum sit Confessario cum pœnitente, qui se accusat, se odio habuisse inimicum?*

Resp. Interroget: quot oderit; à quanto tempore: si aliàs sit super eo confessus: quare odium non deposuerit, & an de præsenti sit cum hoste reconciliatus: & quatenus neget, absolvi non potest: quoties ei, & coram quibus negaverit signa communia dilectionis: quoties ei malum optaverit; tristatus sit de bonis ipsius, & lætitiam de malo conceperit; quod malum ipsi desideraverit, an in bonis animæ, an vitæ, vel famæ, an in bonis temporalibus, quæ sunt differentiæ explicandæ in interno actu odii, sive odium sit tristitia de prosperis, aut complacentia, & desiderium de adversis.

20. Quæ-

20. Quæritur, *an peccet mortaliter contra charitatem Religiosus, qui toties gaudet, quoties à Superiore Frater N. corripitur. & magis, quando coram aliis Religiosis evenit, & mortificationibus castigatur, idque eidem desiderat?*

Resp. Affirmativè; nam certè eum odio habet, & ex affectu vindictæ (nulli personæ privatæ licitæ) movetur ad grave malum ipsi desiderandum, & gaudendum de malo Fratris; nam leve malum non reputatur confusio, & bonæ opinionis amissio, quæ ex similibus reprehensionibus, & castigationibus punitis obvenit; propterea Confessarius eum non absolvat, nisi Fratrem alloquatur, & peccaminosum erga proximum affectum deponat, contra eum ex prævia rixa, & contentione, vel ex invidia conceptum. Fortè posset excusari, si non ex odio moveretur, sed solùm ex zelo Religionis, ut nimirum correptus, cessaret à delictis, quæ cùm scandalo populi, & in Religionis præjudicium frequenter committit, quia sic videtur odio habere non personam, sed delictum, & velle non malum Fratris, sed emendam, & bonum Religionis, quod ex charitate tenemur diligere, & præferre minori malo Fratris criminoli; erga quem, non odium inimicitiæ, & personæ, sed abominationis, & qualitatis haberet: quod erga homines non est semper malum. Layman. *cit. cap.* 8, *nu.* 5. sed videat, ne existo ad illud inimicitiæ procedat.

21. Sed quæritur, *quænam sit differentia inter odium, & invidiam proximi?*

Resp. Hæc est, quod odium est velle malum proximo, vel lætari de malo ipsius, ut ipsius malum est, aut tristari de ejus bono: similia enim proveniunt ex displicentia personæ secundum se; invidia verò est tristitia de bono proximi non præcisè, quatenus bonum ipsius est, sed quatenus mihi displicet eum habere plus, quam ego habeam. Si doleam, quia nollem Petrum v. g. habere talem prælaturam: eum formalissimè odio habeo: si verò doleam, quod habuerit talem prælaturam ex eo, quod ego non habeam majorem, vel æqualem, vel quia nollem ipsum habere plusquam ego, sum invidus. Campion. *part.* 2. *instr. ad Confess. cap.* 14. *n.* 6.

22. Sed quid, *si ego doleam Petrum obtinuisse Prælaturam?*

Resp. Si doleo tantùm, quia non habeo, nec obtinui, quod Petrus obtinuit, non pecco, si sum dignus; benè verò, si doleam Petrum habere, quod ego non habeo, ne sim inferior Petro; & pecco peccato invidiæ, (etiam si non dolerem, quando & ego haberem,) quia apprehendo Prælaturam in Petro, ut diminutivum meæ excellentiæ: nam invidia *est tristitia de bono proximi, ut est, vel apprehenditur diminutivum propriæ excellentiæ.* Vid. *lib.* 1. *cap.* 17. *n.* 19.

23. Sed quid, *si doleam Petrum obtinuisse Prælaturam, quia est ea indignus, vel quia ipsa abutitur?*

Resp. Si doleam obtinuisse præcisè, quia est indignus, quamvis contra charitatem non peccem, possum tamen peccare judicio temerario, præsumendo ex levibus fundamentis malè de meo proximo, vel quod electores in eligendo justitiam non servaverint; si verò, quia ea abutitur in damnum spirituale subditorum,

rum, non pecco, quia dolor est solùm de malo usu, non de Prælatura, quæ est bonum Petri: in casu actus perfectæ charitatis esset, Deum pro Petro orare, ut ex abutente in bene, & juxta regulas rationis utentem mutaret.

Hæc notabit Confessarius, ut valeat distinguere, quando peccato odii, vel invidiæ peccaverint pœnitentes, accusantes se doluisse de bono proximi,

24. Quæritur, *quomodo se gerere debeat Confessarius cum pœnitente, qui in Confessione aperit*; Pater: quoties audio Gallos victores contristor, & doleo: quoties victos, gaudeo, & de ipsis illata clade à Germanis complaceo: quemadmodum exulto, dum hos postremos triumphasse percipio?

Dubium à paucis excitatur, sed necessarium, ut quamplurima eradicentur peccata à Christianis commissa inter loquendum de bellis; quibus, cum tam crebra, copiosaque sanguinis effusione, & subditorum calamitatibus, Catholici Principes inter se certant.

Resp. Interroget, an optans, & gaudens de victoria Gallorum, Gallus sit, & Christianissimi Regis subditus; & dum affirmat: subinquirat: an suo Regi optet, & gaudeat de victoria in bello justo, (etenim si in injusto, peccat, injustè optando proximo malum, & complacendo de malo ei injustè illato) Si in justo dixerit, est videndum, an moveatur ex odio; & hoc est colligendum, si fateatur se de victoria gaudere, ut est eversio, & notabile Christiani Principis damnum; quoniam tunc eidem illud malum vult, quatenus malum illius est, & sic affectus peccati in personam tendit, & contra charitatem delinquit; an verò moveatur ad optandam victoriam suo Principi, quia æstimatur medium aptum, & conducens ad conservandam tranquillitatem, & pacem in populo, quam Princeps quolibet honesto modo, & juxta rationis regulam promovere, & conservare debet in bonum spirituale subditorum; & nec tunc debet per se, & directè intendere malum partis adversæ, sed solùm bonum sui Principis pacem, & regni tranquillitatem, quæ obtineri non potest sine victoria, adeoque sine malo alterius partis, & quin ejus vires minuantur; sed hoc secundum est per accidens intentum, sine quo tamen primum non obtinebitur; in casu desiderium habet rationem defensionis inculpatæ; nam, si Princeps in bello justo ab hoste superetur, quies peribit, & tranquillitas, ac plurima pietatis, & virtutis opera de necessitate omittenda forent; ad quem finem, & ne illa impediantur, licet subditis pro victoria sui Principis orare, juxta Paulum ad Timoth. 1. *obsecro fieri orationes pro Regibus*: & infra: *ut quietam, & tranquillam vitam agamus in omni pietate, & castitate*: quod, dum bellum justum viget, non obtinebitur, si Adversarius prævaleat: sed victoriam pro suo Rege non debet à Deo postulare, pro ut est Christiani Principis damnum, & eversio, quia id esset inhumanum, crudele, & contrarium illi præparationi animi ad orandum in particulari pro inimico, si ita postulet necessitas, de qua præparatione datur præceptum charitatis.

Quod si Regis bellantis subditus non sit, neutri potest licitè victoriam optare, alias

aliàs certè ex odio, & displicentia personæ contra charitatem peccaret: vel per desiderium mali, quatenus ipsi malum est: vel complacentiam de malo, aut tristitiam de bono partis adversæ, quatenus vellet non habere bonum victoriæ; quòd propriè est odium, quia est contra personam; ex lege itaque charitatis eos omnes debet diligere, & pro ipsorum concordia, & pace, preces ad Deum effundere, ut sic tot mala à Christiana Republica in animarum perniciem removeantur.

25. Sed quid *dicendum de eo, qui tristatur de victoriis Turcarum, & hostium fidei?*

Resp. Si tristatur de victoriis Turcarum, quia sunt in damnum Religionis Christianæ, & bona inimicorum Dei, (ex quibus propterea potentiores facti, crudelius fidem nostram impugnant, & impium Mahometis cultum in Christianorum terris, Cruce contempta, promovere conantur) tristitia est virtuosa. Sub qua ratione, saltem implicitè, & virtualiter, ac parati respondere, se ideò de illis tristari, & Deum orare, ut eos ad necem usque disperdat, Christiani tristantur dum eas audiunt, & de ipsorum cæde, & clade lætantur; ac ad Deum preces effundunt, ut ipsius potentia conterantur: quamvis id expresè actu plures non intendant.

16. Sed quid, *si quis expresè vellet solùm Turcarum eversionem, non, ut ista in bonum Christianæ Religionis cedit, nec, quia Christiani nominis hostes, & persecutores corruunt, & deficiunt, sed quia Turcarum malum purè?*

Resp. Nec talis eversio esset aliquod prudenter appetibile, nec pro ea eversione posset Deum orare, quia objectum orationis debet esse cum respectu ad spiritualem utilitatem. Vide Gobat *experient. Theol. tr. 7. cas. 8. n. 593. append. 1.*

27. Sed quæritur *quid dicendum de legente folia novellarum, vulgo* d'avvisi?

Resp. Si legat eo fine, ut gaudeat, & exultet de hac, aut illa victoria de hoste relata, certè mortaliter peccat contra charitatem; & plura peccata committit, dum de multorum occisione gaudet: & scandalum præbet, si alios ad id allicit.

28. Sed quid, *si legat ex curiositate?*

Resp. Videndum est, an se exponat periculo peccandi, per voluntariam tristitiam de victoria unius, aut complacentiam de illa alterius partis; & tunc certè peccat contra charitatem, & curiositas est peccaminosa mortaliter; licèt enim curiositas de se non sit mortale, tamen curiosi sæpè graviter peccant: sic graviter delinquit, qui ex curiositate libros prohibitos legit, (& hic curiositas propter legem prohibentem est per se mala) qui facta aliorum curiosius inquirit, ut detrahat proximo: qui ex curiositate exponit se periculo peccandi, & data opera occasionem peccandi quærit: qui curiosius observat exercentes actum matrimonialem, picturas turpes respicit, & libros obscenos percurrit: ex his ad alia discurras.

Curiositas itaque in sic legentibus esse potest mortaliter peccaminosa, dum imminet periculum, malum optandi, vel tristandi de bono unius partis, & maximè, cum quis erga alteram ex passione

nimis trahitur ad inordinatum affectum, qui propterea sæpè de adversa cum scandalo obloquitur; nec absolvi potest, nisi proponat se corrigere, & occasiones vitare, in quibus experitur se colloquia in contemptum, & odium proximi instituere.

Itaque, ut immunis quis sit in hac materia à peccato, nunquam gaudeat de victoria Principis, sub quo vivit, ut malum præcisè partis adversæ, sed, ut ex ea boni sperantur fines, superius allegati; & semper ita moderatè, ut christianæ compassionis non obliviscatur, & cum advertentia ad sculptam in nobis à natura regulam: *quod tibi non vis, alteri ne feceris:* ac juxta regulas prudentiæ Christianæ, ut ad nova de cladibus illatis Christiano Principi, ab itidem orthodoxo Duce, indifferenter se habeat, & Supremum Numen obsecret, ut dignetur victoriam illam activam, & passivam dirigere ad majus bonum spirituale, ac temporale victoris, & victi. Vide cap. 10.

## CAPUT IX.

### *Prop. XII. ab Innoc. XI. &c.*

### *Eleemosyna.*

1. PROP. 12. *Vix in Sæcularibus invenietur etiam in Regibus, superfluum statui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantùm ex superfluo statui.*

Nota, nos hic loqui de eleemosyna corporali, cujus opera hoc continentur carmine.

*Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo.*

Hoc est. 1. *Visitare infirmos.* 2. *Potum dare sitientibus.* 3. *Esurientes pascere.* 4. *Captivos redimere.* 5. *Operire nudos.* 6. *Hospitio peregrinos suscipere.* 7. *Mortuos sepelire.* Hæc duo sub ultimo continentur.

Non de spirituali: cujus actus sunt.

*Consule, castiga, solare, remitte, fer, ora.*

Hoc est (sub eodem) 1. *Doce ignorantem, &* 2. *Consule dubitanti.* 3. *Corrige peccantem.* 4. *Consolare tristem.* 5. *Remitte offendenti.* 6. *Sustine onerosos.* 7. *Ora pro omnibus.* D. Thom. 2.2. *qu.* 32. *art.* 2.

2. De fide est dari præceptum erogandi eleemosynam, adeòut, si quis indeget, sit hæreticus: & qui non implet mortaliter peccat; Matth. 25. *esurivi enim, & non dedistis mihi manducare, &c. discedite à me maledicti in ignem æternum:* nullus autem condemnatur æternaliter, nisi ob mortale peccatum; quod præceptum videtur contineri in 5. Præcepto Decalogi, *non occides*; nam equivalenter occidit; qui negat alteri hic, & nunc indigenti necessaria ad vitæ sustentationem; nec eum ex charitate diligit; nam, cum vita proximi sit medium, ut ille consequatur beatitudinem, & ex charitate teneamur proximo velle omnia bona ad beatitudinem conducentia, si ei, ubi nequit illa conservari, eleemosynis non succurramus, amore charitatis eum non amamus, & contra charitatem peccamus. Vide D. Thom. *cit. art.* 5. *in corp.*

3. Elee-

3. Eleemosyna describitur, est *actus misericordiæ, cujus objectum est sublevare miseriam proximi.* Misericordia distinguitur à charitate, quia charitas vult bonum proximo propter Deum, misericordia verò vult bonum, ut est sublevativum miseriæ; ideò eadem elargitio eleemosynæ est actus charitatis, si eam erogo indigenti propter Deum, & actus misericordiæ, si intendo indigentem à miseria sublevare.

4. Quæritur, *quando præceptum dandi eleemosynam obliget?*

Resp. Cum præceptum sit affirmativum, non omni tempore, sed cum ex parte dantis est superfluum, & ex parte recipientis necessitas.

5. Pro quo scias, quod triplex est necessitas in proximo, ex qua nascitur obligatio dandi eleemosynam. *Extrema, gravis, & ordinaria, seu communis*; *extrema* illa est, dum quis ob defectum cibi, vel alterius rei, est in proximo vitæ periculo, aut gravissimum, & diuturnum morbum sustinet, ex quo probabiliter timetur mors, aut membri secatio: *gravis est*, ex qua imminet periculum gravis mali, captivitatis, infamiæ, gravis jacturæ bonorum, status, &c. *communis est* illa, quam ordinariè patiuntur mendici, qui ostiatim, & in plateis, aut ad portas Templorum eleemosynas petunt; quibus accedunt alii, qui honestè vivunt, & plerumque carent iis, quæ ad congruam sustentationem, & sumptus, juxta eorum statum requiruntur; & alii, qui nonnisi cum aliqua difficultate, possunt sibi comparare necessaria ad vitam.

6. Item, notes, bona, ex quibus potest, & debet subveniri constitutis in præfatis necessitatibus, esse in triplici differentia; alia enim sunt *necessaria ad naturam*, hoc est, ad conservandam vitam propriam, & familiæ; alia sunt *necessaria ad personam*, seu ad decentiam status, & dignitatem personæ conservandam, ut sunt, illa, sine quibus persona nobilis non potest commodè, aut decenter, aut ullo modo in suo statu conservari, aut permanere. Alia denique sunt, *superflua statui*, & alia *superflua naturæ*, quatenus, nec ad vitam, nec ad status conservationem sunt necessaria, cum sine illis conservare commodè possit vita, & decens personæ, & familiæ conditio; & propterea dicuntur superabundare post necessarios sumptus, impensos in necessariis ad vitam, & statum.

Modò respondendo dubio. Dicimus I. laboranti extrema necessitate non esse succurrendum ex bonis vitæ suæ, & familiæ necessariis; ratio est, quia propria vita secundùm rectam rationem præferri debet alienæ, nam quilibet est magis sibi proximus, quam alter; & ideò æstimare debet, quòd magis placeat Deo, ut provideat sibi, & suis, quorum cura sibi incumbit, quam alteri, & in rebus necessariis se alteri præferat juxta regulam rationis, & ordinem charitatis, quæ postulat, ut in pari necessitate magis se ipsum diligat, quam proximum.

Excipitur, nisi persona proximi foret maximè utilis Reipublicæ, adeò ut, ipsa pereunte, Respublica laboraret gravissimis necessitatibus, quia vita privata est postponenda utilitati, & bono communi: quod sine dubio Deo placet.

II. Quòd existenti in extrema necessi-

tate succurrendum est de necessariis personæ, sive ad statum conservandum; nam ordo charitatis, per se loquendo, postulat, ut proximi vitam magis æstimemus, quam dignitatem propriam, cum vita proximi sit longè melior, quàm gravis jactura aliorum bonorum temporalium; & sequi videtur ex illo legis naturæ: *quod tibi vis secundùm rectam rationem alteri feceris*; sed, qui constitueretur in tali extrema necessitate, vellet secundùm rectam rationem, ut sibi subsidium proximus, etiam cum gravi jactura suæ dignitatis, & bonorum temporalium, daret ergo & ipse debet alteri, sic indigenti conferre.

III. Quòd proximo constituto in gravi necessitate succurrendum est, non modò de superfluis, verùm etiam utilibus, sed non valdè necessariis ad statum, & decentiam personæ, quod videtur esse juxta dilectionem charitatis; nam certè Deo placet, ut quis ex illis, etiam cum aliquo detrimento proprii status, succurrat proximo in gravi necessitate constituto; sic vir nobilis, cui ad convenienter splendorem sui status conservandum tres famuli sufficerent, si quatuor haberet, deberet unum dimittere, ut succurreret gravi morbo proximi, captivitati, incarcerationi, &c. Layman. lib. 2. *tract. 3. cap. 6. à num. 4.* Poncius disputatione 32. *quæst. 3. conc. 6. num. 27.* præterquam quod, cum non sint valdè necessaria ad statum, & propriam conditionem conservandam, superflua contra Authores propositionis debent reputari: qui ideò dixerunt: *vix etiam in Regibus posse inveniri superfluum*, ex quo, tarunt omnia, etiam sine quibus potest convenienter status conservari, esse necessaria.

In gravi itaque necessitate tenetur quilibet proximo succurrere cum aliquo detrimento sui status, cum ex charitate teneatur cum aliquo suo incommodo impedire maximum, & grave incommodum proximi.

IV. Quòd ex superfluis ad statum, & decentiam personæ, sunt dandæ eleemosynæ communi necessitate laboranti: & non modò ex superfluis, verùm aliquando ex aliquo modo necessariis, ne ordinaria necessitas transeat in gravem, & hæc in extremam; quod apparet esse juxta mentem SS. PP. commendantium charitatem erga proximum, & cum absolutè loquantur, non debent restringi ad casus necessitatis gravis, & extremæ tantùm. Sufficiat adducere testimonium scripturæ. 1. Joan. cap. 3. *qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* Et crederem esse indicium sufficiens ad judicandum, eum Deum non diligere, qui videns tot famulos Dei communibus necessitatibus oppressos, nulli ex illis eleemosynam tribuit, aut nonnisi rarissimè; & hæc est tutior sententia. Quilici Confess. manud. *q. 4. art. 4. num. 9.*

Potest tamen quis excusari 1. Si necessitatem pauperis ignoret. 2. Si alius sit, vel prudenter præsumatur esse, qui possit, & velit necessitati succurrere; nam si est, qui succurrat, jam respectu mei, ille non indiget, nec eget mea eleemosyna.

7. Sed quæritur, *an peccet mortaliter,*

*ter, qui levem eleemosynam denegat pluribus pauperibus, quibus singulis tenebatur solùm sub veniali modicam illam eleemosynam erogare?*

Resp. Affirmative, ratio est, quia leves eleemosynæ unam notabilem materiam integrant: sicut dicitur de eo, qui modicam à pluribus quantitatem pecuniæ accipit, quæ simul sumpta notabilem quantitatem constituit, ex dicendis infra capite 32. Possent tamen aliqui ob inadvertentiam excusari, ut tradit Bonac. in Decal. 1. *præcep. dist. 3. quæst. 4. punct. 6. num. 13.*

8. Quæritur, *quomodo se gerere debeat Confessarius cum divite pœnitente circa implementum præcepti de danda eleemosyna?*

Resp. Interroget. 1. An ulli existenti in extrema necessitate eleemosynam de superfluis ad naturam, vel de necessariis ad decentiam personæ denegaverit, & quoties. 2. Quoties laboranti gravi necessitate, de superfluis, & non multùm necessariis ad decentiam status, non succurrerit. 3. An generaliter excluserit à se omnes pauperes laborantes communi necessitate, denegando eleemosynam; & tunc, vel exprimat causam rationabilem, cur id egerit; vel, quoties id fecerit, si potest, vel tempus, à quo non fuit confessus, & in quo id agere consuevit, nec absolvatur, nisi proponat se corrigere. 4. An faciat sumptus insolitos in rebus non pertinentibus ad decentiam personæ, & status, sed ad pompam, & ad luxum, in cibis, vestibus, famulis, &c. & propterea omittat pauperibus, etiam laborantibus communi necessitate, succurrere; præfatos sumptus diminuat, & se ad statum sufficienter congruum reducat sic, ut, si ad decentiam status mille sufficiant, cætera non insumat ad luxum, sed eis, pauperibus, infirmis, captivis, nudis subveniat, ut præceptum de danda eleemosyna impleat, quod à multis divitibus maximè negligitur, non considerantibus illud terribile: *esurivi, &c. Ite maledicti in ignem æternum.* Quòd si corrigere se neglexerit, ut indispositus, inabsolutus dimittatur, & interim cum D. Thoma cit. ad 2. moneatur: *quòd bona temporalia, quæ homini diviti conferuntur, ejus quidem sunt, quantum ad proprietatem, sed quantum ad usum non solùm debent esse ejus, sed etiam aliorum, qui sustentari possunt, ex eo, quod ei superfluit:* & infrà ex Basilio: *est panis famelici, quem tu tenes: nudi tunica, quam in conclavi conservas: discalceati calceus, qui penes te marcescit: indigentis argentum, quod possides inhumatum, quo circa tot injuriaris, quot dare valenses.*

9. Sed quid dicendum de divite, *qui habens superflua statui diù negat omnes eleemosynas, ut meliori tempore has convertat in pium usum per ædificium Ecclesiæ, Monasterii, vel Hospitalis?*

Resp. Peccat mortaliter, si hìc, & nunc non succurrat necessitati indigentis, cui alius non est, qui subveniat: præceptum enim de danda eleemosyna obligat in casibus particularibus: particulares autem sunt: dum quis indiget, & alius non est, qui indigentiam tollere valeat, & velit. In Evangelio Matth. dicitur: *esurivi, & non dedistis mihi manducare: sitivi, & non dedistis mihi bibere:*

*hospes eram, & non collegistis me: nudus, & non cooperuistis me: infirmus, & in carcere, & non visitastis me. Ite maledicti in ignem æternum.* Ubi, vides condemnari, qui necessitate laborantibus non succurrit.

10. Quæritur, *an quis satisfaciat præcepto, si extremè indigenti subveniat mutuando illi eleemosynam, aut dando sub conditione, ut reddat acceptum, quandocumque facultatem habuerit, & devenerit ad pinguiorem fortunam?*

Resp. Negativè, si absolutè egeat, nam gratis in eleemosynam debet dare, & si imponat aliquam obligationem, peccat contra charitatem; nam præceptum obligat ad actum virtutis misericordiæ, adeòque ad gratis sublevandam egentis miseriam, non verò ad alium actum: & hinc, qui titulo mutui, vel alterius contractus dat alteri id, quo is indiget, non satisfaciat præcepto eleemosynæ, cùm non faciat actum præcepti. Diximus *si absolutè egeat*, quia si hic egeat, & alibi habeat ad solvendum bona, non dicitur absolutè egere, sed hic; & ideò hic non indiget simpliciter, ut sibi res gratis detur, adeòque mutuans satisfacit mutuando, sicut satisfacit, qui indigenti veste, lecto, &c. commodat ea pro tempore indigentiæ.

11. Quæritur, *an satisfiat præcepto de danda eleemosyna cum bonis illicitè acquisitis, ut pecunia accepta pro meretricio, assassinatu: pro sententia, aut testimonio injustis: per usuram, simoniam, & furtum?*

Resp. Plura tangit dubium, de quibus sigillatim. Et 1. Supponitur, quod eleemosyna est facienda de re, cujus homo est Dominus, adeòque de re propria, non aliena, juxta illud *Prov. 3. Honora Deum de tua substantia*; ratio est, quia actus tradendæ eleemosynæ est actus dominii, quo in accipientem, dominium transfertur: nullus autem potest id in res alienas exercere, nisi domino expressè, vel tacitè consentiente.

II. Quòd quædam dicuntur illicitè acquisita, quatenus opus, propter quod acquiruntur, est illicitum, & peccatum, sed ipsa acquisitio, & acceptatio illicita non est, nec contra justitiam, aut legem irritantem acquisitionem: hujus generis sunt acquisita à meretrice per copulam fornicariam; quamvis enim peccaverit, etiam faciendo contractum de pretio, & teneatur ante copulam, ipsum rescindere, post copulam tamen potest justè recipere, & retinere; nam peccat utique contra legem fornicando, sed posteà contra illam non accipit mercedem; idem dicitur de lucris, quibusdam ludis acquisitis, quos quidem Princeps prohibuit, sed non irritavit lucrum ex eis proveniens.

Alia verò dicuntur illicitè acquisita non modò, quia opus, propter quod acquiruntur, est illicitum, verùm etiam, quia ipsorum acquisitio est illicita, quatenus est contra justitiam, & legem irritantem contractum; sic illicitè acquiritur pretium per contractum simoniacum, & acquirens suum non facit, quia est contra legem irritantem: illicitè etiam promittitur, aut datur aliquid pro obtinenda gratia, vel justitia, etiam temporali, à Sede Apostolica; idque recipiens tenetur ex justitia dare pauperibus, nam

talis datio, & acceptatio est contra legem irritantem similes contractus: lege const. Innoc. XII. *de datis, & acceptis: super quo* vid. *lib.* 1. *cap.* 19. *nu.* 7.

12. DD. generaliter resolvunt, de qualibet re acquisita per contractum contra justitiam, non posse eleemosynam tradi: ex eo principio, quod injustitia non fundat, nec dat jus justitiæ ad exigendum, nec dominium transfert, nec injustè accipiens illud acquirit: v. g. dedi centum Latroni, ne me occideret, ipse injustè recepit, nec fit Dominus, quia ex justitia tenebatur me non occidere; promisi centum Petro, ut occideret Paulum, quem occidit, non teneor ex justitia illa dare, nec ipse ex justitia ea exigere potest; nam ex justitia tenebatur Paulum non occidere; & casu, quo receperit, tenetur pauperibus restituere. Idem dicitur de adultera recipiente pretium à marito, ne committat adulterium, nam ex justitia, tenetur ab adulterio abstinere.

13. Modò dicunt, meretricem posse ex lucro meretricio acquisito eleemosynam facere, quia verè ipsius est, & dominium habet; non tamen, si recepit à Religiosis, quia, cùm isti nil proprii habeant, dominium talis lucri non possunt in meretricem transferre; ideò, si ab eis aliquid recipiat, est Religioni restituendum: super hoc Confessarii meretrices interrogent.

14. Item, Adulteram non posse eleemosynam erogare de lucro acquisito per adulterium, quia ad non adulterandum tenetur ex justitia, ergo ex justitia non potest promissum exigere, adeòque nec retinere, nec dominium super eo acquirere, & in alium transferre. Nam nullus potest de re non sua pretium recipere, & vendere, quod suum non est; uxor autem non est domina usus sui corporis, pro quo pretium recipit: & si recipit, dominium non acquirit, quia à nullo talis usus emi potest. Vide infr. *cap.* 29. *num.* 9.

15. De assassinatu etiam patet. Idem dicitur de Judice pronunciante sententiam injustam, nam ex justitia tenetur tales sententias non proferre per dicta *cit. cap. num.* 3.

De teste idem pariter est, quia tenetur ex justitia verum testari.

16. De accepto per usuram, nec eleemosyna fieri potest, quia est restituendum domino; quòd si habeat quis alia ad restituendum, & aliàs res accepta sit uno usu consumptibilis, ut pecunia, vinum, oleum, &c. potest ex illa facere eleemosynam, cùm non teneatur restituere eandem rem numero, sed sat est reddere ejus valorem: idem dicitur de fure, nisi res accepta sit in specie restituenda.

17. De accepto per simoniam, nec minus potest eleemosyna dari; & quamvis sit dandum pauperibus, id non probat: nam, ut optimè notat Layman. *nu.* 7. dum illicitè acquisita obnoxia sunt restitutioni, ipsis pauperibus faciendæ, tunc erogari ipsis quidem debent, sed id propriè eleemosynæ, & donationis opus non est, sed ex justitia debitum, sicut notavit S. August. relatus *in cap. non sanè* 14. *quæst.* 5. Et hinc per ipsorum distributionem pauperibus satisfacit præcepto de restituendo rem alienam iis, quibus debet, sed non de danda eleemosyna. Videas Cabasut. *Praxis lib.* 6. *cap.* 15. *num.* 3. recipientem cum communi, pretium acceptum pro flagitiis, quæ cum

cum injuſtitia admittuntur, eſſe reſtituendum.

18. Sed quæritur, *an extremè indigens poſſit aliena ſurripere?*

Reſp. Affirmativè, ſi alia via non poſſit ſibi ſuccurrere, & alius non ſit in pari neceſſitate, quia in extrema neceſſitate omnia redeunt ad communitatem, ſicut erant, priuſquam fuiſſet diviſio rerum inducta. Ideò negari poteſt ſuppoſitum, quod tunc aliena rapiat. Verùm puto caſum inter Chriſtianos eſſe metaphyſicum, & moraliter impoſſibilem, cùm vix poſſit reperiri, quòd quis ad extremam neceſſitatem reducatur.

19. Sed quæritur, *an, cùm pervenerit ad meliorem fortunam, teneatur rem, vel rei valorem reſtituere?*

Reſp. Negativè; nam in extrema neceſſitate omnia ſunt communia, non ſolùm quoad uſum, ſed etiam quoad proprietatem: ſi res erant uno uſu conſumptibiles.

20. Sed quid dicendum, *ſi ante extremam neceſſitatem furatus eſt rem, quam in extrema neceſſitate conſumpſit?*

Reſp. Debet reſtituere, tranſacta neceſſitate, quia obligatio fuit anteà contracta: & propterea nõ extinguitur per ſupervenientem neceſſitatem, ſed reviviſcit; nam ſuſpenſa jacuit, quouſque neceſſitas tranſiret; ſed de hoc infra de reſtitutione.

21. Quæritur, *an filiusfamilias poſſit eleemoſynas facere?*

Reſp. Negativè de bonis, quorum dominium non habet, niſi de conſenſu Patris explicito, vel præſumpto. Hìc nota, bona filii alia eſſe *caſtrenſia*, quæ acquiſivit ex militia, Gloſs. *ad cap. licèt de ſepult. in 6. in verſ. caſtrenſe*, aliàs non acquiſiturus. *L. caſtrenſe, ff. de caſtren. pecul.* inter quæ reputantur militum ſtipendia, hoſtium ſpolia, & dona, ſive Ducis, ſive alterius, etiam conſanguinei, recepta occaſione militiæ. Item, lucrum, quod datur militibus Palatinis, qui cuſtodiam Principis habent.

Alia *quaſi caſtrenſia*, quæ adipiſcitur ex militia togata, ſeù publico munere, ut Judicis, Advocati, Tabellionis, Medici, aut alterius officii publici, propter quod reportat publicum ſtipendium.

Alia *adventitia*, quæ filio obveniunt, non à Patre, ſed, vel ex propria induſtria, opificio, negotiatione, vel liberali donatione ſibi facta (non intuitu patris,) aut legato matris, vel avi materni hæreditate.

Alia tandem *profectitia*, quæ ex rebus Patris proveniunt, & à filio ex illis acquiruntur, vel ei intuitu Patris donata ſunt.

Inter quæ bona, hæc eſt differentia, quod in caſtrenſibus, vel quaſi caſtrenſibus, Pater nil juris habet, ſed plenum dominium, & libera ipſorum adminiſtratio eſt penes filium *l. ex noxa, ff. de caſtren. pecul.* propterea ex iſtis poteſt filius, etiam Patre invito, diſponere, & eleemoſynas dare.

In adventitiis verò ſola proprietas ad filium ſpectat, uſus fructus ad Patrem, & ideò nõn poteſt de eis diſponere, & eleemoſynam erogare: excipitur, niſi donator bonorum adventitiorum voluerit, quod uſus fructus illorum ſit ſtatim filii, & niſi ſit Clericus acquirens ex officio, & beneficio, Bonacc. *de reſt. in par. diſp. 2. qu. 10. punct. 1. à num. 1.*

De profectitiis tandem, quia hæc pertinent

tinent ad Patrem quoad usum, administrationem, & dominium directum, eleemosynas conferre non potest: excipiuntur bona data filio ad Ordines sacros, quia, licèt reducantur ad bona adventitia, & debeant computari in portione hæreditatis cum fratribus, proprietas tamen, & ususfructus est filii. Vid. Layman. *cit cap.* 8. *num.* 9. Poterit tamen eas facere de bonis à patre acceptis ad peregrinationem, vel ad studium in loco à Patre remoto; vel de receptis ad recreationem, & ad eum effectum parcè vivendo: moderatè tamen, & quàm solent alii filiifamilias, paris conditionis, facere. Sum. Leand. *cit. nu.* 23. nam præsumitur Pater consentire; non tamen de lucro ex ludo licito acquisito, quia id acquirit Patri.

22. Quæritur, *an uxor possit tuta conscientia, inconsulto marito, eleemosynas facere?*

Resp. Sed 1. Notetur bona conjugum esse triplicis generis. Alia *propria mariti:* & sunt ea, quæ maritus, præcisa dote, & donatione, facta causa nuptiarum, acquisivit hæreditate, aut propria industria, & labore, sine ullo uxoris subsidio. Alia *propria uxoris:* & sunt dos, quæ viro traditur ad sustinenda onera matrimonii. Et alia *Paraphernalia:* ea nimirum, quæ habet mulier alio titulo, quam dotis, sed donationis, hæreditatis, legati, & ex industria, &c. Differentia inter dotem, & paraphernalia est: quòd ususfructus, & administratio dotis semper pertinet ad maritum: dominium verò, & administratio paraphernalium ad uxorem, nisi administrationem marito committat.

*Communia* denique sunt, quæ conjuges percipiunt ex fructibus dotis, & arrharum: sed horum bonorum administratio, & ususfructus pertinet ad maritum.

Modò est apud DD. commune posse uxorem de paraphernalibus eleemosynam facere; quia sunt bona propria, & quoad dominium, & usum fructum, non verò de bonis propriis mariti, & communibus; & mortaliter peccat, si ex iis notabilem quantitatem distribuat, quia accipit rem alienam, invito domino.

Sed limitatur: si maritus sit absens, & amens; nam administratio domus tunc ad uxorem spectat, nisi per virum, aut alium superiorem aliter statutum sit: & tunc potest facere solitas viri eleemosynas. Item, si uxor ex sibi assignatis à viro pro victu, & vestibus aliquid sibi subtrahat, subtractum erogare potest. Item, potest eas eleemosynas facere, & donationes, quas aliæ uxores ejusdem conditionis ex more Patriæ elargiuntur; nam tunc maritus verisimiliter non præsumitur invitus, sed potius consentire.

23. Sed quid, *si maritus sit ita durus, & avarus, ut expresè, vetet eleemosynam, & donationem uxori?*

Resp. Debet sibi formare conscientiam, quod sibi intendat vitare superfluas, & excessum in eleemosynis, non verò moderatas, & quod cesset à parvis. Sylvester *ver. eleemos. qu.* 5. De la Cruz *cit. numer.* 12.

24. Sed quid, *si sibi persuadeat maritum omnem vetare, & sibi displicere?*

Resp. Vel conscientiam istam deponat: & dum non potest, cesset omninò, nisi in duobus casibus. 1. Si pauper extremè

egeat, & aliàs maritus non exponatur periculo extremæ indigentiæ. 2. Utiliter gerendo negocium viri, ut, si sit in peccato obstinatus, & pessimus, eleemosynam faciat, ut à Deo convertatur, & illum divina gratia illuminet; quo casu, ait Sylvester, sufficit, ut non agat contra prohibitionem, nam præsumi debet, istos casus noluisse comprehendere, vel saltem irrationabiliter comprehendisse: exemplum est. *Reg.* 25. in Abigail, quæ dedit quædam Davidi contra voluntatem mariti, ut eum liberaret à morte; sed id fieri debet secluso scandalo, & gravibus rixis cum viro.

25. Sed quæritur, *quid agendum Confessario cum uxore se accusante.* Pater: fui uxor viri prædivitis, jam defuncti, tempore conjugii, ne in viduitate ad egestatem reducerer, eleemosynas, quas ipsius jussu, & juxta conditionem familiæ, debebam pauperibus dare, mihi cumulavi in summa scutorum mille?

Resp. Debet ipsi injungere, ut realiter, & cum effectu, vel hæredibus viri restituat; vel pauperibus, juxta verisimilem voluntatem viri defuncti, distribuat pecuniam, congregatam ex eleemosynis, pauperibus erogandis; nam eam sibi, ut pauperi, applicare nullo modo poterat, cum eleemosynæ fuissent erogandæ pauperibus, ipsa autem tunc pauper non erat. Tambur. & Sum. Leand. *num.* 26.

26. Quæritur, *an Ecclesiastici teneantur eleemosynas erogare de redditibus beneficii?*

Resp. Affirmativè, modo ex illis quidquam congruæ, & honestæ, ac moderatæ ipsorum sustentationi, juxta conditionem personæ, & dignitatis, superfluat; ratio est, quia hæc bona præsumuntur à fidelibus relicta, primariò ad divinum cultum, & in decentem Ministrorum sustentationem; & secundariò ad pauperum miseriam sublevandam, vel in aliud pium opus: ut ad reparandam Ecclesiam, & redimendos captivos. Tum quia, habent utique Ecclesiastici dominium fructuum beneficiorum, juxta Trid. *sess.* 23. *cap.* 1. *de ref.* & const. Leonis X. *Supernæ*, & Pii V. *Ex proximo allegat. lib.* 1. *cap.* 14. *nu* 4. at non absolutum, sed restrictum, & limitatum, cum obligatione nimirum restituendi superflua pauperibus, vel ad pias causas.

Graviter proindè Beneficiati peccant, qui superflua propriæ sustentationi in profanos usus insumunt, & dissipant, vel ea donant histrionibus, parasitis, venatoribus, & cæteris, qui pauperes, nec opus pium sunt. Item, si consanguineos augeant, quod eis prohibetur à Trid. *sess.* 25 *cap.* 1. *de ref.* quibus tamen, si pauperes sint, possunt aliquid, ut pauperibus, ex eis dare, ut ibi text. pauperes enim conjuncti, secundùm ordinem rationis, aliis præferuntur.

Quibus, etiam habentibus necessaria ad victum, non tamen sufficientia pro qualitate conditionis familiæ, & decentia status, possunt aliqua de illis conferre, ut tradit Fagnan. *in* 3. *decret. ad cap. si quis sanè de pecul. Cleric. num.* 28. Et intelligitur, si indigeant, non autem ad pompam; ideò debent cum cautela procedere, ne consanguineorum decentia status, & conditionis, bonis ipsis, quæ Dei sunt, longius protendatur, quàm ferat necessitas, & honestas.

27. Sed

27. Sed quid, *si beneficiatus habeat etiam proprium patrimonium?*

Resp. Potest sustentari de redditibus beneficii, reservatis illis ex patrimonio hæredibus; nam dignus est operarius mercede sua; idque probat ipsa consuetudo Ecclesiæ, in qua non modò pauperes, sed & divites ad Ecclesiastica beneficia promoventur. Vid. Sylvest. *ver. Cler. num.* 4.

Hinc Confessarius pœnitenti beneficiato ostendere debet obligationem, quam habet erogandi eleemosynam. Sed quia pauperes, alii sunt *involuntarii*, quibus misera sors contingit, quam labore, & actionibus statui proprio convenientibus à se excutere non possunt. Alii *voluntarii*, ut Religiosi, qui ex amore virtutis, & propter Christum omnia reliquerunt. Et tertiò *pauperes*, vulgò dicti, *Vagabondi*, *e Birbanti*, quibus paupertas est secundùm se involuntaria, quam planè nollent, sed potius divitias, si sine labore eàs consequi possent; quibus est voluntaria in causa, quatenus ex amore otii fugiunt laborem, quo, si vellent, possent facilè sibi necessaria acquirere; propterea doceat pauperes primi, & secundi generis debere in danda eleemosyna præferri aliis: quinimmò istis fortè utilius videtur, nisi sint in gravi, vel extrema necessitate, quod denegetur, ut sic à vitiis revocentur.

28. Sed quæritur, *quantum ex superfluis, quæ congruæ sustentationi supersunt, teneatur beneficiatus in pauperes erogare?*

Resp. Quidam dicunt, satisfacere suæ obligationi, si quartam partem in pauperes eroget, & cætera in alios pios usus insumat. Sylvester tamen loco *cit. num.* 19. resolvit, quòd, cùm superflua sint pauperum, omnia ea tenetur erogare pauperibus sub mortali, nisi in duobus casibus. 1. Si Ecclesia egeat. 2. Si Dei cultum in sua Ecclesia velit ampliare: modò nulla extrema necessitas in paupere sit, in quo, si communis necessitas fuerit, ei quartam partem distribuat, sed, si gravi prematur, totum est elargiendum. Anton. à Spir. Sancto direct. *Confessar. tractat.* 3. *disput.* 2. *sect.* 12. *num.* 76.

29. Quæritur, *an licitè possint famuli, & Ancillæ eleemosynas dare de bonis dominorum?*

Resp. Negativè; nam famulus in rem Domini potestatem non habet; ideò peccat mortaliter, si absque ejus licentia de rebus ipsius eleemosynas faciat; excipitur, si, quod dat, sit ita tenue, ut à domino non curetur: ut esset frustum panis; Sylvester *ver. eleemosyna quæst.* 5. *numer.* 3.

30. Quæritur, *an Religiosi in particulari possint licitè eleemosynas erogare?*

Resp. Negativè, ex eo, quod jure, & rerum dominio ob votum paupertatis sint privati; & in elargitione eleemosynæ transferatur dominium rei à dante in recipientem; ideò egent Superiorum licentia, sine qua, si quantitatem notabilem distribuant, mortaliter peccant, per transgressionem voti paupertatis: advertas ad violationem voti paupertatis illam eandem quantitatem notabilem requiri, quæ in furto regulariter, & per se sufficit pro lethali, vide decreta Clem. VIII. de largitione munerum.

31. Quæritur, *an pauper fictus pec-*

*cet mortaliter petendo, & recipiendo eleemosynas?*

Resp. Affirmativè, quia petit, & accipit cum dolo, ac aliorum damno, & fraude: modò parvitas materiæ non excuset.

32. Sed quæritur, *an teneatur restituere eleemosynas receptas?*

Resp. Affirmativè, quando sibi dantur eleemosynæ sub conditione, saltem tacita, quod sit pauper.

33. Sed undè *colligendum est à Confessario, quod sub ista conditione eleemosyna conferantur?*

Resp. Cùm dantur magnæ, & extraordinariæ eleemosynæ; nam tunc est verisimile, quod conferens intendat dare pauperi vero, consequenter, quod dominium rei in pauperem fictum non transferat.

Aliter, quantùm ad restitutionem discurrunt DD. de minutis, & ordinariis eleemosynis, quas se fingentes pauperes recipiunt, nam præsumitur, quod dans illas, non det sub conditione paupertatis, sed absolutè donet ratione charitatis cum animo abdicandi à se dominium illarum, sive existat paupertas, sivè non. De la Cruz *cit. §. præcep. dub. 2. num. 5.*

## CAPUT X.

*Prop. XIII. XIV. & XV. ab Innoc. XI. &c.*
*Præceptum diligendi parentes.*

1. PROP. 13. *Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, & de illius morte naturali gaudere, illam* inefficaci affectu petere, & desiderare, *non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.*

PROP. 14. *Licitum est absoluto desiderio cupere mortem Patris, non quidem ut malum Patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas.*

PROP. 15. *Licitum est filio gaudere de parricidio Parentis à se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias, inde ex hæreditate consecutas.*

Capite 8. fuit per plures casus resolutum dari præceptum diligendi proximum, quod sanè non compatitur cum hoc, quòd quis de alicujus vita tristetur, vel de ejus morte gaudeat, & istam desideret, etiam inefficaci affectu, (consistente in solo desiderio, quin moveatur ad eligenda media ad eam; nam id esset efficaciter cupere) ob aliquod temporale emolumentum; nam charitas obligat præferre vitam proximi divitiis, aliisque bonis temporalibus; certum est autem, quòd desiderans mortem proximo ob aliquod bonum temporale, præfert proprium emolumentum vitæ proximi, ergo talis actus est contra charitatem.

Confirmatur. Recta ratio dictat vitam proximi esse præferendam cuilibet emolumento temporali, & levioris momenti, sicut bonum supremi ordinis bono ordinis infimi (Sanè vita inter hæc temporalia est bonum ordinis superioris, & fundamentum cæterorum, qua ablata, alia temporalia tolluntur: & divitiæ ordinis infimi) aliàs, si id verum non foret, liceret asserere hominem in extrema necessitate proximi non teneri ipsi succurrere, etiam de necessariis ad statum, quod falsum,

sum,& contra charitatem diximus cap. immediatè priori.

Conf. 2. sicut in charitate est ordo personarum,ut scilicet illas præferamus, illisque potiùs succurramus, quibus magis obstricti sumus, ut, parentibus, & filiis, corporalibus,& spiritualibus, superioribus,& subditis,consanguineis,benefactoribus &c. ita servandus est ordo objectorum, ut non appetamus proximo jacturam bonorum superiorum, ut nos infima assequamur.

Conf. 3. Tenemur amare proximum, sicut nos ipsos, sed nobis ipsis tenemur amare vitam, & cætera bona, quæ per vitam haberi, & retineri possunt, ergo & proximo; & sic de ejus vita tristari, aut morte gaudere; eique istam optare ob nostrum temporale emolumentum non licet.

Ex quibus constat, quàm imprudenter, & laxe in materia morum loquuti sint Authores propositionis 13. approbantes invidiam,& foventes odia; circà quod nil plus addo, cum apertè sit ab Innoc. reprobata. Solum occasione 14. & 15. occurrunt aliqua Confessario proponenda super debito, quod in filiis erga parentes, & in istis erga filios reperio, ut sufficienter instructus, totus sit ad in præfatis promovendum salutis profectum, & debitum solvendum; occasione cujus & alia tangam de obligatione conjugum,superiorum,& subditorum ad invicem.

2. Quæritur,*an hæreticus sit,qui negat filios teneri ad honorandos Patrem, & Matrem?*

Resp Affirmativè, nam tenet aliquid contra fidem à Deo revelatam: præceptum enim de honorandis parentibus habetur 20. Exodi, & est quartum decalogi.

3. Quæritur, *an hoc præceptum obliget sub mortali?*

Resp. Affirmativè; ideò filius mortaliter peccat. I. Quando odio habet patrem,& matrem, eis aliquod malum grave animæ, vel corporis optando, & imprecando; & tunc non satisfacit in Confessione accusando se aliquem odisse, vel notabile malum alicui apprecatum esse, sed debet exprimere circumstantiam, quod Pater sit,aut alius proximè conjunctus sanguine,cui obedientiam, & reverentiam debet: vel Patrinus, Pastor, Prælatus &c. cum qualitate mali, quod optaverit.

II. Dum nullum externum amoris, vel benevolentiæ signum erga eos ostendit, sed eos ferè semper durè, & asperè alloquitur,& torvis oculis aspicit; nam sic eos contemnit, & multa tristitia, ac mærore eos afficit: tenentur enim filii parentes diligere, non solum corde, sed etiam signis.

III. Si eos percutiat,tametsi levis esset percussio in ratione nocumenti, quia semper censetur gravis injuria contra venerationem ipsis debitam; etiam si solùm attollat manus ad percutiendum, quia hæc quoque gravis injuria in hominum existimatione reputatur, ut notavit Leander.

IV. Cùm eos contumeliis afficit,& ad iram gravem provocat, & causa est, ut graviter contristentur.

V. Si parentibus in rebus gravibus non obediat, V.G. in pertinentibus ad regimen domus, vel substantiæ, aut in

ſpectantibus ad bonos mores: V.G. præcipitur à Patre filio, ut tali ludo non ludat, fugiat ſcandala, meretrices, malos, & diſſolutos ſocios: & filiæ injungit, ut relinquat amorem, & reſpondere Petro juveni, ut vanitates, & ſuperflua ſtatui, tum familiæ, tum virginali decori: ſi non obediunt, mortaliter delinquunt.

VI. Si non impleat teſtamentum Parentum ſolvendo debita, & legata cum poſſit, & dum ſine juſta cauſa diu differt.

VII. Si parentibus neceſſaria non ſubminiſtret.

VIII. Si ob paupertatem non vult ex contemptu Patrem agnoſcere, quia indebitè contemnit eum, in hoc caſu inculpatum, ſecùs ad evitandam erubeſcentiam.

IX. Si uxorem ducat, non conſulendo parentes; maximè, ſi contrahat cum fœmina ipſis diſſentientibus, vel eligat ſibi uxorem indignam, & in magnum dedecus ſuæ proſapiæ; liber eſt utique filius ad aſſumendum ſibi ſtatum conjugalem, ſed licitè non operatur, ſi in dedecus familiæ, vel, parentibus diſſentientibus, pari non nubat.

Ex quibus patet, ſuper quibus debeat Confeſſarius eos interrogare circa hoc præceptum; & conſtat debitum filii erga parentes ad quatuor præcisè extendi: amorem, reverentiam, obedientiam, & auxilium.

4. Quæritur, *Filius ſe accuſat*: Pater: vellem inſtrui, an peccaverim mortaliter dum, Patre me non audiente, contra eum dixi: *ſis maledictus: fulmine, vel laqueo pereas: Diabolus te rapiat: ſed credo, quod non, propterea quod non ex corde ſed ore ſolum, & ſine ſcandalo illud malum dixi, & ideò non videor me formaliter maledixiſſe, ſed materialiter dumtaxat?*

Reſp. Judicet, eum mortaliter peccaſſe; quia licet maledictiones, ſeu verbis alteri malum precari abſque animo talis mali, ſint injuriæ leves, tamen circa parentes, ſivè vivos, ſivè mortuos propter gravem irreverentiam ſunt in filiis mortale, & offenſa fit gravior; quod corde non voluerit malum, quod verbis protulit, concludit ſolum, tunc non peccaſſe peccato odii contra charitatem, non verò, quod non peccaverit mortaliter contra pietatem, & reverentiam parentibus debitam, Layman. *lib. 2. tract. 3. cap. 6. num. 8.*

5. Sed quid, *ſi in ira, & pro unico inſtanti maledixerit?*

Reſp. Peccavit mortaliter, quamquam in unico inſtanti: modò ita non perturbaverit ita rationem, ut non plenè adverterit ad id, quod ore proferebat.

Propterea, cum filius ſe accuſat maledixiſſe parentibus, Confeſſarius interroget, quot vicibus; & an, tam Patri, quam Matri, quia tunc ſunt duo peccata, quia injuriam duobus irrogat: &, an non ſolum ore malum dixerit, ſed etiam ex animo; & tunc explicet, an voluerit malum in bonis vitæ, vel honoris, vel fortunæ, & an cum ſcandalo: & eſt aperiendus numerus perſonarum, quas ſcandalizaverit, quia juxta ipſarum numerum multiplicantur peccata.

Pariter cum ſe accuſat; Pater de-

hono-

honoravi Parentes: videat, an dehonoraverit ipsos peccato omissionis, non exhibendo signa honoris, & reverentiæ, vel necessaria, tum corporalia, tum spiritualia, juxta conditionem; an verò commissionis peccato, ut percutiendo, occidendo, vel contumelias emovendo: gravior enim injuria fit Patri, occisione, quàm verbisillum lædere; & tunc non modò contra pietatem, verum etiam contra justitiam delinquit.

6. Quæritur, *An peccet mortaliter filius, qui ad vitandum Patris rigorem, & asperitates, sibi mortem ex animo apprecatur, & appetit?*

Resp. Affirmativè, quia est velle majus malum, ad fugiendum minus; nam mors est majus malum, quàm cætera mala præsentis vitæ. Propter hanc ipsam rationem mortaliter delinquit uxor, quæ sibi appetit mortem ad finiendas molestias morbi, paupertatem, societatem, & persecutionem mariti furiosi, asperi, mendici &c. Quia autem mors est minus malum quolibet peccato, etiam veniali, propterea est potiùs mors appetenda, quam peccatum, etiam levissimum; ideò non peccas, dum desideras potiùs mori quàm peccare, etiam veniaiter.

7. Quæritur, *quando censeatur filii, mortaliter peccare dando occasionem iræ parentibus?*

Resp. Cùm verbis contumeliosis, vel valdè asperis, ac rebellibus, parentibus respondent; & inde fit, ut illi videntes obduratam filiorum malitiam, in gravem iram prorumpant, secus videtur, si levem aliquam causam dumtaxat præbe-

rent, ex qua parentes ex vitiosa ipsorum natura, vel superbia in gravem iram accenderentur; nam potius est eis tribuendum, quàm filiis; quos, tamen crederem, considerato periculo, omnem debere removere occasionem, aliàs fortè non excusantur.

8. Quæritur, *contra quam virtutem directè faciat filius dehonorando parentes?*

Resp. Contra pietatem: quæ est virtus inclinans ad colendos Parentes, Cognatos, & Patriam: seu, qua parati sumus erga parentes exercere actus externos reverentiæ, & sustentationis in casibus particularibus exercendos. Vide lib. 1. *cap.* 17. *num.* 36.

9. Sed quæritur, *an, ex virtute, etiam charitatis teneatur Patri existenti in gravi necessitate; vel infirmitate succurrere, ipsumque à captivitate, & à carcere redimere, eique curare, ut, si in infirmitate egeat, Sacramenta ministrentur?*

Resp. Utique: & ideò si omittat tunc succurrere, duplex peccatum committit, alterum contra charitatem, quæ obligat ad succurrendum proximo, & alterum contra pietatem, obstringentem ad succurrendum parentibus; quemadmodum, dum Patri infert contumeliam dupliciter peccat; per injuriam ipsi irrogatam contra justitiam, & contra pietatem per irreverentiam injuriæ conjunctam, in quo consistit tota malitia impietatis. Cùm peccat cum Matre, vel Sorore, peccat & contra castitatem, & contra pietatem; nam certè actus luxuriæ est dehonorativus: toties itaque peccat contra pietatem, quoties exercet ergà

parent-

parentes injuriam dehonorativam: explico, filius per furtum à Patre decem surripit,& totidem per rapinam,in primo Casu peccat solùm contra justitiam, quia injuria per furtum illata, non habet adjunctam irreverentiam, benè verò illa per rapinam irrogata, propter differentiam furti à rapina Id notet Confessarius,ut judicium valeat formare de peccatis impietatis, à filiis contra pietatem commissis.

10. Sed quæritur, *an sufficiat filio se accusare: Pater fui impius?*

Resp. Negativè,sed debet exprimere personam, in quam fuerit impius, an in Patrem, Matrem, Fratres, Consanguineos, Affines, aut Patriam &c. ratio est, quia sine dubio major deformitas appareret in actu dehonorativo Patris, vel Matris, quàm Sororis, vel Fratris, propter majorem dependentiam, & conjunctionem, quam habemus cum Patre, vel Matre, quàm cum Sorore, vel Fratre; & ideò sunt explicandæ personæ, quæ diversam specie deformitatem, & malitiam inducunt in actus ipsos impietatis.

11. Sed quæritur,*an excusetur à mortali ex parvitate materiæ?*

Resp. Affirmativè: ut,cum honor,& reverentia Parentum, ac ipsi, leviter, & non in re gravi læduntur; sed nota pro praxi, quod maledictio, & dehonoratio, quæ respectu alterius personæ potest esse levis, prolata in parentes, & alios, quibus reverentiam debemus,ex circumstantia personæ, quæ à nobis magis est reverenda,est gravis,& mortaliter peccaminosa.

12. Quæritur, *in quo consistat obedientia filii erga Parentes.*

Resp. In hoc, quod exequatur ipsorum præcepta (nam obedientia tendit in executionem præcepti) & reddatur debitum dirigentibus in operando; unde tunc filius violat obedientiam, cum violat præceptum, ut tale; V.G. si, dum mihi præcipitur jejunium,non jejuno ob gulam, pecco contra abstinentiam, & tunc sum inobediens materialiter præcepto; si verò comedo,quia nolo me subjicere præcepto, vel hac intentione, ut præceptum violem,tunc pecco, & contra abstinentiam, & contra obedientiam,& sum inobediens formaliter, & non solum contemno præceptum, sed etiam præcipientem; quod si præcipiens sit Deus à mortali non excusat parvitas materiæ, quia velle vilipensionem, & contemptum Dei,est peccatum gravissimum,nec patitur parvitatem materiæ, quia semper totus Deus contemnitur. Quæ nec est admittenda,cum quis contemnit formaliter authoritatem Ecclesiæ, & Superioris: sed est gravissimum peccatum in Confessione explicandum.

13. Quæritur, *quando nam peccent mortaliter parentes erga filios, contra hoc præceptum?*

Resp. I. Dum eis non ministrant necessaria,ad sustentationem, & possunt: hujus generis sanè sunt etiam illi, qui erga filios ita alperè procedunt, ut tandem è domo paterna cogantur exire, & mendicare, ac militiam, non sine utriusque salutis dispendio,exercere.

II. Dum tanta duritie, & continuis minis, & verberibus tractant, ut eos ad impatientiam, & desperationem perducant;

cant; quibus est proponendum illud Pauli ad Eph. 6. *nolite ad iracundiam provocare filios vestros, sed educate eos in disciplina, & correptione Domini.*

III. Dum negligunt instruere de necessariis ad salutem, de Doctrina fidei, & in bonis moribus: vel eos impediunt, ne præceptis Ecclesiæ de audienda Missa, jejunio, annua Confessione, & Communione possint satisfacere.

IV. Si eos verbis, aut verberibus corrigere negligant circa conversationem cum meretricibus, & cum dissolutis, circa furta, & blasphemias, perjuria &c.

V. Si eis exemplo, vel consilio sint causa peccati: & utinam inter Christianos hujusmodi mali exempli vitium, in Parentibus, non foret capitale, & radix aliorum in filiis; unde est, quod pueri vix habentes usum linguæ, tam prompti sunt ad blasphemias, juramenta, maledictiones, verba obscæna, & ita circa articulos fidei obmutescunt, nisi, quia in omni sermone audiunt Parentes jurare, maledicere, blasphemare &c. & nunquam de rebus fidei, vel salutis discurrere? Hujusmodi Parentibus Confessarius aperiat qualitatem debiti, quod erga filios habent, eosque acriter reprehendant, ut se corrigant, qui in culpa fuerint.

VI. Si sine causa rationabili eos retrahant à statu Religionis; & excommunicationem non reservatam incurrunt, si filias ad Religionem cogant, vel ipsarum professionem sine justa causa impediant Trid. *sess. 25. de regul. cap. 18.* Ac mortaliter peccant, cum filiabus, & filiis ad Religionem non vocatis, ita duros, & asperos se exhibent, ut velint, nolint, inviti debeant Religionis habitum assumere.

VII. Si ad matrimonium compellant; nam faciunt contra justitiam in re gravi, violando jus, quod quisque habet ad faciendum contractum proprii corporis sponte: non peccarent tamen impediendo, ne filii ducant uxorem, proprio statui indecentem, quia sic conarentur avertere injuriam, ipsis quoque communem, & mala alia, quæ ex similibus matrimoniis imprudenter contractis, ut plurimum, etiam ipsis conjugatis, eveniunt.

VIII. Si teneriùs ament unum filium præ alio, ratione cujus notabilem differentiam faciant in victu, vestitu, & ornatu, ex quo sint causa rixarum, & odii inter Fratres, nam causant grave damnum illis, à quibus, debent esse toti, ut omne malum avertant; secus, si hæc non sequantur, & motivum majoris amoris est major, & promptior obedientia, quam unus, & non alius ipsis exhibet.

14. Quæritur, *an mortaliter peccet Pater, vel Mater, quæ filio, vel filiæ malum imprecatur, & sæpius dicit: Diabolus te rapiat: eas in malam crucem: pestis te corripiat &c.*

Resp. Si ex odio id faciat, committit duplex peccatum: alterum contra pietatem, & alterum contra charitatem; si verò ea pronunciat, sed non ex animo, quod eveniant, nec cum notabili honoris diminutione, sed ex subita ira, ut filius terreat, & se corrigat, solum venialiter peccat contra mansuetudinem, & pietatem, Layman. loco cit. tamen, quia res periculosa est, quod filius audiens Patrem sibi in faciem maledicere, & malum impre-

cari, iram, & odium contra Patrem concipiat, est frequenter monendus, ut ab istis abstineat, ne se exponat periculo peccandi.

15. Quæritur, *an liceat Parentibus exponere si ios suos illegitimos in loco aliquo publico, ut inventi alantur in Hospitalibus?*

Resp. Affirmativè, si pauperes sint, & non habeant ad prolem alendam sufficientia media: pro talibus enim sunt Hospitalia pauperum in Civitatibus erecta; quod si parentes divites sint, tenentur saltem secretò, tali Hospitali expensas solvere; & curare, ut proles illa posteà suo tempore instruatur de rebus necessariis ad salutem; exponendi tamen sunt tali tempore, loco, & circumstantiis, ut saluti infanti nocumentum non afferatur.

Et quoniam, etiam conjugati inter se, & subditi erga Superiores, & famuli erga Dominos possunt circa hoc præceptum deficere. Pro instructione Confessarii.

16. Quæritur, *quando peccet mortaliter uxor erga Maritum?*

Resp. I. Dum ex contemptu, & pertinacia obedire non vult ipsi, præcipienti rem notabilem, spectantem ad gubernium domus, & bonos mores.

II. Cùm occasionem præbet rixis, & Maritum ad gravem iram, juramenta, & blasphemias provocat: si obmurmurando respondeat: aut verba verbis reddat; ratio est, quia videtur virum contemnere, eique tribuere occasionem peccati mortalis; cum tamen possit eam facilè vitare, iram comprescendo Mariti, vel silentio, aut patienter ferendo, prout debet, quia est inferior.

17. Sed quæritur, *quid agendum Confessario cum uxore, quæ se accusat*, Pater; sum desponsata viro, cui subesse nolo, propterea nil ago, quod ipsius servitium respicit: nec cibos paro, nec domum purgo, neve vestes reficio: immò sum ita parata, quod si mihi quidquam, licèt minimum, etiam ut levarem à terra festucam, præciperet, non obedirem: nihil enim facio ipsius præcepta: hoc non capio, quod debeam esse sub illo?

Resp. Eam non absolvat, nisi talem deponat errorem, eique imponat, ut periat, à quo tempore fuerit in ea voluntate, nam semper fuit in malo statu propter illam inordinatam voluntatis præparationem: item, quoties viro, etiam in minimis non paruerit, nam licèt v. g. levare festucam secundùm se non sit grave peccatum, tamen in uxore illa est mortale ex motivo, propter quod movetur ad festucam non levandam, nimirum, quia totam authoritatem viri contemnit, in quo peccat peccato inobedientiæ, & impietatis erga maritum, ac etiam superbiæ.

Immò crederem debere interrogari, an credat virum non esse sibi Superiorem; & quatenus affirmet, & extra, errorem mentis pronunciaverit, cum hæretica formaliter, & completè sit absolvi non potest; nam est de fide virum esse caput, & uxoris Superiorem, ad Rom. 7. & 1. ad Corinth. 11. Super quo eam Confessarius instruat, & ipsam ad Sacrum Tribunal pro absolutione dirigat.

18. Quæritur, *quando peccet mortaliter vir erga uxorem?*

Resp. I. Dum graviter eam percutit, aut lædit; etenim, licet possit eam corrigere, vel castigare, moderatè tamen, & cum

cum prudentia, & nonnisi ex rationabili causa; quam non crudeliter, ut servam, & mancipium, sed humane, & amicabiliter, ut sociam, debet tractare. Gravius erit peccatum, si eam percutiat gravidam, vel ad notabilem iram provocet, propter periculum abortus, & gravis nocumenti in prole.

II. Dum non providet de necessariis.

III. Dum verba contumeliosa in uxorem pronunciat, quæ possunt ipsius honorem, & existimationem graviter lædere, eamque exasperare, & ad impatientiam, & desperationem inducere, quamvis enim vir sit caput uxoris, & propterea possit eam verbis increpare, hoc tamen intelligendum est moderate, non verò cum atroci, aut gravi contumelia, & cum notabili contristatione. Videant itaque mariti, ne sua verborum asperitate odiis, & rixis occasionem præbeant.

19. Quæritur, *quomodo se gerere debeat Confessarius cum uxore zelotypa*, vulgò gelosa, *erga maritum?*

Resp. Debet interrogare, an propter illum excessum in amore (Zelotypia enim est amor intensus, qui non patitur consortium cum re amata, & ideò excessum in amore significat, qui, quamvis ex se non sit mortale, frequenter tamen est causa peccatorum mortalium) temeraria judicia deliberatè de proximo suo, & infidelitate conjugis efformaverit, ut propterea in virum contumelias, gravia improperia, & maledicta effuderit, odium conceperit, aspera, & dura fuerit in tractatione cum viro, & proximo detraxerit. Similia ponderanda sunt à Confessario, ut judicare possit de hoc peccato, eique injungat, ut ab ipsis abstineat, & conetur amorem extenuare, ex quo regulariter oriuntur, & est causa suspicionis, judicii temerarii, rixarum, maledictorum, odii, detractionis, &c. quæ sunt gravissima peccata, & amorem, ac pacem conjugalem perturbant, ac lædunt.

20. Quæritur, *ad quid teneantur famuli, & ancillæ erga heros?*

Resp. Ad eis exhibendam obedientiam, honorem, & fidelitatem, obsequio, & famulatu, pro quo conducuntur.

Nota, Dominos erga eos mortaliter peccare, si eis necessaria non præbeant, nec curent, quòd recipiant Sacramenta, aut impediant, ne legem Dei observent, vel eos permittunt in peccatis durare.

21. Subditi, etiam peccant contra præceptum quartum decalogi, si non servent præcepta Superiorum; quæ, si sint de rebus secundum se gravibus, aut in ordine ad bonam gubernationem, eorum transgressio erit mortale; at, si sint de rebus levibus, veniale; si eos dehonorant, maledicunt &c. mortale. Erga subditos peccant graviter & Superiores, cum in necessariis deficiunt, eisque gravia imponunt, quæ nec ipsi portare vellent, aut occasionem præbent querelæ.

22. Fratribus quoque debitum est datum, ut mutuò se ament, & sibi in gravi necessitate succurrant. Plura alia apud Authores legas.

23. Quod attinet ad propositionem 15. De parricidio Patris in ebrietate commisso, remitto Confessarium *ad cap.* 6. Et interim ponderet, quòd si, cum filius habuit voluntatem se inebriandi, prævidit periculum occisionis Patris, imputatur filio parricidium, secus, si non prævidit; & si postea gaudeat de infelicitate Patris,

graviter peccat contra charitatem. Vid. ibid. *num.* 17. & 18.

## CAPUT XI.

### *Prop. XVI. & XVII. ab Innoc. XI. &c. Fides Divina.*

1. PROP. 16. *Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, & secundùm se.*

PROP. 17. *Satis est, actum fidei semel in vita elicere.*

De tempore, quo homo obligetur ad eliciendum actum fidei, diximus *lib.* 1. *cap.* 1. vide ibi *n.* 5. & 11.

2. Et intereà pondera, Authores primæ propositionis non negare dari præceptum credendi, sed solùm fidei actum non cadere sub speciali præcepto, & secundùm se, obligatione proveniente ab ipso præcepto fidei; quod non est opus repetere, sed ex ibi dictis falsitas est manifesta; & patet, tum ex decreto Innocentii, tum etiam, ex quo in credendo fit aliqua specialis honestas, propter quam quis per se obligatur ad credendum, quæ Deus revelavit Ecclesiæ; nam ex terminis apparet esse valdè decens, ac conveniens naturæ rationali credere propositioni à Deo revelatæ, quando sufficienter proponitur ut sic revelata, absque ulla rationabili causa dubitandi, tametsi pro tunc nulla detur obligatio eliciendi alium actum supernaturalem distinctum ab illo fidei; & apparet ex terminis esse valdè indignum non credere tum illam propositionem, propter gravissimam injuriam quæ Deo irrogatur: ergo obligatio credendi oritur, quandoque ex ipsa virtute fidei, & actus credendi cadit sub præcepto speciali, & secundùm se, adeò ut omittens tunc credere directè peccet contra fidem; quemadmodum, quia ex terminis apparet esse conveniens, & valde decens naturæ rationali castè vivere, & indecorum non castè vivere: obligatio castè vivendi oritur ex ipsa virtute castitatis, & hujus actus cadit sub præcepto speciali ipsius castitatis, adeò ut non castè vivens directè contra castitatem peccet, de necessitate in Confessione explicandum.

3. Secundæ verò propositionis Authores cum dixerunt, *satis est actum fidei semel in vita elicere*, videntur de obligare fideles ab omni debito, sivè per se, sivè per accidens eliciendi actum fidei, & consequenter à debito quoque sperandi, diligendi, orandi, à perceptione Sacramentorum, ab adimplemento præceptorum supernaturalium, & omni alio actu supernaturali, ac meritorio vitæ æternæ; nam fides supernaturalis præsupponitur ad omnem alium actum supernaturalem, tamquam lumen dirigens, atque regulans, & cognitio proportionata supernaturalitati actui, & proponens objectum, circa quod sit supernaturaliter operandum: propterea dicitur fundamentum, & radix justificationis, supernaturalitatis, & bonorum operum: etenim nullus v. g. spe Theologica sperare potest æternam beatitudinem, nisi credat æternam beatitudinem esse bene operantibus promissam; nec Deum super omnia diligere dilectione supernaturali, nisi credat Deum esse summum bonum propter se super omnia diligendum: nec orare pro animabus Purgatorii, nisi credat

dat esse Purgatorium: nec adorare Eucharistiam, nisi credat in Hostia ritè consecrata esse verè, & realiter Christi Corpus: nec Sacramentum Pœnitentiæ cum fructu recipere, nisi credat esse in Ecclesia per Sacramentum Pœnitentiæ remissionem peccatorum: & ex his ad alia discurras; ergo, qui fideles deobligat ab obligatione credendi, eositidem deobligat à quolibet alio actu supernaturali, & omne opus bonum tollit. Et ita renovatur error negantium necessitatem bonorum operum, vel asserentium opera ordinis naturalis esse gratiæ, & vitæ æternæ meritoria; quòd jam tamquam erroneum, & hæreticum habetur ab Ecclesia proscriptum: de quo fusius Theologi.

Quæ satis videntur, ut Confessarius valeat pœnitentem instruere circa errorem à præfatis Authoribus in allegatis propositionibus assertum; propterea ad alia pro praxi descendo, & remisso examine de fidei necessitate, ac credendorum necessariò, tum necessitate medii, tum præcepti ad *cap. 14. num. 7. & cap. 39.* breviter aliqua de ipsius fidei divinæ natura propono.

4. Sed quæritur, *quid sit fides divina?*

Resp. Habitualis, *est habitus supernaturalis per se à Deo infusus, inclinans intellectum ad firmiter credendum vera esse, quæ Deus summè verax revelavit Ecclesia.* Actualis verò, *est assensus firmus, seu actus supernaturalis, quo intellectus firmiter credit vera esse, quæ Deus summè verax revelavit Ecclesia Catholica, & hæc hominibus proponit esse à Deo revelata.* Ex qua descriptione hæc habet Confessarius, nimirum, quod, ut quis fide divina credat, necesse est, ut credat propter illam causalem: *quia Deus summe verax revelavit, & Ecclesia Catholica proponit esse à Deo revelata*; & hinc curabit suos pœnitentes instruere de modo eliciendi actum fidei, hoc est, propter illam causalem; in qua contjnetur motivum formale fidei, & conditio sine qua non crederemus: divina veracitas revelans est motivum formale, & propositio Ecclesiæ est conditio. Propterea eliciens hunc actum fidei: *firmiter credo Deum esse Trinum, & Unum, quia Deus summe verax revelavit, & Ecclesia proponit esse à Deo revelatum:* si interrogetur? *quare credis:* respondet, tamquam per motivum formale: *quia Deus summè verax revelavit:* & tanquam per conditionem sine qua non: quia *Ecclesia id proponit credendum, vel esse à Deo revelatum.*

5. Sed quæritur, *an credens unum articulum, quia Deus dixit, & discredens alium credat fide divina, & Theologica?*

Resp. Negativè, nam fides divina, & Theologica debet assentiri omnibus, quæ Deus dixit, & revelavit Ecclesiæ Catholicæ, cùm ratio formalis, sub qua fide Theologica creditur, sit: *quia Deus revelavit Ecclesiæ Catholicæ.* Idinc Calvinista, qui credit Deum esse Trinum, & Unum, non propterea in fide divina credit, quia Deus dixit Ecclesiæ Catholicæ; nam Deus etiam dixit Ecclesiæ: *Corpus Christi esse in Eucharistia:*

*Romanum Pontificem esse Ecclesiæ Catholicæ caput: Ecclesiam Catholicam esse veram Christi Ecclesiam*, & alia, quæ Calvinista negat; sed fide humana credit propter suum privatum judicium, quo sibi persuadet Deum hoc potius revelasse, quam illud; & ideò hæreticus est, contumaciter ab Ecclesia recedens per errorem contra fidem cum pertinacia, quatenus non credit omnibus articulis fidei, quos Deus Ecclesiæ Catholicæ revelavit, & Ecclesia eos proponit esse credendos, & à Deo revelatos; ideò in eo habitus supernaturalis fidei Catholicæ non reperitur; nam, quamvis non quovis peccato fides ipsa amittatur, ut contra hæreticos definit Trid. *sess. 6. can. 8. de justif.* tamen est certum, ipsam totam demeritoriè destrui per unicum actum fidei contrarium, seu cum Deus revelans offenditur cum pertinacia, non credendo alicui articulo ab ipso revelato, & per Ecclesiam proposito; non minùs ac charitas tota demeritoriè aufertur per unum actum peccati, quando graviter offenditur Deus in uno solo præcepto.

6. Sed quæritur, *an hæreticus sit à Confessario judicandus Petrus, qui in Confessione se accusat:* Pater: credo Corpus Christi esse sub Hostia ritè consecrata, sed non sub illis, super quas N. Sacerdos concubinarius, & publicus peccator verba consecrationis profert?

Resp. Vel judicat hostiam à Sacerdote N. esse ritè consecratam, vel sibi persuadet eam ritè non consecrasse; si primum, certè hæreticus est, non credens sub illa esse Corpus Christi, nam cùm tota ratio formalis, propter quam fide Theologica credimus, sit: *quia Deus summe verax revelavit Ecclesiæ Catholicæ:* & Deus Ecclesiæ revelaverit sub hostia ritè consecrata esse Corpus Christi, qui id pertinaciter non credit, hæreticus est; sed Petrus judicat N. Sacerdotem Hostiam ritè consecrasse, & non credit sub ea esse Christi Corpus, ergo hæreticus est; in ista enim universali: *sub Hostia ritè consecrata est Corpus Christi*, revelantur omnes particulares, nimirum: *quod sub hac, & illa Hostia ritè consecrata est Christi Corpus*; quemadmodum in ista universali: *omnes resurgemus*, est revelata hæc particularis: *Petrus resurget:* & in ista: *omnis ritè, & canonicè electus in Christi Vicarium, & Petri successorem, est Christi Vicarius:* revelatur hæc particularis, quod *Clemens XI.* feliciter regnans, *ritè, & canonicè electus, est Christi Vicarius, & Petri successor.*

Si verò judicat eum ritè non consecrasse, interrogandus est; an ideo judicet, quia credit, Sacerdotem in mortali existentem, tametsi verba consecrationis cum debita intentione supra debitam materiam proferat, ritè non consecrare, & tunc hæreticus est per definita à Trid. *sess. cit. can. 12. de baptis.* ubi: *si quis dixerit, ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum, aut conferendum, pertinent, servaverit, non conficere, aut conferre Sacramentum: anathema sit.* Ad validitatem enim Sacramenti non requiritur status gratiæ in Ministro, licèt exigatur, ut licitè conficiat, ut fides docet, & tenent communiter DD.

Quòd si alia ex ratione, ut ex odio, & malo animo, quem erga ipsum nutrit, movea-

moveatur ad judicandum eum hostiam ritè non consecrasse, gravissimè peccat, temerè, & absque fundamento judicando tam grande scelus de Sacerdote Catholico: ex lege enim charitatis tenemur semper bene de proximo præsumere, nisi rationabili fundamento constet oppositum.

7. Quæritur. *Accedit pœnitens petens à Confessario, scire opto:* an, cùm ego elicio actum fidei, ad quem per accidens teneor, ratione nimirum præcepti de eliciendâ contritione de peccatis commissis, satisfaciam obligationi per se eliciendi actum fidei, ad quem teneor ex vi præcepti fidei?

Resp. Affirmativè; nam, qui vovit jejunium, ad quod aliàs ex præcepto tenebatur, satisfacit & voto, & præcepto, dum jejunat; qui die festo pulsatus gravi tentatione luxuriæ, persuadet sibi remedium ad superandam tentationem esse audire Missam illo die: si Missam audiat, implet præceptum de Missâ audiendâ die festo, & vitandi peccatum luxuriæ, ergo, qui elicit actum fidei, ad quem tenetur per accidens, seù quia sine eo non potest v.g. de suis peccatis conteri, sicut oportet, satisfacit obligationi per se eliciendi actum fidei: ratio est, quia licèt præceptum credendi præcipiat per se, independenter ab alio præcepto suum actum in quibusdam casibus, ut *lib. & c.* 1. diximus, & ad minus sex in anno, non prohibet tamen, quin eliciatur, dum urget præceptum eliciendi actum alterius virtutis; ideo, qui die Dominico audit sacrum, ratione cujus tenetur, etiam elicere actum fidei, & credere Corpus Christi, quod adorat, contineri in Hostia consecratâ, satisfacit, etiam obligationi per se credendi; nam verè actum fidei elicit, & non verificatur, quod actum fidei omiserit. Unde, qui ultimâ Dominicâ bimestris audit sacrum, & actum fidei elicit credendo in Hostia consecratâ esse Corpus Christi, in Confessione non debet se accusare in eo bimestri actum fidei, ad quem tenebatur ratione præcepti fidei, non eliciisse, quia verè credidit, sed de aliis peccatis. Quæ doctrina est Confessario non parum utilis, ad sedandos scrupulos dubitantium, quando impleant præceptum credendi.

## CAPUT XII.

### *Prop. XVIII. ab Innoc. XI. &c. Confessionis fidei præceptum.*

1. PROP. 18. *Si à potestate publicâ, quis interrogetur, fidem ingenuè confiteri, ut Deo, & fidei gloriosum consulo: tacere, ut peccaminosum per se, non damno.*

In præsenti capite occasione propositionis damnatæ sunt aliquæ difficultates solvendæ occurrentes circa externam confessionem, & professionem fidei: propterea Confessarius sciat, actum fidei alium esse internum, externum alium: internum definivimus *cap. præterito n.* 1. Externus itaque est: *quo verbis, signis, aut nutibus exterioribus profitemur nos habere actum illum internum, & credere Mysteria fidei à Deo revelata Ecclesiæ Catholicæ.*

2. Quæritur, *an detur præceptum confitendi, & profitendi fidem exterius?*

Resp. Affirmativè, & est duplex, aliud affir-

affirmativum, præcipiens aliquam actionem, & nos obligans ad fidem exteriùs confitendam, non ſemper, ſed in quibuſdam caſibus, & circumſtantiis: & aliud negativum, aliquam actionem prohibens, obligans ad ſemper, hoceſt, ad nunquam, & in ullo caſu, etiam mortis, aut tormentorum metu, fidem negandam, juxta illud Matth. 10. *qui negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo:* & Lucæ 9. *qui voluerit animam ſuam ſalvam facere:* id eſt à morte: negando fidem, *perdet eam:* hoc eſt, peccabit mortaliter, & incurret mortem æternam, niſi poſteà pœnituerit; unde dixit Auguſtinus *tract.* 66. *in Joann. quanta vita eſt confiteri Chriſtum, tanta mors eſt negare Chriſtum.*

3. Sed quæritur, *quandonam per ſe, & ex directa obligatione præcepti affirmativi hoc præceptum obliget ad externam Confeſſionem, & profeſſionem fidei?*

Reſp. In certis quibuſdam caſibus, quos numerat D. Thomas 2.2. *quæſt.* 3. *art.* 2. *in corp.* ut infrà: *confiteri fidem non ſemper, neque in quolibet loco eſt de neceſſitate ſalutis, ſed in aliquo loco, & tempore, quando ſcilicet per dimiſſionem hujus Confeſſionis ſubtraheretur honor debitus Deo, & etiam utilitas proximi impendenda: puta, ſi aliquis interrogatus de fide, taceret, & ex hoc crederetur, vel, quod non haberet fidem, vel quod fides non eſſet vera, vel alii per ejus taciturnitatem averterentur à fide; in hujuſmodi enim caſibus Confeſſio fidei eſt de neceſſitate ſalutis.* Ex quibus patet, quando, & quo loco detur obligatio confitendi fidem; ideò, ſi ex taciturnitate, diſſimulatione, & fuga putatur ſecuturus contemptus Religionis Catholicæ, proximorum ſcandalum, vel ſpiritualis ruina, fides eſt palàm profitenda; & eſt mortaliter illicitum contra præceptum affirmativum confeſſionis fidei ſilere: ratio eſt, quia etiam aliarum virtutum actus tunc ſunt in præcepto, quando ſunt neceſſarii ad fidem charitatis erga Deum, erga proximum, erga ſe ipſum: finis autem charitatis eſt velle alteri bonum, & nulli malum, adeòque impedire, quidquid Deo diſplicet, proximo, & ſibi nocet: dum autem fidem quis non confitetur, Deo gravem injuriam irrogat, & ei debitum cultum negat, (nam certè Deum maximè honorat, & colit Chriſtianus ejus fidem confitendo, quando debet,) ac proximo ſcandalum præbet, & ſibi graviſſimè nocet.

Propterea fidelis, ſi coram multitudine reſpondeat ſe Chriſtianum non eſſe, quatuor peccata committit: primum commiſſionis contra præceptum de non mentiendo, & quidem graviſſimum, quia in materia fidei mentitur. 2. Commiſſionis contra præceptum negativum, non negandi fidem. 3. Omiſſionis contra præceptum affirmativum de confitenda exterius fide, & 4. Scandali; quod multiplex eſt juxta numerum perſonarum, quibus eſt ſcandalo; quod, ſi non mentiatur, ſed taceat, duo peccata patrat: alterum omiſſionis, fidem non profitendo: & alterum commiſſionis, propter ſcandalum, ſi aliqui ſint præſentes; aliàs unicum erit.

4. Sed quæritur, *an id intelligatur, non modò, quando interrogatur à perſona publica, & in reſponſione mentitur,*

*an liceat, verùm etiam cum interrogatur à persona privata?*

Resp. Quidam cum Bonac. in 1. *præcept. decal. disp. 3. quæst. 2. punct. 3. num. 4.* dixerunt, si persona sit publica, v.g. Rex, Princeps, aut Magistratus, Gubernator &c. interrogatum, etiam cum periculo mortis, debere fidem manifestare; ratio est, quia censetur interrogari in odium fidei, & omissione Confessionis gravis injuria Deo irrogatur, & fides contemnitur, cum taciturnitas sit signum negatæ fidei. Si verò persona interrogans sit privata, posset tacere, vel interrogationem eludere; *quid à te? seù: quis te constituit Judicem?* nam non censetur interrogare in fidei odium.

Alii verò cum Suarez sustinent nullam esse differentiam inter personam publicam, & privatam interrogantem; ratio est, quia obligatio fatendi fidem non nascitur ex qualitate, seu potestate personæ interrogantis, sed ex circumstantia, & occasione, in qua non potest occultari fides sine gravi diminutione divini honoris, aut detrimento spirituali proximorum, & proprio.

Et cum istis dicendum juxta D. Thom. cit. (cujus ratio videtur universalis ad omnem casum, in quo sequerentur mala enunciata) Si, dum persona privata interrogat Petrum de professione fidei, taciturnitas sit signum negatæ fidei, timoris, aut erubescentiæ de confitenda fide, vel adsit periculum, ut fides reputetur falsa, aut proximis sit scandalo, illicitum est fidem non fateri, & gravissimum peccatum per se contra præceptum affirmativum de confitenda fide, dare signum negationis ipsius, & erubescentiæ de fide confitenda; ideò, si credo ex taciturnitate mea, & omissione confessionis aliquos, vel aliquem defecturũ à fide, vel vacillaturum, aut putaturum fidem esse falsam non solum ex charitate, sed ex ipsa præcisa, & formali confessione fidei teneor (à quocumque interroger) confiteri eam, cùm ex ipsa formali omissione confessionis fidei in eo eventu per se sequatur defectus ille, vel vacillatio; & sic gravis injuria irrogatur fidei, & irreverentia ejus Auctori, & propterea silentium est per se damnabile, quia est per se signum timoris confessionis fidei, & erubescentiæ.

5. Quæritur, *accedit pœnitens, & se accusat, quod interrogatus ab hæreticis, an esset Papista, negavit esse; dubitatur, an mortaliter peccaverit contra præceptum de non neganda fide?*

Resp. Affirmativè, quia illa responsio æquivalet negationi fidei; nam omnes intelligunt eum, qui negat se Papistam, negare se credere mysteria fidei proposita à Papa, & Ecclesia Romana.

6. Sed quid, *si affirmet, dixi,* non sum, *intelligendo,* ut tibi dicam?

Resp. Peccavit mortaliter contra præceptum negativum de non neganda fide; nam nullus potest sine gravi peccato uti verbis ambiguis, aut æquivocis cum restrictione mentali, dum agitur de confitenda, aut non neganda fide Catholica, quia audientes intelligerent, quod negaret se esse fidei Catholicæ professorem; ratio est, quia si quis posset hoc modo fidem negare, posset pariter ob metum mortis, aut grave damnum numquam fidem confiteri, & exterius profiteri fidem falsam, quod est contra communem Ecclesiæ sensum: & sic redderetur inutile præce-

ptum de confitenda, & non neganda fide: quod asseri non debet.

7 Sed quid, *si dicat, Pater:* vixi aliquo temporis spatio occultus Catholicus inter hæreticos, quorum cœnam bis accepi ob metum pœnarum, & non intentione profitendi eorum sectam, immò cum oppositâ protestatione?

Resp. Bis mortaliter peccavit contra præceptum de non neganda fide; nam nunquam ulli licet uti propriis cæremoniis falsæ Religionis, quia id faciendo externè profiteretur falsam, & negaret veram Religionem. Cœna hæreticorum est argumentum professionis sectæ ipsorum, qui colligunt suæ falsæ Religionis professores esse, quotquot illa utuntur; & protestatio non valet, quia est contraria facto. Pro absolutione dirigatur ad Sacr. Tribunal: nam meo videri est credens erroribus Hæreticorum, per dicta *lib. 1 cap. 3. nu. 20.*

Idem dicitur de eo, qui ad mortem vitandam fuit obediens edicto Principis, qui ad discernendum Catholicos ab hæreticis, præcepit, ut omnes adirent templa hæreticorum; nam tunc aditus ad templum est signum distinctivum hæreticorum à Catholicis, & propterea tunc moraliter negaret suam fidem, & profiteretur alteram; vel saltem obediret Principi in casu, quo potius deberet obedire Deo, & mandato non parere.

8. Sed quid etiam, *si interrogatus ab hæreticis, an esset Sacerdos, vel Religiosus, id negaret?*

Resp. Potest sine præjudicio fidei respondere: *non sum:* nam non sequitur, quod fidem neget; cum plures sint Catholici, qui, nec sunt Sacerdotes, nec Religiosi; & tunc certè non interrogaretur de fide, nec in ordine ad ipsam.

9. Quæritur, *sub Turcarum imperio sunt Catholici Asiatici, & Europæi: Princeps vult eos distinguere à se invicem, & Turcis; ideò præcipit, ut signo aliquo distinctivo utantur; Europæi taxatum signum assumunt, Asiatici verò omittunt, & utuntur eo proprio Turcis: dubitatur, an Asiatici peccent contra præceptum de non neganda fide?*

Resp. Affirmativè; nam æque benè omittendo tale signum significant se non esse Catholicos, & fidem negare, ac si verbis dicerent se Catholicos non esse; ideò quamvis eis grave damnum, etiam mortis imminueret utendo tali signo, deberent eo uti.

10. Quæritur, *quid agendum Confessario cum pœnitente se accusante:* Pater: transivi per hæreticorum loca, qui ad me interficiendum erant parati, nisi carnes cum eis die veneris comedissem, & propterea comedi?

Resp. Interroget, an data opera fuerit invitatus ad comestionem, ut dignoscerent, an esset Catholicus, an hæreticus, vel in contemptum Ecclesiæ; & si affirmet, & comederit, graviter peccasse judicet contra præceptum de non neganda fide; nam talis comestio reputatur professio falsæ, & negatio veræ fidei: &, dum aliàs ab aliquibus, ut Catholicus cognosceretur, peccaret, etiam peccato scandali. Si verò non ad eum finem proponerentur, sed alio, non pertinente ad Religionem, tunc remoto scandalo, dum carnes comederet, non peccaret contra fidem; nam multi inter Catholicos, vel ex malitia, vel ex infirmitate carnes die vene-

veneris comedunt, quin censeantur fidem negare; nec hujusmodi comestio secundùm se arguit professionem fidei hæreticæ, aut negationem Catholicæ; immò, stante periculo, non peccabit, quia pia Mater Ecclesia non obligat ad abstinentiam cum tanto incommodo: si desit incommodum, peccabit contra præceptum Ecclesiæ; & si item sit signum negatæ fidei, & cum scandalo, nec damnum mortis timeatur, triplex erit peccatum: ut, scandali, contra præceptum Ecclesiæ, & præceptum de non neganda fide.

11. Quæritur, *an liceat Catholicis uti vestibus, quibus utuntur infideles?*

Resp. Vel vestes infidelium ex ipsamet institutione talium vestium sunt per se protestativæ falsæ sectæ, & tales, ut ipsi discernantur infideles, & hæretici à fidelibus Catholicis; aut non sunt sic institutæ, sed indifferentes, & adhibentur ut signum distinctivum unius nationis ab alia; vestibus primi generis non possunt Catholici uti, etiam cum periculo vitæ, & quatenus utantur, peccant contra præceptum de non neganda fide, quia illarum usus est moraliter falsæ sectæ professio, prohibiti cultus signum, & veræ Religionis negatio; sic non possunt Catholici uti veste Sacerdotali Turcarum, aut ministrorum hæreticorum: vel ad collum Imaginem Mahumetis, Lutheri, aut Calvini deferre: sicut, nec genuflectere, vel turificare Idolo, vel circumcidi, &c. illis autem secundi generis uti non esse illicitum, & illis posse suam Religionem occultare, tradunt DD. quoniam per se institutæ non sunt, nec determinatæ ad falsam sectam profitendam, & distinguendos hæreticos à Catholicis. Hinc Catholici in Anglia, vel aliis hæreticorum Provinciis possunt vestibus uti, quibus incolæ utuntur ad distinctionem unius nationis ab alia; sic S. Sebastianus quodam tempore, veste communi cæteris Gentilibus, occultavit propriam fidem, quam posteà data opportunitate manifestavit. Et ideò istis etiam illicitum est uti, quando delatio à Deo debitum auferret honorem, fides contemneretur, proximorum salus in periculo esset, & scandalum illis præberetur.

12. Sed quæritur, *an hìc Romæ possit licitè deferri pileus cum signo flavo, Judæis proprio, & inter Turcas bireto*, vulgo Turbante?

Resp. Negat Cajetanus ad cit. locum D. Thomæ, cum Toleto, & Becano; ratio est, quia, quemadmodùm mortaliter peccaret contra præceptum negativum de non neganda fide, qui diceret se esse Judæum, aut Mahumetanum, sic mortaliter peccaret contra idem præceptum, si uteretur bireto, aut pileo, vel alio signo proprio Judæis, & Mahumetanis in illa Patria, quo à Catholicis distinguuntur; nam idem esset ac se facto Judæum, vel Mahumetanum profiteri. Ideò regula generalis est, quod nunquam licet uti propriis cæremoniis, vel vestibus falsæ Religionis, assumptis ad discriminandos hæreticos à Catholicis, quando communiter à videntibus, & audientibus prudenter colligeretur, quod adhiberentur, ut cæremoniæ, & vestes illius Religionis, & tamquam argumentum professionis ejusdem Religionis, etiamsi revera hoc non intenderetur, quia id faciendo externè saltem, profiteretur

falsam, & negaret veram Religionem, ac cultum exhiberet Auctori illius sectæ: quod esse prorsus illicitum est manifestum, Poncius *disp.* 29. *qu* 8. *num.* 37. Exploratoribus autem Christianis, *vulgò spie*, licere uti lingua, & habitu infidelium ad scrutanda eorum secreta, in damnum Christianæ Religionis directa, postea detegenda Principibus Christianis, vel ad securius eos aggrediendos, vel, ut tutius fugiant; & in eum finem licere item nautis Christianis affigere ipsorum vexilla suis triremibus, & navibus, modò non sint alicujus falsi Dii, vel Mahumeti, Lutheri, &c. Imagines: tradunt De la Cruz *direct. consc.* 1. *præcepto de fide n.* 8. *conc.* 2. *& Sum. Leand. v. fidei externa confess. num.* 33.

13. Quæritur, *an liceat servis Catholicis comitari Dominos hæreticos ad ipsorum templa, & assistere cæremoniis hæreticis?*

Resp. Negativè, quando ex illorum assistentia deberet prudenter judicari, quòd communicarent, etiam in cæremoniis; quod præsumi prudenter posset, cùm Dominus non esset valdè senex, aut gravitet infirmus: & propterea non egens assistentia, servi, & alium posset commodè habere, quàm Catholicum. Nota, ex sola curiositate adire hæreticorum templa, & conciones audire esse mortale, & eo magis, si accessus sit frequens.

14. Quæritur, *an tempore persecutionis liceat quandoque eam declinare, ne quis cogatur ad Confessionem fidei, & ne morte plectatur?*

Resp. Affirmativè: habetur cap. sciscitans 7. *q.* 1. & Matth. 10. *cum vos persequentur in una Civitate, fugite in aliam: & 2. ad Corinth.* 11. *per murum à fratribus demissus sum in sporta, & sic evasi manus ejus in nomine Domini.* Verùm: si esset Episcopus, vel Pastor, aut ex fuga deberet sequi aliquod grave damnum in spiritualibus proximo, vel esse cum præjudicio ad bonum fidei, & Religionis, deberet ex præcepto charitatis, & Confessionis fidei se exponere morti.

15. Quomodo *se gerere debeat Confessarius cum pœnitente Catholico accusante se conversatum esse cum Judæis?*

Resp. 1. Animadvertat, Catholicis ad vitandum Christianæ Religionis contemptum, perversionis periculum, & scandalum proximorum, esse prohibitam communionem cum Judæis in respicientibus Religionem; etiam in politicis est interdicta communio, ex qua potest resultare nimia familiaritas, & societas, & propterea idem periculum imminere; ideò non licet Christianis simul habitare cum Judæis in eadem domo, cum eis spurcissimè commisceri, nec uti opera medici hæbrei, nec cum eisdem ad ludos, & nuptias, & convivia ire, nec in eodem balneo se lavare; nec azyma comedere, vel continuò eis servire, nec nutricibus Christianis in ipsorum domibus, ipsorum filios nutrire; neque possunt Christiani conjugia cum Judæis, aliisque infidelibus celebrare: *cap. sæpè, cap. nullus, cap. omnes, cap. cavè, cap. non oportet, cap. si quis* 28. *qu.* 1. Ut distinctio sit patens inter Christianos, & Judæos, & istorum illi valeant vitare consortia, debent in terris Christianorum Judæi uti habitu, per quem à Christianis discer-

nan-

nantur : *cap. In nonnullis de Jud. & Saracenis.*

II. Consideret, an Christianus communicando cum hæreo habuerit in intellectu errorem, vel credendo eorum legem esse veram, vel Ecclesiam errare prohibendo tale commercium ; nam tunc excommunicatus esset excommunicatione Bullæ Cœnæ (applica ad conversantem cum hæreticis) quod si talem errorem non habuerit, interrogandus est, an saltem cum Judæo communicaverit ex contemptu Ecclesiæ, vel Episcopi, vel cum scandalo populi, & periculo amittendi fidem : & tunc communicatio, quæ aliàs posset esse venialis, foret mortalis.

III. Curet inducere pœnitentem ad contritionem suorum peccatorum ostendendo ei gravitatem delicti, & periculum, cui se exposuit.

IV. Eum inducat ad eliciendum actum fidei, & protestandum Judæorum legem, ac ritus, superstitiosos, & falsos esse, eique juxta qualitatem delicti, & circumstantiis accommodatam pœnitentiam satisfactoriam, & præservativam injungat.

16. Sed quæritur, *an possint cum Judæis Christiani contractus emptionis, & venditionis, aliàs licitos celebrare, & mercaturam licitè exercere?*

Resp. Affirmativè, ubi Judæis conceditur mercaturam exercere ; ratio est, quia communio, quæ cum Judæis interdicitur, est illa, ex qua nascitur nimia familiaritas, & societas, seu, quæ aliundè assidua, & diuturna est ; ideò, qui casu, & fortuitò cum Judæo in eodem convivio, vel balneo convenit, non tenetur ab eodem statim declinare ; propter necessitatem, si alius non foret aptus ad curandum morbum, posset cum consilio Parochi, medico hæbreo uti : quemadmodùm, si ex necessitate famis cum eo manducaret, à peccato excusaretur, cum hic necessitas, quoque excuset ; quemadmodùm in cæteris transgressionibus Ecclesiasticis, ut in præceptis de jejunio servando, audienda Missa, & similibus, magna necessitas excusat. Engel. *Colleg. jur. canon. lib. 5. tit. 6. num. 7.* Vid. Gavant. *in manuali Episc. v. Hæret.*

17. Quæritur, *an liceat cum Infidelibus, & Hæreis disputare de rebus fidei?*

Resp. Laicis id prohibetur, *cap. quicumque §. inhibemus de hæret. in 6.* Tam publicè, quàm privatim, sub pœna excommunicationis ferendæ, ut ibi Gloss. *in ver. innodetur* (etiamsi sint docti) quia jus absolutè loquitur, & propterea prohibitio obligat sub mortali : excipitur, si aliquis hæreticus cum fidei injuria loqueretur, aut aliquos Catholicos pervertere conaretur, & nullus foret Clericus, qui posset illi resistere, tunc Laicus doctus posset illum arguere, & cum illo disputare : nam prohibitio non videtur comprehendere casum magnæ utilitatis, & necessitatis. Suarez.

Nota, quod nec Clericis indoctis licèt de rebus fidei cum hæreticis disputare, & peccant mortaliter, si disputent, non propter allatam prohibitionem, quia loquitur de Laicis, sed propter periculum erroris, cui se exponunt.

## CAPUT XIII.

### *Prop. XIX. XX. & XXI. ab Innoc. XI. &c.*

### *Certitudo fidei Divinæ.*

1. PROP. 19. *Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in se ipso sit magis firmus, quam ut creatur pondus rationum ad assensum impellentium.*

PROP. 20. *Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat supernaturalem.*

PROP. 21. *Assensus fidei supernaturalis, & utilis ad salutem stat cum notitia solùm probabili revelationis; immò formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus.*

Circa has tres propositiones ab Innoc. proscriptas Confessario erit utile scire sequentia.

I. Quòd assensus fidei Divinæ, quo v.g. firmissimè credo Deum esse Trinum, & Unum, quia Deus summè verax revelavit, & Ecclesia Catholica proponit esse à Deo revelatum, certus, & infallibilis est sic, ut non possit non esse verus: tum ex ratione sui comprincipii, habitus nimirum fidei, & auxilii supernaturalis (nam tam habitus, quam auxilium ex sua natura sunt determinata ad non producendum actum fidei, nisi circa propositionem revera à Deo revelatam) tum ratione motivi formalis, ratione nimirum divinæ veracitatis revelantis (nam Deus, quia summè verax, nec falli, nec fallere potest, & ideò, nisi verum omninò revelare) & hæc est certitudo objectiva, seu connexionis actus cum objecto, ratione cujus est impossibile, quod detur actus fidei, quin objectum sit, sicut creditur; tum ex parte Ecclesiæ proponentis, ut ex mox dicendis constabit.

2. Deinde est certus certitudine adhæsionis ad objectum, consistente in hoc, quod quis debeat potiùs adhærere, & firmissimè adhæreat mysteriis à Deo revelatis, quæ proponuntur ab Ecclesia credenda, quàm ullis aliis veritatibus; ratio est, quia eum proponitur ab Ecclesia mysterium aliquod credendum, quia Deus summè verax revelavit (adeòque cum morali evidentia, quod sit à Deo revelatum) debet quis illud credere, & ipsi per actum fidei adhærere potius, quàm cæteris veritatibus, id enim exigit authoritas, dignitas, ac summa veracitas dicentis, & infallibilitas Ecclesiæ, quæ in iis proponendis errare non potest; hinc sine gravi injuria non potest assensus denegari, unde dixit Aug. *lib. 7. Confes. cap. 10. facilius dubitarem, vivere me, quam non esse veritatem, quæ audivi in corde.* Si philosophus contra consecrationem afferat: *accidens non potest esse sine subjecto*: fidelis, non ipsi, sed fidei firmissimè adhæreat, quæ docet: in Eucharistia esse accidentia sine substantia panis, & vini: si contra resurrectionem adducat; *à privatione ad habitum non est regressus*: statim ei opponat articulum fidei: *mortuorum*, scilicet, *resurrectionem.*

3. II. Observet, ad credendum esse necessarium ex parte voluntatis actum super naturalem (piam affectionem nun-

cupa-

cupatum) quo voluntas velit credere, & imperet intellectui, ut firmissimè credat, quidquid Deus dixit, & ab Ecclesia proponitur credendum. Habetur ex Trid. *sess. 6. c. 6. de just.* ubi: *disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia, & adjuti fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes vera esse, quæ divinitus revelata, & promissa sunt.* Et Arausicano 2. *can. 5.* ubi: *si quis, sicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipsum credulitatis affectum, quo in eum credimus, &c.* Et sequitur, ex quo experiamur nos non credere, nisi velimus. Tum quia, actus fidei est meritorius, & liber, hoc est, liberum est credere, & non credere, sine actu autem voluntatis nec libertas, nec meritum subsistit. Tum quia, pia affectio requiritur pro certitudine adhæsionis ad objectum, sive, ut firmissimè intellectus per actum fidei absque ulla dubitatione, & formidine tendat in objectum revelatum, ab Ecclesia propositum, ut optimè probat D. Thom. 2.2. *qu. 1. art. 4. in corp.* nam cum intellectus non videat evidenter physicè, aut metaphysicè objectum esse verum, ab objecto determinari, nec moveri potest, sed opus est, ut voluntas imperet, ut firmissimè credat, quod ei ab Ecclesia cum morali evidentia proponitur à Deo revelatum, & sic captivet intellectum in obsequium fidei.

4. III. Notet aliud esse, propositionem aliquam esse credibilem, & aliud esse credendam: hoc secundum aliud non dicit, quàm propositionem esse talis naturæ, ut quis debeat eam credere, & dignum sit, ut credatur; esse autem credibilem importat talem esse, ut quis possit eam credere. Nec sequitur, quod si propositio sit credibilis, sit vera à parte rei, nam propositio falsa potest esse credibilis, ut patet: dicat homo fide dignus: *Petrus est domi:* si Petrus domi non sit, propositio est falsa, sed credibilis propter authoritatem, & testimonium dicentis. Nec etiam, quod si propositio sit vera, sit proximè credibilis, nam necesse est, ut ab aliquo fide digno reveletur: credibilitas enim sumitur ab extrinseco; & ideò consideret, quod sicut propositio est credibilis, quæ potest credi, sic illa est evidenter credibilis, dum evidens est alicui se posse eam credere; & quia evidens est mihi v.g. quod possum credere Petro proponenti Germanos fuisse victores, ex quo nullã habeam rationem prudenter dubitandi, quin verum dicat, ideò propositio ab eo asserta, est mihi evidenter credibilis, sive sit in re vera, sive falsa.

5. IV. Pondera, quòd mysteria nostræ fidei sunt evidenter credibilia, & credenda: seu, quod idem est, quod dantur motiva, propter quæ est moraliter evidens, mysteria nostræ fidei esse à Deo revelata. Per evidentiam moralem cum communi intelligitur illa, qua res aliqua, quæ non est nota ex terminis, neque deducta ex principiis, sic notis, nec aliquo sensu externo percepta, ita apparet intellectui, ut is nullam habeat rationem dubitandi, & judicaretur ab omnibus imprudentissimus, qui non judicaret rem illam, sicut apparet ipsi: sed dantur motiva, quæ hoc modo evidenter probant mysteria nostræ fidei esse à Deo revelata: considerentur miracula facta

facta in confirmationem mysteriorum fidei : quæ certè Deus non fecisset, nisi mysteria, in cujus confirmationem fiebant, essent vera, & ab ipso revelata; quòd si negetur fuisse confirmata miraculis; negari non potest, quin hoc ipsum sit maximum miraculum; quod tanta,& tam principalis Mundi pars absque ullo miraculo receperit doctrinam novam, ab Apostolis, aliàs rudibus, & simplicibus, prædicatam, contrariam carni, & sanguini, & ex toto adversam ei, quam ante viri hujus Mundi, tam docti, quàm indocti, nobiles, & simplices profitebantur; quod certè sufficit ad reddendum moraliter evidens, & judicandum imprudentissimum eum, qui non judicat, quod fuerint revelata à Deo.

6. Confirmatur, est moraliter evidens, quod Ecclesia Catholica sit vera Ecclesia Christi, sed Ecclesia Catholica proponit mysteria fidei esse à Deo revelata, ergo est moraliter evidens mysteria nostræ fidei esse à Deo revelata; adeò ut imprudentissimus sit, qui id non judicet: major est certa, quia in confirmationem Ecclesiæ Catholicæ sunt facta innumera miracula; & hoc unum maximum est, quod, non obstante impugnantium potestate, & persecutorum tyrannide conantium eam destruere, & ad nihilum reducere, magis creverit, & totum ferè sibi orbem subegerit, sanguine martyrum irrigata. Alia motiva videas apud Theologos in tract. de fide.

7. Hinc, quia est moraliter evidens, quod mysteria nostræ fidei sint à Deo revelata & est certum omninò, quod quidquid Deus revelat, est verum, cum nec fallere, nec falli possit: sequitur. 1. Quòd sint vera. 2. Quòd quilibet debeat illa credere, cum sufficienter proponuntur. 3. Quòd quæcumque alia doctrina opposita fidei nostræ sit falsa, & quod imprudentissimè quis eam doctrinam crederet. 4. Quòd urgentissimum medium ad convincendos Infideles, & hæreticos sit proponere ipsis evidenter, mysteria nostræ fidei esse à Deo revelata; nam, si id benè proponatur, & Deus dederit ipsis gratiam, benè percipiendi, quod proponitur, & auferat ab ipsis internam voluntatis pertinaciam, & dociles reddat, facilè convertentur.

Ex quibus potest quilibet videre nullum prudenter posse repudiare assensum supernaturalem fidei; nam recta ratio non potest dictare, quòd, ut falsa, repellamus, quæ Deus revelavit esse vera; nam imprudentissimè ageret.

Et pariter inspicere, quod cum assensus fidei divinæ sit omninò certus, & infallibilis, non compatitur cum dubio, & formidine, aut notitia solùm probabili, quod mysteria sint à Deo revelata; nam sanè, si judicium de existentia revelationis esset incertum, & dubium, voluntas non posset prudenter imperare actum firmissimum, ut est actus fidei divinæ.

7. Sed difficultas *est de pueris, & rudibus, qui, cum non possint examinare motiva credibilitatis, ut miracula, prophetias, sanctitatem doctrinæ, ex quibus formatur judicium moraliter evidens, & certum, quod mysteria nostræ fidei sint à Deo revelata, nec moralem evidentiam possunt habere de existentia revelationis : propterea, aut est dicendum prafatos, immò majorem partem fidelium,* nunc

*nunquam credere fide divina, quod absurdum videtur, aut, quod ad fide divina credendum non requiratur, ut evidenter moraliter quis judicet, mysteria fidei esse à Deo revelata.*

Resp. Pueris, & rudibus ad credendum firmissimè mysteriis fidei sufficit propositio Parentum, vel Parochi: ex quorum institutione, cum interna illustratione Dei ad credendum, quamvis ad prædicta signa non reflectant, apparet evidenter moraliter, quod mysteria fidei sint à Deo revelata: & ex ea, ac obligatione, quam habent, quod in materia salutis æternæ sequenda est eorum institutio, moventur ad actum fidei eliciendum: habetur ex D. Thom. *cit. ad* 2. ubi: *non enim crederet, nisi videret esse credenda, vel propter evidentiam signorum, vel propter aliquid hujusmodi*; nota hoc ultimum. Hinc, si supposita Parentum institutione, credant: ver. grat. Verbum esse incarnatum quia Deus summè verax revelavit Ecclesiæ Catholicæ, actum fidei Divinæ eliciunt.

## CAPUT XIV.

*Prop. XXII. ab Innoc. XI. &c.*
*Fides necessaria ad salutem.*

1. PROP. 22. *Nonnisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita Remuneratoris.*

2. Supponitur tamquam certum, quod fides supernaturalis habitualis est necessaria omnibus hominibus, tam parvulis, quàm adultis; quod patet ex illo ad Hæbræos 11. *sine fide impossibile est placere Deo:* & ex certo principio, quod nemo possit consequi vitam æternam sine justificatione: nemo autem justificatur, cui non infundantur fides, spes, & charitas, tam parvulis, quàm adultis: Trid. *sess. 6. cap. 7. de justif.*

3. Item, quod omnibus adultis habentibus usum rationis necessaria est fides explicita, actualis, supernaturalis; ut patet ex allegato textu; & ex Symbolo Athanasii: *quicumque vult salvus esse: ver. Hæc est fides Catholica, quam nisi quisque fideliter, firmiterque crediderit, salvus esse non poterit:* & potest isto suaderi discursu: *Deus homines adultos salvare non vult, nisi cum ipsorum cooperatione, sed cooperatio hominis ad salutem utilis non est sine fide supernaturali: cum, si ab ista non reguletur, proportionem non habeat cum beatitudine supernaturali, ergo secundum dispositionem Dei fides supernaturalis actualis est necessarium medium adultis ad salutem:* & debet esse supernaturalis, non modò ex parte principii, auxilii nimirum divini, sine quo actus supernaturales non eliciuntur, sed etiam ex parte objecti, quatenus debet hominem dirigere ad finem non naturalem, sed supernaturalem æternæ beatitudinis: & tendere in objecta à Deo revelata.

4. Item, quòd omnibus adultis existentibus in mortali necessaria est fides supernaturalis actualis, ut constat ex adductis textibus, & ex hoc alio ad Hæbræos 11. *accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Deinde fides actualis ex Trid. *cit. cap. 6.* est dispositio necessaria

ria ad justificationem; & *cap.* 8 asseritur, humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis; sed peccator ut perveniat ad Cœlum, debet accedere ad Deum, & justificari, ergo debet habere fidem actualem.

Confirmatur: non potest peccator, si non fuit baptizatus, salvari sine baptismo in re, vel in voto; & si fuit, sine pœnitentia in re, vel in voto: sed nec baptismus, nec pœnitentia in re possunt haberi ab adulto sine fide: nec in voto nisi mediante aliquo actu supernaturali: at nullus actus supernaturalis potest ad hoc sufficere præter actum supernaturalem amoris Dei, vel contritionis perfectæ: sed hujusmodi haberi nequeunt sine prævio actu fidei, ergo.

5. Item, quod aliud est credere implicitè, & aliud credere explicitè, & distinctè. Credere *implicitè*, est credere aliquid non in se ipso distinctè, & particulariter, sed in aliquo alio, in quo implicitè continetur: sic, qui credit: *quidquid Ecclesia Catholica credit, vel credendum proponit*, implicitè credit omnia mysteria fidei.

Credere verò explicitè, est credere hoc, vel illud mysterium in particulari, & in seipso, propter revelationem Dei: ut credo: *Deum esse Trinum, & Unum, quia Deus summè verax revelavit, & Ecclesia credendum proponit: credo Verbum esse incarnatum, &c.*

6. Item, quod duobus modis aliquid dicitur necessarium ad salutem: necessitate medii, & necessitate præcepti: *necessitate medii*, illud necessarium dicitur, quod si ab aliquo omittatur, quamvis sine sua culpa (ut si propter impotentiam, & ignorantiam inculpabilem) salvari non possit: quia est necessarium ex alio capite, quàm ex hoc, quod per ejus omissionem, quis peccet, & ponat impedimentum peccati ad non consequendam salutem: sub ista ratione baptismus in re susceptus & fides habitualis sunt infantibus medium ad salutem: & fides, tum actualis, tum habitualis, ac baptismus in re, vel voto susceptus omnibus adultis ita necessaria: illud verò dicitur necessarium, *necessitate præcepti*, sine quo quis salvari potest, modò ipsum, vel propter ignorantiam inculpabilem, vel impotentiam exequi non possit; nam tunc à peccato excusatur. Quòd est sic necessarium, aliam necessitatem non habet ad salutem, quàm quatenus, quiid omittit, peccat mortaliter, & propter peccatum, nisi remittatur, debet salutem perdere: sic ad salutem necessarium est, audire sacrum, jejunare, confiteri semel in anno, &c.

Authores propositionis non negant fidem actualem necessariam necessitate medii: sed, dum affirmant sufficere solam fidem unius Dei, errant. Propterea Confessario in hoc capite ex probatis Authoribus apponimus plures resolutiones tangentes notitiam eorum, quæ sunt necessariò explicitè credenda, tum necessitate medii, tum præcepti, ut istis instructus possit sine errore ad judicium procedere, & pœnitentes monere de iis, quæ credere tenentur, & ad fidem pertinent.

7. Quæritur, *quænam mysteria, seu articuli fidei sint explicitè necessariò credendi necessitate medii?*

Resp. I. Debet explicitè credi: *Deum esse,*

*esse, & remuneratorem esse, juxta illud ad* Hebræos 11. *accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.*

II. *Deum esse Trinum in personis, & Unum in Essentia:* juxta text. Matth. 28. *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti:* per dicenda etiam *cap. ult.*

III. *Filium Dei esse Incarnatum.* Joannis 17. *Hæc est vita æterna, ut credant te verum Deum, &, quem misisti Jesum Christum.*

IV. *Christi passionem, & mortem.* 1. ad Corinth. 1. *Nos autem prædicamus Christum crucifixum.*

V. *Christi resurrectionem* 1. ad Corinth. 15. *Si Christus non resurrexit, inanis est fides nostra.* Hæc omnia sunt ita necessariò necessitate medii explicitè credenda, ut quis excusationem non habeat, si ea explicitè non credat: & ideò non sufficit ea implicitè credere, credendo quidquid Ecclesia Catholica credit. Quod colligi etiam potest ex illo Marci ult. *prædicate Evangelium omni creaturæ: qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit: qui verò non crediderit condemnabitur;* ergo condemnabuntur omnes, qui non crediderint, quæ à Christo Apostoli prædicare jubebantur; sed certum est, quod jubebantur prædicare; *Deum esse, esse remuneratorem bonorum, & vindicem malorum: Incarnationem, mortem, & resurrectionem Christi: ejus divinitatem, ac humanitatem: atque Trinitatem personarum in una Essentia divina:* ergo hæc credere post illam prædicationem, est medium necessarium ad salutem.

Et quamvis jussi sint prædicare etiam, quæ non sunt necessitate medii necessariò credenda, sed solùm præcepti: negari tamen non potest, quin præfata sint necessariò ea necessitate credenda; nam Apostoli debuerunt prædicare Evangelium secundùm ordinationem Christi, hoc est, prædicare, tanquam necessaria necessitate medii, quæ sic necessaria censentur, & præcepti, quæ ita necessaria sunt, ergo, cum aliqua fides ab eis prædicata sit necessaria necessitate medii (nec possit dari ratio, cur non sit fides præfatorum mysteriorum: sed potiùs juxta communem consensum Theologorum, & sensum Ecclesiæ certum sit eam esse) fides præfatorum ita est necessaria.

Cætera mysteria, quæ in Ecclesia solemnizantur, & publicè proponuntur, tutius, & securius est explicitè credere: *ut esse natum de Virgine, circumcisum, descendisse ad Inferos, ascendisse in Cælum, ac sedere ad dexteram Patris, & venturum Judicem.* De la Cruz *direct. conf.* 1. *præcept. de fide art.* 1. *num.* 3. *in fine,* & Fagnan. *in* 1. *Decretal. ad cap. Firmiter de sum. Trinit. nu.* 44. Vid. *cap. cit.*

8. Quæritur, *an sit necessaria necessitate medii fides explicita Dei, ut remuneratoris supernaturalis, an verò sufficiat fides de Deo, ut remuneratore naturali, seu, ut remunerante bona opera per bona temporalia, & naturalia hujus vitæ: sanitatem, divitias, &c.*

Resp. Necessaria est fides actualis explicita Dei remuneratoris supernaturalis, hoc est, qua creditur, quod benè viventibus, secundùm legem ipsius, & operantibus cum auxiliis gratiæ, ut

oportet, sit concessurus vitam æternam, & malè viventibus æternam mortem: totum colligitur ex illo *cap. ad Hebr.* 11. ubi Paulus agit de remuneratione superiori ad bona temporalia hujus vitæ, & de retributione vitæ æternæ à Deo promissæ, & revelatæ. Legatur text. & Cardenas ad *prop.* 22. *ab Innoc. XI. damnat. dissert.* 15. *cap.* 6.

Et propterea fides debet esse supernaturalis, non modò ex parte comprincipii, auxilii nimirum supernaturalis, sine quo actus supernaturalis haberi non potest, sed etiam objectivè, quatenus non sufficit cognoscere Deum esse authorem naturæ, aut largitorem bonorum naturalium, sed necesse est cognoscere, & credere, quod, sit author bonorum supernaturalium, gratiæ, & æternæ vitæ largitor; cum talis fides, & cognitio sit fundamentum accessus nostri ad Deum, juxta illud: *accedentem ad Deum oportet credere, &c.*

9. Sed quæritur, *unde colligi potest, quod fides sit supernaturalis, objectivè, & ex parte objecti?*

Resp. Cum tendit in objectum à Deo revelatum, quod Ecclesia Catholica proponit credendum. Vide supra *cap.* 5. *num.* 11.

10. Quæritur, *quando per se teneamur actum fidei de illis habere?*

Resp. Videas *lib.* 1. *cap.* 1. *num.* 5. & 11.

11. Quæritur, *quænam explicitè credenda sunt de necessitate præcepti divini, & Ecclesiæ?*

Resp. Symbolum Apostolicum: & septem Sacramenta; omnia alia debet homo, saltem implicitè credere, credendo quidquid Ecclesia credit; vel in præparatione animi, in quantum paratus sit credere, quidquid divina Scriptura continet, & Ecclesia proponit esse à Deo revelatum; & tunc ea etiam explicitè credere tenetur, cum ei constat esse à Deo revelata, & sic ab Ecclesia proponuntur.

Ratio, cur debeat quis explicitè credere Symbolum Apostolorum, est; quia articuli, & mysteria, quæ in eo Symbolo continentur, sunt præcipua nostræ fidei fundamenta: & non solùm semel, atque iterùm debet eos articulos explicitè credere, sed etiam memoriter scire, ut interrogatus, an tale mysterium contineatur in Symbolo, sciat respondere, affirmativè.

Illa autem probans, cur credenda sint Sacramenta, est: quia quilibet tenetur credere, & scire, quæ debet recipere, & à Deo postulare. Et quamvis hæc ratio videatur probare solùm quoad Baptismum, Pœnitentiam, & Eucharistiam, quorum fidem esse sub præcepto est communissima sententia: attamen etiam cætera alia esse credenda patet; nam susceptio Confirmationis, & Extremæ unctionis sunt maximæ utilitatis, & sub præcepto non contemnendæ. Item, ut dignè æstimetur status matrimonio conjunctorum, & Ordinatorum, valdè conveniens apparet, ut fideles omnes cognoscant, & credant illa Sacramenta esse à Deo instituta; & consequenter, ut sit præceptum omnibus ea credere.

Nec sufficit, quod quis semel, aut iterùm, vel quoties debet aliquod Sacramentum accipere, illud credat, sed ulterius debet scire, & ita memoria fixa tenere, quod sint à Deo revelata, & à

Christo

Christo institutæ, & propterea sic credenda, ut, quoties interrogetur de quolibet istorum, possit respondere, esse à Deo revelatum, & à Christo Domino institutum.

12. Pariter præcepta decalogi sunt, cognoscenda, ac memoriæ retinenda, ut quis interrogatus, an talis, vel talis veritas sit de fide V.G. an furtum sit contra aliquod præceptum decalogi, vel non furari Dei mandatum, sciat respondere affirmativè; hujusmodi enim cognitio valdè utilis est ad exercitium virtutis, & fugam vitiorum. Utilitas etiam retinendi memoriæ orationem Dominicam maxima est; nam septem petitiones continet, quibus omnia necessaria, tam corpori, quàm animæ, tam præsentis, quàm futuræ vitæ à Deo petimus: explicationem orationis vide apud Marchant. *Hort. past. tract. 3. de Off. Pastoral. lect. 1.*

Ex quibus sequitur I. Quòd fideles, statim ac pervenerint ad usum rationis, debeant juxta capacitatem, & statum suum talem diligentiam ad hæc dicenda adhibere, ut non videantur esse negligentes in re, adeò ipsismet utili, à Deo, & Ecclesia præcepta; ideò debent frequentare Parochiam, ut in rebus fidei, & ad salutem necessariis instruantur; & toties peccant, quoties in illo anno tenentur Parochiam frequentare (ad quem effectum pluries in mense crederem teneri) & omittunt: de quo debent se accusare.

II. Quòd parentes curare debent, ut filii sufficienter instruantur de præfatis, & præceptis Ecclesiæ, adeò ut, si eos impediant, vel commoditatem non præbeant, aut instructionem negligant, peccant gravissimè.

III. Quòd Parochi, Confessarii, & Prædicatores tenentur ea omnia proponere, & quatenus opus sit explicare ita, ne propter defectum propositionis, ac explicationis contingat, ut subditi, & audientes careant sufficienti instructione.

Propterea ipsi præter obligationem communem cum aliis fidelibus ad credenda mysteria fidei, tam quæ sunt necessariò credenda necessitate medii, quàm præcepti, habent particulare debitum cognoscendi distinctius ea mysteria; ratio est, quia officium ipsorum est ea proponere, & explicare, & aliqualiter defendere contra objectiones communes hæreticorum, ad minus per solutionem aliquam à Doctoribus traditam: quilibet autem tenetur ad ea, quæ sunt necessaria ad suum statum, & officium ritè exequendum, ex cujus mala administratione sequitur in proximo grave præjudicium salutis; ideò Trid. *sess. 5. cap. 2. de ref. statuit: quicumque curam animarum habentes, ut per se, vel per alios idoneos, si legitimè impediti fuerint, diebus saltem dominicis, & festis solemnibus, plebes sibi commissas pro sua, & earum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem.* In quo, si negligentes sint, gravissimè delinquunt contra præceptum Ecclesiæ in re gravi, & propriam obligationem.

13. Quæritur, *pœnitens, ut, satisfaciat præcepto credendi, instruì petit à Confessario de modo eliciendi actum fidei, de tempore obligationis, & de arti-*

*culis contentis in Symbolo Apostolorum, qualem debet Confessarius instructionem dare, & quid aperire?*

Resp. Tempus obligationis videas *lib. 1. cap. 1. num. 5. & 11. & num. 20.* modum eliciendi fidei actum. Circa Symbolum Apostolorum sciat Confessarius, quòd Symbolum hîc idem est, *ac omnium credendorum ad salutem spectantium compendiosa collectio*, ut ex Gersone tradit Fagnan. *in 1. ad cap. firmiter de Sum. Trinit. num. 26.* Dicitur *Apostolorum*, quia fuit ab Apostolis editum in Conventu habito in Judæa anno Christi 44. *apud Baronium eodem anno num. 14.* in quo duodecim articuli fidei, seù veritates à Deo revelatæ continentur, quarum notitia, saltem quoad substantiam, in quolibet fideli est necessaria.

14. Itaque super 1. articulo à Petro asserto: *Credo in Deum, Patrem, Omnipotentem, creatorem Cœli, & terræ:* Ut crédat in Deum: sufficit, quod credat esse aliquod summum bonum, quo melius excogitari non potest; aut aliquid esse, quod super omnia amari, & honorari debeat, & cujus mandatis super omnia obediendum sit, & à quo cætera dependent in fieri, & conservari; nam nihil potest esse tale, nisi quod est Deus. Ut credat in *Patrem*, sufficit, quod credat eum habere Filium à se productum, qui sit Deus eadem singularissima Deitate cum ipso. Quantum *ad Omnipotentem*, sufficit, quod credat eum posse facere, quidquid est possibile, ex cujus productione nulla in ipso sequitur imperfectio. Quantum verò ad *Creatorem Cœli, & terræ*, sufficit, ut credat, quòd Deus illa fecerit, & ad omnia in iis contenta concurrat. Cùm igitur ex divino, & naturali præcepto teneamur Deo cultum exhibere pro nostra creatione, tenemur explicitè credere, *Deum esse omnium creatorem.*

Super II. Ab Andrea: *& in Jesum Christum, Filium ejus, unicum, Dominum nostrum:* sufficit credere aliquem, hominem esse, qui non solùm sit homo, sed Deus, & Filius unicus Dei Patris, qui vocatur Jesus Christus, cui nos obedire, ac servire debemus, tamquam unico nostro Domino, & Redemptori, ac colere, & adorare.

Super III. Ab Jacobo, *qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine:* Sufficit credere, quòd Jesus Christus fuit conceptus in utero B. M. V. per cooperationem specialem Spiritus Sancti sine ulla opera viri: & natus ex ipsa Virgine, ante partum, in partu, & post partum.

Super IV. Ab Joanne: *passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus:* sufficit credere, quòd sub homine, cui, nomen Pilatus, Christus multa passus sit, quòd fuerit crucifixus, deinde mortuus sit, & postea sepultus.

Super V. à Thoma: *descendit ad inferos: tertia die resurrexit à mortuis:* Sufficit credere, descendisse ad aliquas partes inferiores terræ, & tertia die resurrexisse.

Super VI. Ab Jacobo Alphei: *ascendit ad Cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris Omnipotentis:* Sufficit credere, ad Cœlos post Resurrectionem ascendisse: & quod Christus post Ascensionem collocatus fuerit in suprema post Deum

Cœli

Cœli dignitate, & honore (quod per dexteram Dei hìc videtur intelligi) nam Pater æternus non habet dexteram propriè dictam, ad quam sedeat Jesus Christus filius ejus.

Super VII. A Philippo: *inde venturus est judicare vivos, & mortuos:* Sufficit credere, quòd Christus aliquando venturus sit ad judicandos omnes homines, ut reddat unicuique juxta opera in hac vita facta.

Super VIII. A Bartholomæo: *credo in Spiritum Sanctum:* Sufficit credere, esse aliquam personam divinam, quæ sit Deus, non minus quàm Pater, & Filius, & tamen nec Pater, nec Filius sit, licèt non sit alius Deus ab ipsis, sed idem Unus Deus.

Super IX. A Matthæo: *Sanctam Ecclesiam Catholicam:* Sufficit, & necessarium est credere, dari Congregationem fidelium à Christo institutam, quæ sancta est: & propter sanctitatem doctrinæ, & quia intra illam solam reperitur Sanctitas: & quia proponit, ac docet viam rectam acquirendæ Sanctitatis: & tandem, quia in ea sunt media, & instrumenta Sanctitatis, ut baptismus, aliaque Sacramenta; debet autem quis in particulari cognoscere, quænam Congregatio determinata sit Ecclesia: ut nos Catholici cognoscimus, & credimus, quod illa Congregatio fidelium sit Ecclesia, quæ pro Capite habet Summum Pontificem Rom. Christi Vicarium, & D. Petri successorem. Quæ Catholica, seù universalis dicitur, hoc est, communis omnibus, omnesque recipit, qui in eam per baptismum intrant, & per integritatem fidei perseverant; extra quam salus non est, cap. *firmiter de sum. Trinit. &c.*

Super X. A Simone: *Sanctorum communionem, remissionem peccatorum. Per Sanctorum communionem:* Sufficit credere, quòd sit talis communio inter membra Ecclesiæ, ut Sanctorum, ac justorum orationes, & suffragia possint aliis, pro quibus orant, proficere: cùm enim sint invicem membra, dum orant, dum laborant in via virtutum, non sibi tantùm laborant, & dum patiuntur, etiam omnibus patiuntur. Vide supra *cap. 8. num. 14.* Quantum *ad remissionem peccatorum*, credi debet in Ecclesia peccata remitti per media, quæ ad hoc ipsa proponit: baptismus scilicet, pro remissione peccatorum originalis, & actualium ante baptismum: & Pœnitentiæ Sacramentum pro remissione peccatorum, post baptismum commissorum.

Super XI. A Thaddæo: *carnis resurrectionem.* Quæ sufficienter creditur, dum creditur, quod quilibet post mortem aliquando resurget, ad quod spectat credere animæ immortalitatem.

Super XII. A Mathia, *vitam æternam.* Quæ itidem sufficienter creditur, dum creditur, quod si moriemur in statu gratiæ, Deum in Cœlo facie ad faciem, ac intuitivè videbimus; quod bonis sit æterna beatitudo parata (quæ solet vita æterna vocari) sicut malis pœna.

Quæ omnia debet fidelis credere propter rationem formalem fidei, nimirum, *quia Deus summe verax revelavit Ecclesia Catholicæ*; & Confessarius totus debet esse, ut pœnitens frequenter actus fidei sub illa causali eliciat, ut ita assuescat

scat ad credendum sub illa ratione; cui injungere debet, ut ad minus sexies in anno Symbolum recitet; nam ex terminis decens apparet, & conveniens, ut saltem pro quolibet bimestri semel recitetur Symbolum, in quo continentur fundamenta nostræ fidei, quorum fides, & cognitio, utilis, & necessaria est ad rectè, & sanctè vivendum.

15. Quæritur, *quid agendum Confessario cum pœnitente, qui ignorat necessaria scitu ad salutem?*

Resp. Si ignoret necessaria, vel aliqua ex necessariis necessitate medii, sive sua culpa id evenerit, sive inculpabiliter omiserit, nullo modo potest absolvi. Ut validè absolvatur, debet prius instrui, ac ei ante absolutionem proponi, & ipse credere: *quòd Deus est, & remunerator sit, reddens bonis operibus præmium vitæ æternæ, & malos æterna damnatione castigans: quòd est trinus, & unus: quòd Jesus Christus sit filius Dei, verus Deus, & verus homo, natus ex Virgine pro redemptione nostra: mortuus, postea resurrexerit, deindè ascenderit in Cœlum, denique venturus Judex*; de quibus fides expressa exigenda est. Verùm, si potest absolutio differri ad aliud tempus, ut plenius instruatur, differri debet, quia fortasse in angustia temporis non potest sufficienter instrui.

Si verò ignoret culpabiliter necessaria necessitate præcepti, ut Symbolum, Dominicam orationem, Sacramenta, decalogum, præcepta Ecclesiæ, & credat necessaria necessitate medii, si sumus in casu necessitatis, absolvi potest: modò de ignorantia, sicut de cæteris peccatis doleat, & se accuset de omnibus, quæ addiscere neglexit, & firmiter proponat illa, quamprimum addiscere; cui est imponendum, ut in posterum adeat Parochum, vel doctrinam christianam frequentet, vel doctorem consulat, ut de omnibus instruatur. Quòd si extra casum necessitatis versemur, ut extra mortis articulum, vel alium, judicio prudentis Confessarii, est differenda absolutio, quousque illa sciat; nam tunc videtur esse in malo statu propter illorum ignorantiam voluntariam: quid incommodi tunc sequitur, quod absolutio differatur?

16. Sed quæritur, *accedit pœnitens in Paschate, quem non potest Confessarius instruere; quid agendum? si non absolvat, est in causa, ut non impleat præceptum Paschale, si absolvat, invalidè absolvit.*

Resp. Si non potest eum de illis sufficienter instruere, differatur absolutio, & utatur facultate sibi data in cap. *omnis utriusque sexus de pœnit. & remiss.*

17. Sed quæritur, *an sint repetenda Confessiones factæ ab ignorantibus mysteria necessitate medii credenda?*

Resp. Affirmativè; nam fuerunt omnes invalidæ, (licèt invincibiliter ea ignoraverit) ideò eas omnes repetens debet se accusare, tam de numero vicium, in quibus omisit hôs actus fidei elicere, quàm de numero vicium, quibus neglexit ea discere, & ad discendum erat obstrictus, ac de peccatis aliàs in prioribus confessionibus expositis, ac confessionibus invalidis, & communionibus repetitis, &c.

CAPUT

## CAPUT XV.

*Prop. XXIII. ab Innoc. XI. &c.*
*Fides dispositio ad justificationem.*

1. PROP. 23. *Fides latè dicta ex testimonio creaturarum, similive motivo ad justificationem sufficit.*

2. Dispositiones ad justificationem adulti enumerat Trid. *sess.6. c.6. de justif.* omninò legendum; ubi expresè statuitur, fides, timor divinæ justitiæ, spes, dilectio Dei, dolor de peccatis, & propositum suscipiendi baptismum (si non sit baptizatus) & si sit, confitendi peccata sua, inchoandi novam vitam, & deinceps servandi mandata divina; & *cap.7.* statuit Sacramentum fidei, sine qua nulli unquam contingit justificatio; & *cap. 8. per fidem ideò justificari dicimur, quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum ejus consortium pervenire.*

3. Deinde, fides, quæ est dispositio ad justificationem, illa est, quæ est fundata in authoritate dicentis, & innixa divinæ revelationi, seù, qua creditur aliquid, quia Deus summe verax revelavit Ecclesiæ Catholicæ, & Ecclesia nobis proponit credendum, ut habetur ex alleg. cap.6. Trid. ubi hæc sunt: *disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia, & adjuti fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes vera esse, quæ divinitus revelata, & promissa sunt.* Et D. Paulo ad Rom. 10. *Omnis enim, qui invocaverit Nomen Domini, salvus erit: quomodò ergo invocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodò credent ei, quem non audierunt? quomodò autem audient sine prædicante?* Et infra: ergo *fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.*

Quæ omnia probant necessitatem fidei Mysteriorum revelatorum: fides autem ab Authoribus propositionis asserta (quam fidem esse negamus) non innititur divinæ revelationi, nec est fides Mysteriorum, quæ Apostoli prædicarunt, & Ecclesia credenda proponit; adeòque non ex auditu concepta, & per propositionem Ecclesiæ, sed pura cognitio de Deo habita ex creaturis; quæ naturaliter, & sine gratia supernaturali Dei potest de ipso haberi, ut est Author naturæ, & largitor bonorum naturalium; ideò cùm naturalis sit, & habita ex viribus naturæ, nec sit Dei cognitio, ut Authoris supernaturalis gratiæ, & gloriæ, improportionata est ad disponendum ad justificationem supernaturalem, ad quam necessaria est fides supernaturalis, tam ex parte principii, seù auxilii ad eam concurrentis, quàm ex parte objecti, & motivi.

4. Sed quæritur, *unde cognosci potest, quod fides sit supernaturalis?*

Resp. Quòd sit talis, ex parte motivi, & objecti colligitur, si sit assensus objecto à Deo Ecclesiæ Catholicæ revelato, & per Ecclesiam nobis proposito, ut credatur; cujus notitia haberi non potest ex creaturis, vel ex naturali motivo, aut ratione, sed solùm dependenter à divina revelatione, & per propositionem Ecclesiæ.

Fides igitur actualis, quæ est dispositio

tio ad justificationem, est actus innixus divinæ revelationi, proponens voluntati objectum, circa quod debet ipsa supernaturaliter operari, seù conducens ad excitandam voluntatem ad reliquos actus supernaturales, disponentes ad justificationem, timorem scilicet, spem, dolorem de peccatis, & amorem Dei, &c. cujusmodi est actus, quo creditur: *Deum esse justissimum, misericordem, infinitè bonum, & Christum omnes redemisse satisfeciisse pro nobis, ac meruisse gratiam, & gloriam omnibus sufficienter*, quia Deus summè verax revelavit Ecclesiæ Catholicæ, & hæc nobis proponit id esse à Deo revelatum.

An autem sola revelatio divina, *an etiam veracitas Dei, vel hæc sola sit motivum formale fidei? Est quæstio inter Theologos*; Confessario sufficiat scire, quòd fides, quæ est dispositio ad justificationem, debet inniti divinæ veracitati revelanti, vel revelationi: ut motivo formali credendi, & propositioni Ecclesiæ, ut conditioni, sine qua non crederetur.

5. Et si quæratur, *quid sit divina revelatio?*

Resp. Est locutio Dei, vel signum, quo significat se habere talem, vel talem conceptum de tali re: nec semper eodem modo id significat, juxta illud ad Hebr. 1. *Multifariam, multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, novissimè diebus istis locutus est nobis in filio*; super quo consulas Theologos in tract. de fide.

## CAPUT XVI.

### *Prop. XXIV. & XXV. ab Innoc. XI. &c. Juramentum.*

1. PROP. 24. *Vocare Deum in testem mendacii levis, non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem.*

PROP. 25. *Cùm causa licitum est jurare sive animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis.*

Graves, & multæ excitantur à Summistis difficultates circa naturam juramenti; ex quibus aliquas, & fortassè magis in praxi communes pro promissâ Confessarii instructione, sequentibus aperio.

2. Quæritur, *quid, & quotuplex sit juramentum?*

Resp. Juramentum ex D. Thom. 2. 2. *qu. 89. art. 1. est invocatio divini testimonii, in confirmationem alicujus rei, ut, dicti, vel facti, vel promissionis*: & ideò jurare *est liberè Deum in testem adducere ad confirmandam veritatem propositionis, quam quis profert.* Quòd inventum est ad confirmandam veritatem, quantum fieri potest, testimonio firmissimo, & infallibili, cujusmodi solius Dei est: dicitur juramentum ex D. Thom. ibidem, quatenùs jure introductum est, ut, quod sic confirmatur, habeatur pro verò; & propterea dixit Apostolus ad Hebr. 6. *omnis controversiæ finis* (inter homines,) *est juramentum.*

Si divinum testimonium adducatur in confirmationem alicujus rei præsentis, vel præteritæ; *ut, per Deum Petrus currit: per Deum fui ad gymnasium:*

jura-

juramentum dicitur *assertorium*; per quod intenditur tantùm, ut fides adhibeatur suis dictis. Si verò adducatur in confirmationem alicujus rei in futurum faciendæ: ut, *per Deum tibi mense futuro dabo decem: per Deum te in matrimonium ducam:* juramentum est *promissorium:* & hìc ulterius intendit quis se alteri obstringere ad aliquid. Si adducatur in confirmationem voluntatis, qua quis se obligat ad dandam alicui pœnam: ut, *per Deum te occidam, nisi feceris hoc*; juramentum *est comminatorium. Et execratorium,* cùm adducitur Deus, non, ut purùs testis, sed, ut testis vindicans falsitatem, in casu, quod sit falsum illud, quod quis asserit; ut, *Deus me occidat, si hoc est falsum: Deus me non adjuvet, si cras non venero.* Hoc juramentum per DD. fit, etiam invocando creaturas, in quibus elucet justitia Dei, ut ab illis puniatur in casu falsitatis illius, quod asseritur: ut, *Dæmon me portet; pestis me absumat, &c. si res non ita sit.*

Juramentum promissorium dividitur in dolosum, incautum, & coactum: dolosum est, *quod ab aliquo fit cum animo non faciendi, quod promittit juramento,* nec ad illud se obligandi. Incautum, quo quis jurat aliquid facere, quod non potest licitè jurare, ut, si juret adulterare, occidere, &c. juramentum enim non est vinculum iniquitatis. Coactum autem est, ad quod aliquis vi, vel metu cogitur. Præterea datur juramentum *calumniæ*, quod à litigatoribus præstari solet: & est id, *quo quis jurat, quod non per calumniam litem suscipiat.* Et juramentum *solemne*, quod fit coram Judice, de quo DD.

3. Quæritur, *quænam sint conditiones comites juramenti, quibus concurrentibus jurare sit licitum?*

Resp. *Veritas, justitia, & judicium,* ex illo Jeremiæ 4 *jurabis: vivit Dominus in veritate, & in judicio, & in justitia.* Requiritur *veritas*, ne quid falsi juretur, aliàs foret perjurium; nam juramentum in confirmationem falsi perjurium est; ideò, ut sit verum, debet conformari cum intellectu jurantis. *Per veritatem* intelligitur, quod jurans arbitretur, & existimet esse verum, quod juramento asserit; seù, quòd res talis sit in mente jurantis, qualis affirmatur per verba, v. g. *juro: per Deum Petrus est domi:* debeo in mente, ut certum habere, quòd revera sit domi, vel prudenter existimare, quòd sit domi, si verò casu domi non sit, & ego firmiter ex errore inculpabili teneam esse, juramentum est formaliter verum, licèt non materialiter; nam, sicut tunc non mentior, nec aliud ore profero, & aliud in mente habeo: sic, nec Deum in testem falsi adduco; è contra verò: si Petrus domi, & ego teneam non esse: si juro esse, sum formaliter perjurus; nam tunc deest veritas ad juramentum requisita, & sic adduco Deum in confirmationem falsi; quæ deest quoque, quando quis jurat tamquam certum, cùm ipse sit dubius, quia revera mentitur, cùm asserat, ut certam rem, de qua est dubius.

Item, dum juro me daturum Petro centum, vel, me facturum Clericum, debeo prudenter existimare me posse illa dare, ac esse mihi possibile Clericatum assumere; & insuper habere intentionem jurandi, me obligandi, & adimplendi, seù

faciendi, quod juramento promitto; quæ dicitur veritas dicti, necessaria etiam in promissorio, qua assertorium est.

Per *justitiam* intelligitur, quod res, quæ juramento confirmatur, non sit contra aliam virtutem; seù in eo consistit, quod juramento non promittatur aliquid, quod sit iniquum, & illicitum: unde, si juro me facturum aliquid, quod sit peccatum mortale, pecco. Quæ conditio pertinet ad juramentum promissorium, cujus justitia exigitur, ut res, quæ promittitur, non sit illicita.

Per *judicium* verò intelligitur, quod adhibeatur diligentia, ut cognoscatur, an hìc, & nunc sit jurandum; Nam, qui in rebus faciendis talem diligentiam adhibent, dicuntur procedere cum judicio; & ideò judicium juramenti in hoc stat, ut non juretur, nisi adsit aliqua necessitas, vel utilitas ad jurandum.

4. Sed quæritur, *an defectus judicii in juramento, vel jurare sine causa, & necessitate sit mortale?*

Resp. Per se non est mortale, sed solùm veniale, quia levis irreverentia Deo irrogatur ex eo, quod ejus nomen sine utilitate, & necessitate invocetur. Campion. *p. 2. cap. 35. num. 3.*

5. Sed quid, *si desit judicium, seù non adhibeatur diligentia ad videndum, an sit verùm, & justum, quod juratur?*

Resp. Est mortale ob periculum jurandi falsum, & iniquum, etiam si contingeret, quod esset verum id, de quo juratur, quia per accidens esset, quod esset verum, & licitum.

6. Quæritur, *an in juramento assertorio detur parvitas materiæ, seù, an advertenter jurare falsum in re levi, excuset à mortali: interrogor, an viderim Petrum currere, quem vidi, sed cum juramento nego:* per Deum non vidi: *requirit à me aliquis pusillum tabaci, quem habeo, & ego id nego:* per Deum non habeo.

Resp. Negativè; nam semper est mortale; patet ex decret. Innoc. vocare enim Deum in testem falsi, etiam causa joci, est gravissima ejus injuria, quia est summa veritas, cui infinitè falsitas repugnat; & ideò sic jurans est per jurus propter defectum veritatis; etenim per jurium strictè sumptum est jurare contra mentem, hic autem contra mentem jurat; nam in mente habet se habere Tabacum, & ore id cum juramento negat.

7. Sed quæritur, *an in juramento promissorio in re levi à mortali parvitas materiæ excuset, ut, si jurem me daturum Petro acum, & non intendam dare?*

Resp. Etiam in juramento promissorio ex dictis, est necessaria veritas dicti, hoc est, intentio jurandi, animo se obligandi, & adimplendi, quod quis promittit; ideò, si juratacum dare, debet, dum jurat, habere similes intentiones, aliàs mentitur, & Deum vocat in testem falsi.

8. Sed quæritur, *an teneatur postea acum dare, adeò ut si non det, peccet mortaliter, & per jurus sit?*

Resp. Sententia aliquorum est; quòd si, dum jurat dare, habet intentionem jurandi, se obligandi, & animum exequendi, quamvis postea, mutata voluntate, non det, peccet venialiter propter parvitatem materiæ; cùm non videatur Deo gravis irreverentia irrogari. Quæ sententia non placet, Cajetano, Poncio, Quilici, & aliis. Cum quibus sentimus.

Falsi-

Falsitas alterius sententiæ patet; nam in juramento promissorio duplex veritas reperitur, *una dicti, & intentionis*; ut quis nimirum, dum jurat, verum dicat, hoc est, habeat intentionem jurandi, promittendi, & animum exequendi, quod promittit; *alia facti, & executionis*, ut tempore suo impleat, quod juramento promisit: per istam distinguitur ab assertorio; nam assertorium obligat solùm ad dicendum verum, promissorium autem, etiam ad faciendum posteà, quod promittitur. Undè, si acum non det, mortaliter peccat contra secundam veritatem juramenti; videtur enim gravis irreverentia non facere id, ad quod faciendum adductus est Deus in testem, & fidejussorem. Tum quia, jurans assertoriè, quòd Petrus dormit, peccat mortaliter, si verum non sit, quamvis sit res parvi momenti, quod Petrus dormiat, vel non, quia adducit Deum in testimonium falsi: ergo promittens facere rem parvi momenti, mortaliter peccat si non fecerit, quia adducit Deum in testem, quod sit facturus talem rem.

9. Dices, esse discrimen inter juramentum assertorium, & promissorium, quod jurans assertoriè falsum, mentiatur, & perjuret per jurio propriè dicto, non implens autem juramentum promissorium non mentiatur, nec perjuret, sed solùm sit infidelis?

Resp. Etiamsi totum concedatur, non sequitur eum non peccare mortaliter; nam, sicut adducens Deum in testimonium falsi, peccat mortaliter, sic dans ipsum pro fidejussore adimplendi promissum, debet mortaliter peccare, si non impleat, quia certè Deo gravem irreverentiam facit (licèt non tam gravem, quam perjurando, & peccat contra secundam veritatem juramenti; potestque dici per jurus, non in sensu proprio, & quatenus juret contra mentem, sed solùm quatenus per jurium capitur pro animo non implendi, quod juravit, cum deberet implere; seu, pro defectu non adimplendi suo tempore, quod juravit quis se facturum.

10. Dices, ergo sequitur, quod jurans recitare unum Ave peccet mortaliter, si non recitet?

Resp. Affirmativè; nam, cum res promissa, licèt parva in se, sit tota materia juramenti, si omittatur, deficit tota veritas secunda juramenti, & gravem facit Nomini divino irreverentiam, cum vocet in testem, se Ave recitare, & posteà non recitet: dixi *licèt parva in se*, quia ut subest juramento, est assumpta, ut quoddam totum.

11. Sed quid, *si jures Rosarium dicere, & unicum Ave omittas?*

Resp. Si non intendis recitare Rosarium integrè omninò, tunc mortaliter non peccas, omittens, quod respectu integri Rosarii, est materia parva. Vid. Cajetan. *ad loc. cit.* D. Thom. *art.* 7. Quilici *confess. manud. qu.* 15. *art.* 2. *nu.* 4. Poncium *disp.* 60. *q.* 5. *num.* 55.

12. Quæritur, *an jurans sine intentione jurandi, seu invocandi divinum testimonium in confirmationem rei, quæ asseritur, peccet mortaliter?*

Resp. Affirmativè, juxta decret. Innoc. damnantis 25. *prop.* nam tunc mentitur, cum in mente habeat aliud, quàm hic, & nunc verba significent. Nota: cum dicis, *per Deum eras tibi tabo centum*, tria,

hæc verba significare. 1. Te invocare divinum Nomen in confirmationem tuæ promissionis. 2. Te habere animum promittendi & te obligandi, & 3. Te habere animum exequendi. Sicut igitur, si, dum juras dare, non habeas animum jurandi, te obligandi, & intentionem exequendi, mentiris, & vocas Deum in testem mendacii, ex quo verba hic, & nunc significent te habere talem animum: ita, dum juras: *per Deum dabo centum*, sine intentione adducendi divinum testimonium in confirmationem veritatis, mentiris, quia habes in mente aliud, quàm hic, & nunc verba significent; cum significent te adducere divinum testimonium in confirmationem propositionis, quam profers, & aliud intendis.

13. Sed quæritur, *requiritur ne, quod habeam expressè hanc intentionem*, volo jurare; seu invocare Deum in testimonium meæ promissionis?

Resp. Crediderim sufficere, quod voluntariè proferas illa verba juratoria, quæ ex se significant, quòd Deus invocetur in testimonium promissionis, vel dicti; nam, cum hæc verba: *per Deum Petrus est domi*, sint de se significativa, quod invocetur Deus in testimonium, quod Petrus sit domi; certè qui talia profert, jurat: & perjurat, si, cum id dicit, putet ipsum non esse domi; audientes enim illa verba, intelligunt ipsum jurare, & habere intentionem jurandi. Fagnan. *in* 5. *ad cap. falsidicus de crimine falsi nu.* 120. Et de la Cruz *direct. conf. de juram. conc.* 1. dixit ut quis verè juret, non est necesse, ut velit sic explicitè Deum in testem per juramentum adducere, sed sat est, ut intendat facere, quod alii faciunt, quando jurant; aliàs plures possent se excusare ab implemento juramentorum; nam possent dicere, se ignorasse per juramentum adduci Deum in testem: ex quo plura absurda oriterentur in humana societate, & divinum testimonium contemneretur.

14. Quæritur, *quid agendum Confessario cum habente consuetudinem jurandi?*

Resp. De hoc vide infra *cap.* 37.

15. Quæritur, *an mortaliter peccent nobiles, & Aulici, qui, dum simul ambulaturi, procedunt, jurant se non ituros ad dexteram, non sessuros primo loco:* per Deum non ibo; & per Deum non sedebo; *& postea victi aulicismo, & invitatione dexteram, & primum locum accipiunt?*

Resp. Si, dum jurant non habent intentionem jurandi, & se obligandi ad non capiendum primum locum, mortaliter peccant, ex defectu veritatis juramenti; si verò habent intentionem jurandi, sed non animum se ad id obligandi, pariter mortaliter delinquunt, ut notarunt Gabriel. & Sum Leand. *ver. condit. juramen. num.* 105. ex eo, quod adducant Deum in testem falsi, & fidejussorem promissionis non intentæ; quod id mihi certum videtur, quia dum jurant, non modò vocant Deum in testimonium se habere voluntatem non accipiendi dexteram, sed etiam illam non capiendi: quare, dum posteà eam accipiunt, faciunt contra veritatem facti, & executionis juramenti. Nec obstat, quod sit res levis: quia semper deest veritas executionis juramenti; & quo ad hanc Deus in testem falsi vocatur.

Nec est dicendum juramentum esse virtua-

virtualiter conditionatum, quòd scilicet non sint accepturi, nisi pars instet, vel ipsa primum locum recuset. Nam hæc conditio non videtur rationabilis, & sufficiens ad non implendum juramentum, aliàs quævis juramenti obligatio posset eludi.

Non negamus in juramento promissorio, licèt absolutè facto, aliquas tacitas conditiones contineri. 1. *Si potuero, & quidem licitè, ex cap. querelam de jurejurando.*

16. Sed quid, *si una pars sit possibilis, & alia impossibilis, ut si promisisti dare centum, possis dare solùm quinquaginta, an quoad totam summam subintelligatur ea conditio?*

Resp. Negativè, sed teneris ad quinquaginta: nam utile per inutile non vitiatur, si utile ab inutili separari possit, ut in casu ex regula 37. *jur. in 6.*

II. Conditio est; *salvo jure, & authoritate Superioris, si ob justam causam velit juramentum relaxare, vel dispensare, arg. ex cap. non est, de voto:* ubi non dicitur voti transgressor, qui, quod vovit, auctoritate Sedis Apostolicæ distulit adimplere.

III. Nisi is, *in cujus gratiam, & utilitatem juramentum est factum, obligationem remittat.*

IV. *Si res in eodem statu permanserit, sive notabiliter non mutetur: sumitur ex cap. veniens: cap. Brevi, ac cap. quemadmodum, de jurejuran.*

17. Quæritur, *an graviter peccent mercatores, dum jurant rem sibi tanti, vel tanti stetisse: granum, vel vinum non esse mixtum: equum non esse vitiosum: rem venalem non esse antiquam &c. dum aliàs affirmant, se non posse justum pretium ab emptoribus obtinere?*

Resp. Affirmativè, si contra veritatem jurent, nam contra eam nulla ratione est jurandum. Sæpè similibus juramentis emptores decipiunt, &, ut plurimum pretium exigunt ultra justum; propter quod ad restitutionem tenentur.

18. Quæritur, *an mortaliter peccent filii, & uxores, quæ, ne cognoscantur suæ muneri non satisfecisse, ad conservationem pacis domesticæ, & evitationem rixæ, & ne à parentibus, ac maritis duris verbis tractentur, mendaciter cum juramento negant hoc, vel illud dixisse, fecisse, aut vidisse, ut; per Deum non vidi: illud feci &c.*

Resp. Affirmativè, nam mentiuntur, & Deum invocant in testimonium mendacii. Unde totus debet esse Confessarius ad similes jurandi abusus tollendos, eis significando gravitatem perjurii, & quod, dum similia agunt, Deum graviter offendunt.

19. Quæritur, *an obliget juramentum extortum vi, & metu, injustè à causa extrinseca illato, etiam cadente in virum constantem, ut, si quis ex metu mortis, juramento promitteret latroni, volenti eum occidere, dare centum?*

Resp. Affirmativè; habetur expressè *cap. si verò, & cap. verum de jurejurando:* & juramentum in casu ob reverentiam divini Nominis est implendum: nam res jurata non est illicita, & potest impleri sine peccato dantis, & recipiens potest non recipere; & si recipiat, contra justitiam ex sua malitia peccat: quemadmodum peccavit, quando illum coegit jurare.

20. Sed

20. Sed quid dicendum, *si latro coegisset, ut etiam juraret ad non repetendum.*

Resp. Tunc non posset repetere, sed deberet latronem Principi denunciare.

21. Sed quid, *si etiam exegisset juramentum de non denunciando?*

Resp. Juramentum esset illicitum, & ideò non servandum: *ex cap. ad nostram il. 2. de juram.* Et D. Thom. *cit. artic. 7. ad 3.* quia est contra justitiam publicam, & in damnum Reipublicæ.

22. Sed quid dicendum, *de eo qui juravit solvere usuras.* Vid. *lib. 1. cap. 31. num. 43.* & infra *cap. 24.*

23. Quæritur, *quot peccata committit, qui jurat peccare mortaliter, occidere, adulterare, &c.*

Resp. Si non habet intentionem jurandi, nec implendi juramentum, peccat mortaliter peccato perjurii, quia deficit veritas juramenti; si verò habet intentionem jurandi, & implendi juramentum, tria mortalia committit: unum, gravis irreverentiæ in Deum adducendo ipsum in testimonium actus mortaliter illiciti: aliud, intendendo se obligare per juramentum ad peccandum mortaliter; & tertium, habendo intentionem peccandi mortaliter.

24. Sed dubitatur, *an in casu juramentum obliget?*

Resp. Negativè; nam juxta regul. 58. *juris in 6. non est obligatorium contra bonos mores, præstitum juramentum*: quia non est institutum, ut sit iniquitatis vinculum 22. *quæst. 1. cap. inter cætera*: absurdum enim est, quod quis obligetur ad peccandum.

25. Sed quid, *si juramentum sit de re indifferenti, nec bona, nec mala: ut, si jurem levare à terra festucam, ad malendinum, vel officinam alicujus non accedere?*

Resp. Si habuit intentiones requisitas ad veritatem juramenti, tenetur illud implere, quia justitia in juramento exigit, ut non sit de re illicita, sed res indifferens non est illicita, ergo juramentum de re indifferenti obligat: nil enim mali est in adimplemento. Contraria sententia defenditur à Layman. lib. 4. *tract. 3. cap. 6. num. 3.* sed prima est tutior: nec est paritas de voto; quod cum esse debeat de meliori bono, de re indifferenti non obligat, ex dicendis *lib. 3. cap. ult.*

26. Quæritur, *quot peccata committit Pater jurans se occisurum filium?*

Resp. Si absque intentione juravit, est perjurus, & sacrilegus contra veritatem juramento debitam; si cum intentione, tria peccata committit: unum, quia violat justitiam juramenti, jurans de re illicita, (& in hoc pariter peccat contra Religionem) secundùm, quia violat justitiam commutativam intendens inferre mortem proximo: & tertium, quia violat pietatem, intendens inferre mortem filio: & tot numero peccata committit, quot sunt numero filii.

Adverte, quod, dum parentes jurant se castigaturos filios, possunt etiam eos non castigare, quia in tali jurata promissione implicitè continetur hæc conditio: *nisi veniam rogent: nisi se emendaverint &c.* nec tunc peccant; modò, quando juraunt, habuerint intentionem jurandi, & castigandi sub ea conditio-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ditione, arg. *ex cap. pervenit il 2. de jurejuran.*

27. Quæritur, *an peccet mortaliter Princeps Christianus petens juramentum à Rege idololatra, parato jurare per falsos Deos?*

Resp. Negativè, sic D. Thomas 2. 2. *quæst.* 98. *art.* 4. *ad.* 4. ex quo notetur; quòd, dum ego, V. G. cum Petro debeo aliquod opus facere, quod prohibitum est, non mihi, sed Petro, peccabo, si absque urgenti necessitate & sponte concurram simul cum Petro ad tale opus, nam cooperabor peccato illius, & illum ad peccatum inducam. Si verò habeam necessitatem concurrendi cum ipso, tunc ego utor malo Petri in meum bonum, vel utilitatem Reipublicæ; modò: Rex idololatra, & Christianus debent pacem jurare: Christianus ab eo petit juramentum ad tuendum suum jus, & in bonum Christianæ Reipublicæ utitur jure suo, ac juramento malo idololatræ, sibi providet ad propsii negocii securitatem; neque intendit peccatum Idololatræ, seu venerationem Idoli, sed solum bonum publicum, & confirmationem pacti per verba externa. Sic Abram recepit juramentum à Labam Idololatra ad pacem suæ posteritatis. Genesis 31. Judex etiam ex officio (non persona privata) propter utilitatem Reipublicæ potest à reis paratis perjurare juramentum exigere, aliàs, nimis Respublica perturbaretur: nam rei, ut se eximerent ab interrogationibus Judicis, fingerent se velle perjurare: & hinc quæ mala in Republica non forent?

28. Quæritur, *accedit pœnitens, & se accusat: Pater fui captivus apud Turcas, juravi meo domino ad ipsum redire post sex menses, modò sextus currit, quid agendum mihi est?*

Matthæucci Cautela Confess.

Resp. Debes redire, ad id enim te obligat juramentum, & debes potius etiam mortem subire, quam illud non implere, propter quod es ad istud tempus dimissus. Idem dicitur de eo, qui juraret redire ad carcerem, etiam si esset morte afficiendus justè, aut injustè; nam si non juraſſet redire, non fuisset ad tempus dimissus, & sic morte, sivè injustè, sivè justè afficeretur.

29. Sed, *nonne possem in primo casu petere relaxationem, & dispensationem?*

Resp. Negativè, nam teneris vitare scandalum, quod oriretur in infidelibus de Christiana Religione.

30. Quæritur, *pœnitens se accusat; Pater, juravi dare decem Francisco, sed dubito, an habuerim intentionem me obligandi, vel exequendi: quæro, an tenear dare?*

Resp Affirmativè, teneris eligere tutiorem partem, & juramentum servare; nam in dubiis tutior pars est eligenda.

31. Sed quid, *dicendum si asserat: juravi me ducturum Bertam, sed post ea fornicationem commisit: peto, an tenear eam ducere?*

Resp. Negativè, ex cap. *quemadmodum de jurejuran.* nam de novo emergit aliquod impedimentum, ut ait D. Thomas *cit. quæst.* 89. *art.* 7. *ad* 2. Pœnitens, non prævidit fornicationem fœminæ, cui juramento se obstrinxit; & consequenter non se obligavit ad ducendam fornicariam; aliàs, si post juramentum

fieret meretrix, deberet eam ducere, quod est falsum; prudenter enim præsumitur deobligari jurantes, quando supervenit aliquod impedimentum, quo stante, si à principio de ipso potuisset haberi notitia, non fuisset præstitum juramentum.

32. Quæritur, *pœnitens se accusat: Pater, juravi me non facturum Religiosum, ducturum uxorem, non erogaturum eleem. synam notabilem, non daturum mutuò, & similia, quæro, an tenear ad juramentum servandum, & an peccaverim, quando juravi?*

Resp. Idem D. Thomas cit. *ad 2.* his verbis, ait, *si quis juret, se non facturum aliquod melius bonum, quod tamen facere non tenetur, peccat quidem jurando, in quantum ponit obicem Spiritui Sancto, qui est boni propositi inspirator: non tamen peccat juramentum servando, sed multò melius facit, si non servat*: unde in casu peccat contra justitiam juramenti, quia, etsi malum non sit in seculo vivere, & nubere &c. malum tamen est se firmare in proposito non eligendi bonum melius. Hinc regula generalis est, quod juramenta incauta (quibus, quis jurat se non facturum, quod esset melius facere, licèt non teneatur illud facere) non obligant: ratio est, quia sunt in præjudicium animæ, & non pertinet ad Dei reverentiam, ut fiat opus minus bonum, omisso meliore.

33. Dices, contra hoc videtur esse textus in cap. *commissum de sponsalib.* ubi Pontifex respondens dubio, quod quidam, præstito juramento, promisit muliери se contracturum cum ipsa infra biennium: & posteà cum promissioni nollet stare, sed transire ad Religionem, ait: *tutius est ei, Religione juramenti servata, priùs contrahere, & posteà ad Religionem ante consummationem copulæ migrare*: ergo juramentum de contrahendo matrimonio obligat.

Resp. Pontifex dicit esse tutius, quia cum biennium esset in fine, poterat contingere, quod, nec contraheret, nec intraret Religionem, & ideò respondet, tutius est, quod contrahat, & posteà poterit ad Religionem transire; si autem non contrahat, & Religionem intret, non peccat, nec juramentum infringit, sed in melius commutat, ut ibi Glos. *in verb. tutius, & cap. pervenit. 2. de jurejurando*; promissio enim videtur virtualiter conditionata: *nisi mutetur in melius.*

34. Quæritur, *an firmans sua dicta hac formula: peream, si non ita sit, ut dico: per salutem meam est verum: juret?*

Resp. Affirmativè, quia sensus est: *Deus me interficiat, vel vita privet, si non est verum, quod dico*; hic adducitur implicitè Deus in testimonium proprii dicti: nam jurare, est adducere Deum in testem, vel explicitè, ut *juro per Deum: testor Deum: Deus sit mihi testis &c.* vel implicitè, cum juras per creaturas; nam tunc non juras adducendo eas in testimonium infallibilis veritatis, quia ipsæ infallibiles non sunt, sed juras per eas, ut in eis repræsentatur Deus; & sic implicitè invocatur in eis Deus; pro quo

Nota, quòd quoties juratur per creaturam, quæ aliquam insignem dignitatem

tem habet à Deo, & in quâ excitatur, quodam modò peculiariter in nobis memoria Dei, vel ejus attributorum, tunc est relatio ad Deum, & est verum juramentum: ut, si jures: *per Evangelium; per fidem Christi: per Beatos: per Sacramenta: per Sanctissimam Virginem: per Sanctam Crucem, per fidem Catholicam &c.* nam juras per res, in quibus Deus, ejusque Sanctitas elucet, & specialiter in Deum referuntur; Ad quod reducitur, si creaturis addas Deum: *ut per ignem Dei &c.* ipsa enim explicita nominatio Dei, ipsum invocari probat.

35. Sed quid *de eo, qui hac utitur:* Dæmon me asportet, si non est verum?

Resp. Jurat, quia implicitè invocatur Deus, ut sit vindex falsitatis, & falsitatem castiget, exercendo per eum suam justitiam: sicut etiam juramentum est dicere *per salutem meam;* nam sensus est; *Deus me salute privet, si non est verum;* & ideò implicitè, & inconfusè Deus invocatur: quemadmodum credo juramentum esse: *per animam meam,* quia censetur, quod quis velit specialiter obligare Deo animam suam, ut ipsam damnet, si non est verum.

36. Sed quid, *si dicat:* in mea conscientia: in fide boni viri, ita est?

Resp. Non jurat, quia sensus est: loquor, ut decet bonum virum, seu juro in mea conscientia, id est, loquor, quod scio esse conforme meæ conscientiæ, & cognitioni.

37. Sed quid, *si dicat;* juro: ita est?

Resp. Crediderim jurare, nam audientes id intelligunt,

38 Sed quid, *si dicat:* vivit Deus: Deus est veritas: coram Deo loquor; Deus scit?

Resp. Si hæc sumantur invocativè, utpotè invocando divinam præsentiam, scientiam, & veritatem in testimonium asserti, jurat; non verò, si sumantur enunciativè, & per modum narrationis: ut, *Deus scit, Deus videt, quod non mentior: ego loquor coram Deo, seu Deum præ oculis habeo ad non mentiendum;* quando autem uno, vel altero modo sumantur, à circumstantiis colligitur; & particulariter, quod sumantur invocativè, cum exigitur juramentum.

39. Sed quid, *si dicat,* hoc est tam verum, quàm Deus, quàm Evangelium.

Resp. Si credat, quod veritas sui dicti sit tanta, quanta est veritas Dei, & Evangelii, est hæreticus: si verò internè id non credat, & ore proferat, est blasphemus hæreticalis. Quod si intendat confirmare suam veritatem veritate divina, nimirum, quod ita suo modo, & in linea finitæ veritatis, sit verum, quod asserit, sicut in linea infinitæ veritatis, Deus est verus, jurare non est dubium; sed à simili modò loquendi abstinendum omninò est.

40. Sed quid *de jurante:* nego Deum, nisi hoc, vel illud fecero: nisi vindictam sumam de meo inimico &c.

Resp. Triplex peccatum committit; unum, contra justitiam, dum vult proximo malum inferre; vel contra eam virtutem, cui malum propositum opponitur. Secundum, contra reverentiam Deo debitam, dum vocat in testimonium sui iniqui propositi. Tertium blasphe-

miæ, qua divinam bonitatem vilipendit; & Dei existentiam, & fidem de ipso vult, quasi pendere ab executione mali propositi; & insuper peccato scandali, dum dat occasionem audientibus, ut concipiant eum vilipendere, ac Deum contemnere.

41. Quæritur, *quinam possint relaxare juramenta?*

Resp. I. Juramentum factum in favorem tertii, ab isto potest relaxari. II. illud factum in Dei gloriam, potest quisque commutare in rem evidenter meliorem: sic, qui juravit dare Ecclesiæ calicem æneum, satisfacit tradendo argenteum, & per jejunium in pane, & aqua satisfit juramento de jejunando absolutè. *V. l. 3. c. ult.*

42. Quæritur: *an reus interrogatus ab Judice teneatur veritatem fateri, & jurare, si Judex juramentum exigat?*

Resp. Responsio habetur ex D. Thoma 2.2. *quæst.* 69 *art.* 1. in corpore. Ubi: „ Quicumque facit contra debitum justitiæ, mortaliter peccat. Pertinet „ autem ad debitum justitiæ, quod aliquis obediat Superiori, in iis, ad quæ „ jus Prælationis se extendit. Judex „ autem est Superior respectu ejus, qui „ judicatur; & ideò accusatus tenetur „ Judici veritatem exponere, quam ab „ eo secundùm formam juris exigit; & „ ideò, si confiteri noluerit veritatem, „ quam dicere tenetur, vel, si eam, „ mendaciter negaverit, mortaliter peccat.

„ Si verò Judex hoc exquirat, quod „ non potest secundùm ordinem juris, „ non tenetur accusatus respondere; sed „ potest, vel per appellationem, vel aliter licitè subterfugere: mandacium „ autem dicere non licet. *Et ad tertium habet:* qui mentitur in judicio, ut „ se a morte liberet, non solùm facit „ contra dilectionem Dei cujus est judicium, & contra dilectionem proximi, ex parte Judicis, cui debitum „ negat, sed etiam ex parte accusatoris, qui punitur, si in probatione deficiat.

43. Sed petitur, *quando Judex censeatur interrogare secundùm formam juris?*

„ Resp. *Idem S. D. ibidem* art. 1. in „ corpore, *ait:* dicendum, quòd aliud „ est veritatem tacere, aliud est falsitatem proponere, quorum primum in„ liquo casu licet. Non enim aliquis te„ netur omnem veritatem confiteri, sed „ illam solam, quam ab eo potest, & debet requirere Judex secundùm ordi„ dinem juris: puta, cum præcessit in„ famia super aliquo crimine: vel aliqua „ expressa indicia apparuerint: vel et„ iam, dum, præcessit probatio semiple„ na. Falsitatem autem proponere in „ nullo casu licet. *Ex his Confessarius „ discurrat.*

44. Quæritur, *an juramentum factum per errorem, ignorantiam nimirum, non causatam fraude alterius; aut per dolum, hoc est ignorantiam fraude alterius causatam obliget?*

Resp. Negativè: ratio est, quia sic jurans, non jurat absolutè se facturum, sed ex hypothesi, quod ita sit res, sicut ex errore, aut dolo concipit ipsam esse, ergo, cum ita non sit, non ponitur conditio; & sic non tenetur adimplere: nec peccat jurando, si cæteræ conditiones habean-

habeantur ad rectè jurandum requisitæ. Hinc fit, quòd dum juras dare eleemosynam Petro, quem credis pauperem, non teneris implere, dum reperis esse divitem, & non egere; quia præcisa ignorantia non te obligasses. Ita vinculo juramenti non ligantur, qui vi, fraude, vel dolo inducuntur jurare: nam dolus, & fraus sunt causa promissionis, quibus præcisis, nec promisissent, nec juramento promissionem confirmassent. Deducitur *ex cap. Cum contingat de jure jurand.* Ubi decidituir servanda esse juramenta, *sinè vi, & dolo sponte præstita, cum in alterius præjudicium non redundant, nec observata vergunt* in dispendium salutis æternæ. Ergo à contrario sensu infertur: quod juramenta vi, & dolo extorta, & non sponte præstita non ligant; quia, cessantibus hujusmodi circumstantiis, præstita non fuissent. Natal. Alex. *Theolog. dogmat. t.2. lib.4. cap.1. art.3. regul.*10. Cæterùm istis etiam in casibus tutiùs est, si petatur absolutio, ut docent plures DD. cum S. Antonino *p.2. tit.*10. *cap.*6. Nam juramentum, etiam dolo extortum, decet religiosas mentes habere, ut probat exemplum Josue, & Principum Israel. *Josue* 9. qui circumventi dolo Gabaonitarum pacem ipsis, & incolumitatem jurarunt: quam, etiam comperto dolo, servarunt propter religionem juramenti, volentes ex reverentia erga Deum verificare ea, quæ per nomen ejus promiserunt, ut per Gonzalez *in 2. tit.24. cap.6. n.3.*

45. Quæritur, *An detur obligatio aliquando jurandi, adeò ut quis peccet, nisi juret?*

Resp. Per se hæc obligatio non datur; potest tamen per accidens quis ad jurandum obligari, ut, cùm sine juramento non potest servari charitas. Ideò tenemur jurare, ubi vel lex, vel præceptum superioris ad id obligant; aut cùm agitur de salvando innocente; tunc enim ratio naturalis dictat esse jurandum, & proximo innocenti succurrendum.

Per illud autem Christi *Matth.5. Ego autem dico vobis non jurare omninò.* Christus non damnat absolutè juramentum, sed reprobat Judæorum abusum, qui putarunt, nihil esse in juramento cavendum præter mendacium; & propterea in rebus leviissimis, & absque necessitate sæpissimè jurabant, & ab aliis juramenta exigebant. Hujusmodi abusus à Christo improbatur; instruimurque ab juramento abstinendum, nisi gravis necessitas nos jurare compellat. Atque ita cùm de rebus levibus agitur, & in familiaribus colloquiis non est adhibendum. Cùm enim juramentum institutum sit in subsidium, & remedium infirmitatis audientis (qui aliàs non crederet, verum esse, quod audit, nisi testimonio Dei confirmaretur) non est eligendum, nisi in rebus gravis necessitatis; aliàs gravis irreverentia irrogatur Deo, adducendo ipsius auctoritatem in rebus nullius momenti: est utique juramentum per se bonum, sed de genere eorum bonorum eligendorum posita aliqua necessitate, ut per D. Thom. 2.2. *quæst.*89. *art.5.*

46. Quinimmò ex ea facilitate jurandi oritur periculum, ut quis in perjurium labatur: ut optimè Augustinus *de mendac. cap.*15. *ibi: & sic ostendit, quomodo accipiendum esset, quod dictum est:*

*dico vobis non jurare omninò : nè scilicet jurando ad facilitatem jurandi veniatur, ex facilitate ad consuetudinem; atque ita ex consuetudine in perjurium decidatur.*

47. At petitur. *In quo consistat irreverentia, qua Deo per perjurium irrogatur?*

Resp. In hoc, quòd vocans Deum in testimonium rei falsæ, aut concipit Deum non esse infinitè sapientem, & ignorare veritatem dictæ rei, aut putat non esse summè bonum, sed posse, & velle sua suprema, & infallibili auctoritate confirmare, & approbare rem illam falsam. In quo sanè Deo maxima injuria tribuitur, ut est evidens. Legatur Vanni *tom. 2. il Catechismo in pratica istruct. 44.*

48. Quæritur, *An possit Christianus recipere juramentum ab Idololatra, qui per falsos Deos juraturus est?*

Resp. Per se non potest, bene verò per accidens, ut si publica pax, vel contractus magni momenti aliàs firmari non possit; tunc enim justæ, & necessariæ causæ occurrunt ad bonum Christianæ Reipublicæ, propter quas licet ab Idololatra juramentum recipere, & exigere exemplo Jacob *Genes. 31. num. 54.* qui ad securitatem, & pacem suæ posteritatis juramentum recepit à Laban Idololatra per Deum Nachor, falsum Deum. Consideratur enim, quod juramentum malum non est, & bene, hoc est per Deum verum etiam ab eo fieri potest. Nec invitatur ad crimen, quia non compellitur ad jurandum per falsos Deos, sed ad jurandum simpliciter. Nec intenditur peccatum Idololatriæ, aut veneratio Idoli, sed solùm bonum publicum, & proprii negotii securitas, ac confirmatio. Neque item datur occasio pejerandi, quia sic jurare paratus est. Sicut non subministrat occasionem peccandi usurario, qui, ut suum pignus recipiat, solvit usuras; nec latroni, qui coactus pecunias proprias tradit; de quo D. Augustinus *Epist. 43. (aliàs 154.) ad Publicolam cap. 1.* ibi. *Qui utitur fide illius, quem constat jurare per Deos falsos, & utitur non ad malum, sed ad licitum, & bonum, non peccato ejus se sociat, quo per Demonia juravit, sed bono pacto ejus, qui fidem servavit. Vid. allegat Natalem reg. 14.*

49. Dices. Non licet juramentum exigere ab eo, quem pejeraturum esse novimus: ergo nec ab eo, qui per falsos Deos est juraturus.

Resp. Negando consequentiam; dis. crimen est, quia cùm justa causa exigitur juramentum ab eo, qui per falsos Deos est juraturus, habetur finis juramenti, hoc est confirmatio veritatis. Cùm autem juramentum ab eo exigitur, quem quis novit esse pejeraturum, nec ille finis, neque aliquod aliud bonum inde est expectandum; per D. Thom. *cit. art. 4. ad 4.*

50. Consideret Confessarius obligationem juramenti promissorii posse pluribus modis tolli.

I. Impediendo illam ab initio, juxta text. *Trid. cap. 16. sess. 25. de regul.* ubi statuitur, quòd nulla sit renunciatio, aut obligatio, etiam juramento firmata, facta antè duos menses professioni proximos.

§ 1. II. Mutatione materiæ finitur obligatio juramenti, si eventus reddit rei juratæ implementum impossibile: Juramentum

mentum enim intelligitur, rebus sic stantibus, *cap. Quemadmodum d. tit.* Idemque procedit, si res jurata reddatur illicita, *cap. Quanto allegat. tit.* quia venit obligatio ad casum, a quo incipere non poterat.

§ 2. III. Condonatione etiam, cessat obligatio juramenti, hoc est, remissione facta ab eo, in cujus favorem, & gratiam præstitum est, *cap. Præterea de sponsalib.* in omni enim conditione jurata inest conditio, si is, in cujus favorem præstitum est, voluerit juramentum servare *l. fin. ff. qui, & a quibus.* Nam de juramento dicitur, quòd sapit naturam actus, cui adhæret; per quod significatur, quòd cùm juramentum ad jungitur actui, qui ex ratione contractus obligationem producit, obligatio juramenti regulatur per obligationem, & juxtà modum illius, adeò ut, ea cessante, cesset obligatio juramenti. Siquidem eo casu adducitur juramentum in confirmationem illius actus. Quare, si in promissione subintelligantur aliquæ conditiones, etiam in juramento illæ tacitè veniunt: & sicut casu, quo ille, cui promissio est facta, nolit sibi promissionem impleri, cessat obligatio promissionis, ità cessat obligatio juramenti, per D. Thom. *cit. quæst.* 89. *art.* 20. & Gonzalez *cit. cap.* 24. *cap.* 28. *nu.* 11. Ubi *cap.* 1. *sub nu.* 8. notavit, quod ubi principaliter utilitas partis vertitur, Deo non est, quæsita obligatio; sed tantùm est vocatus in testem ad confirmandam veritatem promissam; & quemadmodum in contractibus humanis sine ulla injuria testium partes communi consensu discedunt à contractu, & alter alteri remittit obligationem; ita etiam possunt remittere obligationem juramenti sine injuria Dei vocati in testem; maximè quia Deus in testem vocatus juramentum ratum, & acceptum habet in commodum, & favorem partis; Et proinde, ea condonante, Deus remittit; hæc ille.

§ 3. IV. Obligatio juramenti tollitur commutatione, dum res jurata in aliam materiam transfertur, *l.* 2. §. *mutui ff. de reb. creditis.*

§ 4. V. Irritatione etiam tollitur obligatio juramenti, quando ejus materia subditur alterius potestati, *cap. Pueri, & ibi Glos. c. Pervenit* 22. *q.* 5. In omni enim juramento promissorio subintelligitur, nisi contrarium præcipiat, & velit superior quoad ea, in quibus jurans dependet ab illo. Unde hic etiam currit maxima, quòd juramentum purum resolvitur in conditionale, quod fit à lege, ut ubi supra Gonzalez. Unde habentes potestatem dominativam, ut parentes respectu filiorum? mariti respectu uxorum. & Prælati Regulares possunt suorum subditorum juramenta respectivè irritare. Censentur enim facta cum conditione saltem tacita: si nimirum hi, quibus sunt subjecti, approbaverint: nullus enim absolutè jurare potest in præjudicium alterius. Mayol. *summa p.* 1. *art.* 4. *expos.* 2. *præcept.* Armilla *in sum. v. juramentum.* Et Abellii *medull. p.* 2. *tract.* 2. *cap.* 4. *sect.* 2. §. 4. *n.* 3.

§ 5. VI. Cessat obligatio juramenti relaxatione, absolutione, seù dispensatione. Quæ Differt à commutatione, irritatione, & condonatione. Nam per relaxationem, & dispensationem tollitur omnis obligatio juramenti, remittente Prælato Ecclesiastico virtute jurisdictionis spiritualis obligationem juramenti, & de-

& declarando materiam non fuisse juramento aptam; per commutationem vero obligatio in aliam materiam transfertur. Irritatio pariter petit et ad potestatem dominativam, & nulla causa indiget, ubi relaxatio spectat ad potestatem Ecclesiasticam, & requirit justam causam. Differt etiam à condonatione, quia condonatio fit à parte, cui juramentum est præstitum.

56. Romanus Pontifex, utpote Supremus Rector Ecclesiæ habens plenitudinem potestatis potest in omni juramento ex causa rationabili, cessante damno tertii, dispensare, & relaxare, ut tradunt DD. communiter Gonzalez *ibid. num.* 11. Abelli §. 4. *in fin.* & Mayol. *d. art.* 4. ut explicat illud ex *rationabili causa*, & *cessante damno tertii*: isto enim cessante, ita juramenta subjiciuntur Ecclesiæ potestati, sicut & vota.

57. Episcopi possunt cum suis subditis in juramentis dispensare, modò non habeant adnexum votum Papæ reservatum, vel inde non resultet præjudicium tertiæ personæ non consentientis. Cæterùm, ubi observatio juramenti promissorii bono communi esset nociva, aut fuerit per metum, & injuriam extortum, potest Episcopus dispensare, etiam non consentiente eo, in cujus favorem fuerit præstitum; ita potest dispensare cum eo, qui juravit latroni dare pecunias, aut usurario solvere usuras; est enim justa causa; ne scilicet sævitia hominum foveatur, idque fieri expedit bono communi. Ita in odium excommunicatorum liberantur subditi à juramento fidelitatis aliis præstito, *cap. Nos Sanctorum* 15. *qu.* 6.

Diximus *num.* 50. *obligationem juramenti promissorii*, quia relaxatio, & dispensatio locum habet in juramento promissorio, non verò in assertorio. Nam materia juramenti assertorii, cùm sit de præstito, vel præsenti actu, immutabile facit juramentum, quandoquidem statim est verum, vel falsum; & ita dispensari non potest, ut actus jurandi, qui jam est, aut fuit, falsus; non sit, aut non fuerit falsus, ut ubi supra Gonzalez *num.* 10. & Mayol. *d. art.* 4. Quare dispensatio cadere solùm potest in juramento promissorio. Cæterùm, quia, ut diximus *num.* 8. est in juramento promissorio duplex veritas, una *dicti*, & *de præsenti* (in hoc consistens, ut qui jurat, verum dicat) & alia *facti* (quæ importat, ut jurans in futurum impleat, quod promittit) nec promissorium est quoad primam veritatem dispensabile, quia præceptum negativum de non adducendo Deum in testem falsitatis, est indispensabile; semper obligans. Solùm itaque est dispensabile quoad secundam veritatem, & obligationem, quæ respicit tempus futurum, seù futuram executionem, & implementum materiæ proximæ, quæ cùm variari possit, & in aliquo eventu esse illicita, & nociva, & consequenter fieri materia non apta juramenti, super eâ tantùm, & non super actu jurandi cadit dispensatio, ita ut, sicut prius per promissionem jurans tenebatur observare juramentum, authoritate Superioris ab illa obligatione liberetur, ut per allegat & DD. *in cap.* 1. & 2. & *cap. Magna de voto.*

58. Quæritur, *Petrus pro actu fornicario juravit dare meretrici centum aureos*;

*aureos; petit à Confessario, an eos teneatur solvere ratione præstiti juramenti?*

Resp. Negativè; nam promissio prodiga, etiam juramento firmata obligat solùm ad quantitatem pecuniæ, in qua nulla est prodigalitas; siquidem cùm aliquid promittitur sub juramento, semper subintelligitur, si sit honestum, licitum, &c. Ideò Petrus debet meretrici solvere eam quantitatem pecuniæ, quam viri æqualis conditionis dare consueverunt pro tali actu, non verò excessum pretii, ita Mayol. *cit. art. 5. v. Quarta conditio.* Diana *coord. to. 8. tr. 4. res. 56.*

59. Nota, quod juramentum verum cum debitis circumstantiis prolatum, est ex se actus Religionis; nam adducitur Deus potiùs in testem veritatis, quàm alius, quia existimatur illam scire, & potens esse vindictam sumere de illis, qui jurant falsum; quod certè cedit in honorem, & ipsius obsequium.

Postremò Confessarius advertat. I. Quòd aliter implendum est promissum, quando promissio ex se valida est, & ei accedit juramentum: aliter verò, quando ex se est invalida, eique juramentum accedit. Priori enim casu implendum est, tum vi promissionis, quæ per se obligat, tum vi juramenti, quod addit novam obligationem. In posteriori verò vi solius juramenti, non promissionis, quippe quæ ex se invalida sit. Adeò ut si hoc casu juramentum relaxetur, ad nihil promittens teneatur, in priori verò adhuc vi promissionis, quamvis non vi juramenti relaxati teneatur.

Quòd exemplo patet. Spontè, & liberè cum juramento promisisti Titio centum aureos, & ille promissionem juratam acceptavit: teneris duplici titulo, promissionis nimirùm, & juramenti, Summam aureorum dare, adeò ut si juramenti vinculum legitimè relaxetur, debeas ex promissione eam conferre. Si verò vi, seù gravi metu coactus promisisti latroni totidem aureos dare, & juramentum addas, teneris solo titulo juramenti; quo legitimè relaxato liber es ab omni obligatione. Ratio discriminis est: quia per promissionem ex se validam, & à promissario acceptatam confers eidem jus ad rem promissam: non autem per invalidam, ut benè discurrit Becanus *to. 2. opuscul. de fid. hæret Servan. cap. 4. nu. 5. & 6.* Cæterùm si promissio non solùm esset invalida, sed etiam illicita, ut ad malum finem juramentum non teneret, quia non est vinculum iniquitatis, ut diximus supra.

II. Quòd obligatio, qua quis tenetur præstare, quod cum juramento promisit, oritur à virtute, tum veracitatis, fidelitatis, & justitiæ, tum Religionis. Veracitas enim ad duo nos obligat. Primò, ut sincerè, & non fictè promittamus, hoc est, ut, quod verbis promittimus, etiam animo promittamus. Secundò. Ut opere præstemus, quod promissum est. Utrumque enim requiritur, ut quis sit verax in dicendo, & promittendo.

Fidelitas ad hoc nos obligat, ut, quod promisimus, opere compleamus. Quæ obligatio differt ab ea, quæ provenit à virtute veracitatis. Nam obligatio veracitatis latius patet, quàm fidelitatis: quoniam hæc solùm locum habet in affirmatione promissoria, illa etiam in non promissoria, ut ex D. Thoma 2. 2. *qu.* 80.

art. unic. ad 1. Tum quia obligatio fidelitatis est major, quàm veracitatis. Nam qui promittit se aliquid facturum, magis obligatur, quàm qui sine promissione id affirmat: *Voglio far questo.* Qui enim solùm affirmat, uno solùm titulo obligatur ad favendum, ne scilicet sit mendax in verbis. Qui autem promittit, duplici titulo enetur, tum ne sit mendax in verbis, tum etiam ne violet jus alterius, quod iste habet ad rem promissam: nam promissor non constituit dumtaxat se debitorem, ut caveat mendacium, sed etiam tribuit alteri jus ad exigendum promissum.

Justitia obligat nos, ut tribuamus unicuique, quod suum est, ratione contractus; Quoniam qui promittit alteri se aliquid illi daturum, non tantùm affirmat se daturum, sed etiam obligat se illi, & consequenter tribuit illi jus ad exigendum illud, quod promittit.

Religio nos obligat, ut Deo reverentiam, & debitum cultum exhibeamus, ut ex D. Thom. cit. Juramento autem Deo etiam cultum exhibemus, quia *juramentum est externus cultus, quo profitemur, Deum esse infallibilis veritatis, eumque adducimus, ut testetur, nos loqui verum.*

Quare, qui non implet, quod juramento promittit, est mendax contra veracitatem, perfidus contra fidelitatem, injustus contra justitiam, & perjurus contra Religionem; consequenter mortaliter peccat peccato habente quadruplicem malitiam, & deformitatem contra quatuor virtutes.

Sciendum enim est, quòd veracitas, qua quis tenetur non mentiri, per se obligat sub veniali, sed per accidens sub mortali, ratione nimirum gravis damni, vel injustitiæ, aut irreverentiæ factæ Deo, & in rebus fidei; in quibus circumstantiis omne mendacium est mortale.

Pariter fidelitas, qua quis debet promissum implere, ne sit infidelis, & perfidus, per se obligat sub mortali, sed parvitas materiæ excusat: violare enim jus alterius in re gravi est peccatum mortale.

Item justitia, qua tenemur promissa implere in pactis, & contractibus onerosis semper obligat sub mortali, nisi parvitas materiæ excusat, ut communiter Theologi cum D. Thom. 2. 2. q. 59. ar. 4. Ponderantes, quòd justitia ad hoc obligat, ut des alteri, quod jure illi debetur, juxta illud Ulpiani: *Justitia est constans, & perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi:* non dare autem alteri, quod jure illi debetur, in re gravi est peccatum mortale, cùm sit aperta injustitia, & justitia violetur, cum quo non compatitur, quòd quis charitatem habeat cum proximo suo.

Religio tandem, qua quis tenetur promissum, aut pactum juratum præstare, ne sit perjurus, per se obligat sub mortali, nam perjurium est peccatum mortale, & quidem gravissimum, ut communiter DD. docent cum D. Thom. *cit. q. 89. art. 3.* Considerantes, quòd qui falsò jurat, quantum in se est, facit Deum approbare falsum, quæ est atrox injuria in Deum.

Quibus positis exponit Pœnitens Confessario: ex promissione, & pacto, etiam jurato, debeo centum Francisco, qui

qui est ligatus majori excommunicatione: peto, an teneat ea illi dare, ego enim sum in negativa propter naturam ipsius censuræ, quæ privat non solùm perceptione activa, & passiva Sacramentorum, & publicis Ecclesiæ Suffragiis, sed etiam communione Fidelium, ut jura clamant. *cap. Cùm excommunicato*, & *cap. excommunicatos* 11. *quæst.* 3. Majori namque excommunicatione ligatus est separatus ab aliorum consortio, tanquam ovis morbosa, *cap. Corripiatur* 24. *q.* 3. Quæ privatio communionis, atque commercii facit, ut nullus cum excommunicato habere possit commercium, nec ipse se valeat ingerere actibus societatis humanæ. Quomodo Confessarius segeret cum Pœnitente?

Resp. Instruat Pœnitentem, quòd etiam in casu excommunicationis est fides promissionis, & pacti servanda, adeò ut teneatur in conscientia excommunicato præstare, quidquid ei ex promissione, vel pacto jure debet. Ratio est, quia nunquam licet mentiri: nunquam jus alterius violare: nunquam injustitiam committere: nunquam nec in re minima esse perjurum: mendacium enim, violatio juris alterius, injustitia, & perjurium, intrinsecè, & ex natura sua sunt mala, & illicita: ergo nunquam, & quocumque prætextu fiant, possunt licitè fieri: ergo prætextu excommunicationis in Franciscо non est Pœnitens liber à debito servandi fidem eidem, stando promissis; & quatenus promissa non impleat, est mendax, perfidus, injustus, & perjurus, & æquè reus, ac si alteri fidem non servaret, ut loco citato Becanus cap. 7.

Nec ratio à Pœnitente producta quidquam relevat: Circa quod considerandum est, quòd duplex est genus excommunicatorum: alii sunt notoriè excommunicati, seù denunciati, ut notorii percussores Clericorum, qui dicuntur excommunicati non tolerati, & vitandi; & alii sunt quidem excommunicati, sed nec denunciati, nec notorii Clericorum percussores, nec est notorium eos in excommunicationem incidisse, qui proindè dicuntur tolerati, & non vitandi. Quamvis omnes excommunicati vi excommunicationis teneantur abstinere à communione Fidelium; tamen à contrario Fideles non tenentur ab illorum consortio, & communione abstinere, nisi vel sint nominatim excommunicati, aut notorii Clericorum percussores, ut ex Const. Martini V. Ad evitanda, quam refero *lib. 2. cap. 35. num.* 16. Aut ita notorium sit in excommunicationis sententiam incidisse, ut nulla possit tergiversatione celari, aut aliquo juris suffragio excusari, ut ex *const. Leonis X. Præmittitur* §. 24. *sub la* 20. *Bullar. tom.* 1.

Hinc sequitur, quòd si Pœnitens contractum, & pactum celebravit cum Francisco excommunicato non vitando, teneatur æquè bene illi fidem servare, ac cuicunque alteri.

Si verò conventiones, & pacta fecit cum excommunicato vitando, vel excommunicatio præcessit pactum, & promissionem, vel ad hæc subsecuta est. Si secundum: cùm contractus fuerit validus, (ut aliàs supponitur) per solam subsequentem excommunicationem non fit invalidus, cùm nulla constitutio su-

pervenienti excommunicationi tribuat, ut rescindat contractus, qui aliàs sunt validi; atque ita manet obligatus ad servandam fidem, quam in tali contractu promisit. Sed primum, & contraxerit absque necessitate juxta dicta *lib. 1. cap. 33. num. 10.* peccavit quidem contrahendo, quia operatus est contra manifestam prohibitionem Ecclesiæ, communicando cum excommunicato vitando, sed contractus tamen est validus, si aliundè non sit defectuosus; ita validum est matrimonium cum excommunicato contractum, *cap. Significasti de eo, qui duxit*, valida est professio in Religione ab excommunicato facta, *cap. Cùm illorum de senten. excommunic.* Et valida est donatio facta ab excommunicato, *cap. Inter dilectus de donation.* ita de aliis contractibus est censendum, nisi aliundè quid obstet. Adeòque fidem servare tenetur.

At petitur. An etiam fides sit hæreticis servanda?

Resp. Affirmativè; nam ut diximus, nunquam licèt mentiri, esse perfidum, injustum, perjurum. Tum quia, ad servandam fidem obligamur ex virtute veracitatis, fidelitatis, justitiæ, & Religionis, (si promissio sit jurata) hæc autem obligatio non tollitur per hoc præcisè, quòd illi, quibus promissio de re licita, & honesta facta est, sint hæretici. Tum quia Gentilibus Idololatris, & Turcis fides servanda est, ita Josue *l. cit.* fidem servavit Gabaonitis, ergo etiam hæreticis est servanda.

Nec obstat, quòd hæretici fidem Deo non servent. Quoniam id non pertinet ad contractus humanos, de quibus discurrimus, sed divino judicio relinquendum est.

Hinc sequitur, quòd dum Princeps in bello licitè, & honestè convenit cum hæreticis, fidem servare debet. Item, dum eis concedit Salvumconductũ liberè veniendi, & redeundi, est fides servanda juxta Trid *sess. 15. in dec. de sal. cond. dat. Proest.*

Hic tamen Confessarius duo advertat. Unum, quòd cum hæreticis non est ita de facili paciscendum, propter tria. I. Propter periculum subversionis: hæresis enim est morbus contagiosus: unde periculum est, ut noceat Catholico. II. Propter scandalum: plures enim rudes, & imperiti possunt scandalum pati, dum vident Prudentes, & Doctos cum hæreticis conversari, pacisci, & similia agere. III. Propter improbitatem hæreticorum, juxta Apost. 2. *ad Timoth. 3. Erunt homines se ipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, &c.*

Alterum, quod Italis prohibitum est, ne extra Italiam habitent in locis, ubi aliqua Ecclesia cum Parocho, vel Pastore, seu Sacerdote Catholico non existat. Item, ut abstineant à matrimoniis cum mulieribus hæreticis: nec filios suos de sacro fonte levari per hæreticos permittant, nec ipsi filios hæreticorum levent, nisi per Catholicum Sacerdotem catholico more baptizentur. Item, ut ubi adest copia medici Catholici, non utantur hæretico; ita Clemens VIII. *const. Cùm sicut, la 42. Bull. tom. 3.* & quamvis prohibitio tangat Italos extra Italiam, est certum, quòd eis cum hæreticis etiam in Italia non liceat conversari, & contra delinquentes procedit Sacrum Tribunal.

CAPUT

## CAPUT XVII.

*Prop. XXVI. XXVII. & XXVIII. ab Innoc. XI. &c.*
*Mendacium, & Amphibologia.*

1. PROP. 26. *Si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio fine juret, se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus.*

PROP. 27. *Causa justa utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur, tunc expediens, & studiosa.*

PROP. 28. *Qui mediante commendatione, vel munere ad Magistratum, vel Officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali praestare juramentum, quod de mandato Regis a similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.*

Tractanda hoc capite connectuntur cum resolutis in superiore; quæ data opera in duo distinxi, ut sicut propositiones diversa tangunt, juramentum, mendacium, & amphibologiam, ita Confessarius ea distincte possit sub propriis titulis distributa pro sua instructione perlegere.

2. Quæritur, *quid sit mendacium?*

Resp. *Est falsa significatio vocis cum intentione fallendi, & animo dicendi falsum:* seu *est difformitas verborum cum menti loquentis, adeò ut loquens aliud in mente habeat, & aliud ore proferat:* propterea communiter asseritur, quod mentiri sit contra mentem ire; itaque cum mens aliud intendit verbis aperire, quàm sentiat, dicitur mendax; sic, si, dum in mente habes, *quòd Petrus currat*, & ore proferas, *quòd non currat*, mentiris: super quo est advertendum: quòd si putes Petrum currere, & Petrus à parte rei non currat, si affirmas: *Petrus non currit:* etsi verum materialiter dicas, formalitar tamen mentiris, quia verbis non significas, quod mente concipis, & ut putas; si verò à parte rei *Petrus non currit*, & ipsum currere concipias, dum dicis: *Petrus currit*; etsi falsum materialiter dicas, formaliter tamen verum asseris, & propterea non mentiris.

3. Quæritur, *quotuplex sit mendacium?*

Resp. Triplex. 1. Jocosum, eum absque ullius damno, sed joci gratia mentiris. 2. Officiosum, cum pro tua, vel alterius utilitate mentiris. 3. Perniciosum, dum cum damno alterius mentiris.

4. Sed quæritur, *an omne mendacium sit ex suo genere peccatum?*

Resp. Affirmativè, & ita, ut in nullo casu, nec ad vitandam sui, vel alterius mortem, nec ad servandam pudicitiam, ad animæ salutem, nec etiam pro Dei gloria mentiri liceat: *text. in cap. primum est capitale, in cap. Ne quis arbitretur, & in cap. faciat homo 22. q. 2.* & ex D. Thom. 22. *quæst. 110. artic. 3.*

Ratio est, quia difformitas oritur ex dissonantia verborum ad mentem, quæ est semper intrinsecè mala. At perniciosum est ex suo genere mortale nisi parvitas materiæ excuset, in rebus in quibus hujusmodi parvitas datur; joco sum verò, & officiosum sunt venialia.

5. Sed quæritur, *an jocosum, & officiosum, quæ, ut talia sunt venialia, transeant in perjurium si juramento affirmentur?*

Resp. Affirmativè; nam perjurium est mendacium juramento firmatum: omne autem perjurium, quantumcumque mendacium sit leve, ex sui ratione est mortale, *cap. ult. 22. qu. 1.* Ubi dicitur *perjurium grave scelus est:* adeò ut à perjurio nec metus mortis excuset: *cap. si quis 22. quæst. 5.* Ratio est, quia cum in juramento Deus adducatur in testem, perjurium semper est mortale, etiam in re levissima, quia atrocissima fit injuria in ejus veritatem: hinc regula generalis est, quod, mendacio interveniente, semper juramentum est mortale, etiam si per jocum mentiatur, nam gravissima fit Deo irreverentia, eum in suis jocis adhibere testem falsitatis. Vid. *cap. præterito.*

Sed dices, in mendacio jocoso loquens, non habet intentionem fallendi; ergo non mentitur, ergo mendacium jocosum non est malum: & si ei addatur juramentum, perjurium non patratur?

Resp. Negando antecedens, loquendo de interpretativa intentione; nam certè intendit, ut audiens credat verum esse, quod secundùm vocis significationem est falsum: si enim hoc non intenderet, utique verba falsa non pronunciaret.

6 Sed quid, *si audiens non fallatur, vel quia non adest, vel quia, cum mendacium sit jocosum, fidem non adhibet loquenti?*

Resp In casu etiam mentiretur, patet ex Divo Thom. 2.2. *qu.* 110. *art.* 1. *in corpore & in* 3 *distinct.* 38. *quæst.* 1. *articul* 1. *ad ultim.* ubi: *quicumque falsum loquitur, quantum est in se, fallit, quamvis non semper aliquis per ejus verbum fallatur.* Et ex D. Bonavent. *in* 3. *distinct.* 38 *qu.* 5. *num.* 50. ubi hæc sunt. *Cùm dicitur mendacium, est falsa vocis significatio cum intentione fallendi, non idem est fallere, quod decipere: sed idem est fallere, quod falsum dicere: unde sensus est, cum intentione fallendi: hoc est, falsum dicendi: & hoc utique convenit mendacio jocoso:* ergo, qui sciens, falsum loquitur, etiam per jocum, mentitur, sive audientem fallat, sive non; & dum jurat, est perjurus: quòd si mendacia non habent, quem decipiant, ipsa sibi mentiuntur juxta illud psalmi: *mentita est iniquitas sibi.* Fagnan. *in* 5. *ad cap. Falsidicus de crimine falsi.*

7. Quæritur, *an sit mortale, & perjurium jurare falsum cum restrictione mentali, seu cum locutione amphibologica, sic nimirum, ut quis non intendat propositionem, quam profert, in sensu, in quo ab audientibus intelligitur, sed in alio; seu subintelligat aliquid in mente, quod reddat propositionem veram, quæ secundùm externam vocis significationem est falsa:* v. g. interrogor, an Petrus occiderit Paulum, quem ego ab eo occidere vidi: ne ipsum interrogantem infamem: *juro: nescio Petrum occidisse Paulum:* sub intelligendo in mente

*ut tibi referam:* vel de alio Petro, ab eo, de quo quæritur?

Resp. Affirmativè, patet ex decreto Innoc. ratio est, quia in eo mentior; etenim cum verba illa: *nescio Petrum occidisse Paulum:* simpliciter prolata, significent me absolutè id nescire, dum mente sensum restringo, vel in alio subintelligo, quem ipsa secundùm externam significationem vocis non habent; vel in quo scio ab interrogante non intelligi, falsum dico; nam aliud ore dico, & aliud mente teneo, & illis verbis utor, ad hoc, ut audiens fallatur, & credat verum esse, quod verba sonant; si enim hoc non intenderem, verba falsa non pronunciarem; verax, & non mendax essem, si in mente rem haberem, quomodo per verba exprimo ei, quem alloquor; & ideò, cum addo mendacio juramentum, sum perjurus.

8. Sed quæritur, *an, cum justa causa liceat uti mentali restrictione loqui, & jurare: v. g. interrogatur mulier à marito, suspicante de ipsius adulterio, quod secretò commisit, quam, stricto gladio, aggreditur, ut dicat, an adulterium commiserit, occisurus, si fateatur:* Si mulier neget, mentitur: si fateatur, occiditur: *dubitatur, an ad utrumque vitandum possit licitè dicere, non commisi, subintelligendo ut tibi declarem:* vel, *hoc antecedenti?*

Utrinque sunt DD. negat Dominicus Soto *de just. & jur. lib* 5. *quæst.* 6. *art.* 2. *prop. fin.* Affirmat Diana *Coord. tom.* 8. *tract.* 4. *resolut.* 54. *num.* 13. allegans Sayrum *lib.* 5 *cap.* 4. *nu.* 24. Cardenas *cris. ad prop. ab Innoc. XI. damnat. dissert.* 19. *cap.* 6. *num.* 68. Viva *ad propos. damnat. ab Innoc. XI. par.* 2. *prop.* 26. & 28. *à num.* 3. aliique plures apud Fagnan. *cit. num.* 41. Concordant Pisanus *Glad. Gedeonis ad prop. damnat. ab Innoc. XI. prop.* 26. *nu.* 2. & Mayol. *sum. moral. p.* 2 8 *præcept. prælog.* 2. *de us. æquivocat. & restrict. ment.* dividentes restrictionem in purè mentalem, exterius nullatenus apparentem, & significatam, quam vocant etiam restrictionem formalem, & in non purè mentalem, seu etiam externam, & sensibilem, quam & materialem appellant.

9. Restrictio purè mentalis habetur, quoties verba, quæ quis profert, nec ex sua significatione, nec ex se, neque ex circumstantiis occurrentibus loci, temporis, personæ, ac modi interrogandi eum sensum patiuntur, quem proferens intendit, & quem audiens etiam prudens, & oculatissimus, & hic, & nunc diligentissimè attendens ad verba, penetrare non potest; ut si quis interrogatus, *An Petrus sit domi?* respondeat, *non*, subintelligendo in mente, ut *noceat*, ut *faciat chymeram:* quando interrogatio est de existentia naturali; vel, si interrogatus: *An Petrus sit mortuus*, affirmet, intelligendo, *civiliter*, seu, *per assumptionem habitus religiosi*, quando ex circumstantiis apparet, locutionem esse de morte naturali, de qua respondens interrogatur.

Hujusmodi restrictionis speciem esse ab Innoc. confixam patet ex verbis propositionis 26. intelligendo *intra se, eamque esse omnino* casu illicitam, & intrinsecè malam, adeò ut etiam sit perjurus, qui cum ea restrictione jurat, ut dixit allegat. Viva *num* 4. probatque Mayol ubi *sup.* ex quo restrictio interna, & purè men-

mentalis sit verè, vel æquivalenter mendacium: mendacium enim aliud non est, quàm *locutio difformis menti loquentis.* quoties autem verba nec secundùm se, neque sub his circumstantiis externis exprimunt objectum, prout est in mente loquentis, tunc locutio est mendax; & habetur malitia mendacii, quæ consistit in abusu locutionis, quæ à Deo hominibus data est, ut sit expressiva mentis, eique conformis per Polman. *Breviar. theol. par. 2. part. 2. num. 1036.* Sed in restrictione purè mentali, & interna totum hoc habetur. Quoniam licèt verba, ut conjuncta cum eo, quod mente retinetur, faciant sensum verum, illud tamen, quod mente retinetur, impertinenter se habet ad locutionem, seu ad significandum audienti judicium, quod habet loquens de objecto, circa quod interrogatur.

Consideratur etiam, quod loquens cum restrictione purè mentali ponit signa externa, quæ, spectato significato, & juxtà communem hominum acceptationem sunt menti difformia, estò sint conformia cum eo, quod mente retinetur, & à verbis non significatur, nec ab audientibus percipi potest, ergo adhibens in locutione restrictionem purè mentalem est verè mendax, & perjurus, si ita loquens juret.

10. *An autem licitus sit usus restrictionis purè mentalis ad vitanda incommoda nonnulla, ut ad tuendam vitam, honorem, & res?*

Respondetur Negativè, prout patet ex damnatione 27. propositionis, ibi: *Causa justa utendi his amphibologiis*, hoc est, purè mentalibus; pronomen enim *his*, determinat sequentem vocem *amphibologiis*, non ad quascumque, sed ad illas, de quibus dictum erat in *prop. 26.* Et constat pariter, quòd D. Augustinus *lib. contra mendacium* nullam justam causam agnoscat ad mentiendum, & omnem excludit, ut *cap. 14. & 19.* adeout asserat non licere mentiri, nec pro vitanda morte proximi, nec pro salute animæ, vel ad hominem baptizandum. Quinimmò nec ad vitandam propriam mortem mentiri licet. Unde si Tyrannus mihi mortem minaretur, nisi proferrem aliquod mendacium, non possem hoc mendacium, quamvis levissimum, aut jocosum proferre ad mortem declinandam, eò quod mendacium hoc sit intrinsecè malum, nec possit ab hac circumstantia mortis declinandæ cohonestari. Locutio autem cum restrictione purè mentali est propriè mendacium, ut diximus, habetque malitiam tam necessariò & inseparabiliter annexam, quàm mendacium, ut notavit Poncius *Commentar. S. & in 3. dist. 38. qu. unic. num. 130.* ergo nulla incommoda excusant restrictiones purè mentales, sicut nec ipsa mendacia.

11. Dices. Pro vita defendenda licitum est injustum invasorem occidere cum moderamine inculpatæ tutelæ, ergo etiam ad eum finem licebit respondere cum restrictione purè mentali.

Respondetur, negando consequentiam, nam locutio cum restrictione purè mentali de necessitate est difformis menti, atque ità est mendacium stricto modò, & sicut non licet mendacium ad tuendam vitam, ita nec restrictio purè mentalis.

Addo, quòd statim ac adhiberetur restrictio purè mentalis, non habetur defensio

fensio cum moderamine inculpatæ tutelæ; quoniam non potest dici moderamen inculpatæ tutelæ, cum modus, quo vita defenditur est illicitus: modus autem, quo defenderetur vita per locutionem cum restrictione purè mentali, esset illicitus: Assumeretur enim locutio, quæ esset menti difformis, in quo stat mendacii & hujus restrictionis malitia inseparabilis.

12. Adverto, quòd si usus restrictionis purè mentalis esset licitus, actum esset de societate, & bona fide, ac certitudine contractuum, & commerciorum inter homines.

13. Restrictio verò non purè mentalis, seu externa, & sensibilis habetur per verba, quæ de se unam tantùm significationem communem habent, sed ratione circumstantiarum habent aliam particulatem, quam circumstantiæ hic, & nunc occurrentes faciunt, etiam juxta intentionem interrogantis, propter quas proinde posset devenire in cognitionem sensus, à proferente usurpati, si diligenter ea verba, & circumstantias examinaret, & ponderaret: Quod si tunc ob præcipitationem judicii, & omissionem considerationis illarum, mentem loquentis non intelligat, vel non in alio, quàm in sensu communi ea verba accipiat: id per se non provenit ex loquente, nec ex æquivocatione, tamquam ex causa per se, sed solùm ex illius inconsideratione, & ignorantia, & ita audiens ex propria culpa se fallit, & non decipitur à loquente, qui profert verba, quæ ex circumstantiis verum sensum in communi omnium prudentum acceptione recipiunt.

14. Ità, dum Confessarius interrogatur, & minis cogitur, ut dicat, *an audivit Petrum in Confessione se accusasse de fornicatione:* si respondet, *non audivi*, vel *nescio:* non mentitur, & si jurat, non est perjurus. Sensus enim responsionis ex communi prudentum sensu est, *non audivi extra confessionem*; non *audivi, ut homo*; non *audivi, ut reus*: quia re vera extra confessionem non audivit, sed in confessione: non audivit, ut homo, sed ut minister Christi; non audivit, ut reus, sed ut Judex; & nescit notitia aliis communicabili, quia quæ habetur per confessionem, nulli communicari potest. Quos sensus poterit audiens percipere, si attendat ad circumstantiam interrogationis, personæ, quæ interrogatur, & delicti, de quo quærit: nam interrogat Confessarium de auditis in confessione, de quibus Confessarii extra confessionem loqui non possunt: Atque ita, si dictas circumstantias ponderet, poterit verum sensum responsionis percipere: & hinc patet circumstantias sufficienter significare, in quo sensu Confessarius respondeat.

15. Item, si Reus interrogetur non juridicè ab Judice de crimine vero, sed occulto, non tenetur ei respondere, ut ex D. Thoma dixi cap. priori num. 42. Quòd, si Reus urgeatur respondere, & nec appellatione, aut silentio, vel alia via possit responsionem declinare, non tenetur adhuc fateri veritatem, sed potest licitè eam occultare æquivocatione materiali dicendo, *non commisi*; quæ verba in communi acceptatione faciunt hunc sensum; *non commisi crimen, de quo me, tanquam Judex, valeas interrogare, & quod tibi interroganti injustè debeam*

*fateri*, ut notavit allegat. Mayol ; nec tunc mentitur, sed verum dicit, ut apud Poncium *num* 124. quia ex circumstantiis illius interrogationis sufficienter innotescit, quòd ipse sic respondeat in illo sensu ; quoties autem ex nonnullis verbis significatur sufficienter aliquid, non est necessarium addere alia verba. Quando verò juridice interrogatur, non potest æquivocare, quia in tali casu bonum publicum bono privato debet prævalere.

16. Item Legatus Principis à Rege, ad quem mittitur, interrogatur de iis, quæ secretò sibi fuerunt à suo Principe communicata, ex quorum manifestatione sequeretur infallibiliter Regni eversio, Templorum profanatio &c. potest sine mendacio ingenuè respondere : *nescio* : aut, *meus Princeps nihil tale mihi communicavit* : & audientes ex circumstantia Legati, qui agit res sui Principis, possunt, & debent arguere, quòd dicat, *nescio sic*, *ut debeam revelare* ; & sibi imputent, si hoc non capiant, cum circumstantiæ sufficienter id ostendant.

17. Licitum esse usum restrictionum externarum sensibilium, non purè mentalium, seu æquivocationum materialium dixerunt allegati Mayol. Pisanus, & Viva : & probant exemplo Abrahæ, qui ut se à mortis periculo liberaret, dixit Saram non esse uxorem suam, nec tunc mendacium dixit, sed veritatem justa, & urgentissima causa celavit. Quamvis enim nunquam sit licitum negare veritatem & audientem ponit vè ex intentione fallere, intendendo per se illius deceptionem, tamen secundùm D. Augustinum, & Doctores licet ex causa veritatem occultare, quando non expedit illam manifestare, dicendo verum verbis obscuris. Unde D. Thomas 2. 2. *qu.* 70. *art.* 1. ad 1. ait. Quòd *D. Augustinus loquitur de occultatione veritatis in casu illo, quando aliquis non compellitur Superioris authoritate veritatem propalare : & quando occultatio veritatis nulli specialiter est damnosa*, & D. Raymundus, *lib.* 1. *sum. tit. de mend. allegat à Chabasut. prax. lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 12. *habet. Si reus, qui quæratur ad necem, domi occultaverim, nec ad redimendam ejus vitam aliud suppetat remedium, quàm interrogantibus, qui volunt interficere, respondere : non est hic respondendum aliquod verbum æquivocum : non est hic, puta in mensa, vel aliquid simile.*

Justa autem, & gravis causa in Confessario, reo, & Legato ad occultandam veritatem, & dicendum verum per verbum æquivocum, *nescio*, *vel non feci*, est, quia si Confessarius fateatur peccatum, frangit sigillum confessionis, & irreverentiam irrogat Sacramento. Si reus fateatur crimen, pœnam mortis, vel aliam gravem debet sustinere ; & si Legatus Principis aperiat secretum sui Principis, offendit fidelitatem, lædit secretum naturale (quod servandum est, nisi simus in casu, in quo secretum præjudicet bono publico, vel fidei, & Religionis,) & est causa enunciatorum malorum.

18. Ita in casu Adultera absque mendacio, & restrictione purè mentali habet justam causam licitè occultandi veritatem respondendo ad vitandam mortem : *non feci*. Quæ verba ex circumstantiis tum mali imminentis, tum quòd nullus

nullus tenetur se infamare, tum quòd mulieres similia crimina maximè maritis solent negare, faciunt hunc sensum, quòd *non fecerit, ut debeat dicere marito*; vel alium similem verum, licèt obscurum. Quos si maritus non percipit, sibi imputet, non attendens ad circumstantias locutionis, à quibus abundè significatur. Poncius *ubi supra num* 141. dixit, quòd mulier posset hac forma se extricare: *marite mi, cur me de hoc interrogas? putas ne me, aut ullam aliam talis criminis conscium, fassuram illud? An non scis, quòd talia crimina difficulter confiteantur Deo? Quid ergo putas nos fassuras extra confessionem, & quidem maritis, quibus præsertim volumus ea esse occulta?*

Itaque Confessarius mulieri petenti instrui circa modum respondendi, posset consulere illum, in quo nec mendacium est, nec restrictio ulla. Quod, si maritus iisdem minis instaret pro responsione decisiva, posset respondere per verbum æquivocum, *non feci*.

19. Cæterùm cit. Mayol tradit quatuor conditiones esse necessarias, ut ad praxim licitè deducatur usus restrictionum non purè mentalium externarum, vel æquivocationum materialium, propter quas rarissimè occurrit, ut similis modus loquendi adhiberi possit.

Prima est: Quòd sit justa causa, & gravis necessitas ita loquendi; cum nimirum oriretur loquenti, vel aliis gravissimum damnum, cui nec silentio, neque alia via, quàm istis æquivocationibus, hic, & nunc & in istis circumstantiis, & angustiis occurri posset.

Secunda, Quòd respondens non teneatur ex justitia, religione, obedientia, aut alio præcepto veritatem nudè declarare; sed jus habeat ad celandam veritatem, & permittendum, quòd audiens ex se ipso se decipiat; & ita Reus legitimè interrogatus ab Judice juridicè procedente, & quilibet inferior, à quo Superior legitimè exquirit manifestationem alicujus veritatis ad bonam gubernationem necessariam, tenetur sub peccato obedire, & veritatem sincerè detegere. Pariter pœnitens, quando interrogatur à Confessario de peccatis, quæ commisit, & de pertinentibus ad judicium fori interioris, de restitutione facta, & occasione proxima &c. tenetur clarè respondere fatendo veritatem.

In omni itaque materia judiciali, sivè fori, sivè exterioris, sivè interni, non est licitum veritatem occultare amphibologiis, etiam non purè internis, ita ut illis utens peccet lethaliter, & jurans ad eas confirmandas sit perjurus. Idem dicendum de eo, qui interrogatur de Fide, quando instat præceptum confitendi illam: non enim tunc potest verbis amphibologicis eam occultare, aut simulare falsam Religionem, etiam ad vitanda gravia tormenta, & mortem; nam propter metum etiam mortis nec aliquod minimum peccatum veniale licet committere ex D. Augustino lib. cit.

Tertia. Quòd occultatio veritatis mediante æquivocatione materiali non debet esse innocenti specialiter nociva, & damnosa, sed tantùm assumenda est à loquente ad vitandum proprium, vel proximi damnum, quod alia via hic, & nunc evitari nequit; non verò ad damnum alteri inferendum. Ita spontè

etiam contrahentes, & se invicem onerosè obligantes ad vendendum, emendum, &c. & cum à privata persona, ad quam spectat ratione contractus juramentum exigitur, tenentur sine amphibologia se obligare, & non fictè jurare, aliàs injuriam irrogant parti legitimè contrahenti, & juramentum exigenti, ac damnum infertur ei, qui ex sua parte ingenuè contractum implet. Et hinc humanum commercium, & societas læditur.

Quartam addendam esse puto, nimirum, quòd verba exteriora, vel ex se, vel ex circumstantiis sint verè æquivoca, & in communi prudentum usu interpretationem, & duplicem sensum verum admittant, quorum quemlibet quisque ad illa attendens, & ponderans possit intelligere, aliàs erit locutio cum restrictione purè mentali, quæ nullo pacto licita est, & est ab Innocentio proscripta.

20. Verùm idem Mayol. ibid. concludit, Quia in praxi usus æquivocationum, etiam purè materialium, præsertim, si frequens exiterit, non caret periculo incidendi in æquivocationes formales, restrictiones purè internas, & mendacia; perinde ac ex juramentorum repetitione facilis est lapsus in perjuria, ideò sicut scriptura consulit, ne juramentis os nostrum assuescat, immò ut non juremus omninò, quantumvis juramentum sit licitum ad tollendas occasiones perjurandi; ita etiam consulendum est hominibus, ut non nisi in verissima, & extrema necessitate, & quam rarissimè utantur æquivocationibus, etiam materialibus, ut sic vitent periculum mentiendi. Hæc ille; qui objecta solvit, quæ ex D. Augustino opponuntur contra superius dicta. Hæc sunt, quæ occasione dubii propositi sub num. 8. dicenda esse censui contra dicta in prima impressione.

21. Quæritur. *Superior promovendos ad Ordines interrogat de natalibus, de censuris, de irregularitate, & volens contrahere matrimonium interrogat de impedimentis, exigens etiam juramentum; petitur, an possint respondere cum restrictione etiam non purè mentali: & jurare non habito respectu ad intentionem jurantis?*

Resp. Negativè, & contrarium videtur etiam proscriptum in propositione 28. In qua damnatur licitam esse restrictionem non purè mentalem (purè enim mentalis in duabus propositionibus antecedentibus fuit proscripta) quoties de mandato Superioris, aut Principis, vel alio speciali statuto juramentum exigitur à promoto ad Magistratum; ut proinde promotus teneatur candidè fateri suum crimen occultum, nisi velit renunciare officio obtento, & interrogationem illam, & juramentum declinare: ita Vivacit. & Pisan, *ad prop.* 28.

Licèt enim licita sit æquivocatio mentalis, & restrictio non purè mentalis, & interna, quando Judex interrogat Reum, aut testem de crimine occulto, si non præcesserit diffamatio, vel semiplena probatio, aut indicia sufficientia, eò quod tunc non interrogat juridicè, hoc est secundùm ordinem juris; & ideò tunc non interrogat tanquam Judex, seu superior, sed tanquam persona privata, cui nemo tenetur aperire crimen occultum. Tamen

men quoties de mandato Regis, vel superioris legitimi exigitur juramentum à Promoto ad Magistratum, quòd illum non obtinuerit propter commendationem, aut munera, tunc licèt nulla diffamatio, aut semiplena probatio præcesserit, interrogatio est juridica, & ordinata non ad puniendum delictum, sed ad avertendum à Republica damnum, quod sequeretur, si hac via Magistratus indignis conferrentur, & proinde illicita prorsus est responsio æquivoca, & juramentum additum est perjurium. Ut idem Viva in terminis.

22. Unde notandum, quod Judex, vel Superior potest dupliciter de crimine interrogare. Primò ad illud puniendum, Secundò, ad impediendum commune damnum, aut alia crimina, quæ sequerentur: ut, quando fit interrogatio de crimine impediente susceptionem Ordinis Sacri, vel matrimonium: dum interrogatio fit de subornatione, aut favore prævio ad promotionem. Si interrogatio fiat ad puniendum delictum, absque dubio exigitur semiplena probatio, aut indicia, & diffamatio, ut juridicè superior interroget, & subditus teneatur respondere. Ut Doctores communiter. At ubi interrogatio fit de delicto in ordine ad præcavendum damnum publicum, aut alia peccata, tunc non debet semiplena probatio præire, quia bonum publicum prævalere debet privato. Bono autem publico expedit, quòd subditus ad alterutrum compellatur: vel ad deponendum officium, quod obtinet in damnum publicum: vel ad manifestandum crimen occultum. Et hinc non datur locus æquivocationi, sed debet subditus candidè respondere ad mentem interrogantis, & delictum suum aperire.

23. At petitur. *An promotus ad Magistratum, vel Prælaturam, qui interrogatus legitimè an mediante pecunia, aut commendatione illam obtinuerit, veritatem, pejerando occultavit, teneatur statim Prælaturam renunciare, & damna compensare alteri, qui sua causa non est electus?*

Resp. Affirmativè. Si collatio Magistratus, vel Prælaturæ ex speciali statuto sit ipso jure irrita, quoties per commendationes, aut munera acquiritur, sivè provisus pejeraverit, sivè non: semper tenetur renunciare, quia invalide fuit promotus. Debetque damna compensare ei, qui aliàs fuisset electus, cùm fuerit illi injurius. Si verò collatio non sit invalida ipso jure, sed invalidanda per sententiam Judicis post delictum probatum, provisus negando delictum peccavit quidem, sed non tenetur antè sententiam Judicis renunciare. Suarez lib. 5. de legibus cap. 9. num. 13. Qui probabilius putat esse, quod non teneatur damna alteri compensare, cùm non peccaverit contra justitiam commutativam respectu eligendi, sed contra obedientiam respectu Judicis: vel contra justitiam legalem respectu Reipublicæ, aut contra juramentum, & Religionem.

24. Quæritur, an *mentiantur homines cum urbanitatis causa sequenti forma se salutant, aut literis subscribunt: osculor manus tuas: purpuram, pedes &c. ad tuos pedes provolvor; vel servus tuus sum: vel, omnia, quæ domi meæ sunt, tua sunt, & de illis potes disponere pro libito?*

Resp. Negativè, nam in communi usu receptum est, quod ea verba proferantur in sensu improprio, & metaphorico, & sumantur, ut signa obsequii, vel amicitiæ; nec plus proferentes intendunt, quàm obsequium, & amicitiam erga dominos, & amicos respectivè.

25. Quæritur, an *Confessarius possit negare schedulam auditæ Confessionis ei, qui non est verè confessus propter defectum debitæ dispositionis; ratio dubii in hoc stat; quod si non dederit, significabit pœnitentem esse in malo statu, & revelabit Confessionem: si verò dederit, mentietur.*

Resp. Negativè, sed schedulam debet dare, non quod absolverit, quia tunc mentiretur, sed quòd audiverit ipsius Confessionem: quo casu non mentitur, nam eam audivit.

Sed nonne, *si daretur schedula peccatori occulto, ea mediante ipse decipiet parentes, Dominum, & Parochum: nam ex ipsa colligent ipsum esse optimum Christianum, cùm tamen non sit, & ipse Confessarius deceptioni cooperaretur?*

Resp. Quod nunquam Confessarius debet directè, vel indirectè aliquid facere ex quo possit revelari Confessio; negando verò schedulam Confessionis, saltem indirectè, revelaret; nam significaret eo modo malam dispositionem pœnitentis: quam schedulam non confert ea intentione, ut præfatos pœnitens decipiat, sed, ut proprio muneri satisfaciat, nec aliquid ponit, quod possit reddere Confessionem odiosam, & sigillum frangere.

26. Quæritur, *accedit pœnitens, & se accusat:* Pater, promissione jurata, fictè promisi Bertæ me eam ducturum in uxorem, si mihi usum sui corporis concessisset, quod ipsa fecit, sed, cum ego, tunc ipsi promiserim restrictione mentali, intendendo, me ipsam ducturum post centum annos, vel, dum habuerit dotem scutorum centum millium, peto instrui, an tenear ipsam ducere?

Resp. Affirmativè, habetur ex cap. *Quacumque arte*, & cap. *humanæ artes* 22. *quæst.* 5. ubi hæc sunt: *quacumque arte verborum quisque juret. Deus tamen, qui conscientiæ testis est, ita hoc accipit, sicut ille, cui juratur, intelligit; dupliciter tamen reus sit, quia & Dei nomen in vanum assumit, & proximum dolo capit*, & ex D. Thoma 2. 2. *quæst.* 89. *art.* 7. *ad* 4. resolvente: *quando non est eadem jurantis intentio, & ejus, cui jurat, si hoc provenit ex dolo jurantis, debet juramentum servari secundùm sanum intellectum ejus, cui juramentum præstatur:* & ideò tenetur ipsam ducere; ratio etiam est, quia hæc propositio: *ducam te in uxorem, si mihi copiam tui corporis concesseris*, ex natura sua significat illud, quod communiter à puella, & cæteris audientibus intelligitur, & juramentum ipsam in eo sensu confirmat; sed puella intellexit, quod promittens absolutè eam in matrimonium sit ducturus, & quòd pro firmitate promissionis juraverit, ac Deum adduxerit tamquam fidejussorem, quod observabit promissum in eo sensu, ergo obligatur jurans ad observantiam promissi.

Quod confirmo. Juramentum fictum cum dolo illud est, cujus fictio opponitur juri ejus, qui onus aliquod subit, ratione cujus

cujus habet jus, ne alter faciat juramentum solummodò fictum, vel solummodò amphibologicum; modò: puella concedens ob promissionem juratam usum sui corporis, habet jus, ut alter seriò, & cum juramento vero se obliget ad futurum matrimonium: nam propterea tale onus subivit, & posuit ex parte sua id, quod libidinosus requirebat, & pro quo illum juramento obligavit ad se reddendam securam, & certam de futuris nuptiis, ergo debet eam ducere, & præstare id, propter juramentum fictum, & amphibologicum, quod fuisset præstandum propter juramentum verum, & sincerum, ergo in casu ad idem obligat dolosum juramentum, & dolosa promissio, ad quod obligat verum juramentum, & promissio sincera.

27. Sed quæritur, ex *qua virtute teneatur juramentum, & promissionem fictam implere, ac puellam ducere?*

Respon. Ex virtute justitiæ (& si jurame. cum fuisset verum ex virtute, etiam religionis) ratio est, quia, qui acceptat aliquid sub conditione onerosa datum, ex justitia tenetur, quando potest implere, sed talis acceptavit usum alieni corporis sub conditione secuturi matrimonii, & potest illam implere; ergo tenetur.

Sed quæritur, *an possit substituere dotem ad implendam promissionem.*

Respon. Negativè; nam dum potest in specie dare id, sub cujus conditione alter subivit onus, tenetur ipsum dare, aliàs, eo negato, alter esset rationabiliter invitus; sic, qui potest restituere equum, non potest, nec debet restituere pecuniam, nisi Dominus sit contentus.

Sed quid, *si fictè cum juramento promisisset puellæ dotem?*

Resp. Si non habebat jus, ut ille sibi dotem promitteret, & id juramento firmaret, peccavit fictè promittendo, & jurando, peccato mendacii, & peccato contra reverentiam juramenti; sed ad nihil tenetur: non ex virtute justitiæ ad dandam dotem, cùm nec fictio promissionis, nec fictio juramenti fuerit contra justitiam.

Sed quid, *si intuitu hujus fictæ promissionis fuisset impedita, quominus ab alio dotem acciperet?*

Resp. Tunc teneretur ex justitia ad compensandum damnum, saltem si prudenter potuit, & debuit prævideri; nam tunc ex tali fictione injustè damnum sequeretur, & injuriam ipsa reciperet.

28. Quæritur, *an possit quis factis mentiri?*

Resp. Affirmativè, etenim non solum in verbis falsis, verùm etiam in factis, & simulatis operibus mendacium est, ut expressè textus in cap. *cavet. 22. qu. 5.* & D. Thomas 2. 2. *qu.* 111. *art.* 1. *in corp.* ait: *sicut, ergo veritati opponitur, quod aliquis per verba exteriora aliud significet, quàm apud se habet, quod ad mendacium pertinet; ita etiam opponitur veritati, quod aliquis per aliqua signa factorum, vel rerum aliquid significet contrarium ejus, quod in eo est, quod propriè simulatio dicitur: unde simulatio propriè est mendacium quoddam in exteriorum signis factorum consistens: non refert autem, utrum aliquis mentiatur verbo, vel quocumque alio facto. Unde cùm omne mendacium sit peccatum, consequens*

*quens est etiam, quod omnis simulatio est peccatum.* Hæc S. Doctor, de quo etiam cap. *sequen. num. 2. & 3.*

29. Quæritur, *an hypocrisis sit species simulationis, & mendacii?*

Resp. Affirmativè; hypocrisis enim est quædam simulatio; nam qui simulat se habere sanctitatem, seu personam justi; cùm sit peccator, est hypocrita: & ita, dum quis sacrum audit, Ecclesias frequentat, intendens, quod ab adstantibus videatur bonus, cùm non sit, hypocrita dicitur, ex D. Thoma *cit. art. 2. in corp.*

30. Sed quæritur, *an hypocrisis sit ex suo genere peccatum mortale?*

Resp. Ex D. Thoma ibid. *art. 4. in corp.* quod in hypocrisi duo sunt, defectus sanctitatis, & simulatio ipsius: si quis, quo ad primum per peccatum à sanctitate defecerit, & non curet sanctificari, & justificari, quando tenetur, mortaliter peccat, & sic manifestum est, hypocrisim esse mortale peccatum, quomodò hypocrisis consuevit accipi in Scriptura; quantum verò ad secundum, quæ est hypocrisis communiter dicta, non est ex suo genere mortale, nam opponitur veracitati, quæ de se non obligat sub mortali; sed propter adjuncta esse potest; ut, si quis sanctitatem simulet ad falsam doctrinam disseminandam, vel ad adipiscendam Ecclesiasticam dignitatem, qua est indignus; vel alia bona temporalia, in quibus finem constituit: & causa sit, cur alii ipso meliores, & egentes priventur. Quoties itaque finis intentus per simulatam sanctitatem non repugnat charitati Dei, vel proximi, erit peccatum veniale; ut optimè D. Thom. cit. Vide De la Cruz *direct. conse. 8. præcept. qu. 2. art. 5. de mendac.*

31. Quæritur, *an jactantia sit species mendacii?*

Resp. Affirmativè; nam vis jactantiæ in eo est, ut quis verbis se extollat, dicendo de se aliquid supra se: ut, quod sit nobilis, dives, doctus, cùm non sit; consequenter semper mendacium exigit, & includit. Propterea notatur à Cajetano in 2. 2. D. Thom. *qu. 112. art. 2. §. ad hoc dicitur*, quòd jactare se de malo aliquo perpetrato, non est actus jactantiæ, sed inanis gloriæ, juxta illud psalmi: *qui gloriaris in malitia*; nam in hoc, quamvis gloriator peccet, tamen non mentitur.

32. At quæritur, *an jactantia sit peccatum mortale?*

Resp Negativè, ex suo genere, & per se, sed solùm veniale, ut *num. 4.* diximus de mendacio in communi, cujus ipsa est species. Verùm, quia peccatum mortale est, quod charitati contrariatur, ut loquitur D. Thom. *loc. cit. in corp.* & nos diximus *lib. p. c. 17. num. 4.* Ideò jactantia est mortale in sequentibus casibus: primò, cùm quis jactanter de se profert, quod est contra gloriam Dei, ut legitur de Rege Tyri *Ezechiel. 28. Deus ego sum.* Secundò, cum quis jactanter, & insoleater prorumpit in contemptum, & contumeliam proximi: sicut Lucæ 18. habetur de Pharisæo, dum dixit: *non sum sicut cæteri hominum, raptores, injusti, &c. vel, ut etiam hic Publicanus.* Tertiò, quando, quis jactat se, de peccato à se non commisso in damnum suæ famæ, vel bonorum; nam hic se infamando peccat contra charitatem, qua tenetur

se

se diligere. 4. Quando ex cupiditate lucri cum gravi damno proximi interno, vel externo quis jactat se doctorem, aut medicum, & indè falsam doctrinam seminat; vel pecuniam lucratur, aut corpora lædit, vel Cathedram obtinet, alias non obtenturus; quo casu tenetur, & Cathedram resignare, & pecuniam restituere; aliaque illata damna resarcire. Quòd si quis se jactaret, vel ut gloriam, aut lucrum acquireret, modò esset sine notabili damno proximi, foret solùm veniale, utpotè spectans ad mendacium officiosum: ut ibid. optimè S. Doctor *ad tertium*. Toties itaque jactantia est mortalis, quoties cum mendacio pernicioso conjungitur; & quis contra Charitatem Dei, suam, vel proximi jactanter loquitur. Vide De la Cruz, *de mendacio*.

De mendacio in Confessione prolato diximus *lib. 1. cap. 7. num. 15.*

## CAPUT XVIII.

*Prop. XXIX. ab Innoc. XI. &c.*
*Administratio Sacramentorum non simulata.*

1. PROP. 29. *Urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi.*

Etiam Authores propositionis supponunt esse illicitum absque gravi causa simulare administrare Sacramenta; sed in eo errant, dum statuunt urgentem metum esse causam gravem, & justam, ratione cujus non sit illicitum Sacramentorum administrationem simulare.

2. Simulatio habetur, cùm quis per signa externa factorum, vel rerum significat aliquid falsum, quod in mente non habet: & duplex est: *materialis, & formalis:* hæc dicitur, quæ fit ex intentione decipiendi, saltem virtuali, qua quis nimirum intendit, quòd alii intelligant aliter ac ipse cognoscit rem se habere; explico: expono vestes aeri, quibus uti soleo, dum iter facio, animo, ut videntes decipiantur, & putent me velle iter facere, & tamen de hoc non cogito, sed potius de oppositò: in casu formaliter simulo. Illa verò, cùm quis ponit signa externa indifferentia ad plura significanda, per quæ præter intentionem operantis aliqui decipiuntur; patet eodem exemplo: vestes aeri expositæ duo significare possunt, unum, quod quis velit illis uti ad iter faciendum; alterum, ut beneficio aeris à corrosione tinearum serventur illesæ. Si videntes eas aeri expositas intelligant, me velle iter facere, quod non intendo, quoad eos materialiter simulo.

Circa quod sunt Confessario aperienda dubia infrascripta.

3. Quæritur, *an non modò damnetur propositio, quatenus affirmat licitam simulationem formalem in administratione Sacramentorum, hoc est ex intentione decipiendi, saltem virtuali; verum etiam damnetur quoque, quatenus agit de simulatione materiali, in qua scilicet præter intentionem administrantis decipiuntur fideles?*

Resp. Affirmativè; ratio est, quia damnatur propositio, quatenus simulatio affert irreverentiam Sacramentis, sed irreverentia Sacramentis irrogatur per simulationem, tam formalem, quàm ma-



*Matthæi Cautela Confess.*

terialem, ergo utraque damnatur; minor est certa, & patet à pari: qui coram Idolo Thus in thuribulum ponit, non excusatur à peccato, per hoc, quod id agat simulatione materiali, & sine intentione significandi adstantibus affectum adorationis, vel cum sola intentione olfaciendi odorem thuris; non modò propter scandalum, verum etiam, quia actio illa, est externus cultus Idoli: ergo, sicut immittens incensum in thuribulum coram Idolo, etiam cum simulatione materiali, non excusatur à peccato mortali contra præceptum adorandi solum Deum, sic ministrans Sacramentum cum sola simulatione materiali, non excusatur à peccato contra reverentiam debitam Sacramentis; nam, quemadmodùm ille externam, & illicitam reverentiam exhibet Idolo, quamvis affectus internus feratur in Christum, sic iste irreverentiam rebus Sacris irrogat. Tum quia, Authores propositionis loquuntur indistinctè de omni simulatione, ergo quælibet damnatur, ergo etiam materialis, quæ est verè simulatio. Tum quia, qui aliquo modo simulat, administrationem Sacramentorum fingit, & affert circumstantiam irreverentiæ, & consequenter peccat contra reverentiam Sacramentis debitam.

4. Quæritur, *an ad vitandum scandalum possit licitè ministrari hostia non consecrata, pro consecrata*: V. G. est homo in articulo mortis, nulla habetur hostia consecrata pro Viatico dando, si ad ipsum non deferatur, tota gens scandalizatur, & commovetur; *dubitatur, an ad scandalum vitandum præberi possit hostia non consecrata?*

Resp. Negativè, quia ea ficta communio est simulatio in administratione Eucharistiæ; fingitur enim esse Eucharistia, ea, quæ non est talis, & peccat graviter Sacerdos. 1. Quia fingit rem divinam, ubi non est. 2. Exhibendo hostiæ non consecratæ externam adorationem Latriæ. 3. Præbendo occasionem aliis ad eam adorandam; quæ omnia sunt graviter illicita.

5. Sed quæritur, *an, cùm Confessarius ex sola Confessione Sacramentali novit pœnitentem, accedentem ad Sacram mensam, esse pane Angelico indignum, possit licitè loco hostiæ consecratæ præbere non consecratam?*

Resp. Aliqui apud Gobat. *experim. Theolog. tract. 4. casu 21. sect. 1. num. 397.* putarunt posse, modò pœnitens consentiat, & Sacerdos cum hostia non consecrata, teneat simul in manu aliam consecratam, ut etiam circumstantes debitum objectum suæ adorationis habeant. Quæ sententia est prorsus improbabilis, & falsa; ideò non posse dicimus; nam tunc Sacerdos mentiretur, & adstantes deciperet: significaret enim se dare hostiam consecratam, quàm non daret; undè peccaret 1. Peccato falsitatis, & simulationis. 2. Peccato irreverentiæ erga Sacram hostiam; nam fraudulenter rem divinam simularet, & propterea Deo illuderet, quod gravissimum crimen est, ex cap. *de homine, de celebrat. Missarum.*

6. Sed, *an debeat dare consecratam?*

Resp. Affirmativè, si sit peccator occultus, ne sigillum Confessionis frangat. Vide *cap. 33.*

7. Quæritur, *an Sacerdos, cui Hæresis,*

*vetitus, stricto gladio, mortem minatur, si non consecret totum panem, qui, vel in platea est expositus venditioni, aut de recenti in fuxo coctus, possit ad fugiendam mortem verba consecrationis proferre sine intentione consecrandi?*

Resp. Negativè: grave enim scelus est contra reverentiam Sacramenti proferre verba consecrationis, à Christo Domino instituta pro confectione Sacramenti, sine intentione consecrandi, sed ad simulandum, ac mentiendum, & Deo illudendum; quod est ita intrinsecè malum, ut nullam ob causam justificari possit, argum. ex *alleg. cap. de homine:* ubi Pontifex declarat, gravius peccasse Presbyterum, qui in mortali celebrans non consecravit, quàm si consecrasset; sed certè, si non gravius, æquè saltem grave est, proferre verba consecrationis sine intentione consecrandi, ac omittere, vel supprimere verba ipsa, cum dicenda sunt; nam utrobique fraudulenter res divina simulatur: quod est Deo illudere, & gravissimum scelus, ut ibi textus.

8. Sed quid, *dicendum, si Hæreticus ille ignoraret verba consecrationis, & Sacerdos ad effugiendum mortis periculum recitaret Orationem Dominicam, sic simulando Consecrationem?*

Resp. Cardenas dixit, posse Sacerdotem illam Orationem recitare, non intentione decipiendi hæreticum, quia tunc consecrationem simularet, & formaliter mentiretur, adeòque peccaret, etiam contra reverentiam debitam Sacramento: bene verò, si ad eam recitandam procederet sine tali intentione; quia tunc solùm ex intentione materiali illam Orationem proferret; sed hoc etiam non posse judico; nam Oratio illa respectu illius hæretici, cum quo res agitur, assumeretur à Sacerdote ad significandum aliud ab eo, quam hæreticus intenderet; nam ipse intenderet, quod per ea verba panem consecraret, & Sacerdos, ad hunc finem non instituta proferret: ideò saltem virtualiter ipsum deciperet; quoniam, tunc quis decipitur, cùm ei per signum externum aliquid aliud quis significat, quàm ille judicet, vel quam ipse petat. Et ex eo præsertim patet, quod si Sacerdos posteà interrogaretur, an panis esset consecratus, respondere non posset, affirmando, nisi vellet mentiri: ergo evidens est, quod ipsum decepisset, & formaliter simulasset consecrationem; quod cum ex decreto Innoc. non sit, etiam quocumque metu urgente, licitum, nec in casu id præfato Sacerdoti licere est dicendum; ideò, quando alia via non posset sibi providere, deberet se Deo commendare, & mortem subire.

9. Sed quæritur, *an, si supra panem illum proferret verba consecrationis cum intentione consecrandi, peccaret?*

Resp. Affirmandum videtur; nam certè irrationabiliter, & imprudenter ageret; nam non est verisimile, quod Christus pro licita consecratione instituerit quantitatem ita magnam, quæ non posset deservire usui fidelium. Poncius mox citandus.

10. Sed petitur, *an tota illa quantitas esset consecrata?*

Resp. Quamvis id non spectet ad propositum casum, adhuc tamen affirma-

mus. Nam non constat, Christum pro materia consecrationis determinasse aliquam quantitatem panis, & vini sub tanta, vel tanta magnitudine, sed de fide est, ipsum instituisse pro materia consecrationis Corporis, panem triticeum, & pro materia consecrationis Sanguinis, vinum de vite, ex dicend. *lib. 4. cap. 4.* Ergo, cùm illa quantitas sit panis triticeus, & sufficienter præsens Sacerdoti, (quod supponitur) videtur tota esse consecrata, si super eam cum intentione consecrandi verba consecrationis protulisset. Videatur Ponc. *disp. 44. q. 3. n. 35.* & Marchant. *Hort. Past. Candel. Mist. tr. 4. cap. 1. resolut.*

11. Quæritur, *accedit pœnitens, qui est in occasione proxima peccandi, quam deserere non vult: dubitatur, an Confessarius possit simulare ipsum absolvere: quod videtur necessarium ad evitanda hæc incommoda. 1. Ne ipsum absolvens, gravissimè peccet absolvendo indignum. 2. Ne violet sigillum, nam adstantes possent animadvertere ex absolutionis omissione, ipsum esse in malo statu, & indignum absolutione, ergo, cùm utrumque vitaturus sit, si fingat, vel simulet, absolvere poterit, immò debebit proferre verba absolutionis sine intentione absolvendi.*

Resp. Non potest simulare ipsum absolvere; nam: si proferat hæc verba: *ego te absolvo:* sine intentione absolvendi, mentitur, & magnam irrogat irreverentiam Sacramento, à Christo Domino instituto ad finem dimittendi peccata.

12. Sed quid, *est Confessario agendum?*

Resp. Potest aliquas orationes tacitè recitare, vel pœnitentem benedicere, non animo ipsum absolvendi, vel alios decipiendi, sed solùm, ne indignitatem pœnitens prodat, & ne sigillum violet: quod est servandum, tam verbis, quàm factis, *ex cap. omnis utriusque sexus de pœnit. & remiss.* Et quamvis adstantes deciperentur, non probat Confessarium, non posse ita se gerere, quia, nec id Confessarius intenderet, nec esset propria, & in rigore simulatio pertinens ad Sacramentum, cum præfatæ orationes ad formam Sacramenti non pertineant. Verùm, si eas orationes, vel Patet, & Ave recitaret, intentione, ut adstantes deciperentur, vel, ut cognosceretur pœnitentem absolvere, aut animo absolvendi mortaliter peccaret & peccato mendacii, & contra reverentiam Sacramento debitam.

13. Sed quid, *si pœnitens, audiens à Confessario sibi negari absolutionem, mortem minetur Confessario, nisi absolvat?*

Resp. Nec tunc Confessario licet absolutionem simulare dicendo formam absolutionis Sacramentalis, quamvis dicatur sine intentione absolvendi; vel, alias orationis recitare intentione, ut, vel ipse pœnitens, vel alii perciperent se ipsum absolvere; nam semper mentiretur, & irreverentiam Sacramento irrogaret.

14. Sed quid, *si pœnitens sub iisdem minis instaret, quod Confessarius clarè, & distinctè proferret verba absolutionis.* Ego te absolvo?

Resp. Cardenas *cap. 5. num. 63.* dixit, quod, cum verba essentialia absolutionis Sacramentalis: *ego te absolvo,* possint, etiam significare absolutionem à censuris, si, cum ea intentione proferantur, vel submissa voce pronunciando *à censuris*: possit Confessarius metuens sibi mor-

mortem à pœnitente, dicere *absolvo te*, subintelligendo *à censuris*.

Quòd sanè meo videri falsum est; nam hujusmodi locutio, *absolvo te*, subintelligendo à censuris, est locutio cum restrictione mentali: hujusmodi autem locutio ex dictis Superiori capite licita non est; ergo, nec ea verba proferre cum ea restrictione, nisi velit mentiri, & pœnitentem decipere, qui putaret se à peccatis absolvi, & Confessarius intenderet ipsum à censuris liberare; propterea in casu, quando non posset pœnitentem à suo proposito removere, deberet potiùs mortem expectare, quàm peccatum committere.

15. Sed quid, *si pœnitens, id audiens, diceret, ad minùs si non potes, fingas me absolvere?*

Resp. Deberet Confessarius palàm loqui: ego non possum te absolvere, quia es indispositus; nec possum fingere, aut mentiri, & irreverentiam Sacramento irrogare: si vis benedici; benedicam: sed abest me aliquid agere, quod absolutionem simulem, vel, quo intendam, vel alios decipere, aut contra reverentiam, Sacramento debitam agere.

16. Sed quæritur, *an possit ad non simulandam absolutionẽ apponere conditionem:* te absolvo, si occasionem dimiseris?

Resp. Negativè; nam ad evitandum unum peccatum, aliud committeret absolvens indispositum, ex dicendis cap. 35. Notandum itaque est, quod non valet absolutio conditionata, seu quæ datur cum conditione de futuro: *ut te absolvo, si eras restitueris*, esto eras restituas; ratio est, quia non potest suspendi effectus Sacramenti: quod statim, vel operatur totum, si pœnitens de præsenti sit dispositus, vel nunquam, si est indispositus; valet autem data cum conditione de præsenti, vel de præterito; *ut absolvo te, si es dispositus:* vel, *te absolvo, si restituisti, ut asseris*; nam effectus Sacramenti non suspenditur, sed statim ponitur, si in pœnitente reperiatur dispositio de præsenti, & de facto, ut affirmat, restitutionem fecerit; peccaret autem Sacerdos illas conditiones ad libitum, & absque convenienti necessitate apponens; nam non debet variare ritum ab Ecclesia determinatum; sed ubi adest necessitas, licitè apponitur. Sic licitè sub conditione: *si es dispositus, & absolutionis capax:* absolvitur moribundus, qui loqui non potest, & solùm per signa aliqua doloris peccatum ostendit; nam propter appositam conditionem non exponitur Sacramentum periculo nullitatis, & per absolutionem providetur saluti infirmi, ne periculo damnationis exponatur; cui fortè exponeretur, nisi saltem sub ea conditione, adhiberetur Sacramentum, ad remittenda peccata institutum.

17. Quæritur: *vocatur Confessarius à Petro, detento in vinculis*, cui *exponit:* Pater, à tribus mensibus privor meâ libertate: causam aperio: sex ab hinc mensibus contraxi sponsalia cum Berta, deinde cognovi carnaliter ipsius sororem, propter quod contraxi impedimentum dirimens, matrimonium contrahendum, & quia propterea nolui eam ducere, ipsa instetit apud Episcopum, ut me cogeret ad implenda promissa sponsalia: cui propter impedimentum mihi notum, obedire nolui; & propterea me incarceravit, & excommunicatum denunciavit; quæro, *an ad vitanda hæc incommoda possim contrahere, non ex animo tradendi*

*ſponſæ poteſtatem in meum corpus, quia jam ſcio, matrimonium propter præfatum impedimentum eſſe nullum, ſed ſine intentione me obligandi, & ſimulandi contractum?*

Reſp. Negativè; ſive cum animo contrahendi, contrahas, ſive abſque animo, eam ducas, ſemper peccas contra reverentiam debitam Sacramento; nam ſemper facis illud irritum: in primo caſu, quia contrahis cum impedimento dirimente: in ſecundo verò, quia ſimulas Sacramentum, nec intentionem habes faciendi Sacramentum, & te obligandi; nec potes ex metu, quamvis gravi, excuſari; & peccas peccato mendacii, & deceptionis; nam falſum dicis, ſi reſpondeas, *te accipere Bertam in tuam*: animum enim contrahendi, & celebrandi contractum non habes. Remedium itaque erit, ut ad Sacram Pœnitentiariam pro diſpenſatione ſuper impedimento recurras, quam, quia occultum, obtinebis: vel de impedimento conferas cum Epiſcopo, ut ſuper eo inſtructus juxta negotii gravitatem provideat.

Quæ ſanè eſt melior reſponſio pro praxi, quàm allata à Cardenas *cap. 7.* Ubi reſolvit poſſe Petrum ſimulare matrimonium, ut contractus eſt, non verò ut Sacramentum. Quam diſtinctionem vide *lib. 4. cap. ult.* ubi tradimus eas duas rationes non poſſe à viro Catholico ſeparari.

Immò, dum Petrus eas ſepararet, Bertam deciperet: quæ non exigit matrimonium, ut eſt qualitercumque contractus, ſed ut eſt Sacramentum à Chriſto inſtitutum, ergo ſimulatio, & deceptio ipſius non ſolùm tenderet in matrimonium ſub ratione contractus, verùm quoque in eſſe Sacramenti; ergo mentiretur; vel ſaltem deberet loqui cum reſtrictione mentali, quod *cap.* præterito eſſe illicitum ex Innoc. diximus.

## CAPUT XIX.

### *Prop. XXX. XXXI. XXXII. & XXXIII. ab Innoc. XI. &c.*

*Homicidium ad defenſionem rerum.*

1. PROP. 30. *Fas eſt viro honorato occidere invaſorem, qui nititur calumniam inferre, ſi aliter hac ignominia vitari nequit; idem quoque dicendum, ſi quis impingat alapam, vel fuſte percutiat, & poſt impactam alapam, vel ictum fuſte fugiat.*

PROP. 31. *Regulariter occidere poſſum furem pro conſervatione unius aurei.*

PROP. 32. *Non ſolùm licitum eſt defendere defenſione occiſiva, quæ actu poſſidemus, ſed etiam, ad quæ jus inchoatum habemus, &, quæ nos poſſeſſuros ſperamus.*

PROP. 33. *Licitum eſt, tam hæredi, quàm legatario contra injuſtè impedientem, ne, vel hæreditas adeatur, vel legata ſolvantur, ſe taliter defendere; ſicut & jus habenti in Cathedram, vel prabendam, contra earum poſſeſſionem injuſtè impedientem.*

De homicidio ad defenſionem honoris diximus *lib. 1. cap. 13.* videat ibi Confeſſarius, & hic alia, etiam ad defenſionem rerum, ponderet.

2. Quæritur, *Quæve ad defendendum honorem,*

*honorem, & bona temporalia non liceat invasorem, & spoliatorem occidere?*

Resp. Quia irrationabile, & indecens est & contra legem rationis, ac naturale lumen eligere majus malum ad fugiendum minus, seu ad conservanda minora bona; constat autem, quod jactura vitæ sit majus malum, quàm amissio honoris, & bonorum temporalium, nam vita hominis est majus, & altioris ordinis bonum, quàm sint bona alia exteriora, famæ, & divitiarum, quæ ut media ad vitam conservandam ordinantur; & propterea gravius peccatum ex iis, quæ in proximum fiunt, est homicidium; nam per id, ei maximum nocumentum infertur, cum vita privetur, qua nil pretiosius possidet, & nullum ex istis temporalibus est ipsa extimabilius, nec per ullum ex præfatis compensabilis: & ita pro conservandis bonis temporalibus, sive famæ, sive fortunæ, non licet calumniatorem, & spoliatorem occidere. Quod alia suadeo ratione: simile jus in personis privatis est in præjudicium, & perniciem Reipublicæ: cum illud sit in Reipublicæ perniciem, quod est nocivum multitudini: sed tale jus defensionis occisivæ contra calumniatorem, & furem est multitudini nocivum; nam, cum in Republica multæ sint detractiones, & furta, continua, & frequentia essent homicidia, dum quilibet existimaret se jus occidendi habere; & sic Respublica assiduis odiis arderet, & pax perturbaretur ipsius; immò, si id liceret, non posset ipsa justè punire occisores calumniatorum, & Civium, quod nullus dixerit.

3. Sed quæritur *contra quam virtutem facit, qui proximum occidit?*

Resp. Contra justitiam, cujus est suum cuique tribuere, & relinquere, ac suum à nullo auferre; ab homine autem per homicidium aufertur bonum vitæ, ad quod conservandum jus habet; & hinc patet, quòd obligatio non interficiendi proximum, sit justitiæ.

Nec obstat, quòd non sit vitæ suæ, & membrorum Dominus, sed solus Deus: cum nemo possit esse Dominus, nisi alterius; Quia ad minus homo est custos vitæ, & Dominus usus membrorum suorum, quod sufficit, ut ei injuria per homicidium fiat.

4. Sed quæritur, *an etiam contra justitiam peccet, qui eum mutilat, verberat, & vulnerat?*

Resp. Affirmativè; nam jus habet, ut nullus tale malum ei inferat; per mutilationem privatur membris: per verberationem dolore afficitur: per vulnus caro cum dolore violenter dividitur: quæ sunt peccata circa vitam proximi.

5. Sed quæritur, *an etiam incarceratio reputetur peccatum circa proximi vitam?*

Resp. Affirmativè; nam per eam tollitur libertas hominis, qui jus habet, ut à privata persona non privetur, & tantum malum ei inferatur; licitur *à privata persona*: quia malefactores incarcerare, & vita privare, licet dumtaxat, juris ordine servato, Principibus, & Magistratibus, (vel aliis, quibus isti commiserint) quibus cura Communitatis commissa est, in cujus bonum ipsa mors, & incarceratio ordinatur D. Thom. 2. 2. *quæst.* 64. *art.* 3. *in corp.* Propterea si Patres, & Domini ad longum tempus detineant in vinculis filios, & servos, pec-

peccant, & debent recurrere ad potestatem publicam; aliàs, etiam violant jus, quod habet, ne ei tale malum à persona privata inferatur.

6. Sed quæritur, *an hæc peccata contra vitam proximi sint mortalia ex suo genere?*

Resp. Affirmativè; nam ex justitia tenemur non lædere proximum in bonis vitæ: justitia autem ex genere suo obligat sub mortali ad suos actus ex dict. *lib. 2. cap. 17. num. 20. & 21.* Deindè, actus, quibus offenditur proximus in bono vitæ, opponuntur charitati, qua debemus proximum diligere, eique bonum velle; qui certè non amatur, si ei ea mala inferantur: actus autem, qui charitati opponitur erga Deum, vel proximum, est ex suo genere mortale peccatum: ergo, &c. vide *ibid. num. 4.* Parvitas autem materiæ, maximè in verberibus potest à mortali excusare.

7. Quæritur, *an in Confessione sit aperienda persona, quæ occiditur, mutilatur, & verberatur?*

Resp. Affirmativè; nam absque dubio gravius peccat, qui occidit, mutilat, &c. Parentes, Cognatos, Clericos, & Superiores, quàm alios; nam, qui occidit Parentes, & consanguineos peccat contra justitiam, & contra pietatem: qui Clericum, peccat etiam contra Religionem, & Sacrilegium committit: & qui Superiorem, & Principem, etiam contra observantiam.

8. Quæritur, *an propter rem magni valoris, & summam notabilem pecuniæ possit quis furem licitè occidere?*

Resp. Alii, qui affirmant, nec id ab eis censetur ab Innoc. damnatum; quandoquidem propositio 51. quam ipse proscripsit, loquatur de occidente furem *pro conservatione unius aurei*: & deducunt, ex quo DD. communiter de jure civili teneant licere Laico furem occidere pro conservandis rebus, si aliter res à rapina, & invasione salva haberi non possit, vel spes non sit aliter recuperandi: hujus sententiæ est Bonac. *de rest. in particul. disp. 2. qu. ult. punct. 10. nu. 1.* plures allegans, & *nu. 3.* extendit, ut sit viro honorato licitum occidere invasorem inferentem ignominiam, quando aliter ignominia vitari non potest.

Sed quidquid sit de jure civili, & secundùm opinionem Legistarum, secundùm Canones, in foro conscientiæ, quoad Deum, & jus naturale id non licere est certum. Videtur decisum in *cap. interfecisti de homicid.* ubi decretalis: *si autem sine odii meditatione, te, tuaque liberando, hujusmodi Diaboli membra interfecisti:* ex quibus habetur, quod, ut quis excusetur ab homicidio, duo copulativè sunt necessaria: ut occidat defendendo cum moderamine inculpatæ tutelæ non tantùm res, sed etiam personam; nam textus non dicit, *te, vel tua: sed te, tuaque*, & patet ex authoritate Augustini relati à D. Thoma 2. 2. *qu. 64. art. 7. in 2. arg. contrario*, ubi ait: *quomodo apud divinam providentiam à peccato liberi sunt, qui pro his rebus, quas contemni oportet, humana cæde polluti sunt?* ac ex *cap. suscepimus eod. tit.* ubi: *expedit bat potius rerum sustinere jacturam, quàm pro rebus vilibus, & transitoriis, tam acriter in alios exardescere.* Propterea DD. ex Fagn. *in 5 ad cit. cap. suscepimus de homicid.* discurrentes de irregula-

regularitate Clerici ob occisionem, observant: quod, quandoque Clericus operatur aliquid ad defensionem personæ & rerum; aliquando ad defensionem personæ tantùm: & sæpe ad defensionem rerum dumtaxat; primo casu, si defensio sit necessaria, & inevitabilis, & cum moderamine inculpatæ defensionis, non efficitur irregularis, si ex tali facto homicidium sequatur, ex *alleg. cap. interfecisti*. & Clement. *Si furiosus de homicidio.* Si verò nulla sit necessitas defensionis, irregularitas non vitatur; idem in secundo casu defensionis dicitur: sed in tertio casu, quando pro defensione rerum tantùm occidit, irregularitatem non effugit.

Sed dices, pecunia, & patrimonium dicuntur vita hominis: ergo, si pro defensione vitæ potest quis sine peccato invasorem occidere, & pro defensione rerum, spoliatorem.

Resp. Nullam esse proportionem inter divitias, & vitam; nam hæc est rebus temporalibus pretiosior, & sine dubio bonum incomparabiliter majus; solùm potest analogia procedere *quoad quid*, quatenus homo pecunia, & patrimonio vivit; non verò *quoad hoc*, ut pro defensione rerum liceat hominem occidere. Quòd evidenter opinor ex his concludi; si puella, ipsa invita, violatur, violatio non imputatur ei ad peccatum, modò ex animo resistat, & consensus absit, sed duplicatur ad coronam, cum non coinquinetur corpus, nisi de consensu mentis, ex D. Thoma *cit. art. 5. ad 3.* Si honor lædatur, potest alia via reparari; vel saltem homicidium ad id non est medium, juxta dicta *lib. 1. cap. cit. nu. 19.* Bona etiam temporalia, alia via reparari possunt sine occisione, ut beneficio legis, vel implorando officium Judicis, vel esse potest spes reacquirendi beneficio restitutionis; vita autem non potest alia via reparari: nam mortuus officium Judicis implorare non potest: ultimum enim malorum, & maximè terribile est mors ex D. Thoma cit.

9. Nec obstat, quòd propositio 31. damnata ab Innoc. loquatur de occidente *furem pro conservatione unius aurei*, quia in 32. Pontifex damnat, etiam opinionem dicentium pro majori summa licere homicidium; nam Authores dixerunt: *non solùm licitum est defendere defensione occisiva, quæ actu possidemus* (nota hic non distinguere, an sint magni, vel infimi pretii) *Sed etiam, ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus*: quam Innoc. damnat, ut jacet, & quoad utramque partem.

Hinc cautè legendus Ilsung. Theol. *pract. tract. 4. disp 3. qu. 2. art. 2. §. 1. nu. 68.* qui tametsi post decretum Innoc. scripserit, adhuc docuit esse permissam facultatem occidendi ad defendenda bona externa, si magni sint pretii, & de facili recuperari nequeant.

10. Sed quid *responsabit Confessarius pœnitenti accusanti, se occidisse, & sagitta confodisse furem, equo fugientem, aliàs non recuperaturus summam pecuniæ, quam sibi per fractionem portarum, & parietis abstulit; alleganti se non peccasse occidendo, ex illo Exodi 22.* Si effringens fur domum, vel suffodiens, fuerit inventus, & accepto vulnere mortuus fuerit, percussor non erit reus sanguinis; aliàs *multum Respublica furtis,*

*tis, & rapinis perturbabitur, dum fures noverint se non posse à furtis per rerum Dominos impediri?*

Resp. Allegabit ipsi sequentia verba ex eodem capite: *quòd si, orto sole, hoc fecerit, homicidium perpetravit, & ipse morietur.* Sacer itaque textus in primo versu loquitur de fure nocturno, & in secundo de fure diurno; rationem diversitatis assignat August. apud Fagnan. in quintum *ad cap. sicut dignum de homicid. num* 11. *quia scilicet occidens furem, orto jam sole, poterat discernere, quod ad faciendum, non occidendum veniisset, & ideo non debuit occidi.* Et probat: propterea fur nocturnus occidi potest, quia incertum est, an venerit animo occidendi, vel furandi; & ita, quoad eum, agitur de periculo personæ, & rerum simul; quoad verò diurnum, de periculo rerum dumtaxat: ideò nunquam pro solis rebus licet furem, etiam nocturnum occidere, sed solùm, cum agitur de defensione, etiam personæ, sed cum moderamine inculpatæ tutelæ: cum nimirum Dominus, armis aggreditur, & mortem non potest evadere nisi se defendat, & defendendo aggressorem occidat; in quo tamen debet servare moderamen allegatum: ex dictis cap. cit.

11. Quæritur, *quid agendum Confessario cum pœnitente, qui exponit.* Pater, Antonius quærit me apud Judicem de gravissimo furto (diebus præteritis in Ecclesia N. facto,) accusare, & ad id probandum falsos testes habet paratos, propter quod ego certè, quamvis innocens, damnabor: vel saltem, omnibus bonis privabor: crederem me posse licitè prævenire, & Antonium, ac testes occidere; nam id est probabile apud Molina, Sanch. Lugo, alios que: etenim mihi licet me defendere meliori via possibili?

Resp. Debet pœnitenti significare, se non posse sine peccato Antonium, vel falsos testes occidere; nam nulli, privata authoritate, licet mortem alteri inferre; aliàs maximè turbaretur Respublica, & inutilis esset Publica Potestas, cui cura Communitatis est commissa, & ad quam propterea spectat bonum Reipublicæ promovere, & homines ad mortem damnare, dum eorum occisio ad bonum Communitatis ordinatur. Nec pœnitens est in casu, in quo licitum est injustum invasorem cum moderamine inculpatæ tutelæ occidere; nam, si sermo sit de invasore rerum, est certum ad defendendas res præcisè, non esse licitum spoliatorem occidere propter improportionem, quæ est inter res, & vitam: si verò agatur de ipsius vita, jam patet, quod alia via potest se defendere, quam occidendo: vel per absentiam à loco: vel viri prudentis officio apud Judicem interposito, qui eum de veritate facti certioret: aut allegando suspectos testes & accusatorem: aut appellando à sententia; Immò, si eos occidit, non procedit cum prætacto moderamine; nam occisio non est unicum medium ad mortem evadendam, sed potiùs consideratur efficax ad mortis supplicium, injusta occisione promerendum.

12. Sed quæritur, *an licitè possit testibus ad eorum testimonium infirmandum crimen falsum objicere?*

Resp. Negativè; nam reus non habet jus defendendi se illo medio cum sit mendacium, quod est intrinsecè malum; Genera-

neraliter ex justitia quilibet tenetur vitare omnem actionem, ex qua malum proximo sequitur, & ad quam ponendam propterea jus non habet. Vide D. Thomam 2.2. *qu.* 69. *art.* 2.

Sed dices, ergo si esset in fortiis Curiæ deberet mortem innocens sustinere.

Resp. Affirmativè, si enim, servato juris ordine, mortem effugere nequit, debet potiùs eam propter alia peccata sustinere, quàm perjurare, vel mentiri, aut aliquod aliud malum operari; nam, non sunt facienda mala, ut eveniant bona.

Ideò, quamvis opinio, quam pœnitens sequitur, esset probabilis (quod prorsus negamus) adhuc pœnitenti non foret licitum præfatos occidere; quia nec licet hominem occidere propter opinionem probabilem.

13. Quæritur, *ad quid injustè occidens voluntariè alterum, vel mutilans teneatur?*

Resp. Dum injusta sua actione sit causa damni, & injuriam faciat, debet primò restituere, expensas, & sumptus in curatione factos. 2. Compensare damnum emergens, & lucrum cessans, ex occisione, vel mutilatione proveniens: v. g. occisus, vel mutilatus lucrabatur quotidie quinque julios, occisor restituet, quod ex illis proveniebat hæredibus necessariis, qui jus habent petendi alimenta ab occiso, adeòque ab occisore, qui fuit causa illati damni: in taxatione debet ponderari ætas occisi, an fuerit fortis, & robustos, ac pericula, & dies, in quibus ob infirmitatem, & festa, aut aliud impedimentum probabiliter, & verisimiliter non potuisset laborare; sed, quia difficile est definire, quantum sit restituendum, tutiùs est cum parte læsa se componere.

14. Sed quid, *Si occisus, priusquam decederet, remitteret occisori debitum homicidii?*

Resp. Adhuc debet præfatis restituere id, quod ob injustam occisionem amittunt; nam censetur occisus remittere solummodò injuriam, non verò debitum restitutionis ad alterum: cum remittere non possit jus, quod illi habent ad congruam sustentationem, & alimenta recipienda; immò, si occisus ex præcepto Judicis debebat alere Fratres, & Sorores, istis etiam debet occisor compensare damnum illatum.

15. Sed quæritur, *quinam reputentur hæredes necessarii occisi?*

Resp. Qui in totum non possunt hæreditate privari, & jus habent petendi ab eo alimenta, ut sunt uxor, filii, & parentes qui una caro cum occiso reputantur, & propterea censentur læsi per læsionem illius, qui una persona cum eis reputabatur; hæredes autem non necessarii, seu voluntarii dicuntur illi, qui, licèt succedant in hæreditate ab intestato, nihilominus privari possunt, ut Fratres, Nepotes, aliique consanguinei. Verùm, si Soror propter occisionem Fratris, à quo sustentationem recipiebat, in tali constitueretur statu, ut aliundè eam non posset habere, ad restituendum damnum debet homicida obligari.

16. Sed quæritur, *an homicida teneatur restituere expensas factas in funere?*

Resp. Negativè, quia quovis tempore mors evenisset, Parentes, & Hæredes tenebantur ad funus: & proinde reputari debent, veluti expensæ ortæ ex nostra

conditione, non verò ex injusta occisione: nisi occasione illatæ mortis in loco alieno, vel extra Patriam, majores sumptus facere fuisset necessarium; nam tunc est restituendum damnum emergens.

17. Sed quæritur, *an homicida teneatur solvere debita creditoribus occisi?*

Resp. Negativè; quia, nec in foro externo, quod est custos justitiæ, datur actio creditoribus contra occisorem, nec in interno conscientiæ, interrogatur occisor, si occisus haberet creditores. Limitatur, nisi occiderit animo nocendi creditoribus; nam tunc erit causa moralis damni creditorum, juxta *cap. Si culpa tua, de injuriis*, ubi hæc sunt: *si culpa tua est damnum, vel injuria irrogata, seu aliis irrogantibus opem fortè tulisti, aut hæc imperitia tua, sive negligentia evenerunt, jure super his satisfacere te oportet.*

Unde sequitur; quòd si illicitum sit hominem occidere ad defendendum honorem, & bona fortunæ, à fortiori sit etiam ad defendenda jura in ipsa bona, & impedientem, ne quis Præbendam, aut Cathedram consequatur; nam bona in spe, & jus ad rem, minus valent, quàm bona, quæ possidemus, & jus in re. Tum, quia, Respublica habet jus publicum defendendi ferro, & armis privata jura: ergo nulli alteri id licet, sed ad ipsam recurrendum est pro injuriis, quas quis ab alio recipit, ut contra reos juris remedia adhibeat.

## CAPUT XX.

### *Prop. XXXIV. & XXXV. ab Innoc. XI. &c. Abortus.*

1. PROP. 34. *Licèt procurare abortum ante animationem fœtus, ut puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.*

PROP. 35. *Videtur probabile, omnem fœtum, quamdiù in utero est, carere anima rationali, & tunc primum incipere eamdem habere, cum paritur, ac consequenter dicendum erit in nullo abortu homicidium committi.*

Cum familiare sit pluribus, sive mares sint, sive fœminæ, ut libidini, sine periculo jacturæ honoris frequentius indulgere possint, herbas, & alia sterilitatis venena, vel pocula præbere, & respectivè sumere, vel suadere, & consulere, ut sumantur, ad effectum non concipiendi, vel extinguendi fœtum; ideò Confessario ad assumpti muneris debitum injucundum non erit infrà ponenda, occasione præfatarum propositionum, animadvertere.

2. Et I. ponderet, DD. omnes contra Authores propositionis 35. convenire fœtum in utero matris anima rationali informari, statim ac formatus, & organizatus sit, sed in assignando puncto temporis non conveniunt ut infra *n. 3.*

II. Ponderet esse omninò certum, quod priùsquam proles nascatur, informata sit anima rationali; quod habetur ex 1. Lucæ; ubi de Joanne Baptistâ in utero matris existente dicitur: *ut audivit salutationem Mariæ Elisabeth, exultavit infans in utero ejus.* Nec subsistit responsio asse-

ferentiam fuisse tunc animatum anima sensitiva, non verò rationali; nam, omisso, quod de anima irrationali (quale est, quod solum anima sensitiva vivit) non verificatur, quod sit infans, nec, quod possit exultare, & gaudere: directè falsitas responsionis concluditur ex alio ejusdem capitis textu: *& Spiritu Sancto replebitur, adhuc ex utero matris suæ:* nisi autem animam rationalem habuisset, non potuisset in matris utero Spiritu Sancto repleri. Dicere autem per miraculum fuisse Joanni animam rationalem infusam, absque necessitate asseritur, & sine fundamento in generatione hominis ad miracula recurritur. Animatio post Innoc. decretum in dubium amplius revocari non potest; nec affirmari probabile esse, quod pro toto tempore, quo est in matris utero, careat fœtus anima rationali.

3. Quæritur, *quandonam fœtus animari anima rationali dicatur?*

Resp. DD. non conveniunt: alii pro masculis assignant 30. diem: alii 32. alii 40. & alii 42. pro fœminis verò, quidam 40. alii 70. & alii 80. Ratio diversitatis, & cur non eodem tempore animentur, solet esse diversa caliditas, vel frigiditas matris, Communiter tamen apud Quaranta *sum. ver. Abortus num.* 5. Layman. *lib. 3. tract. 3. par. 3. cap. 5. num. 3.* asseritur maribus citius animam infundi, quàm fœminis: masculis post quadragesimum, & fœminis post octogesimum diem à conceptione. Vide Gloss. *in Clement. un. de sum. Trinit. in ver. simul. ac ad cap. cum enixa dist.* 5.

4. Sed quid, *si dubitetur, an sit masculus, vel fœmina?*

Resp. Præsumendum est, fœtum esse animatum post quadraginta dies; nam tutior pars est eligenda.

5. Sed dubitabis, *an dubitans fœtum esse animatum, & ipsum occidens, ad dans causam abortui sit irregularis?*

Resp. Affirmativè; nam in dubio facti, cui est annexa censura, & irregularitas, debet quis segerere excommunicatum, & irregularem, cap. *ad Audientiam de homicidio*, quia in dubiis semitam debemus eligere tutiorem, ut ibi text.

6. Sed quid, *si alleget se non habuisse intentionem, & propositum occidendi fœtum?*

Resp. Est irregularis, quia jam cooperatur morti fœtus, cap. *sicut il 2. de homicid.* & homicida formaliter est, quia concurrit ad necem hominis; nam fœtus animatus homo est, cum anima rationali, & corpore constet: ad differentiam ejus, qui efficit, vel cooperatur ad ejectionem fœtus inanimis; qui non formaliter, sed reductivè est homicida, ex quo tollat vitam ei, qui eam habet, non in actu, sed in potentia, cap. *si aliquis eodem tit.* ubi Gloss. *in ver. ut homicida*, notat, irregularitatem non incurri, nisi homo jam animatus interficiatur, vel ejus interfectioni cooperetur.

7. Quæritur, *contra quam virtutem facit, qui procurat abortum fœtus?*

Resp. Contra justitiam: nam occidit innocentem, quod est intrinsecè malum, & injuriam facit fœtui, qui jus habet, ut sibi non inferatur tale damnum. Si fœtus non sit animatus, privatur vita, ad quam est in potentia, seu impeditur, ne vivat; si verò animatus sit, tollitur ab eo vita, quam habet, & cum morte tem-

porali infertur mors æterna; ideò gravius peccatum est secundum, quam primum; & si procurans, vel consulens sit Pater, vel Mater, peccat etiam contra pietatem.

Advertastribus modis verificari, quod procuretur abortus I. Impediendo, ne fœtus, sequuta copula, concipiatur. II. Ut, jam conceptus, antè animæ rationalis infusionem, ejiciatur ex utero. III. Ut post ejusdem animæ infusionem, ita immaturè pariatur, ut pereat, & vivus non edatur: sivè id contingat percussionibus, venenis, medicamentis, potionibus, onetibus, laboribus, auxilio, consilio, favore, vel aliis etiam incognitis modis. Propterea, cùm malitia abortus consistat in hoc, quod tendat ad pueri occisionem formalem, vel virtualem, peccatum erit gravius, vel levius, prout magis ad perfectum homicidium accedit. Gravis itaque, & læthalis culpa est, si conceptio impediatur: gravior, si postquam est conceptus fœtus, extinguatur: & gravior, si post animationem occidatur: in hoc tertio sensu excommunicantur, quotquot abortum causant, vel consulunt, vel eidem scienter cooperantur, sivè causæ principales sint, sivè sociæ, aut consciæ, ut loquitur Sixtus V. const. *effrænatam*, de qua infra n. 16.

8. Quæritur, *accedit mulier, quæ se accusat:* Pater, à paucis diebus, insufficientibus ad animationem fœtus, concepi ex viro meo, & quia experta sum in aliis partubus difficultatem pariendi, & periculum mortis, ad istud vitandum, peto, an possim sumere mendicamenta apta ad expellendum fœtum?

Resp. Negativè; & debet esse commune id matri non licere, non modò, si fœtus sit animatus, ne defectu baptismatis perdat vitam æternam, quam mater tenetur ex Charitate præferre bono temporali vitæ propriæ; verùm etiam, si nondum fœtus animatus sit deducitur ex proscripta propositione, quæ asserit: *licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur, vel infametur*; ergo non licet expellere fœtum inanimatum pro vitanda occisione, aut infamia matris; sed si ad vitandum periculum mortis matri liceret sumere remedia expulsiva fœtus, jam liceret expellere fœtum pro vitanda occisione matris, ergo non licet: directa enim procuratio abortus est absolutè illicita, adeoque in nullo casu prudenter eligibilis. Tum quia, est probabile, quòd mater in partu, non decedat, sicut aliis contigit; occisio autem fœtus est omninò certa, ergo ad evitandum probabile periculum mortis in matre, non est assumendum pro medio certa occisio fœtus innocentis. Nec in casu verificatur, quod fœtus sit injustus aggressor vitæ matris: adeòque, quòd liceat eum necare; nam licita est occisio injusti aggressoris, sed cum moderamine inculpatæ defensionis, cùm scilicet est certa, & inevitabilis mors aggressi, si non occidatur aggressor, sed in casu mors matris non est certa, & est spes vitandi. Tum quia, mater voluntariè tali periculo se exponit. Tum quia, fœtus in ordine ad matrem innocens est.

9. Sed quid, *dicendum, si pregnans sit graviter infirma, & nisi sumat medicamenta tendentia ad expulsionem fœtus, mortem non effugiet?*

Resp.

Resp. Casus de facili potest in praxi occurrere, ad quem non omnium est una responsio. Duplex ad propositum distinguitur medicamenti genus: alterum, quod directè tendit ad nocendum fœtui, & ipsum ejiciendum: alterum, quod solùm respicit sanitatem matris, ut venæ sectio, pharmacum humoris purgativum &c. quæ aliquando solent nocere fœtui (& hoc dicitur medicamentum indirectè tendens in fœtus detrimentum) modò. Si fœtus animatus sit, non licet dare prægnanti graviter infirmæ pharmacum ullum, ex quo cum salute matris, sequatur, etiam indirectè fœtus mors; propter rationem allegatam *num.* 7. nam ordo charitatis christianæ exigit, ut vita spiritualis animati fœtus præferatur vitæ corporali ipsius matris.

Sed id limitant DD. nisi judicetur matrem, simul cum fœtu morituram; tunc enim putant licere matri præbere medicinam, ex qua sequatur probabilis spes vitæ ipsius cum periculo abortus, cùm in pari casu, & necessitate mater debeat prius respicere, & consulere sibi, quàm proli. Verùm, quia damnum fœtus foret certum, & spes vitæ matris, ac mors fœtus cum illa matris, solùm probabilis; ideò in casu relinquatur mater in manu Creatoris.

Si verò sit exanimis; dicendum etiam, nec licere fœminæ gravidæ sumere pharmacum, vel venam aperire ad conservandam suam vitam, quando pharmacum, & venæ sectio non esset ad hoc conducens, nisi quatenus interficeret infantem; quia tunc directè, & per se intenderetur occisio fœtus, quod, ut diximus, est intrinsecè malum, & illicitum. Nec fœtus in casu reputatur injustus aggressor vitæ matris, cùm potius sit infirmitas. Cum intentione tamen directa ad sanandam matrem illicitum non existimant Authores, posse matrem graviter infirmam sumere pharmacum per se, & ex natura sua ordinatum ad salutem ipsius, & non ad damnum fœtus inanimis, quamvis per accidens in isto nocumentū sequatur: tunc enim interfectio fœtus non intenditur, tamquam finis, aut medium ad conservandam vitam propriam.

10. Sed difficultas est, *quando censeatur per accidens, & indirectè sequi damnum fœtus?*

Resp. Judicium relinquitur prudentiæ, & doctrinæ periti medici. Crediderim tunc non censeri per accidens, sed per se, & directè sequi, cum frequenter, & ut in pluribus ex tali, vel tali medicamento damnum infertur.

11. Quæritur, *an puella, quæ omninò invita, & inculpabiliter passa est violentiam à viro, & gravida effecta est, possit licitè ad evitandam infamiam in populo, & occisionem à parentibus, fœtum, saltem inanimem, expellere?*

Resp. Aliquibus placet affirmativa sententia, quia justum non est, ut quis sine propria culpa tantum damnum sustineat. Tum quia, fœtus in utero est injustus aggressor vitæ puellæ, quilibet autem potest se defendere contra injustum aggressorem, etiam occidendo illum.

Contra quos est Innoc. nam Pontifex absolutè, & universaliter damnat opinionem, quæ doceat licere expulsionem fœtus inanimis propter vitandam infamiam, aut occisionem fœminæ corruptæ, sed

sed hoc ipsum præfati affirmant, ergo contra decretum discurrunt, ergo non licet puellæ abortum procurare. Cum moderamine inculpatæ tutelæ est quidem licita defensio occisiva injusti aggressoris ex dictis *lib. 1 cap. 13. nu. 10.* sed in casu, nec fœtus est injustus aggressor, sed innocenter se habet, nec ejus expulsio est unicum medium ad mortem vitandam; nam posset evadi beneficio alicujus consanguinei, vel Ordinarii per reclusionem in monasterium; ideo resolvas id puellæ non licere.

12. Deinde procuratio abortus est ab intrinseco mala, nociva speciei humanæ, & ipsius multiplicationi, ergo omninò illicita, & datur stricta obligatio ipsam non procurandi; nec potest id ex quovis fine honestari; cum, nec propter quodcumque bonum, etiam vitæ, liceat minimum peccatum committere.

13. Sed quid, *si puella Confessario significet, ex viro, quem turpiter cognovi, concepi, & ne talis cognoscar, aut tali vivam dedecore, parata sum me occidere: habeo ad hoc paratum venenum: statim ac discessero, illud bibam, vel gladio me confodiam: volo mori potius, quàm infamis vivere*; quæritur, *an Confessarius possit ei suadere*: propositum te occidendi dimittas, non enim desunt media ad extinguendum abortum: hoc, vel illud sumas?

Resp. Multorum sententia est, licere Confessario abortum consulere, nam id est minus malum, quàm mors Puellæ, quæ secum trahit abortum, & necem prolis; nec tunc per eos, censetur cooperari, vel influere in abortum, sed solum consulere minus malum; ut, quod non committat duplex homicidium; exemplum ponunt in Petro parato furari, & occidere Paulum: dum quis eum videt nolle ab utroque cessare, ajunt, posse consulere minus, furtum nimirum: nec in tali casu influit in furtum, quia ad id Petrus jam est paratus, sed influit solum, ut non occidat; fundantur in eo universalissimo principio: *de duobus malis minus est eligendum.*

14. Quorum sententiæ resistit decretum Innoc. nam per decretum statuitur, non licere procurare abortum fœtus inanimis, *ne puella deprehensa gravida infametur*, sed ipsa sententia id licere concludit, ergo repugnat decreto. Neque verum est, Confessarium non cooperari abortui; nam revera consilium præbet, directè tendens in damnum fœtus: & de præbente consilium verificatur, etiam abortum procurare, juxta disposita à Sixto V. *in alleg. const. Effrænatam.* Propterea Confessarius abortum suadere non debet; nam semper in eo habetur directa innocentis occisio, quæ assumeretur, ut medium ad impediendam illam culpabilis Puellæ; sed totus esse debet, & conari, ut puellam removeat à concepto proposito; quod si non proficiat, eam Deo commendet. Sed videat, ne notitia Confessionis extra ipsam utatur, vel apud Parentes, aut alios, ad effectum, ut impediant; nam sigillum Confessionis frangeret, quod in nullo casu licet.

15. Adductum axioma *de duobus malis minus, &c.* valet solùm in malis physicis, & quando est necessitas eligendi alterutrum, non in peccatis, quia peccatum non est eligibile, nec ipsum eligere necessitamur: nam non peccamus eligendo,

do, quod eligimus necessariò, quia ex Augustin. *nullus peccat in eo, quod vitare non potest*, v. S. Th. *cit. qu. 43. art. 7. ad 5.* In malis itaque physicis illud verificatur: & exemplum sit: est infans in periculo, ut decedat sine baptismo: hæreticus mihi, districto gladio, mortem minatur, si baptizem: sum in necessitate eligendi mortem temporalem mei, vel damnationem æternam infantis permittere: debeo eligere illam, ut minus malum. In peccatis autem non concludit: & ideò parato occidere, vel furari, neutrum possum consulere, quia præfatus non est in necessitate eligendi unum, vel alterum, ergo imprudenter unum, vel alterum consulo nam semper consulo peccatum, quasi foret eligibile.

16. Quæritur, *quomodo se gerere debeat Confessarius cum pœnitente, exponente, se procurasse abortum?*

Resp. Interroget, an fœtus fuerit animatus, vel inanimatus; si inanimis sit, modò aliàs sit capax, potest absolvere; si verò sit animatus, non potest, cùm sit excommunicatus excomunicatione reservata Ordinario juxta const. Greg. XIV. *incip. Sedes Apostolica pia mater* 8. *Bull. tom. 1.* per quam moderatur illam Sixti V. *Effrænatam* 87. *ibid.* Unde sciendum Sixtum V. cum aliis pœnis statutis contra procurantes aliquo modo abortum fœtus, sivè animati, sivè inanimis, decreville excommunicationem ipso facto incurrendam, Sedi Apostolicæ reservatam; Greg. autem, quantum ad pœnas, latas in procurantes abortum fœtus non animati, aut exhibentes mulieribus, vel sumentes venena sterilitatis, Const. revocavit, & reduxit ad terminos juris communis, Sacrorum Canonum, ac Conc. Trid. dispositionem; quantum verò ad pœnas iisdem impositas post animatum fœtum, eam moderatur solum, quoad absolutionem ab excommunicatione, & peccato, quam Ordinariis locorum reservavit; à quibus potest quilibet Confessarius approbatus absolvere, modò ad id specialem deputationem obtineat.

Propterea ponderent Confessarii. I. Non sufficere se habere facultatem, utcumque absolvendi à reservatis Episcopis, sed necessarium esse, esse specialiter deputatos ad hos casus, ut scilicet in facultate individuò exprimatur, quòd possit absolvere delinquentes circa abortum fœtus animati, ut expressè const. Greg.

II. Quòd censura non incurritur, nisi effectu mortis sequuto, seu, ut re ipsa abortus animati fœtus sequutus fuerit, &, nisi scienter abortus procuretur, ut ibid. Sixtus.

III. Hìc Romæ potest quivis Sacerdos approbatus absolvere ab excommunicatione incursâ propter abortum fœtus animati, quia hic solum prohibentur Confessores absolvere à casibus reservatis Pontifici, & Sedi Apostolicæ.

17. Sed quid, *si pœnitens dixerit, probabile erat, quod non fuerit animatus.*

Resp. Eum absolvere nequit; nam reus est homicidii; adeoque excommunicatus, quia potuit in re hominem occidisse, arg. ex *cap. ad audientiam*, & *cap. petitio de homicid.* Etenim, dum probabile est non esse animatum, probabile est etiam animatum esse (nam probabilitas, non facit evidentiam de una parte,

te, quinimmò formidinem relinquit de oppositò) ergo, qui circa eum delinquit usque ad ejectionem ex utero, & cum damno, ut ad vitam non veniat, exponitur periculo proximo occidendi hominem, qui autem simili periculo se exponit, jam reus est homicidii: cum in moralibus ejusdem malitiæ sit constituere se voluntariè in morali, & proximo periculo committendi aliquod crimen, & illud committere, ergo. Propterea, dum mihi est probabile id, quod à longè video esse hominem, & probabile esse feram, homicidii reus ero, si telum in eum dirigam, & sclopum explodam, quia me constituo in probabili periculo proximo occidendi hominem; & excommunicationem incurro, si hominem occidam, quamvis fuerit mihi etiam probabile, quod esset fera; dum pro hominis occisione sit censura imposita.

## CAPUT XXI.

### *Prop. XXXVI. & XXXVII. ab Innoc. XI. &c. Furtum.*

1. PROP. 36. *Permissum est furari, non solùm in extrema necessitate, sed etiam in gravi.*

PROP. 37. *Famuli, & famulæ domestica possunt occultè heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.*

Præsentes propositiones spectant ad instructionem de furto dandam Confessario, ideò de ipsius natura, & furtis, quæ famuli in rebus dominorum committunt, aliqua dicenda sunt.

Ex *cap. 9. num. 5.* notetur discrimen inter necessitatem extremam, gravem, & communem; & quæ dicantur bona superflua naturæ, & superflua statui, ac, ex quibus superfluis teneantur divites eleemosynas elargiri.

2. Notetur pariter, extra controversiam esse, licere extremè indigenti ad subveniendum sibi, ne fame pereat, ex rebus alterius necessaria sumere; nec tunc furtum committitur, ut probat D. Thomas 2. 2. *qu.* 66. *art.* 7. *in corpore*, nam pro eo statu omnia ad communitatem redeunt: divisio enim, & appropriatio rerum est introducta jure Gentium (lege nimirum per homines statuta, quam servare debent omnes Gentes) ob bonum, & pacem Orbis, sed jus Gentium non derogat legi naturæ, qua omnia in extrema necessitate sunt communia, ne Orbis pereat, ergo &c. Consequenter injuriam non facit domino rei, qui invitus esse non potest, sed potius credi debet, quod permittat, juxta Gloss. *in cap. si quid de furt. in verb. pœniteat.*

2. Sed quæritur, *quare in extrema necessitate sit licitum aliena surripere: & propter necessitatem famis, v. g. excuser à furto, & ab homicidio, si propter necessitatem me defendendi, meum invasorem occidam, & in necessitate ad vitam salvandam, non excuser à voluntaria seminis effusione?*

Resp. De hac re vide infra *cap.* 28. Sed discrimen est, quia primo casu jus naturale subvenit, & excusat, cùm propter necessitatem res sit facta communis; in secundo verò, ut cit. Gloss. loquitur, ego non interficio, quia aliud non intendo, quàm

quàm me defendere; immò potius ipse se interficit, qui me aggreditur ex dictis *lib.*1. *cap.*13. at in tertio accusat turpitudo, & essentialis inhonestas, ac deordinatio ipsius, & horror proveniens ex peccato; unde debeo potius omnia mala sustinere, quàm peccato consentire, *cap. itaque* 32. *qu.*5. Vid.Fagnan. *in* 4. *ad cap. ex literis de divortiis num.*8. & Ilsung *tr.* 4. *disp.*1. §.2. *n.*27.

3. Quæritur, *in quo differant furtum, & rapina.*

Resp. In hoc, quod furtum sit *acceptio rei alienæ, invito Domino rationabiliter.* D. Thom. *cit. art.* 3. & quia in conscientia injusta detentio rei alienæ reputatur furtum, ideò *ly acceptio* latè sumitur: immò, cùm Dominus possit à commodatario, pignoratario, & depositario rem suam furto auferre, propterea debent verba: *res aliena, & invito Domino*, accipi latè: ut eatenus res dicatur, etiam aliena, & aliquis Dominus rei, quatenus habet jus detinendi illam rem, & prohibendi alteri ejusdem acceptionem; propterea posset furtum sic describi: *est acceptio boni externi sine vi, & absque consensu ab eo, qui, vel est ejus Dominus, vel legitimè retinet illud.*

Rapina vero est, *injusta ablatio boni externi palàm, cum vi, & violentia facta.*

5. Quæritur, *an in Confessione sit explicandum, an res ablata fuerit furto, vel rapina?*

Resp. Affirmativè; ratio est, quia furtum, & rapina specie differunt, ex D. Th. *cit. art.*4. nam per furtum unica tantùm injuria fit Domino, surripiendo bona; per rapinam verò, præter istam, alia injuria fit personæ, dum ab ea per violentiam bona auferuntur; & ideò per hanc duplex jus læditur: jus, quod quis habet in bona, & jus, quod habet, ne sibi violentia inferatur damnum in bonis.

6. Quæritur, *an furtum, & rapina sint ex suo genere mortale?*

Resp. Affirmativè, ex D. Thom. *art.*6. ratio est, quia, in quantum sunt acceptio rei alienæ, opponuntur justitiæ, quæ reddit unicuique, quod suum est: justitia autem sub mortali obligat; & destruunt charitatem, & pacem cum proximo; nam ex charitate tenemur proximo bonum velle, per furtum autem nocumentum in suis rebus inferimus: omne autem id est mortale, quod charitati contrariatur, ex D. Thom. ibid. ex parvitate tamen materiæ, & dum hæc sit levis, excusari possunt, & esse veniale.

7. Sed quæritur, *quando furtum censeatur mortale ratione materiæ gravis, seu, quæ quantitas per se loquendo requiratur, ut quis furando peccet mortaliter?*

Resp. DD. non conveniunt in determinanda gravitate, vel levitate materiæ. Navarrus in manuali statuit dimidium Julium pro materia furti mortalis: Corduba unum: Toletus, & Lessius duos: alii pro materia per se mortalis furti designant id, quod æquivalet mercedi diurnæ unius operarii, tempore, quo dies non sunt nimis longi, vel nimis breves: & alii pretium sufficiens ad sustentationem hominis plebei pro unico die. Sententia mihi probabilis, determinat tres julios, à quovis auferantur, sive Rege, divite, vel alio; ratio est; quia debuit sub mortali ea quantitas, à quovis Domino accepta, prohiberi, quæ in majori homi-

num parte, vim habet alliciendi ad furtum, & à qua magni æstimatur in ordine ad finem, maximè desiderabilem (ad quem finem ipsa bona temporalia à natura ordinata sunt) ad sustentationem nimirum, qua integro die possit convenienter vivi, & cogi, quis non debeat ad miserè vivendum; sed quantitas unius testonis est materia apta alliciendi ad furta, & sufficiens ad competentem sustentationem unius diei pro majori hominum parte, ac satis pro statu cujusvis personæ ad plura comparanda, ergo per se l quendo debuit sub mortali prohiberi: aliàs in majori hominum parte non impedirentur furta, & injustitiæ multiplicarentur, læderetur pax, & charitas inter homines destrueretur.

Dixi *per se loquendo*, quia per accidens ratione nimirum damni, personæ illati, potest esse mortale furtum unius oboli, vel acus à sartore.

8. Sed quæritur, *an furari unum testonem à divite sit mortale?*

Resp. Affirmativè: ponderet Confessarius in furto duplicem materiam: unam gravem ex se, & ex objecto: hujusmodi ex dictis *num.* superiori reputatur unius testonis summa; alteram ex parte personæ, à qua res furto auferitur, considerato damno, quod ei obvenit ex ablatione propriæ rei; ex isto capite ablatio unius testonis à divite non apparet esse mortale: quia notabile damnum non infert; ex primo verò, utpote per se, & ex se materia gravis, mortale est: & ad hoc impertinens est damnum illatum. Hæc debet Confessarius inspicere, dum se pœnitentes de furtis accusant.

9. Quæritur, *an sit in Confessione explicanda quantitas furto ablata, v. g. furatur Petrus mille, an debeat exprimere furatus sum mille, an verò sufficiat abstuli furto quantitatem sufficientem ad mortale?*

Resp. Ex *lib. 1. cap. 18. n. 3* debet quantitatem explicare, quæ est circumstantia notabiliter aggravans, & mutans judicium Confessoris, vel circa dandam absolutionem, aut imponendam pœnitentiam, vel adhibenda morbo remedia: furanti mille major pœnitentia imponitur, quam furanti testonem: furans testonem, pro prima vice, si serio promiserit restituere, potest statim absolvi, etiam si non restituerit, & commodè potuerit; furans autem mille, & potens de præsenti restituere, non est absolvendus, nisi prius restituat.

10. Sed quæritur, *pœnitens se accusat:* Pater, furto *accepi mille, super quo primo interrogabitur à Confessario?*

Resp. An unica, vel iteratis vicibus acceperit; quia, si simul omnia, unica vice abstulerit, commisit unum mortale, licèt gravius; si verò pluribus acceperit vicibus, debet explicare, quot sint vices, quia si viginti vicibus v. g abstulit, viginti peccata mortalia furti patravit.

11. Sed quid, *si affirmet, abstuli viginti vicibus; at sex primis abstuli valorem unius julii, & in cæteris summam totalem?*

Resp. Interrogandus est, an cùm prima, vel secunda vice, quid minimum abstulerit, habuerit animum, & intentionem deveniendi ad materiam gravem, & plura furandi, vel non; si eo animo processit, etiam in prima vice, ob illum ani-

minum, mortaliter peccavit; nam animus, & desiderium committendi gravem offensam in quacumque materia, est semper culpa mortalis; quòd verò animum non habuit furandi plura, sed solùm occasionaliter furatus sit, tunc non peccat mortaliter, in prima, secunda, vel tertia vice, sed quando pervenit ad retinendam rem alienam in quantitate notabili. Vid. *cap. sequen.*

Hinc à Confessario sunt de ea intentione interrogandi, qui furtis, etiam minimis, sunt involuti, quia sæpe eis animus non deest majora surripiendi, licèt pauca surripuisse fateantur: nam plura abstulissent, si occasio ad plura se obtulisset.

12. Sed quid, *si se accuset:* furatus sum unicum quadrantem, sine intentione majora furandi?

Resp. Interroget, an in præcedentibus furatus sit summam gravem, accedentem ad mortale: & si id invenerit, inquirat, an cum postea abstulit quadrantem, adverterit se ante materiam gravem accepisse; quod, si fateatur, furando quadrantem, mortaliter peccavit; ratio est, quia esto postea accipiat materiam levem, & summam venialem secundùm se, tamen, quia eam accipit cum advertentia, quod præcedenter acceperit materiam gravem, mortaliter peccat: si non ratione ejus, quod accipit, ratione tamen ejus, quod retinet, quia rem gravem retinet; vel propter animum, quem habet detinendi summam notabilem, eamque augendi parvis furtis subsequentibus: sed, an in casu teneatur ad restitutionem, dicam *cap. sequen.*

13. Sed quid, *si dixerit, se non advertisse ad furta præcedentia?*

Resp. Videat, an advertere debuerit; & censetur debuisse advertere, si habeat consuetudinem furandi, propter quam veluti ex habitu inadvertenter minima furatur; quo casu mortaliter peccat, & tenetur adhibere diligentiam ad illam consuetudinem extenuandam: experiendusque est antequam absolvatur. Utens pariter statera, in qua ex unaquaque libra tollitur semiuncia, debuit advertere, quod vendendo semper lucrum ex illa semiuncia proveniens surripiet; & ideò toties mortaliter peccat, quoties cum illa statera merces vendit; & priusquam absolutionem recipiat, debet à se stateram removere, vel illam ad justum pondus reducere: nullus enim est absolvendus, nisi cum morali certitudine, quod habeat propositum efficax amplùs non peccandi.

14. Sed quid, *si habens illam consuetudinem, vel stateram, accesserit ad Confessionem ultimo die, in quo urget obligatio implendi præceptum Paschale de annua Confessione?*

Resp. Absolvi non debet, sed potest ei tempus prorogari, juxta *cap. omnis utriusque sexus de pœnit. & remission.* vel ad proprium Parochum dirigatur.

15. Sed quid, *si affirmet se aliàs fuisse confessum de furto, & nunc dicat grave scandalum sequuturum, nisi communicet, & non absolvatur?*

Resp. Ex hoc à fortiori Confessarius concludat esse indispositum, & non accessisse ad Confessionem nisi ad effectum solum vitandi pœnas ab Ecclesia inflictas; nam aliàs Confessionem non distulisset ad

ultimum diem; vel saltem priori Confessario, cui promiserat se corrigere, paruisset; à Confessario itaque absolvendus non est, ne sacrilegium committat; quod toties contingit, quoties absolvit, dubitans prudenter de proposito efficaci pœnitentis: si scandalum sequitur, sibi imputet, debebat hoc prævidere; sed de hoc etiam *cap.* 35.

16. Quæritur, *accedit venditor piscium, & se accusat*; Pater, in vendendo utor statera dolosa, in qua ex quavis libra semiunciam emptoribus fraudo: & venditor vini, aperiens, quoties vinum vendo, mensuram rado, vel non impleo, sic, ut pro unaquaque quadrantem lucrifaciam; peto instrui, an mortaliter peccaverim? nam sum in sententia negativa, cum plures Authores doceant, non esse mortale auferre magnam quantitatem à diversis, modò auferatur à singulis parva: singulis enim parvum nocumentum infertur, & quilibet seorsim leviter læditur.

Resp. Debet Confessarius eos instruere, vel quod stateram, & mensuram projiciant, vel eas aptent, ut justum reddant: deinde significet falsitatem sententiæ, asserentis eum non peccare mortaliter, qui per pauca furta à diversis quantitatem notabilem aufert; nam repugnat Scripturæ. Proverb. 11. ubi dicitur: *statera dolosa abominatio est apud Deum*; & Deuteronomii 25. *non habebis in sacculo diversa pondera, majus, & minus &c. Pondus habebis justum, & verum &c. abominatur enim Dominus Deus tuus eum, qui facit hæc.* Et est Reipublicæ injuriosa, cujus Cives, licèt non sint formaliter graviter læsi, sunt tamen sic radicaliter, hoc est, in eare, quæ nisi graviter prohibeatur, maximum sequitur inconveniens contra bonum publicum, & indemnitatem singulorum Civium; quoniam sic liceret unicuique ex industria ditescere ex alieno, fraudando mensuras, falsificando merces, minuendo pondera, restringendo ulnas, &c. hinc, quæ fidelitas in commerciis? quæ justitia in contractibus? qui mores in Republica? Tum quia, etsi singuli formaliter sint parum læsi, tamen furiste habet in suis bonis plus notabiliter, quàm debeat habere, quod etiam, justitia interdicit.

17. Sed quid, *si plures furarentur parvam quantitatem ab uno, & eodem, ita tamen, ut totum ab omnibus acceptum summam notabilem constitueret?*

Resp. Vel omnes, & singuli convenerunt ad furandum, vel non: si primum, omnes peccarent mortaliter, quia sic singula sunt causa totalis gravis damni: si secundum, & nemo scivit alios furaturos tantum, quantum cum quantitate ab ipso accepta faceret magnam quantitatem, nullus ex illis peccaret mortaliter, quia nullius furtum secundùm se esset grave, & quilibet ignorabat reddi grave per furtum aliorum; quorum unio fuit casualis, & à nullo fuit damnum grave intentum, sed singuli solùm ad suam portionem respexerunt.

Verùm, si bona alicujus essent ita exposita, ut verisimiliter præsumeretur, quòd, si uni liceret absque peccato lethali, etiam parvam quantitatem accipere, multi similem tollerent, & sic fieret illi notabile damnum; crederem, nullum

posse

posse auferre parvam quantitatem absque peccato mortali, quia ex tali expositione bonorum posset facilè cognosci, quòd furtum ex se parvum, redderetur magnum ex conjunctione cum aliis furtis: & ita videtur peccare mortaliter, qui ex vinea exposita sic, ut alii possint ex ea aliquid surripere, racemum uvæ accipit. Poncius.

18. Propterea à mortali non excuso eos, qui hic Romæ, per abusum graviter peccaminosum, fœnum per minuta furta surripiunt, dum ad locum conservationi destinatum, trahitur: non modò propter intentionem, quam habent perveniendi ad gravem quantitatem; verùm etiam, quia, cum videant alios paratos ad surripiendum, jam censentur causa moralis gravis damni; quod, si non singulis Dominis, omnibus tamen simul sumptis provenit. Item dicitur de illis, qui tempore messis spicas cõlligunt ultra eas, quæ manent post terga metentium, invenientes in fine messis, se quantitatem notabilem de alieno habere, vel saltem intentionem ad id habendum habuerunt; propterea, si velint tunc retinere & non restituere, pauperibus saltem, peccant mortaliter. Pondera, spicas à messoribus, & racemos post terga vindemiantium relictos, censeri pauperibus relinqui.

19. Quæritur, *an peccet mortaliter peccato furti venditor non aperiens defectum occultum suæ mercis?*

Resp. Affirmativè; emptor enim præsumitur velle rem non vitiosam, & quæ sit sibi utilis; & venditor ex officio tenetur explicare conditionem, & vitium occultum suæ rei: maximè, si interrogetur de bonitate, vel vitio ipsius; quod si affirmet rem vitio carere, & eam multum laudet, sciens occultum vitium, facit injuriam emptori, &, dum hac ratione emptorem alliciat, contractus est invalidus, quia ei dolus causam dedit; nam, si emptori notum fuisset vitium, non emisset: & si emisset, non tanti; ideò tenetur venditor ad restitutionem quantitatis, ad quam fuisset emptor invitus.

20. Sed quid de illis, *qui fraude utuntur, & bonis mercibus alias defectuosas, vel minoris valoris commiscent, v.g. frumento, secale, vel aliud corruptum: vino aquam miscent: vinum tenue cum generoso confundunt: lanas in locis aquosis constituunt, ut tanto magis ponderent: & sic de cæteris in quibus fraus in qualitate & quantitate intervenit?*

Resp. Peccant mortaliter, si res propter admixtionem sit facta deterior, ut propterea emptor præsumi debeat verisimiliter invitus, quamvis ea ipsi vendatur justo pretio, quo valet cum illo occulto vitio; ideò, si vendo tibi vinum, ad statim bibendum optimum, in brevi tamen corrumpendium, teneor tibi dicere hoc vitium, ut illud non serves.

21. Sed unde *cognoscendum, quòd emptor sit invitus?*

Resp. I. Cognosci potest, si rem non vitiosum petat. II. Si damnum posteà debeat pati. III. Si res posteà ei debeat esse inutilis, & dispendiosa IV. Si rem ad conservandum emat; ut si emat vinum ad conservandum, & ob mixtionem aquæ, sicitò non absumatur, totum cum ejus damno corrumpetur, & acescet: vel, si emat in quantitate fructus, & quia per industriam venditoris commixti sunt, cum aliis

aliis de facili ad putredinem tendentibus, statim deficient: in his, & similibus, emptor est verisimiliter invitus, & contractus nullus; & cum venditor sit causa damni, ad restitutionem tenetur.

22. Sed quid, *de illis venditoribus, qui, quia emptoribus non placent merces, nisi infimo pretio justo, & ipsi vellent eas vendere pretio justo medio, vel supremo, compensant id occulta diminutione mercis, in mensura nimirum, vel pondere:* v.g. conantur mensurando pannum unam, vel mediam ulnam lucrari, ut simili modo perveniant ad pretium intentum?

Resp. Peccant mortaliter contra justitiam, & obligantur ad restitutionem, ratio est, quia licèt possent vendere merces pretio medio, vel rigoroso justo, id tamen post conventionem eis non licet; sed tenentur stare conventioni, quæ est justa, licèt sit de pretio infimo.

23. Sed quid, *de illis, qui, dum faciunt computa cum mercatoribus, aliqua tacent, quæ certò sciunt se ab illis recepisse, & cognoscunt non esse à mercatore notata?*

Resp. Peccant pariter mortaliter contra justitiam, & ad restitutionem tenentur, quia rem alienam retinent.

24. Sed quid, *si allegant se illa retinere, quia mercator, alias merces nimis carè vendidit?*

Resp. Similis excusatio eos à peccato, nec ab onere restitutionis liberat; nam, si convenerunt de pretio, etiam supra rigorosum justum, tenentur in conscientia stare pacto. Verùm mercator tenetur excessum restituere.

25. Quæritur, *an famulus, cui Dominus committit aliquid vendendum hac forma: vendas hoc decem; possit sibi retinere aliquid, si vendiderit duodecim?*

Resp. Negativè, sed totum illud est Domini, cui tradendum est; nam ideò Dominus pretium determinavit, ne res venderetur infra, non verò quod, oblata occasione, non venderetur supra infimum pretium justum.

26. Sed quid, *si famulus rem illam ipse sibi compararet pretio à Domino statuto, & pluris postea suo nomine venderet justo pretio?*

Resp. Facit contra justitiam, quia verisimilis Domini voluntas est, ut intra latitudinem justi pretii rem vendat, quantum potest: & propterea nullum legitimum titulum habet ad illud pretium sibi retinendum: nec ratione rei venditæ contra præsumptam voluntatem Domini: nec ratione ministerii, & industriæ, quia habet suum stipendium.

27. Sed quid de illo, *qui non est servus, & ei traditur, ut vendat pro se, & vendit pro alio?*

Resp. Non potest sibi retinere illa duo, nam hoc obsequium regulariter amicabiliter, & gratis præstatur.

Sed quid, *si id non soleat exercere, nisi pro pretio, & stipendio?*

Resp. Debet id notificare Domino, qui, vel seipso rem venderet, vel fortè alium venditorem inquireret, qui sibi servitium gratis præstaret; vel saltem conveniret de pretio dando pro labore; & ideò totum pretium rei venditæ debet ipsi reddere, ut posteà solvat juxtà conventionem. De la Cruz 7. *præcept. q. 2. nu. 7. in fine.*

28 Quæ-

28. Quæritur, *accedit famulus instrui petens*; vellem scire, an possim sine peccato mortali occultè surripere à meo Domino aliquid in compensationem majoris laboris, quem pro ipsius servitio præsto, cum pro eo salarium sit stipendium minus justo.

Casus est satis frequens inter famulos, & operarios, qui sæpe conqueruntur, stipendia esse justo minora, ideoque hoc titulo id alia via sibi compensant?

Resp. Negativè, ut in terminis ex Innoc. damnante 37. *prop.* Judicium, quod stipendium sit justo minus, non debes tu efformare, nam ex amore ad propria commoda decipi potes, & censere tibi evidentem injustitiam irrogari in quantitate salarii. Ideò advertas, quòd, sicut in mercibus datur triplex pretium, *summum*, *medium*, & *infimum*, ita, & in ministeriis famulorum; mensura autem stipendii, tum ex lege, tum ex consuetudine, tum ex pacto sumitur: nec mensuratur ab integra tui sustentatione, & familiæ.

Inquirat Confessarius, 1. An sint alii, qui pro eodem salario servirent? an ipse Dominum rogaverit, ut ad suum servitium reciperet? & dum affirmet, ei ostendat salarium, quod ipsi tenue videtur, justum esse; nam merces ultroneæ vilescunt.

29. II. An de pretio convenerit, sciens Dominum ad plura servitia famulos applicare, vel saltem dubitans, quod alii reciperentur, qui talem operam præstarent pro tali pretio; & tunc, debet stare pacto, nam, si tunc aliquid majus exegisset, fuisset ab hero licentiatus.

30. III. Quare cum experiatur, se ab hero nimis gravari propter varios labores, ad ipsum non recurrat, exaggerando tenuitatem stipendii, & quantitatem laborum, exponendo se pro eo tot labores, & operas præstare non posse? quia, vel tunc herus augebit pretium, vel alium famulum pro tali stipendio ad tales operas præstandas inquiret: ex quibus patet, Dominos semper invitos censeri super excessu, quem sibi famuli occultè ad compensandum suum laborem surripiunt.

31. Quæritur, *an habens creditum, seu jus ad rem sui debitoris, possit per occultam compensationem surripere de bonis, ad quæ debitor habet jus in re, usque dum sibi ad æqualitatem satisfaciat?* exemplum est in famulo, cui herus ob servitium præstitum, debet ex prævia conventione stipendium, loco cujus, dum ab eo illud petiit, verbera recepit, & majora mala verisimiliter timet, si recurrat ad Judicem, apud quem non potest creditum justificare, nec consocii testari volunt, ob metum mortis, eisdem etiam à communi Domino comminatæ?

Resp. Rotarius apparat. *Theol. moral. p. 2. cap. 1 n. 9.* absolutè affirmat; maximè, si cum circumstantia exposita concurrat, etiam esse creditum liquidum, & certum, & quod plus non accipiat. Cujus sententia non debet ita de facili ad praxim deduci; sed cautè est à Confessario cum similibus procedendum, ne mille injustitiis via aperiatur, & aditus occultis furtis præbeatur; ponderet itaque, vix posse in praxi contingere, quin occultum furtum, in compensationem facti, alteri innocenti

imputetur, & in alium culpa refundatur cum gravi illius præjudicio; ideò hujusmodi modum compensationis nunquam consulat, sed potiùs, ut de alio Domino sibi provideat, & curet justitiam Judicis officio recipere; vel expectet satisfactionem sibi ex justitia debitam, officio Confessariorum, qui Dominos ita duros non debent absolvere, nisi prius satisfaciant.

32. Sed quid, *si Confessarii inveneriint aliquem sibi sic occultè satisfecisse?*

Resp. Interrogent, an id præstiterit cum dubio, quòd alteri innocenti potuisset furtum attribui, & tunc est obligandus ad restitutionem: ut hac via impediat in Domino temeraria judicia, & in tertio mala, quæ probabiliter possent eidem obvenire; nam licèt jus habeat ad rem illam Domini pro suo credito, non habet tamen jus ad eam surripiendam cum damno tertii: hinc sequitur, quod sententia Rotarii in praxi probabilis non videtur. Vide Campionum *part. 2. instruct. cap. 2. num. 3.*

33. Sed quæritur, *an peccet mortaliter, qui occultè accipit rem suam ab alio injustè detentam?*

Resp. Affirmativè, non contra justitiam commutativam, sed legalem, usurpando officium Judicis; sed nihil restituet, cum non acceperit alienum; sed teneturaliquo modo monere eum, apud quem res erat, ne sollicitus sit pro restitutione: & in casu, quo id non possit, & alter restituat, debet sua ipsi secreto modo reddere. Pariter ex D. Thoma *cit. art. 3. ad 3.* peccat mortaliter, qui accipit suum librum depositum apud Franciscum sine hujus licentia, nam facit injuriam Francisco, quia res deposita, quantum ad custodiam, est ejus, apud quem deponitur.

34. Quæritur, *an mortaliter peccent famuli si clam à Domino surripiant quadam ad edendum, & bibendum, esculenta, & poculenta?*

Resp Affirmativè: modò surripiant ad vendendum, vel donandum, ac ad abutendum, ad compotationes, & comessationes: nam certè id graviter displicet heris, qui rationabiliter sunt inviti, etiam circa substantiam rei. Verùm, si surripiant ea ad bibendum, & edendum, non in notabili quantitate, & in rebus ordinariis, quas ipsi consumunt, & quæ non solent ab heris sub clavi asservari, videntur graviter non peccare; ratio est, quia non censentur Domini, quoad hæc esse inviti quoad substantiam, sed præsumuntur probabiliter consentire, dum scientes eum esse morem famulorum, ea sub custodia non concludunt.

Advertas cum DD. majorem quantitatem requiri, ut filii, & domestici peccent mortaliter furando, quàm exteri: ratio est, quia minus verisimiliter invitus reputatur Dominus respectu suorum, quam exterorum: non conveniunt tamen in assignanda quantitate, quæ ad mortale sufficiat, ideò opus est prudentia Confessarii: nam certè minus invitus erit Dominus liberalis, amicus, dives, quàm avarus, & pauper, ac remissè amans: minùs, si domestici furentur ad proprios usus, quàm ad dandum aliis; minùs, si panem, vinum, esculenta, reliquias, quàm pecuniam, vestes, & pretiosa electuaria: minùs, si rarò, & per modicam: magis, si per notabilem quantitatem,

tem, simul, & sæpè res auferatur; & ex similibus discurras.

Cæterùm totus Confessarius esse debet, & curare omnes præfatos à similibus revocare, ne per parva furta domestica ad graviora descendant, Deum graviter offendendo, & ne sibi, nec in gravibus conscientiam faciant.

35. Quæritur, *Super quibus Confessarius, quoad furtum, interrogabit Sartores?*

Resp. Interroget: I. An pannum, quem ex commissione accedentium ad proprias officinas à mercatoribus emunt, & pretio medio obtinent, commissarius vendiderint pretio majori, asserentes tanti valere volentes tali modo compensare etiam laborem, & operam, quam præstare non tenebantur; nam tunc certè peccant mortaliter, si notabiliter lædant emptorem, qui præsumitur verisimiliter invitus de excessu, putans tantum pretium fuisse pro eo à Sartore solutum: Propterea & peccant peccato furti contra justitiam, & peccato mendacii contra veritatem.

II. An aliquid detinuerint ex materia, in qua operantur (multi enim putant justificare furta, allegantes ob multitudinem sartorum, non solvi sibi justum pretium, & sic opus esse aliqua industria ad aliquid exiguum detinendum, quo compensent inæqualitatem; & tamen nosse deberent, hoc ipsum, quod multi eodem pretio parati sint opus facere, operari quodammodo, pretium esse justum: nam multitudo locantium operas non parum conducit ad diminuendum pretium pro tali opere dandum) & quatenus affirment: interroget: quoties id egerit, & an semper in gravi quantitate? & si in parva, an habuerit intentionem perveniendi ad quantitatem gravem, & quot personas læserit, & an ex consuetudine sit ad ea parva furta assuetus, & in casu procedat juxta dicta *num. 6.*

III. An plus justo exigant pro labore vestis. Togæ &c.

IV. An suis operariis stipendia retineant &c.

36. Quæritur, *an mortaliter peccaverit argentarius in emptione gemmæ, cujus valor erat venditori incognitus, pro qua dedit pretium non adæquatum ipsius valori. V.G.* rusticus invenit gemmam, putat esse lapidem non tantæ æstimationis: eam argentarius, non ignorans esse gemmam, emit, sed pretio non justo?

Resp. Affirmativè, nam venditorem graviter lædit, qui censetur rationabiliter invitus; ideò conveniunt DD. teneri emptorem, qui nescit rem vendendam pluris à peritis æstimari, monere venditorem de singularitate, & æstimabilite rei, vel augere pretium juxta æstimationem valoris, quem habet.

37. Sed quid, *si emptor rustico dixerit*; ego volo esse in conscientia tutus, ideò, si fortè res plus valet, dones mihi excessum?

Resp. A mortali non excusatur; nam cum dolo, & fraude procedit: nec donatio sic qualificata tenet, quia propter ignorantiam censetur involuntariè donare: nec contractus subsistit, ut ex dicendis cap. 23. patebit; timeant isti dictum Au-

gustini ..... *lucrum in Arca, damnum in conscientia.*

38. Quæritur, *de quibus interrogandi sunt pœnitentes circa præceptum, non furtum facies?*

Resp. I. An scienter acceperint, vel detineant rem alienam. II. An rem furto sublatam emerint. III. An vendiderint, vel emerint cum fraude, in pretio, & mensura, & fallacibus mensuris fuerint usi. IV. An aliorum agris, hortis, Domibus, vel bonis aliis damnum intulerint. V. An debita creditoribus, mercedem operariis, salarium famulis, potentes solvere, cum eorum damno, solvere distulerint. VI. An ministerium, pro quo eis merces datur, fideliter exercuerint. VII. An rem alienam inventam retinuerint: vel, an reddiderint domino: aut, hoc ignorato, an pauperibus distribuerint. VIII. An rem sui domini custodierint, prout debebant IX. An se finxerint pauperes ad eleemosynas accipiendas, conjungentes furtum mendaciis. X. An solverint Gabellas; & tandem super id totum, quod ad justitiam erga proximum in bonis reduci potest. Omnes enim isti veniunt nomine furis.

39. Quæritur, *an furripiens rem alienam coram aliis debeat in Confessione non solùm furtum, verùm etiam & scandalum aperire?*

Resp. Affirmativè, quia sunt peccata diversa: furtum contra justitiam, & scandalum contra charitatem: & debet exprimere, quot scandalizaverit; nam tunc tot scandali peccata numero distincta commisit, quot erant personæ, in quarum præsentia alienum furripuit: ab objectis enim numero distinctis sumitur numerica distinctio peccatorum, sicut specifica a formalibus ex dictis *lib. 1. cap. 17. num. 10.*

40. Sed quid, *si non intendat ruinam spiritualem proximi?*

Resp. Non obstat, ut peccet peccato scandali (quod est proximi ruina spiritualis) sed sat est, ut faciat actionem de se inductivam ad peccatum, & tunc quoad eos solùm peccat contra charitatem.

41. Sed quid, *si etiam consulat furtum?*

Resp. Tunc censetur causa moralis furti; & non solum peccat contra charitatem inducendo alium suo malo exemplo ad furandum, sed etiam contra justitiam; & tenetur restituere, quod alius suo consilio furripuit, si alter non restituat, juxta dicenda cap. sequen.

42. Quæritur, *an Gabellæ sint sub mortali à subditis solvendæ?*

Resp. Vid. *lib. 1. cap. 21. num. 10.*

43. Quæritur, *an mortaliter peccent Agasones, & Muliones, quibus commissa est ab heris cura animalium, ovium, equorum, jumentorum, &c. certa portione illis distributa in alimentum illorum, si, insciis heris, furripiant ultra eam portionem, fœnum, avenam, & his similia, in pinguius alimentum illorum animalium?*

Resp. Affirmativè; nam tunc disponunt de rebus contra voluntatem domini: propterea debent esse contenti illa portione sibi assignata pro pecoribus, quam judicat dominus esse sufficientem; quod si sufficiens non sit, jam non sumitur ad pinguius alendum animal; & optimum

mum erit id domino significare, ut vitentur scrupuli.

44. Sed difficultas est, *an teneantur ad restitutionem?*

Resp. Affirmativè, si contra rationabilem voluntatem domini, non solùm conducentia alimenta, sed & superflua animalibus dederint sic, ut ob eorum prodigam dissipationem alimentorum in pecora factam, grave damnum dominus recipiat; aliàs negatur, quia lucrum domino cessit in animalibus suis.

45. Sed quid, *dicendum de pastore, qui cum grege domini alit quemdam numerum ovium suarum (decem nimirum, vel viginti) si ultra portionem rationabilem ab hero assignatam majorem surripiat?*

Resp. Teneri ad restitutionem, saltem quoad partem redundantem in oves proprias, quia inde lucrum, & fructus ei, & non domino, provenit; quòd, si suis solùm ovibus surripiendo provideat de ampliori portione, neglectis ovibus heri, absque dubio tenetur in integrum restituere. Videas pro uberiori instructione dicenda cap. sequen.

De furto sacrilego vide *lib. 1. cap. 18. num. 35. 36. 37. & 38.*

## CAPUT XXII.

*Prop. XXXVIII. & XXXIX. ab Innoc. XI. &c.*

*Restitutio quoad bona fortuna.*

1. PROP. 38. *Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis.*

Prop. 39. *Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.*

Pro intelligentia restitutionis debet Confessarius, priusquàm ad particulares casus descendat, terminorum notitiam acquirere, ut ea instructus possit tutò procedere cum pœnitentibus, qui ad restitutionem faciendam, vel ad resarcienda damna, injustè alteri illata in bonis fortunæ, sunt obligandi.

2. Quæritur, *quid sit restitutio?*

Resp. Quia restituere ex D. Thoma 2. 2. *qu. 62. art. 1. in corp.* nil aliud est, quàm iterato aliquem statuere in possessionem, vel dominium rei suæ (in qua attenditur æqualitas justitiæ secundùm recompensationem rei ad rem) ideò sic describi potest; *est actus justitiæ commutativæ, quo redditur alteri ad æqualitatem, quod fuit ab eo injustè acceptum, vel injustè detinetur: vel, quo compensatur damnum proximo, injustè illatum.* Quicumque enim damnificat aliquem, videtur ei auferre id, in quo ipsum damnificat: damnum enim ex eo dicitur, quod aliquis minus habeat, quàm debet habere D. Thomas *cit. art. 4.*

3. Sed quæritur, *an restitutio sit ad salutem necessitate præcepti necessaria?*

Resp. Affirmativè, ex D. Paulo *ad Rom. 13. reddite omnibus debita, nemini quidquam debeatis:* & Tobiæ 2. *videte, ne forte furtivus sit* (hædus) *reddite eum dominis suis, quia non licet nobis, aut edere ex furto aliquid, aut contingere.* Id ipsum August. relatus *in cap. si res alie-*

*na*, per hæc verba testatur: *non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, si restitui possit*; ratio est, quia nemo salvatur, qui voluntariè alteri grave damnum, seu injuriam infert, & justitiam lædit (nam hoc non compatitur cum hoc, quod ipsum diligat, nec servat cum ipso charitatem: dilectio enim vult bonum proximo, & non malum) sed qui non restituit rem alienam, vel damnum illatum, non recompensat injuriam, &, grave damnum alteri infert, justitiam lædit, & malum, & non bonum proximo vult.

4. Sed quæritur, *an restitutio statim sit facienda?*

Resp. Affirmativè, statim ac quis potest hora, & tempore debito ex cit. S. Thom. *art.* 8. ratio est, quia, sicut accipere rem alienam est peccatum contra justitiam, ita eam detinere; quia per hoc, quod quis detinet rem alienam, invito domino, impedit eum ab usu rei suæ, & sic ei injuriam facit; & sequitur ex natura ipsius præcepti, quod per se, & formaliter est affirmativum, continens hunc actum: *reddere domino, quod ipsius est*: & virtualiter negativum, includens hanc negationem: *non retineas alienum*; & sub ista ratione obligat semper, & pro semper.

5. Sed quid, *si impotens quis sit ad statim restituendum.*

Resp. Debet esse paratus restituere pro tempore, quo possit; & dum habet contrarium animum, voluntariè in peccato perseverat; quod est in Confessione explicandum cum tempore, quo talem habuit animum, & quo potens restituere, non restituit; super quo à Confessario est interrogandus.

6. Sed quæritur, *an teneamur restituere cum gravi damno nostri status?*

Resp. Vel status fuit justè acquisitus, vel injustè, furtis nimirum, fraudibus, & rapinis: si injustè tenemur statum restituere cum amissione talis status: cùm non sit minor iniquitas tueri statum iniquè acquisitum, quàm illum comparare tollendo alienum: nec tunc diceremur cadere à nostro statu, sed redire ad priorem: si verò justè, non statim tenemur, si aliàs creditor non patiatur extremam necessitatem, qua mendicare cogatur: verùm obligamur parcè vivere illo in statu, tollere omnia superflua, & totis viribus conari, ut paulatim restituamus. De la Cruz *direct. conf. 7. præcept. art. 8. de rest. num. 2.* & Rotarius *apparat. Theolog. moral. par. 2. section. 2. num.* 18.

7. Quæritur, *quot sint radices, ex quibus nascitur obligatio restitutionis?*

Resp. Duæ ex D. Thoma *cit. art. 6. in corp. Res accepta, & Acceptio*; hæc potest esse injusta, ut in furto; potest addi tertia, *damnum nimirum illatum*: obligatio itaque restitutionis oritur ex triplici capite. I. Ex *re accepta*; ex isto tenetur quis restituere rem alienam, quam esse alienam cognoscit; nam semper res ubicumque sit, clamat pro Domino: recipit quis vestem ab alio, quem putat esse Dominum vestis, postea cognoscit non esse, sed vestem esse Pauli, tenetur tunc ex re accepta vestem Paulo restituere.

8. II. Ex *injusta acceptione*: ex isto tenetur quis restituere rem, quam per fur-

furtum, rapinam, vel usuram injustè accepit; etiam si res non extet, ut infra patebit; quia, si extet, etiam ex re accepta restituere tenetur: ex justa verò acceptione est quivis obstrictus, finito contractu, ad restituendam rem, quam ex contractu habuit, vel in mutuum, vel in depositum, adeo ut, si tunc non restituat, censeatur etiam injustus detentor.

III. Ex *damno illato*; ex quo tenetur quis restituere, etiam si res, in qua proximus damnificatur, non maneat apud damnificantem: ut si occidatur equus, agri incendantur, segetes devastentur, domus destruatur; ratio est, quia, cum sua malitia sequatur damnum alterius, & minùs ille habeat, quàm debet, compensatio est facienda.

9. Quæritur, *quot sunt genera fructuum, quorum notitia est Confessario necessaria ad imponendam obligationem restitutionis?*

Resp. Duo; alii sunt *fructus rei, alii meræ industriæ:* fructus meræ industriæ illi reputantur, quos ipsa res ex se nullo modo producit, sed hominis cura, & diligentia: hujusmodi est lucrum; quod ex rebus usu consumptibilibus, ut pecunia, vino, oleo, frumento, panno &c. negotiatione, & mercatura, ac ludo acquiritur; quemadmodum opus, quod alieno instrumento artifex conficit, non instrumento, sed artificis industriæ tribuitur.

Fructus verò rei alii sunt *naturales, alii mixti: naturales* dicuntur, quos natura sponte sua, id est, sine vi, & scissura aratri, & absque arte, & agricultura; vel sine ulla, vel modica hominis cura producit: hujus generis sunt poma, ficus, herbæ, gramina, animalium partus &c. in quibus apparatus, & virtus naturæ præcedit apparatum, & hominis laborem. Istorum aliqui sunt *pendentes, & percipiendi: alii percepti, & à solo separati, juxta* Glos. *ad l. ex diverso ff. de rei vindicat: ver. non habendo.*

*Mixti* verò reputantur, quorum productionem æquè, vel magis hominis industria, & labor, quàm natura operatur: hujus generis est oleum, vinum, & cervisia, quia per industriam hominis accommodantur usibus hominum, *l. si eis, & si fundi ff. de rei vindi.*

Item, omnes fructus, qui seminantur; quia cultura hominis maximè præcedit opus naturæ. Item, fœnum, & palea, propter laborem, qui requiritur ad ea percipienda; licèt enim pascua ponantur inter fructus naturales, id tamen intelligitur, nisi falce secentur, & in horrea reponantur. In *l. si usufructuarius Messem ff. quibus modis usufr. amittit.* parificantur fœnum cæsum, spica incisa, uva adempta, & oliva excussa. Item, lana, propter tondentis operam: & lac ob emungentis laborem; præfata enim omnia in suo esse rudi à natura producta, ad usus hominum accommodantur per hominum curam, laborem, & industriam.

Denique, alii dicuntur fructus civiles, seu legales, quod nec natura illos producit, nec sola hominis industria, sed magis legalis auctoritas; ut pensiones domorum, pretia locatorum, vecturæ mercium, mercedes jumentorum, operæ servorum, &c. quæ sunt à jure introductæ, & procedunt ex præcedenti contractu

tractu locationis, emptionis &c. & propterea non dicuntur fructus simpliciter, sed, ut dicitur in *l. usuræ ff. de usur.* vicem fructuum obtinent: & apud Layman. *lib. 3. tract. 2. cap. 3. ar. 2.* non sunt propriè fructus, sed ad similitudinem fructuum jure civili constituti. Seù, ut notavit Fagnan. *in 2. ad cap. Gravi de restit. spoliat. num. 33.* fictione juris fructus reputantur, quia legis ministerio adinventi; lex enim est, quæ fingit, non natura: & ad fructus mixtos videntur reduci.

10. Quæritur, *quinam bonæ fidei, & quis malæ fidei possessor reputetur?*

Resp. Possessor bonæ fidei, is *reputatur, qui ignorat, se alienum possidere, sed cogitatione dominii possidet. Cap. si virgo 34. qu. 2.* & ideò non peccat, dum accipit rem alienam, vel quia credit esse suam, vel quia dantem, à quo, vel emptione, vel donatione accipit, esse verum dominum putat.

Possessor verò malæ fidei *is dicitur, qui rem, quam habet, pro certo scit esse alienam, & ad alium pertinere, cit. cap. Si virgo.*

11. Sed quid, *si dubitaret, an res sit aliena, vel an venditor sit Dominus, & possit illam vendere?*

Resp. Est possessor malæ fidei: quia possessor malæ fidei reputatur, qui emendo rem alienam peccat, sed emens ab aliquo, de quo dubitat, an rei Dominus sit, & possit vendere, emendo peccat; quia exponit se periculo non bene emendi.

12. Quæritur, *an, qui bona fide rem alienam v. g. vestem possedit, teneatur eam statim restituere, ac cognoverit alienam esse?*

Resp. Affirmativè, sic DD. communiter apud cit. Layman. *num. 1.* & Bonaccina *de restit. in genere disp. 1. qu. 2. punct. 1. num. 3.* ratio est, quia tunc peccat contra justitiam, cùm retineat rem alienam invito, seù Domino non consentiente.

13. Sed quid, *si eam consumpserit?*

Resp. Est regula generalis apud Authores, quod bonæ fidei possessor debet restituere rem, si extet: si verò non extet, sed bona fide consumpta sit, tenetur solùm restituere id, in quo factus est ditior; (nam in hoc casu res existit in eo æquivalenter, & istud succedit in locum rei consumptæ:) ratio est, quia bonæ fidei possessor nullam injuriam intulit Domino rei, ergo non obligatur ex capite injustæ acceptionis, sed solùm ex parte rei acceptæ, & possessæ, & ideò plus non cogitur restituere, quàm actu possideat; quod si nil aliud possideat, quàm id, in quo ratione rei bona fide consumptæ ditior factus est, id debet ex justitia restituere; habetur ex *L. Item veniunt, §. Præter hæc, ff. de pœnit. hæredit. &* ibi *Glos. in ver. facti essent, & l. sed quod inde, ff. de legat. il 2.* ubi: *sed, quod inde comparatum est, vice permutati dominii restituetur; & l. idem servandum* ibid. *non enim absumitur, quod in corpore patrimonii, retinetur: eodem tit.*

14. Sed quæritur, *quando censendus sit, ex re aliena quis fieri ditior?*

Resp. Quando occasione rei bona fide consumptæ, patrimonium suum est aliquo modo auctum; v. g. quia aliquos sumptus

sumptus non fecit, quos aliàs ex suo patrimonio fecisset, aut, si aliquid habeat, quod alioquin non habuisset, vel aliquid occasione illius rei lucratus sit.

Ex quibus sequentes solvuntur casus.

I. Emisti bona fide à latrone vestem, valentem decem aureis, qua per annum usus es: deinde cognoscis esse alienam: debes restituere vestem attritam, quæ fortasse plus non valet, quam quinque: & ulterius compensare attritionem vestis, non ex integro, sed quatenus ex eo factus es ditior; v. g. eodem anno in te vestiendo ex tuo patrimonio insumpsisses alia tria, nisi vestem à fure, bona fide, emisses: hæc tria cum veste restituere debes; quia modo hæc habes, quæ aliàs non haberes.

II. Ad cœnam furtivam invitaris, in qua bona fide cibis pretiosis uteris: dum postea intelligis res fuisse furto sublatas, teneris vero Domino restituere, non quantum consedisti, sed quantum de tuo domi in cœnam erogasses, nisi ad cœnam furtivam fuisses invitatus; in qua si julium insumpsisses, julium teneris restituere: in eo enim factus es ditior; nam occasione illius cœnæ habes julium, quem aliàs non haberes.

15. Sed quid, *si invitatus domi suæ comedisset rem valentem triginta, & in cœna furtiva comederit cibos, valentes viginti?*

Resp. Debet restituere viginti, & quantum consumpsit, quia solùm his viginti ipse damnum Domino intulit; nam non debet esse deterioris conditionis eo, qui mala fide comedit, qui tenetur restituere tantum, quantum comedit; nisi cooperetur ad totum damnum, hoc est, suadeat comedere, dum alii volebant restituere.

III. Bona fide accepi à Petro donolibrum, quem redonavi Francisco: postea reperio Petrum eum furto habuisse: teneor omnem diligentiam adhibere, ut Franciscus ipsum vero Domino restituat; quòd si Franciscus ad partes remotas transiverit, ut mihi non sit possibile ipsum de libro furtivo monere; ponderandum mihi est, an ego alium librum Francisco donassem loco jam dati: si donassem, illum, vel ipsius pretium, debeo Domino libri dare, quia in eo factus sum ditior, & in eo alio libro, vel ejus pretio existit æquivalenter liber furatus: quemadmodùm, si à donatario accepissem aliquid, id teneor restituere Domino libri, quia in eo factus sum ditior.

IV. Bona fide possedi equum alienum, quo equitando iter feci, non teneor ad restituendum pretium locationis equi, si aliàs non equo, sed pedibus iter fecissem, quia tunc non sum ditior factus; benè verò, si aliàs alium equum ad iter, soluto locationis pretio, accepissem, quia in eo essem ditior; & ideò deberem restituere omnes expensas, quæ alias fecissem.

V. Pistor bona fide emit triticum à fure existimans esse Dominum, conficit panem, & coquit: cùm Dominum reperit, tenetur restituere panem, qui de facto extat, detractis expensis, & laboribus in eo conficiendo: & si nihil extet, debet restituere id, in quo factus est ditior.

16. Sed quæritur, *an restituendi sine fructus?*

Resp. Si loquamur de possessore bonæ fidei,

fidei, sunt ab eo restituendi. I. Fructus naturales, si extent; nam res Domino fructificat; si autem non extent, quia consumpti sunt, non dolo malo, sed bona fide, restituendi non sunt, quia per consumptionem suos fecit, ut optimè Fagnan. *cit. num. 47. & num. 52.* tenetur tamen ad restituendum id, in quo ex illis factus sit ditior. II. Fructus mixti si extent, nam sunt fructus Domini rei; sed debent deduci expensæ factæ circa eos; vel, si non extent, id, in quo propter eos factus est locupletior. Industriales vero nullo modo, nec bonæ, nec malæ fidei possessor tenetur restituere, quia non sunt fructus rei, sed industriæ, & diligentiæ.

17. Sed quæritur, *pœnitens se accusat per decennium bona fide possedisse villam, ad quid teneor?*

Resp. Debes villam restituere, & fructus ex ea perceptos, si extent: & quatenus non, quantum ex illis factus sis ditior.

18. Sed quid *si aperiat*: occasione fœni nascentis in villa alui equum, quem aliàs non aluissem: & familia mea vinum ex ea bibit, quod aliàs non bibisset?

Resp. Quoad fœnum nil debes restituere, quia si illud ex villa non collegisses, non feciſſes de tuo alias expensas ad equium alendum; debes tamen restituere illud, in quo factus es ditior, ut in casu, quo non habuisses villam, aluisses equum, nam tunc occasione fœni ex villa collecti tuo peperisti, & aliquid habes, quod aliàs non haberes. Quoad vinum verò, quia est fructus mixtus, debes I. Deducere expensas, factas in cultura vineæ. II. Debes computare vinum, ad pretium quanti valeret illud, quod aliàs familia bibisset; &, si consideratis omnibus his, in aliquo factus sis ditior, id una cum villa debes restituere.

19. Quæritur, *quid teneatur restituere malæ fidei possessor?*

Resp. Debet restituere rem: vel, si perierit, pretium rei, unà cum fructibus naturalibus, & mixtis (deductis tamen expensis, & existimatione laboris) sive sit factus ditior, sive non: & non modò, quos percepit, sed etiam, quos Dominus rei verisimiliter percepisset, si sua re non fuisset iniquè spoliatus, *cap. Gravis de restit. spoliatorum*, & ibi Gloss. & insuper tenetur eidem Domino omne damnum emergens, & lucrum cessans compensare, sic DD. communiter apud Layman. *cit. cap 4.* ratio est, quia res injustè ablata semper clamat ad Dominum. Ideò, si quis mala fide emat equam, tenetur ipsam restituere, si extet, & si non extet pretium ipsius; & insuper omnes fructus perceptos ex ipsius partu, & pretium locationis pro vecturis, sive extent, sive non extent, sive factus sit ditior, sive non, detractis tamen expensis factis in manutentione equæ, quas quoque debuisset facere verus Dominus; & pariter tenetur Domino compensare damna, quæ passus est, propter equæ amissionem, ut si propterea debuerit ipse expensas facere in conducendo aliam, vel non potuerit merces ducere ad Civitatem, ubi utilius venduntur.

20. Sed quid, *si equa in manu Domini non tantum fructificasset, quantum apud possessorem malæ fidei?*

Resp. Debet restituere totum fructum. Est axioma commune, quod res quælibet

bet Domino fructificat: cujus fortunæ tribuendum est, quod res ipsius plus apud furem fructificet, quam si ipse eam possedisset, ibid. cit.

21. Sed quid, *si res furata sit meliorata apud furem*, v. g. emit quis pro centum agrum alienum silvestrem, infructuosum, quem fœcundat, & arboribus fructiferis replet, adeò ut posteà æstimetur mille?

Resp. Debet agrum cum melioramentis restituere, deductis tamen expensis. Ubi advertendum expensas esse triplicis generis; aliæ dicuntur *necessariæ*, *aliæ utiles*, *aliæ ad solam voluptatem*, & *ornamentum*, ut sunt factæ pro statuis, picturis, &c. quibus positis, quamvis res pluris valeat, & magis æstimetur, ex illis tamen res non reddit majores fructus. Primas, & secundas expensas factas ad melioramenta utilia, & necessaria possunt ab utroque possessore peti à Domino rei, & hic solvere tenetur, quia revera propter illas, res magis fructificat, non verò tertias: & debent, sive bonæ, sive malæ fidei possessores sibi imputare, quod eas perdant, quia eas fecerunt in re aliena sine Domini consensu, & utilitate; injustum enim est cogere Dominum rei ad emendum illos ornatus, quibus ille fortè libentius caruisset, quàm pecunia, quæ esset pro eis solvenda. Verùm, si hæc melioramenta voluntaria, seù voluptuaria possent à re separari, ut sunt portæ, statuæ, &c. possent sibi ornantes sumere. Layman. *cit. à num.* 4. Tambur. *in decal. lib.* 3. *tract.* 3. *cap.* 3. §. 5. *num.* 14.

22. Sed quæritur, *an Dominus rei teneatur pro melioramentis necessariis, & utilibus solvere, quantum crevit valor rei suæ, an verò quantum valuerunt expensæ, quibus ea melioramenta sunt facta: ut, si possessor plantans arborem fructiferam expendat unum aureum, nunc autem arbor plantata valeat decem*; debeat vel aureum solum, vel illa decem tradere?

Respond. Debet solvere unum aureum, non decem; ratio est, quia illud augmentum est partus sui agri.

23. Sed quid, *si expenderit decem aureos, & arbor de præsenti valeat tantùm unum?*

Resp. Debet unum, & non decem; ratio est, quia pro uno tantùm aureo arbor est Domino utilis; nec videtur æquum, quòd cogatur rem pluris emere, quam de præsenti valeat. Lege De la Cruz *direct. conf.* 7 *præcept. art.* 4. *nu.* 3.

24. Sed quæritur, *an pœnitens accusans se abstulisse rem valentem solùm tria, quæ posteà cùm est restituenda valet quatuor, debeat restituere quatuor, an verò sufficiat restituere tria:* v. gr. furatur quis agnum, & in manu furis fit ovis (quod est rem mutari mutatione intrinseca) *petitur, an sit ovis restituenda?* furatur quis mensuram frumenti valentem quatuor, quæ posteà, vel frumenti caritate, vel Principis decreto, valet sex (quod est rem mutari mutatione extrinseca) *dubitatur, an debeat restitui illa mensura secundùm illum valorem auctum, vel sufficiat restituere quatuor?*

Resp. Dicimus cum Poncio *disp.* 52. *q.* 9. *num.* 52. debere restituere ovem, si non sit restitutus agnus, antequam fieret ovis:

vis: unde, si in Januario furetur, quis agnum, & in mense Februarii illum occidat, & non confiteatur de furto, nisi in futuro Octobri, est obligandus à Confessario ad restituendum valorem ovis, nec sufficit restituere valorem agni; ratio est, quia Domino injuria irrogatur, quod per furtum non possit vendere rem suam illo tempore, quo res ipsius plus valeret, & quod non sit tam dives, nec habeat tantùm, quantum habuisset, si fur agnum non abstulisset? sed certè in Octobri non potest ovem suam vendere, nec in eo habere, quantum aliàs habuisset, nisi per furtum agnus ablatus fuisset, ergo, cùm Dominum fur damnificaverit, debet totum damnum restituere: sed debent deduci expensæ factæ in ovis conservatione. Sic dicitur de furto mensuræ frumenti.

25. Sed quid, *si Dominus non esset servaturus agnum, usque dum in ovem crescceret, nec mensuram frumenti in tempus, quo plus valeret?*

Resp. Propter hoc quidam existimant non esse restituendum, nisi valorem rei, quo valebat, quando res fuit ablata, quia in casu Dominus, ex quo careat re sua, non patitur aliquod damnum. Verùm hæc sententia in praxi tuta non videtur; nam, ut damnum inferatur, sufficit, quod poterat pro eo tempore conservare, & vendere, & quod per furem sit impotens factus, ut vendere non possit.

26. Quæritur, *quomodò Confessarius se debeat gerere cum pœnitente accusante se combussisse segetes Pauli?*

Resp. Interroget, quantum segetes, deductis expensis, ac æstimatione periculorum, grandinum, siccitatis, &c. quibus deteriorari possent, essent valituræ tempore messis: & si centum respondeat, ad centum obliget; nam revera comburens est causa, cur Dominus non sit habiturus illa centum, & quod esset in eo tale lucrum, minusque habeat, quàm habuisset; sic probabiliter Tambur. *cit. cap. 4. §. 1. num. 10.* Quæ in praxi est melior responsio, quàm dicentium esse obligandum ad restituendum solummodò tantum, quantum æstimaretur seges, si Dominus tunc vellet illam vendere. Qui certè non negabunt teneri reddere damnum illatum, si propter incendium orta sit sterilitas frumenti, & propterea dominus, aliique cogantur carius frumentum emere.

27. Sed quæritur, *accedit miles Gallus Confessario exponens:* Pater, cùm mei socii transirent per terras Principis amici & spoliarunt domum rustici: ego ipsorum voluntatem ignorans, casu veni (nam aliàs injustè prædari, non soleo) & pallium abstuli, æstimatum tribus aureis, eo solùm motivo, quod si non accepissem ego, absque dubio cæteri surripuissent; peto, *an peccaverim? & quatenus affirmativè: quid restituere debeam, & cui?*

Resp. Interrogetur, an pallium acceperit animo restituendi, & tunc non peccavit, si verò intentione retinendi, & non reddendi vero Domino, mortaliter deliquit; ratio est, quia sicut alii injuriam intulissent, & damnum injustum irrogassent surripiendo pallium, Domino invito, & eo non consentiente, ita & is, qui eos prævenit; nam id agit, quod

quod alii malè erant acturi. Layman. *cit. à nu.* 2.

28. Sed quid, *si aperiat*; Pater, cum essem in eadem Navi cum Petro, ab eo furto surripui cadum vini Cretensis, quod duorum dierum spatio consumpsi; post quos, orta tempestate, Navis submersa est cum mercibus, salvis hominibus, peto, an in foro conscientiæ obliger ad restitutionem?

Resp. Affirmativè contra Vasquez, & Lessium apud *cit.* Layman; ratio est, quia per injustam surreptionem vini statim contraxisti obligationem restituendi, quæ casu fortuito non extinguitur.

28. Sed quid, *si res furto ablata, casu, sine culpa furis, apud istum pereat, quæ etiam periisset apud verum Dominum: v. gr. heri Petrus surripuit à Paulo vas argenteum, & statim amisit, quod hodie etiam periisset apud Paulum propter incendium quod ejus domum, & res omnes combussit?*

Resp. Layman. *cit. nu.* 2. de Lugo apud Poncium *cit. num.* 52. deobligant à restitutione furem, vel alium malæ fidei possessorem, dum res, quæ apud ipsos sine ipsorum culpa perit, periisset quoque apud Dominum: & probant ex quo non obligentur, nec ratione rei acceptæ, quia nil ex ea possident, nec ratione injustæ damnificationis, quia causa damni non sunt; nam aliundè damnum Dominus pateretur.

30. Quorum sententiam reprobat Poncius ibid. & Sylvester Sum. *ver restit.* 7. *qu.* 5. ratio est, quia quamvis cras etiam, res periisset apud dominum, tu tamen hodie de interitu crastino nil sciebas, & tantùm damnum Domino fecisti, ergo tantùm debes illi restituere; immò, etiam si scires, jam teneris, & ratione injustæ acceptionis, & quia, quantum in te est, tale damnum Domino intulisti, ut non potuerit rem suam vendere, quamvis eam vendere voluisset: *l. cum res, §. final. ff. de legat. il.* 1. Unde pro foro interno, & conscientiæ est semper pronunciandum pro obligatione restitutionis; nam obligatio restitutionis fuit ex delicto heri contracta ratione injustæ acceptionis, quæ proinde ex hodierno fortuito casu non extinguitur. Lex, quæ sunt per accidens, non considerat.

31. Sed quid, *si videns actuali incendio domum Petri absumi, cum qua absumenda erat quoque mensura tritici, quam ego accepi?*

Resp. Teneris restituere; nam res, quæ ab interitu eripitur, Domini est, & pro Domino clamat, eamque quilibet, ipso invito, retinet: & fortunæ suæ, Domino tribuit, quod res sua in tuto à fure posita sit. Tambur. *lib. 8. tract. 3. in decalog. cap. 2. §. 8. num.* 12.

32. Quæritur, *quid agendum Confessario cum pœnitente, dum in Confessione aperit se in via annulum aureum, marsupium nummis plenum, invenisse?*

Resp. Interroget, an determinatè sciat, cujus Domini sint, & quatenus affirmet, eidem sunt restituenda; si verò Dominum ignorat, injungat, ut diligentiam adhibeat ad inveniendum, & dum repererit, restituat. DD. communiter.

33. Sed quid, *si diligentia adhibita, non inveniat?*

Resp. Debet ipsa, ex præsumpta verisimi-

risimiliter voluntate Domini, in pauperes distribuere, vel locis piis applicare, vel in celebrationem Missarum insumere, in ipsius Domini beneficium. Et de consilio Confessarii potest sibi, ut pauperi, partem retinere

34. Sed quid, *dicendum, de lapillis & gemmis inventis in littore maris?*

Resp. Oportet inspicere, an hæc possint esse bona naufragantium: & tunc sunt accipienda ad finem restituendi ea veris Dominis, aut ipsorum hæredibus, & si non compareant, distribuantur in pauperes, vel in cultum divinum applicentur, & pia loca. Vid. *lib. 1. cap. 8. nu.* 30. Si verò sint talis naturæ, ut nunquam Dominum habuerint (& sic præsumuntur, si sint rudes, non arte factæ) tunc sunt inventoris, & restituere non tenetur; sicut nec res, quas Dominus à se projicit, tamquam omninò derelictas. Bonacc. *de restit. in gen. disp. 1. punct. 6. num. 11.*

35. Quæritur, *an res aliena sit restituenda Domino in loco, quo accipitur, vel alio?*

Resp. Sed notandum juxta dicta, ex triplici capite consurgere obligationem restitutionis. I. *Ex re bona fide, & sine injustitia accepta.* II. *Ex injusta acceptione, vel delicto.* III. *Ex contractu*; modò, si restitutio facienda sit ex re bona fide accepta: v.g. quia habuisti equum, gemmam, vel vestes, quæ postea cognoscis esse alterius, est restitutio facienda in loco, ubi res habetur, tunc temporis, quo cognoscitur esse aliena: nec est imponendum onus bonæ fidei possessori, ut illam mittat Domino alibi, propriis expensis; aliàs deberet damnum sine sua culpa pati, quod justum non est: tum quia, Dominus jus habet in rem suam, non in possessorem: hinc sequitur quod si ego hic Romæ emi bona fide equum, & postea reperiam esse alicujus, existentis Lucæ, satisfaciam restituendo equum hic, ubi equum habeo.

36. Sed quid, *si Dominus Romæ non sit, sed Lucæ?*

Resp. Debet equus in loco tuto custodiri; & interim est admonendus Dominus, ut significet, quid velit de suo equo fieri; quod, si velit eum restitui in alio loco, ipsius expensis est faciendum, Et sunt possessori bonæ fidei compensandæ illæ, factæ in conservatione equi, quæ pro ea item fuissent à Domino factæ.

37. Sed quid, *si nec res ad Dominum transmitti, nec Dominus admoneri possit: nec sit spes, ut tandem veniat?*

Resp. Si non sint consanguinei, tradatur pauperibus. Bonacc. *cit. disput. 1. qu. 5. nu. 2.* & Tambur. *cit. t. 8. nu. 6.*

38. Sed quid etiam, *si possessor bonæ fidei fuit in mora in restituendo, hoc est, non restituerit, cum potuit, & cogovit equum esse alterius, adeò ut propter negligentiam restituendi, sit equus ad alium locum mittendus?*

Resp. Debet fieri impensis ipsius possessoris, quia sua culpa factum est, ut aliò, cum impensis debeat equus transferri: aliàs Dominus absque sua culpa damnum in expensis pateretur, quod æquum non est.

Si verò restitutio facienda sit *ex delicto*, vel *injusta acceptione*, facienda est in

in loco ubi est Dominus rei; sic, si hic Romæ surripuisti equum Petri, & illum transtulisti Florentiam, debes hic tuis expensis restituere; ratio est, quia Dominus nullum ex delicto alterius debet damnum pati.

39. Sed quid, *si expensæ faciendæ essent æquales, vel majores, re restituenda?*

Resp. Debes eas omnes tu facere, quia fuisti causa, cur tantùm debeat expendi; nec Dominus ex tua injustitia, & delicto debet re sua carere, vel aliquod damnum recipere; in casu tamen, quo rem restituendo deberes æquale, vel majus damnum pati, posses restitutionem differre ad aliquod tempus, quo posses sine tanto detrimento restituere. Quòd si crederes te nunquam posse absque tuo tanto damno, deberes eam pauperibus dare; sed melius esset, Dominum monere, & cum ipso convenire. Tambur *cit. nu.* 4 & Bonac. *nu.* 5.

Si tandem restitutio facienda sit *ex contractu*, exequenda est in eodem loco, in quo res accipitur, vel emitur, nisi aliud in contractu fuerit expressum; ratio est, quia ille censetur locus destinatus ad restitutionem; nam restitutio est repositio rei in pristino statu. Notabis tamen, quòd si in contractu, v. gr. locationis equi, appositum sit, quod hic Romæ equum restituas, hic debes; si ut restituas Florentiæ, quò vadis, illic teneris.

40. Sed quæritur, *cujus expensis facienda est restitutio in alio loco, vel creditoris vel debitoris?*

Resp. Si res accepta sit in utilitatem dantis, est restituenda ipsius expensis; hinc liber in depositum acceptus, si aliò restituendus sit, ut, quia depositor mutat domicilium, debet impensis dantis: quia depositum in utilitatem dantis custoditur; aliàs depositarius ex illius commodo injustè damnum pateretur.

Si verò sit in utilitatem recipientis, debet hujus expensis regulariter restitui in eo loco, in quo dominus habuisset, si ei non commodasset; modò per eum steterit, quin Dominus secum rem suam transferret; ratio est, quia dominus non debet damnum reportare ex gratuito commodato. Et hinc sequitur, equum commodatum esse restituendum expensis commodatarii. Idem resolvitur de mutuo, quia hæc dantur in utilitatem commodatarii, & mutuatarii; aliàs dicendum de equo locato, quia datur in utilitatem locantis, & locatarii. Inspiciendus tamen semper est contractus.

41. Quæritur, *pœnitens hæc aperit:* Pater, Roma misi per certum virum centum Francisco Florentiam, à quo mutuò acceperam; & nunc per literas me Franciscus monet se ea non recepisse, sed sibi delator retinuit, & ultra montes discessit; idem Franciscus pro restitutione debiti instat, peto, *an in conscientia tenear iterùm solvere?*

Resp. Vel persona electa, fuit designata à Francisco, vel tu absque ipsius commissione, & mandato eam elegisti: si secundum, teneris iterùm solvere, nam cum sis Dominus pecuniæ, si ista perit, vel surripiatur, priusquam perveniat ad manus creditoris, tibi perit: res enim domino perit, etiam si casu id contingat. Layman. *lib.* 3. *art.* 3. *cap.* 12. *nu.* 9.

Si

Si verò fuit à creditore designata, vel de ejus mandato electa, liber existit à nova solutione; ratio est, quia tunc pecunia perit creditori, qui in suo homine designato, suam fecit. Tambur. *cit.* §. 5. *nu.* 6. & Bonac. *cit disp. 1. q. 3 punct. 9 nu.* 5. plures allegans.

42. Sed quæritur, *an id dicendum, si res fuerit commodata. V.G. Petrus commodavit mihi equum, quem postea ipsi reddo per servum, à quo prius, quam ad dominum perveniat, venditur, vel per fugam surripitur, vel alio modo perit?*

Resp. Si alio modo non poteras reddere, & diligentiam, aliàs adhibuisti ad explorandam fidelitatem servi, de cujus integritate nec dubitasti, ad novam restitutionem non teneris; nec ratione rei acceptæ, quia eam non habes, nec ratione injustæ acceptionis, vel læsionis, cum ab omni culpa, & injuria immunis sis; nam equus sine tua culpa perit; ideò non tibi, sed Petro perit, cujus ipse, & non tu, dominus est, Layman. *ibid.* si tamen in aliquo factus sis ditior, id restituere debes; quemadmodùm, si fuisti in mora, hoc est si non restituisti tempore statuto, vel post monitionem, & petitionem equi, & poteras. Quòd, si tua culpa perit, quatenus negligens fuisti in explorandâ servi fidelitate, vel, quia poteras per te ipsum reddere, si pereat, tibi perit: non enim tua culpa debet domino nocere, habetur *cap. unic. de commodato*, ubi dicitur: *cum gratia sui tantùm quis commodatum accepit, de levissima etiam culpa tenetur: licèt casus fortuitus (nisi acciderit culpa sua, vel inierit pactum, seu in mora fuisset) sibi non debeat imputari.*

43. Sed quid, *si res sit furto ablata, & injustè accepta V.G. furaris equum, vel pecuniam, quam, ne bonam opinionem apud dominum perdas, ei per idoneam personam, ut, per Confessarium, mittis restituendam, Confessarius autem domino non reddit, sed præter expectationem tuam sibi usurpat?*

Resp. A nova restitutione te liberant Navarro apud Layman cit. & apud Tambur. alii, ex quo tua culpa res non perierit, sed fortuito casu, qui prævideri non potuit, & per solam malitiam, & negligentiam Confessarii, quæ tibi nocere non debet; etenim, quòd poteras, feci sti; & propterea debet dominus præsumi consentire restitutioni per Confessarium fidelem; perindè ac si ipsemet designasset. Sed te non excusant, ipse Layman, Lessius, Rebellus, & Toletus apud Tambur. *num.* 7. Et juxta horum sententiam debet Confessarius in judicio procedere; ratio est, quia semper remanet radix obligans ad restitutionem, injusta rerum acceptio; nec dominus, nisi cum effectu equum, vel pecuniam recipiat, præsumitur consensisse ad illam transmissionem, nisi sub conditione, quòd res sua ad se perveniret. Tum quia, fur, cui absque sua culpa ab alio surriperetur equus, deberet compensare damnum domino, cujus causa ipse fuit; ergo ad idem tenetur, si ad ipsum non perveniat, etiam si non contingat per negligentiam Confessoris. Tum quia, non censetur res casu perire, quando injusta ablatio fuit interitus causa, & occasio.

Verùm fur contra Confessarium actionem habebit, à quo ipse debet recipere.

44. Quæ-

44 Quæritur, *an sit à Confessario iterum restitutioni obligandus fur, qui surripuit à Petro decem aureos, quos, quia ipse alteri Confessario exposuit se non posse sine sui infamatione Petro restituere, de ipsius consilio, vel pauperibus distribuit, vel in legendis sacris erogavit?*

Resp. Affirmativè; ratio est, quia semper manet radix restitutionis, quæ oritur ex injusta acceptione, & læsione, donec creditor accipiat suos decem aureos; nec excusatur debitor per Confessarii consilium, bona fide receptum, quia id non operatur, quod injustè eos non acceperit, Tambur. *cit.* §. 5. *num.* 8. Layman. ibid. *num.* 9. in fine, & probabiliter Gobat. *experient. Theol. tract* 7. *casu* 18. *num.* 5. 64. *Appendix ver. dico persona.*

Dices, nullus tenetur idem debitum bis solvere, vel restituere; ergo nec fur in nostro casu, qui semel modo, quo potuit, & debuit restituit.

Resp. Concedendo antecedens, sed negatur suppositum; nam ille aureos injustè surreptos domino realiter, & cum effectu, ei nunquam restituit; & ideò de eodem ipsi restituente, non verificatur, quod realiter, & cum effectu bis idem restituerit; aliàs, si fur pecuniam per servum suum misisset creditori restituendam, & servus eam in via perdidisset, domino non teneretur iterùm eam restituere; nam restituisset modo, quo potuisset; quod tamen est falsum; nam illa restitutio fuit solùm putativa, & intentionalis, non verò realis, & verè domino facta.

Dices. 2. Si res alterius apud me sine culpa mea perit, domino perit, sed decem illi aurei pauperibus distributi, sine culpa furis perierunt, ergo non furi, sed domino.

Resp. Major est vera, si obligatio restituendi sit ex re bona fide accepta, sive sine mea culpa præcedente; falsa autem, si obligatio oriatur ex injusta acceptione; aliàs, si casu fur eos decem aureos perderet, ad nihil ampliùs teneretur, quod nullus concedit; nam per suam primam injustam ablationem semper fur reputatur causa, & occasio, cur aurei illi sint perditi; ergo non casu, sed ex malitia auferentis absolutè perduntur.

45. Sed major difficultas est, *an Confessarius consulens, & imperans prædictam restitutionem, teneatur de proprio ex justitia ad præfatam restitutionem ipsi furi, in casu, quo iterùm restituat, vel ipsi domino, si fur restitutionem non faciat?*

Resp. Negat Gobat. ibid. ver. Confessarius? Sed affirmatur ex Quilici *Confess. manud. qu.* 8 *art.* 1. *num.* 7. ratio est, quia suo consilio est causa efficax damni: inducit enim, ac movet ad grave nocumentum proximo inferendum. Cardenas *dissert.* 28. *cap.* 4. *art* 3. *ad prop.* 39. *ab Innoc. &c.* extendit etiam ad Confessarium, vel alium Theologum, aliquid injustum, sive ex malitia, sive ex ignorantia vincibili, & inculpabili consulentem. Excusatur solummodò in casu, quo consilium revocet, ac seriò persuadeat falsam esse doctrinam, quam illi priùs tradiderat, cum tunc nil sit, quod ex parte consulentis influat in damnificationem, & nocumentum. Quòd si Confessarius ex inadvertentia omittat monere de obligatione restitutionis faciendæ

ciendæ, ad id obligatur in sequenti confessione, petita licentia à pœnitente loquendi de pertinentibus ad præteritam confessionem; & si nolit concedere, satisfecit suæ obligationi: sed pœnitens remanet cum onere restitutionis.

46. Quæritur, *pœnitens aperit Confessori se surripuisse Paulo decem aureos, quos, quia cum propriis ita admiscuit, ut eos discernere nequeat, credit se non debere eos restituere; & probat, ex quo propter illam mixtionem sit dominus omnium, quos confusè retinet in crumena: quid agendum est Confessario?*

Resp. Debet ad restitutionem obligare, saltem in æquivalenti; nam est regula generalis apud Tambur. *lib. 8. tract. 3. cap. 3 §. 4. nu. 23.* quod si res surrepta, cognoscibilis in se ipsa perseverat, cum sit domini, domino sit in individuo reddenda; si verò discerni non possit, æquivalens, vel illius pretium, aut res similis restituenda sit, ut vinum, oleum, frumentum, pecunia, si hujusmodi generis res sit furto sublata.

47. Sed quid, *si quis à fure bona fide pecuniam alienam dono recipiat?*

Resp. Statim ac cognoscit esse alienam & discerni possit, debet in individuo restituere, sive fur sit potens, sive impotens ad restituendum, quia res ipsa accepta, ubicumque invenitur, domino est reddenda. Si verò discerni nequeat, ex quo cum propria eam immiscuerit, debet eam restituere in æquivalenti, cum factus sit ditior in ea quantitate, quam cum suis miscuit; ex qua marsupium crevit, & cumulus pecuniæ factus est major: æquum enim non est, ut quis cum alterius detrimento, & jactura ditetur, *l. jure naturæ, ff. de reg jur.*

48. Sed quid, *si totam pecuniam consumpsit?*

Resp. Tunc ad nil tenetur, modò in aliquo non sit factus ditior, pro ut communiter DD. & Tambur. *cit. nu. 25.*

49. Sed quid *si ego v. g. bonâ fide emam mensuram frumenti, per furem à Paulo surreptam?*

Resp. Tambur. ibid. *num. 27.* aliter resolvit, esse discurrendum de rebus mixtibilibus, à fure dono bona fide receptis, & aliter de rebus mixtibilibus abeo bona fide emptis; quoad istas concludit me, priusquam immisceam cum meo frumento, debere ex re accepta integram mensuram in individuo restituere, statim ac cognosco esse alienam; nam domini est, & cum extet, ipsi reddenda est; me autem nil ei debere affirmat, si cum meo immiscui, ita ut discerni nequeat; & probat 1. Quia per eam mixtionem ego factus sum dominus totius cumuli. 2. Quia non sum factus ditior, nam justo pretio frumentum illud emi.

Prior pars à Tambur. asserta inter DD. recipitur, asserentes bonæ fidei possessorem tunc incipere mala fide possidere, cum est in mora culpabili restituendi, in qua esse præsumitur per Cabasut. Theoria *jur. can. lib. 6. cap. 18. num 7.* dum rem noscit esse alienam, & potens, non restituit; adeòut tunc, qui solo rei acceptæ titulo tenebatur, teneatur deinceps, etiam titulo injustæ detentionis, & damnificationis. Secunda verò non sic est inter eos communis, nam Lessius contrarium

rium docuit apud Layman. *lib. 3. tract. 4. cap. 17 §. 3. num. 23. & ex l. Marcellus §. Pomponius, ff. de rei vindicat. Et §. si duorum Instit. de rer. divis. deducit; si duorum dominorum materia confusa fuerint, itaut discerni, vel separari nequeant, utrique vendicationem pro parte sua competere.* Sed in cumulo mei frumenti est confusa allegata mensura tritici; ergo Paulus jus habet in eam, ergo ego post scientiam, quod ipsius sit, teneor restituere, si non in individuo, quia discerni nequit, ad minus, vel in pretio, vel in alia simili; & juxta Lessii sententiam debent in praxi Confessarii procedere.

Nec obstant rationes Tambur. Non prima; nam negatur per mixtionem in me dominium transferri: nec bona fides id operatur, sed facit solùm, quod non peccaverim emendo, & confundendo cum proprio, non verò, quòd non peccem retinendo, postquam cognovi esse alienam. Nec secunda; nam in cumulo sanè plus habeo, quàm debeam habere; & maximè quia mihi pretium solutum debet latro reddere: ideò factus sum ditior.

50. Quæritur, *cuinam sit restituenda res bona fide à fure empta; casus sit:* bona fide emo equum, quem posteà intelligo esse Pauli: sed ita res se habet, quod, vel ego pretium, vel Paulus equum, debeat perdere: si Paulo equum restituo, pretii jacturam facio, vel quia fur decessit, vel quia impotens effectus est; si verò contractum cum fure rescindo, repetendo ab eo pretium, ipsi reddito equo, hunc Paulus amittit, quia scio furem non redditurum?

Resp. Equus reddendus est Paulo, domino; ratio est, quia res ubicumque est, domini est, & pro domino clamat; ideò contractus cum fure sine injuria domini rescindi non potest, reddendo equum, pretio recepto; ponamus Paulum esse cum fure præsentem, & à me equum petere; sicut potest ex *l. Mater, l. adversus C. de rei vindicat.* certè, si furi, & non Paulo repetenti, equum reddam, Paulo injuriam infero, ergo pariter eidem injuriam affero, si, eo absente, equum furi restituam, quem scio non esse redditurum; nam absentia, vel, quod ipse non repetat, quia nescit me ipsius equum habere, in equum jus non tollit. Et sequitur à simili; ponatur me annulum alienum invenire, quem posteà intelligam esse Petri, compareat posteà Paulus mihi debens centum, & protestetur se ea mihi non redditurum, nisi annulum reponam in loco, in quo inveneram, ut exinde ipse possit accipere; in isto casu nullus dixerit me posse ad servandum me indemnem reponere annulum in eo loco, quin cooperer furto, & Petro rei domino damnum activè inferam, ita in proposito casu. Layman. *cit. num* 4. alios referens.

Cæterùm actionem contra furem haberem; quod, si ob ejus malitiam pretium recuperare non possem, adscribendum esset meo infortunio, quòd res aliena, ad quam semper jus habet proprius dominus, apud me extare inveniatur, & non in alterius damnum retorquendum. ibid. Layman. Semper tamen à Confessario obligandus est fur, ut mihi emptori pretium restituat.

51. Sed quid, *si equum à fure bona*

*fide emptum, vendam Francisco, & postea compareat, dominus equi, an ego pretium receptum, an Franciscus equum restituere debeat?*

Resp. Equus reddendus est Domino à Francisco, cui ego pretium ab eo receptum, & mihi fur alterum ipsi datum debet restituere; sic enim omnes servamur indemnes, & nullus plus habet, quam debeat habere. Layman *cit. num.* 25. & Tambur. §. 1. *n.* 14. Radix, cur ego obliger Francisco pretium restituere, & fur mihi aliud, oritur ex contractu, in quo implicitè includitur, ut venditor indemnem reddere debeat emptorem, quoad rem venditam; sic etiam si bona fide vendidisti vitrum pro gemma, cognito errore, debes restituere pretium, seu rescindere contractum, ut indemnem serves ementem.

Nota, quod si rem, bona fide emptam, majori pretio vendam, quàm emerim, teneor Domino reddere excessum pretii, quia, in eo factus sum ditior, etiam si res apud emptorem amplius non extet; si verò res extet, & ab emptore Dominus repetat, teneor emptori totum pretium reddere, ne ipsi damnum afferam.

52. Sed quid, *si scienter quis rem furtivam à fure emat?*

Resp. Tenetur reddere, si extet: sin autem pretium, quamvis suum, à fure recuperare nequeat; qui enim dolo è agit, dignus est, ut perdat rem, & pretium. Tambur. *lib. cit. tract. 2. cap. 7. num.* 3.

53. Quæritur, *cuinam teneatur restituere venditor piscium, qui defraudavit plures, quibus vendidit, sed de praesenti ignorat, quos determinatè, & in quantum damnificaverit?*

Resp. Si qui de præsenti accedunt, iidem sint, ex quibus aliquos defraudaverit, debet ipsis restituere, dando plus, quam debeat, usque dum verisimiliter præsumat, se integrè restituisse; vel pauperibus restituat in beneficium animæ damnificatorum, si non hos, sed alios, credat suam officinam frequentare.

54. Quæritur, *quid agendum Confessario cum pœnitente se accusante: possideo agrum sed cum dubio, an ad me legitimè spectet?*

Resp. Interroget, à quo tempore incæperit dubitare; si dixerit à duobus mensibus post possessionem, injungat, ut debitas diligentias adhibeat pro indaganda veritate; quòd si adhuc post sufficientem inquisitionem dubium non possit evincere, poterit agrum retinere, juxta commune axioma: *in dubiis melior est conditio possidentis*; si verò affirmet dubium fuisse ab initio ortum, & cum dubio accepisse, obliget, ut restituat; nam tunc accipiendo peccavit, quia exposuit se periculo retinendi rem alienam; & ideò similis est malæ fidei possessori, cui tale axioma non favet, sed solùm ei, qui bona fide possidere incæpit. De la Cruz *direct. Confes. 7. præcept. quæst. 7. art. 6. num* 2. & Tambur. *lib. 1. cap. 3. ver. restitutio num. 2. Fagnan. in 1. decretal ad c. ne innitaris de const. à num.* 20. Layman. *lib. 1. tract. 1. cap. 5. §. 3. num.* 21.

55. Sed quid, *si adhibitis diligentiis, & omino non comparente, rem consumat, & postea verus Dominus compareat?*

Resp. Tunc tenetur ad restituendum Do-

Domino id, in quo factus est ditior: quia post adhibitam diligentiam est bonæ fidei possessor; DD. communiter.

56. Sed quid, *si post moralem diligentiam adhibitam certus sit, quod ager ad eum certò spectet?*

Resp. Ad restitutionem non tenetur, sed peccavit, quando illum dubitans emit. Est regula generalis, quod faciens actum ex suo genere licitum, peccet, si conscientiam habeat, quod sit illicitus: sic, qui rem suam accipit, quàm ex conscientia dubia, vel etiam erronea, non existimat suam, peccat peccato contra justitiam; cum peccatum procedens ex his conscientiis opponatur eidem virtuti, cui opponitur peccatum existens contra conscientiam rectam.

57. Quæritur, *an Canonicus, qui reprobato, & illegitimo titulo beneficium accepit, teneatur restituere distributiones quotidianas, quas residendo, & divinis interessendo percepit?*

Resp. Quidam apud Fagnan. *in 2. cap. Gravis de restit. spoliat. num.* 78. dixerunt, non debere distributiones restituere, quia dantur ratione servitii, & tamquam merces laboris diurni, impensi in vinea Domini. Quos ipse reprobat; & cum ipso dicimus, eum obligari ad eas distributiones restituendas; ratio est, quia hujusmodi non dantur, nisi legitimis Canonicis, habentibus legitimum ingressum, & residentibus in casibus, locis, & temporibus permissis, non prohibitis; ideo ex ipse malè percepit, & ipsarum dominium non acquisivit.

58. Quæritur, *quid agendum Confessario cum pœnitente, qui eidem aperit:* Pater, sum hæres omnium bonorum Franciſci defuncti, nunquam novi ipsius bona esse aliena, sed credidi ipsum fuisse verùm Dominum, à sex mensibus possessæ hæreditatis, reperi Dominum non esse, ejusque bona ad alios pertinere: quæro ad quid teneat?

Resp. Teneris restituere omnia bona, quæ à Francisco in te devenerunt, ac fructus etiam, quos bona fide percepisti; nam tua bona fides tibi non prodest ad fructuum acquisitionem; etenim, cùm succedas Francisco in omne jus, & hæres ipsius universalis existas, ac in omnibus ejus personam repræsentes, debes pariter succedere in vitium, & malam fidem ipsius, quæ proinde tibi etiam nocet; & ideò teneris ad omnia ejus debita juxta vires hæreditatis; sed defunctus suos fructus non faceret, ergo nec tuos tu ipse fecisti, ut optimè Fagnan. *cit. nu.* 98. & 128. *ex l. cum hæres ff. de divers. & temp. præscr.* ubi: *cum hæres in jus omne defuncti succedit, ignorationem sua, defuncti vitia non excludit.* Ibi Fagnan. & Tambur. *cap.* 3. §. 6. *num.* 3. distinguunt de eo, qui à principio fuit bonæ fidei possessor, & ex post facto effectus est malæ fidei; nam, vel bona fides supervenit cum mutatione personarum, vel sine: si cum personarum mutatione; aut persona succedit in universum jus, & personam, cui succedit, in omnibus repræsentat: & tunc bona fides hæredis non prodest ad acquisitionem fructuum, quia exordium in illa fuit malæ fidei.

Aut persona succedens non repræsentat in omnibus personam, nec est successor universalis; & tunc bona fides in

ſucceſſore ſuperveniens prodeſt ad fructuum acquiſitionem: cùm non ſit inſpiciendum exordium perſonæ, in cujus vitium alter non ſuccedit.

Si verò bona fides ſuperveniat ſine mutatione perſonarum; tunc à tempore ſupervenientis bonæ fidei, incipit poſſeſſor acquirere fructus poſteà perceptos, non autem perceptos tempore poſſeſſionis malæ fidei; adeò ut illos, ſi conſumpſerit, non teneatur reſtituere, ſed ſolùm id, in quo factus ſit ditior; ſecus verò de acquiſitis tempore malæ fidei.

59. Quæritur, *an accipiens ignoranter falſam monetam poſſit illam, tuta conſcientia, ſcienter expendere?*

Reſp. Negativè; ne damnum proximo inferat, eumve decipiat; nullus enim conceſſurus erit, quòd, ſi tu à me quid fureris, poſſim ego, ad reſarciendum damnum, tantùm ab altero ſuſcipere. Scienter itaque expendens monetam falſam, vel ex mixtione metalli vilioris, vel ex defectu juſti ponderis, aut ſigilli, peccat contra juſtitiam cum obligatione reſtitutionis. Quilici *cit. num.* 11.

60. Sed quid, *ſi bona fide expendat, falſitatem non cognoſcens?*

Reſp. expendendo non peccat, ſed ſtatim ac cognoſcit, obligatur ad reſaciendum pretium ei, qui damnum ſenſit: quæ obligatio oritur non ex injuſta actione, ſed ex obligatione, quam habet ſolvendi juſtum pretium pro re empta. Vide *cap. proximo* §. 14.

61. Quæritur, *an à Confeſſario reſtitutioni obligandus ſit fur, qui per plura furtula ad notabilem quantitatem pervenit: v. g. furatur modò duos obolos, modò quadrantem, nunc ſilium, & tandem per ulterius furtulum ad gravem ſummam accedit?*

Reſp. Affirmativè, ex Innoc. damnante 38. *propoſit.* Sic itaque ſub mortali tenetur reſtituere, quando pervenit ad notabilem quantitatem, etiamſi in ſingulis furtis non habuerit animum furripiendi ampliùs; & ideò mortaliter peccat retinendo totam illam quantitatem, vel habendo animum non reſtituendi, cùm opportunitas fuerit. Thomas Sanchez apud Cardenas *diſſert. 23. capit. 3. art. 2. num. 83.* Ex pluribus enim obligationibus levibus ejuſdem ordinis reſultat obligatio gravis. Sic, qui hodie, non numerata pecunia, ſed credito accipit unum panem valoris unius oboli, & ſequenti die alterum, & quotidie uſque ad trigeſimum diem, incurrit triginta obligationes leves, & ex iſtis triginta levibus gravem obligationem contrahit; ergo, licèt in ſingulis illis furtulis incurrat levem obligationem, tamen ex illis omnibus, poſita ultima acceptiunculâ, in qua cum antecedentibus pervenitur ad materiam gravem, gravis obligatio reſtitutionis incurritur.

Dices, ergo ex multis venialibus poteſt conſtitui unum mortale contra omnes.

Reſp. Negando conſequentiam, quia illa ultima acceptio cum relatione ad præcedentes eſt ſemper mortalis, quemadmodum ultima retentio rei propter connexionem cum prioribus retentionibus mortalis eſt, ut Tambur. proximè citandus.

62. Sed quid, *ſi pœnitens ea furtula præcedentia ritè cum cæteris peccatis fuerit confeſſus?*

Reſp.

Resp. Adhuc, posita ultima acceptione, tenetur sub mortali restituere, quia adhuc quantitatem notabilem rei alienæ apud se reuinet, & causa fuit injusti damni. Vide Tambur. ubi supra *tract. 2. cap. 3. §. 1. num. 7. & tract. 3. capit. 2. §. 5. num. 6. & 7.* Cùm quo notabis, quod ex acceptione solùm venialiter peccaminosa oritur obligatio restitutionis sub veniali.

63. Sed quæritur, *an obligatio restituendi sub mortali procedat etiam in eo, qui hodie v.g. surripuit Julium, heri duos obolos, deinde quatuor quadrantes; quibus consumptis, non advertens ad ea furtula, furatur aliud modicum, quod etiam consumit, & postea advertit, illa priora furtula cum hoc ultimo constituere quantitatem notabilem, ac se proximo notabiliter nocuisse?*

Resp. Aliqui in casu dixerunt cessare obligationem restitutionis sub mortali, quia, si dum committit ultimum furtulum, non advertit ad priora, deficit illi advertentia de gravitate sui furti, adeoque plena libertas: & ex defectu plenæ libertatis abest peccatum injustitiæ. Quorum sententia certè comprehenditur sub propos. damnat. ab Innoc. Nam & ipsa asserit, ad restitutionem sub mortali eum non teneri, quamvis per parvula furta surripiat summam aliquam totalem. Ideò resolvimus debere sub mortali restituere; de eo enim ultimo furtulo commisso, verificatur, quòd sit retentor quantitatis gravis, & quod graviter proximum damnificaverit; & id ipse cognoscit, si post ultimum commissum advertat ad quantitatem per priora furreptam. Deinde, ut gravis obligatio restitutionis oriatur, sufficit, quod singula furta sint commissa cum plena advertentia de levi damnificatione proximi; nam tunc ex illis collectivè fur advertet esse graviter læsum.

64. Sed quæritur, *an sub mortali debeat restituere tam, qui per minima furta summam aliquam totalem surripit, non modo ab uno, & eodem; quàm qui à pluribus: ut ex acervo tritici pertinente ad Rempublicam, & Cives?*

Resp. De surripiente à pluribus negavit Hieronymus ab Angesto apud Cardenas *art. 3. num. 102.* qui asseruit mortale non esse auferre notabilem quantitatem à diversis, auferendo parvam à singulis, ex quo nullus ex eis graviter damnificetur; Verùm neque hunc excusari est certum ex decreto Innoc. ut advertenti patet; & ideò opinio Angesti sub damnatione continetur; & communiter rejicitur. Licèt singuli non reputentur graviter læsi formaliter, sunt tamen graviter damnificati radicaliter, hoc est, in ea re, quæ nisi graviter prohibeatur, sequerentur incommoda contra bonum publicum, & contra indemnitatem singulorum Civium, & tunc liceret unicuique ex industria ditescere ex alieno, fraudando mensuras, falsificando pondera, & ex his, quæ incommoda in Republica non orirentur? *Vide cap. prior num. 16.*

65. Sed dubitatur, *quænam censeantur quantitas gravis, quæ per minima furta surripitur?*

Resp. Crederem illam, quæ simul ablata sufficit ad mortale: sive una, & alia ablatio sit cum brevi temporis interpolatione, sive cum magna: sive ab uno, sive

sive à pluribus, per minima furta arripiatur; nam semper verificatur, quod accipiens sit retentor quantitatis secundùm se gravis, quidquid dixerit Thomas Sanchez, apud Cardenas ubi supra *art. 4. num. 114.*

66. Quæritur, *an cooperantes furto teneantur ad restitutionem.*

Resp. Affirmativè; nam omnes damnum injustè inferunt: modò damnum sequatur, sic DD. communiter. Consideret Confessarius posse aliquem furto, v.g homicidio, &c. cooperari uno ex novem modis, istis carminibus expressis.

*Jussio, Consilium, Consensus,*
*Palpo, Recursus.*
*Participans, Mutus, Non obstans, Non manifestans.*

*Jussio* Significat eum cooperari furto, qui imperat; vel mandat, ut quis furetur, & rapiat. *Consilium*, qui consulit, suadet, & invitat ad furtum. *Consensus*, qui consentit furto, seù debens impedire, consentit, ut fiat. *Palpo*, qui adulatione, & laudibus, vel irridendo, vel exprobrando pusillanimitatem, inducit ad furandum. *Recursus*, qui pro securitate personæ, aut furti, receptat apud se fures, quâ tales, & ipsorum furta. *Participans*, qui non modò partem furti accipit, & consumit, verùm etiam præbendo modos, positivè ad furtum concurrit; ut, si aperiat januam, scalam erigat, vel teneat, & ostendat modum, quo fur tutius alienum surripiat. *Mutus*, qui non clamat videndo fures. *Non obstans*, qui, cùm possit, non defendit, nec custodit, aut impedit. *Non manifestans*, qui fures non manifestat.

DD. concedunt, omnes, qui uno modo ex sex prafatis furto cooperantur, damno, & furto sequuto, ad restitutionem teneri qui verò concurrunt ultimis tribus modis, ad restitutionem non obligari, nisi ex officio teneantur clamare, defendere, & manifestare: ut sunt: *Prætor, Custos vineæ, montis Ministri, Principis, &c.* ut optimè Poncius *disput. 42. quæst. . . anum. 61.* & Joan. De la Cruz *cit. art. 7. nu. .* Hi, quibus ex officio id non incumbit, peccant solùm contra charitatem, tacendo, & non impediendo, modò possint sine proprio gravi incommodo. Exemplum posuimus in furto, cùm tamen possit proximus illis modis lædi, etiam in bonis, famæ, & vitæ.

67. Sed quæritur, *an cooperatores furto teneantur omnes in solidum, vel pro parte restituere?*

Resp. In solidum debent restituere, si communi consensu, & pacto furtum fuerit commissum, vel si unus excitavit, alterum consuluit, & iste accepit: si verò separatim singuli sine tali conspiratione, & pacto, partem furati sunt, pro parte solùm restituere tenentur, quia separatim sunt causæ non totius, sed partis damni: exemplum ponitur in itinerantibus, colligentibus ex vinea racemos uvæ; si isti vineam ingrediantur separatim, & quin unus alterum hortetur, consulat, vel inducat, tunc quilibet tenetur restituere pro parte, quam habuit, & ad ratam damni à se illati: si autem unus alterum inducat, vel ad invicem conveniant, aut unus alterum consulat, ad colligendos racemos, tunc quilibet tenetur in solidum, hoc est, ad totum, quod fuit furto ablatum; verùm, qui totum

totum reddidit, habet actionem contra socios: v. g. decem abstulimus uvam ad valorem decem scutorum, quæ æqualiter fuit inter nos divisa: ego accepi pro valore unius scuti, teneor restituere omnia decem, si alii suam partem non restituant, sed acquiro jus in novem contra consures; nam in casu sum causa totius furti; seù in ipsam totalem actionem furti concurro.

68. Sed quæritur, *an, qui ex errore inculpabili consuleret alicui furari ab aliquo, teneretur ad restitutionem, dum cognosceret furtum fuisse commissum, & quod malè consuluerit?*

Resp. Affirmativè: licèt non peccaverit, dum consuluerit, quia revera consilium fuit causa furti; sequitur à simili de eo, qui putat equum alterius esse suum, quem posteà, deposito errore, tenetur restituere. Poncius *cit. num.* 55. modo ipse fur non restituat.

69. Quæritur, *an fraudantes justas Gabellas, & vectigalia peccent, & restituere debeant?*

Resp. De hac re *Vid. lib.* 1. *cap.* 21. *n.* 109. & Cabasut. *cit. cap.* 19. *num.* 8.

70. Quæritur, *an ad restitutionem teneatur, qui per ludum prohibitum Alearum, & Taxillorum aliquid lucratur?*

Resp. Affirmativè, in sequentibus casibus: I. Si ludat cum iis, qui alienare non possunt, ut sunt Pupilli, Filii-familias, non habentes propria, & Religiosi: nam tunc acciperet rem alienam, invito Domino. II. Si utatur dolo, & fraudibus contra leges ludi, quia tunc injustè auferret bonum collusoris; nam quilibet habet jus, ne fraude, & dolo damnificetur. III. Si gravi, injusto metu, vel conviciis, improbis precibus, minis, & imperio, alium ad ludendum inducat; tunc enim injustè cogeret collusorem ad illam jacturam, ergo importunus vexans debet eam illi reficere. IV. Qui se ignarum simulavit, ut alterum imperitiorem provocaret; ratio est, quia in hoc casu contractus est injustus; nam, qui scit inæqualitatem peritiæ, non se exponit periculo perdendi rem suam. In aliis casibus non obligant Auctores lusores ad restitutionem lucri acquisiti, licèt ludis prohibitis ludant; nam nulla lex irritat acquisitionem lucri: perdenti tamen ludo vetito conceditur apud De la Cruz *cit. qu.* 1. 7. *præcept. art.* 5. §. *Circa ludos, conc* 3. repetitio apud Judicem intra octo dies; vide alleg. Poncium *disp.* 58. *quæst.* 3. Rotarium *apparat. Theol. part.* 2. *sect.* 4. *num.* 15. Layman. *lib.* 3. *tract.* 4. *cap.* 21.

71. Sed quæritur, *quando censeatur lusor uti fraudibus illicitis contra leges ludi?*

Resp. Si cartas suffuretur: si eas signis notet: si ludat, tertio quodam admonente de punctis adversarii: si decipiat in numerandis calculis, vel pecunia; unde, si ludas cum Titio, quem, facta fraude, vincis, lucrarisque ab eo decem, teneris hæc decem restituere.

Nota II. Clericis alearum, & taxillorum ludos prohiberi *ex capit. Clerici de vit. & honest. Cleric.* quod innovatur in Trid. *sess.* 22. *cap.* 1. *de ref.* super quo Quilici ponderat; quòd Clericos, & Religiosos semel in hebdomada pecuniam ludo vetito ludere, sit frequenter ludere, ac ab eis peccatum committi; non verò,

verò, si ludant ludo non prohibito, sed ad finem honestum recreandi animum, quamvis modicam aliquam quantitatem luserint: modò Religiosis sub mortali à suis Regulis non interdicatur, prout solet in strictioribus Religionibus evenire.

7. Quæritur, *Franciscus Confessario aperit*: occidi bovem Antonii, peto, an restituere teneat? pro negativa sum; nam ego diligentiam adhibui, ne eidem damnum inferrem, quam is data opera, ut aliquod damnum reciperet, majorem, quàm poteram adhibere, omiserim, ad hanc enim non tenebar; cùm nullus teneatur adhibere totam diligentiam possibilem?

Resp. Sed prius noto; quod duplex est culpa, alia Theologica, & moralis; & alia legalis, Civilis, seù juridica; quam Juristæ considerant, & juxta quam sententias ferunt; Prima item duplex, *mortalis*, & *venialis*, de quibus diximus *lib. 1. cap. 17.* Secunda, triplex, *lata, levis, & levissima*. Culpa *lata*, sive crassa, est omissio illius diligentiæ, quam regulariter omnes homines ejusdem conditionis, professionis, & ætatis adhibere solent. *Levis*, est omissio illius diligentiæ, quam adhibere solent homines diligentiores. *Levissima* verò, est omissio exactæ diligentiæ, quam homines diligentissimi ejusdem ætatis, artis, & professionis solent adhibere. Exemplum habes. Si Librum tibi commodatum, in publica platea relinquas, & inde surripiatur, reputaris amisisse per culpam latam, quia diligentiam non adhibuisti, quam solent regulariter homines in custodiendis rebus. Si in cubiculo aperto relinquis, per culpam levem, ex quo eam diligentiam omittas, qua solent homines diligentiores uti in rebus custodiendis. Si tandem in cubiculo clauso relinquis, sed manu non tentas, an fera bene firmata sit, per culpam levissimam, propter omissionem diligentiæ, quam homines diligentissimi in rerum custodia solent adhibere: modò

Ad dubium respondetur affirmativè; ratio est, quia omissio illius diligentiæ fuit causa moralis illati damni. Tum quia, quilibet ex justitia obligatur, ut non eo fine faciat aliquid, ut sequatur damnum proximi, ergo, nec ad omittendam majorem diligentiam eo animo; & si ex tali animo omittat, & damnum sequatur, restituere tenetur; nam tunc reus est, etiam de culpa gravi Theologica. Quilibet tenetur adhibere omnem diligentiam possibilem, si prævideat ex omissione sequuturum damnum.

73. Sed quid dicendum, *si ex naturali oblivione, vel inadvertentia furnum v. g. non accludas, canem non alliges, si inde damnum acciderit?*

Resp. A restitutione te liberant Laym. *lib. 3. tract. 3. part. 3. cap. 7.* Cabassut. *cap. 17. num. 2.* quia quamvis commiseris culpam civilem, tamen propter inadvertentiam coram Deo non peccasti. Verùm post Judicis sententiam te obligant. Quemadmodùm apud Poncium *disp. 52. qu. 1. conc. 2. num. 3.* teneris ad recompensandum damnum, juxta modum, quo determinatur à legibus civilibus, si bos tuus sine tua culpa segetes alterius comedat; & apud Cabassut. teneris etiam ante Judicis sententiam, si pactum intercesserit de damno reparando.

Cate-

Cæterùm, si furtum, data opera, non accluſisti, nec canem alligasti prævidens periculum damni; vel, si accluſisti, aut alligasti, ſed non modo, quo ejuidem profeſſionis viri ſolent exequi, ne damnum ſequatur: aut dubitans, quod, niſi major cautela adhiberetur, proximus damnum poſſet recipere, ad reſtitutionem teneris, ſi illud ſequatur; quia cenſeris aliquo modo damnum velle; videas cit. Layman. & Cabaſut; De la Cruz *cit. qu. art. 6. num. 3. conc. 1.* & Engel. *lib. 1. tit. 35. §. 7.*

74. Quæritur, *quomodo ſe gerere debeat Confeſſarius cum gravato onere reſtitutionis?*

Reſp. Debet videre, an ſit potens reſtituere, & dum potentem invenerit, non abſolvat, niſi prius reſtituat; maximè ſi non ſit ſumma tenuis, nam in hoc caſu poſſet ſufficere propoſitum reſtituendi: modò aliàs à Confeſſario ei non fuerit injunctum, ut reſtitueret, & non fecerit, quamvis potens: & abſolvendus non eſt, niſi exequatur; nam tunc cenſetur eſſe in periculo, & occaſione proximâ peccandi; nec eſt ei credendum, quamvis propoſitum oſtendat; immò præſumendum, quod quemadmodum apud alium Confeſſarium promiſſis non ſtetit, ita neque in futurum parebit. Quod ſi revera non ſit potens, abſolvi poteſt: modò propoſitum reſtituendi habeat; & debet ſe accuſare, ſi ante reſtituere culpabiliter omiſerit, & à quanto tempore potens fuerit, & non reddiderit; quòd ſi de præſenti ſolùm ſit potens reſtituere partem, eam Domino reddat, & parcius vivat, ut alteram reſtituere valeat. Si verò ſumma reſtituenda fuerit judicio Confeſſarii notabilis, & non levis: nec pro prima vice, dum poteſt reſtituere, eſt abſolvendus, niſi reſtituat.

Non ſint itaque Confeſſarii faciles ad diſſimulandum reſtitutionis onus in furtulis, etiam minimis, & quæ ad mortale non pertingunt; ſed pro conditione, & capacitate perſonarum ſemper aliquam reſtitutionem imponant, quæ fiat, vel reddendo rem eamdem, ſi exſtat, vel ejuſdem ſpeciei, vel ipſius pretium, vel compenſando majori obſequio, quam ex contractu teneantur; vel, ſi Creditoribus, quos ignorant, reddere non poſſunt, tantum in pauperes, vel pios uſus conferant. Doceant etiam ordinem non eſſe ſervandum, quando omnibus poteſt ſatisfieri; Quod ſi omnibus ſatisfieri non poſſit, prius ſunt ſolvenda debita certa, quæ nimirum certis perſonis debentur, quàm incerta, hoc eſt, illa, quorum Domini ignorantur; & ex certis, prius illa, quæ exiſtunt in propria ſpecie, ut depoſitum, commodatum, locatum, res furtiva: quia horum debitor dominium non acquiſivit: ex bonis verò debitoris, ſi defunctus ſit, ſunt prius ſolvendæ expenſæ funeris, ex *l. penult. ff. de Religioſis, & ſumptibus funerum*: honoraria medicorum, & Pharmacopolæ, prout DD. communiter apud Layman. *lib. 3 tract. 2. cap. 11. num. 3.* & Cabaſut *cap. 23. num. 5.* Baldus addit, impenſas factas in infirmum poſt illam funeris præferri unicuique creditorum; ratio eſt, quia hujuſmodi debita neceſſaria reputantur, & non contracta in fraudem antecedentium Creditorum: alioquin nullus reperiretur, qui indigentibus talia ſubminiſtret, ſi de ſolutione certus non eſſet.

Deinde, Creditoribus personalibus (illis nimirum, qui solam personam personali actione sibi obligatam tenent, licèt obligatio Chirographo proprio, aut publico instrumento, vel testibus, aut debitoris Confessione probari possit) præferuntur Creditores Hypothecarii, ii scilicet, quibus non solùm persona ipsa debitoris, sed aliqua ipsius bona sunt obligata; ratio est, quia res illa hypothecata, quantum ad illud debitum, spectat ad Creditorem hypothecarium; cui non præferuntur Uxor, & ejus filii in restitutione dotis (licèt pro hujus restitutione censeantur tacitè hypothecata omnia bona mariti) modò hypotheca dotalis sit posterior, & illa anterior, & expressa, & specialis; ut, si pecuniam conferas ad ædificandam domum, pacto inito, cum debitore, quod domus sit veluti tuæ pecuniæ pignus.

75. Sed quid *agendum Confessario, qui ex Confessione pœnitentis, existentis in periculo mortis, cognovit teneri ad aliquid restituendum?*

Resp. Debet sine fractione sigilli Confessionis providere saluti illius animæ, securitati restitutionis, & pœnitentis famæ; propterea priusquam absolvat, tenetur ægro significare se debere restituere, & quando alàs non possit, debere, vel testamento, vel codicillo pecuniam, aliamve rem debitam per legatum destinare personæ, cui debetur: aut si incerta sit, pauperibus distribuendam per hæredes, aut executores testamenti: vel personam spectatissimæ probitatis vocare, eique secretò injungere, ut talem pecuniæ summam, à se in suas manus depositam, vel ab hæredibus ex præscripto testamenti deponendam, Petro debitam, secretò reddat. Quæ videntur media apta, non modò ad finem à Confessario intentum, verùm etiam ad excludendam suspicionem sive restitutionis, sive inductionis, & fraudis ex parte Confessarii, dum iste in præfatis casibus assumit onus restitutionis faciendæ.

## CAPUT XXIII.

### *Prop. XL. ab Innoc. XI. &c.*

### *Contractus.*

1. PROP. 40. *Contractus Mohatra licitus est, etiam respectu ejusdem personæ, & cum contractu retrovenditionis præviè inito, cum intentione lucri.*

Examen materiæ, quod occasione præfatæ propositionis assumimus, utile, & necessarium est Confessario, ut proprium munus, ut oportet, impleat; propterea à eidem, si non omnia dubia, quæ in materia de contractibus excitari à DD. solent, resoluta dabimus, ad minus frequentiora, aliaque pro praxi utilia enodabimus; & præcipuè, quæ spectant ad contractus, Census, Cambii, Societatis, Assecurationis, Commodati, Locati, &c.

2. Quod contractus *est conventio inter duos, vel plures, ultrò citroque obligans:* ut in mutuo, commodato, emptione, venditione &c. vel saltem unam partem obstringens, ut in promissione, & donatione absoluta, in quibus una pars tantùm obligatur, altera parte acceptante.

3. Quòd

3. Quòd contractus alius est nominatus, innominatus alter; ille est, qui proprium nomen in jure habet, ut *venditio, emptio, locatio mutuum, depositum &c.* hic verò, qui nomine proprio caret; & ad quatuor genera reducitur: *Do, ut Des*, ut, do tibi aurum, ut des mihi argentum. *Do, ut facias*, ut, do tibi argentum, ut colas mihi agrum. *Facio, ut des*, ut, colo tibi vineam, ut des mihi panem. *Facio, ut facias*, ut, colo tibi vineam, ut meas segetes metas; discrimen videas apud Engel. *col. jur. can. l. 1. tract 35. §. 3.* & apud Ponc. *disp. 53. q. 1.* alias divisiones, Confessario non tam necessarias.

4. Quæritur, *quid sit contractus*, Mohatras, *dictus apud Hispanos, & apud aliquos Italos*, Stocco?

Resp. *Est contractus venditionis ad pretium summum justum, pecunia credita, cum pacto retrovenditionis, ad pretium infimum justum, pecunia numerata*; v.g. eges centum, quæ mutuò petis à Joanne mercatore, respondente ea non habere, sed tibi offert mercem, vendendam tibi ad creditum pro centum, & decem (quod supponamus esse justum pretium summum, vel medium) cum pacto, ut tu eandem rem ipsi revendas, numerata pecunia, ptetio infimo, intra limites justi pretii v.g. centum, quæ promittit tibi statim solvere. Hujusmodi contractus illicitus est, & usurarius; nam tibi indigenti pecunia solvit mercator centum, & necessitatem imponit, ut tu aliquanto debeas solvere alia decem; adeòque æquivalenter idem facit, quod facit, qui mutuat centum, & supra sortem exigit etiam decem. Tum quia, contra hunc contractum est eadem ratio, quæ adducitur ad reprobandam usuram; nam, ideò usura est illicita, quia per hanc aliquid exigitur ultra sortem, pro quo nullum subitur onus pretio æstimabile, damni emergentis, vel lucri cessantis, sed in contractu Mohatra, etiam nullum tale onus reperitur, & tamen ementi rem ad creditum justo pretio imponitur onus, & necessitas revendendi minori pretio, & accipiendi in parata pecunia tantùm centum, ergo contractus Mohatra, cum prævio pacto revendendi rem ipsi venditori, est injustus, & saltem æquivalenter usurarius. Unde malitia hujus contractus consistit in lucro ex mutuo, palliato sub prætextu venditionis, & retrovenditionis, ideò ab Innoc. reprobatus, Cardenas *ad alleg. prop. ab Innoc. XI. damnat. differt. 24.*

5. Sed quid, *si nullum adsit pactum, sed solum spes sit in mercatore, vendente merdem credito cariùs, eam ab ipso indigente reemendi vilius, numerata pecunia. Vel si credito indigenti à mercatore vendita merce summo pretio, statim ipse mittat amicum, vel tertiam personam, quæ eandem mercem, nomine suo, emat pretio infimo numerata pecunia. Vel, si mercator vendidit credito mercem suam pretio summo, sed justo, non intendens obligare indigentem ad revendendum sibi, viliori pretio, sed ipsum relinquat in sua libertate; qui, cum non reperiat emptores, vel tempus non habeat eos adeundi, aut quærendi, eandem mercem, infimo pretio, vendit eidem mercatori, numerata pecunia?*

Resp. Quidam dixere contractum *Mohatras, vel stoceo*, altero ex istis tribus

modis celebratum, non esse illicitum; quia onus non imponitur emptori, sed relinquitur in sua libertate, ut, ad quemvis possit, accedat. Sed neque id post decret. Innoc. potest sustineri; ratio est, quia in propositione sunt damnati omnes quatuor modi contrahendi Mohatram, vel faciendi stoccos. Primus, de quo *n.* 5. expresè continetur in illis verbis: *respectu ejusdem personæ, & cum contractu retrovenditionis prævio inito* Secundus, exprimitur illis verbis, *cum intentione lucri.* Tertius, & quartus comprehenduntur in illa dictione *etiam: licitus est etiam &c.* nam hæc dictio *etiam*, est ampliativa, & implicativa; quæ prohibitionem ampliat, & comprehendit quemvis modum, quo posset contraveniri. Barbos. *de dictionib. dict.* 111. ideò quocumque modo fiat *Mohatra, seu stocco*, censeri debet prohibitus. Propterea cautè legendus est Cardenas, concedens licitum esse Mohatram, si fiat sine pacto explicito, vel implicito de retrovendendo, nam semper erit contractus scandalosus in detrimentum ipsius indigentis pecunia, & saltem contra charitatem; immò, cum Papa damnet propositionem, ut jacet, nulli licèt defendere Mohatræ contractum in aliquo sensu.

## §. I.

### *Contractus census.*

6. QUæritur, *Quid sit census.*

Resp. *Est jus legitimum percipiendi pensionem aliquam super re alterius immobili, utili, & fructifera. Concius de censib. par. 1. cap. 1. qu. 3. art. 2.* Dicitur *jus* quia, qui censum acquirit, vel emit, nullum dominium habet rei, super qua census est impositus, sed jus ad exigendam pensionem à venditore illius juris; dicitur *legitimum*: ad significandum conditiones justas, & formalitates legales servandas in constitutione census, maximè post Const. *B. Pii V.* de qua *n.* 9. additur *pensionem aliquam*: sivè in pecunia: & tunc census est pecuniarius: sivè in fructibus, ut tritico, oleo, vino &c. & census erit fructuarius; adjicitur, *super re alterius*: quia censuarius assumens onus solvendi pensionem remanet dominus fundi, super quo census constituitur cum solum vendat illud jus, DD. communiter; tandem ponitur super re *immobili, & fructifera*: quia neque super persona, aut re mobili, neque super fundo sterili, census potest creari, sed opus est, ut res sit immobilis, & tot fructus regulariter annuatim, saltem colligantur ex fundo, quot sufficiunt ad solutionem census.

7. Advertendum 1 quod sicut dominus agri habet jus percipiendi fructus ex eo, sic potest tale jus vendere. 2. Quod non ipsa pensio est census, sed jus ad eam exigendam. 3. Quod is, qui censum emit, Censuista, seu Censualista appellatur, & qui vendit, & soluturus est pensionem, Censuarius. Poncius *disp.* 55. *quæst.* 5. *num.* 19. Fagnan. *in* 5. *decretal. ad cap. in Civitate de usur. num.* 30. Giballinus 2. *p. de usur. lib.* 4. *cap.* 6. *art.* 6. *num.* 3.

8. Duplex est census *reservativus*, & *consignativus*: primus est, cum quis dat alteri sua bona reservando sibi pensionem

nem annuam; & de isto, per Poncium, non loquuntur Pontifices in suis Bullis. Secundus est, quando quis super re sua, recepto pretio, consignat alteri jus percipiendi certam pensionem; vel, cum quis pretio emit jus percipiendi certam pensionem ex re alterius: ut, si quis centum aureis emat à Petro jus percipiendi in singulos annos ex ejus agro, vel mensuram frumenti, vel pretium æquivalens, quinque nimirum scuta.

Unde consignativus dividitur *in realem, & personalem*; ille fundatur super certa re temporali, domo, agro, vinea &c. & comitatur rem ad quemcumque possessorem perveniat: qua pereunte, perit; alter fundatur super persona, quæ se obligat ad pensionem solvendam, & transfert in alterum jus eam annuatim exigendi ex acquisitis à se per laborem proprium, & industriam: & quamvis interdum apponatur bonorum hypotheca ad majorem pensionis personalis securitatem, hoc non fit per Cabasut. *jur. Canon. Theoria lib.* 6. *cap.* 12. *num.* 7. virtute contractus censualis, sed per alterius contractus adjunctionem, nimirum hypothecæ; neque census constituitur super illa hypotheca, sed super persona; neque ex hypotheca, sed ex persona pensio solvenda est, qui post Const. Pii non tenet ex dicendis *n. sequen.*

Subdividitur postea *in redimibilem*, quem venditor redimere potest, reddito pretio accepto, vel emptor, pretio repetito: & *irredimibilem*, cum nullum redimendi pactum ab emptore, & venditore adjicitur.

Deinde, alius est *perpetuus*, ut, cum pensio est perpetuò solvenda, sic, ut etiam ad hæredes obligatio transeat: & alius *temporalis*, ut cum est solvenda. d tempus, vel determinatum, ut ad 10. vel 15. annos: vel indeterminatum, ut ad vitam ementis, vel vendentis censum, aut alterius: ut, do tibi mille, ut tenearis, quamdiù vivis, vel quamdiù ego vivo, vel Patermeus vixerit, numerare mihi centum singulis annis: & dicitur *vitalitius*: qui an validus sit, mox ex dicendis colligendum, *& cap. sequen.*

9. Quæritur, *Confessarius interrogatur à recenti Notario, quot conditiones sint de necessitate servandæ in licitè constituendis censibus, & celebrandis instrumentis super contractibus censualibus, quid ei respondebit?*

Resp. Dicat esse servanda, quæ post Martinum V. & Calixtum III. in 1. & 2. *Extravag. de empt. & vendit. inter com.* statuit B. Pius V. *const. Cum onus Apostolicæ, qua est in Bullar. to.* 2. *la* 79. in qua B. Pontifex ad validitatem censuum, & vitandam in contractu injustitiam, & usuræ labem, sequentes conditiones observandas dispposuit.

I. Ut census fundetur *super re immobili*, ut domo, vinea, piscina, &c. non verò in animalibus; vel vino, oleo, & similibus. Mastrius Theol. Moral. *disp.* 5. *qu.* 3. *art.* 1. *num.* 99. Aut, *quæ pro immobili habeatur*, ut sunt annui redditus perpetui; ex Clement. Exivi *de verb. signific.* §. *cumque annui.* Et De la Cruz 7. *præcept. quæst.* 6. *art.* 1. *de censib. num.* 3. unde sequitur non posse fundari supra personam, aut super personam, & rem: adeoque, & censum personalem non esse licitum.

II. Sit res sit fructifera, reddens fructus

ctus sufficientes ad pensionem solvendam.

III. Quæ nominatim certis finibus designata sit; ut constet, an sit immobilis, & fructifera, quando res censita pereat, & cum ea census super ea fundatus sit extinctus: ideò non potest fundari super bonis non præsentibus, vel futuris.

IV. Ut in stipulatione instrumenti pecunia realiter, & cum effectu exbursetur, & numeretur ab emptore venditori census in præsentia Notarii, & testium; neque sufficit ante numerasse, vel creditorem de ea extitisse; unde notat De la Cruz cit. non posse institui censum de pecuniis anteà debitis, cum non sint præsentes, nec coram Tabellione, & testibus numerentur.

V. Ut solutiones pensionum ex pacto non solvantur anticipatè, sed exigantur, terminis maturatis, & ratione temporis elapsi: pensio enim est eruenda ex fructibus rei censitæ; si enim emptor census, dum pretium numerat, detraheret ex eo pensionem primi anni, quæ non debetur, nisi anno completo, usuram committeret cum obligatione restituendi.

VI. Ne venditor census obligetur ad casus fortuitos, ut, si domus absque culpa ipsius incendio pereat, Molendinum ex impetu aquarum ruat, & ager asportetur, census emptori pereat (nam res Domino perit, Dominus autem census est emptor) & venditor amplius ad pensionem non teneatur: minuaturque census, minuta hypotheca, juxta proportionem: in totum, re in totum perempta; vel secundùm partem, si pro parte infructuosa efficiatur: unde paciſci non potest de solvenda pensione, etiam si res subjecta pereat.

VII. Ne fiat pactum, restringens libertatem Censuario alienandi rem censui subjectam, sed possit eam vendere semper, & quando velit: nec teneatur tunc solvere laudemium, vel aliquid dare Censualistæ pro obtinenda licentia illam alienandi.

VIII. Ut dum res censui subjecta vendenda sit, Dominus census moneatur, & præferatur, si eam velit sibi acquirere.

IX. Ne Censuario moroso in solvenda pensione, imponatur aliqua pœna pecuniaria, vel alia; ut, quod teneatur ad interesse lucri cessantis, vel ad cambium, vel alias expensas, liquidandas juramento creditoris; aut partem rei amittat.

X. Ne pensiones maturatæ, & non solutæ, convertantur in capitale, & augmentum census.

XI. Ut Censuario aliquod onus non imponatur, ad quod, secluso contractu, non teneatur.

XII. Quod venditor census possit censum redimere, & extinguere, quando velit, restituendo pretium Censualistæ, non obstante præscriptione centum, aut plurium annorum; ex quo patet non valere censum cum pacto, ut fiat perpetuus, si intra certum tempus non redimatur. Cum tamen Censuarius vult censum extinguere, decet de eo ante duos menses monere dominum census.

XIII. Ut Censuarius, vel venditor census nullo unquam tempore compellatur, vel obligetur ad se affrancandum, seu ad censum redimendum, nisi quando ipse prius denunciaverit Censualistæ velle

se

se affrancare, seu censum extinguere; tunc, transactis duobus mensibus, vult Papa, ut Dominus census possit ab invito repetere pretium intra annum. & ubi pretium non exigatur, sit nihilominus Censuario liberum extinguere censum, cum velit.

XIV. Quod censu constituto non possit pretium augeri, vel minui ob temporum, aut personarum qualitatem: justum autem pretium reputatur, vel quod Princeps taxavit, vel, quod universalis consuetudo approbat. Tambur. *cit. cap.* 3. & Fagnan. *n.* 17.

XV. Quod contractus censuales sub alia forma celebrati sint fœneratitii, & usurarii. Hæc summatim ex Constitut. B. Pii.

Peccaret itaque mortaliter Notarius, si in stipulatione instrumenti non servaret formam creandi census à B. Pio V. in alleg. constitutione statutam, quam in conscientia obligare dixit *cit.* De la Cruz *n.* 4. & contractus census celebratos contra formam ab ipso præscriptam, nullos esse legitur, apud Giballinum *par* 2. *de usur. lib.* 4. *cap.* 6. *art.* 5. *n.* 3.

10. Quæritur, *Confessarius interrogatur, ut discrimen afferat inter mutuum, & censum; & quare contractus censualis, usurarius non debeat reputari; & cur in eo, mutuum, ut minimum virtuale, & pallium usuræ non contineatur! videtur enim, quod pecunia recipienda detur supra sortem, siquidem pensiones paucis annis superabunt summam, quæ primùm data est. Si contractus præsens à labe, & pallio usuræ immunis sit, facile poterit lucrum omne supra sortem in mutuo ab usura excusari; nam mutuo dans, respondebit se nolle lucrum capere, ex mutuo, sed per illa centum, v. g. quæ dat, emere jus ad centum, & decem post annum recipienda: quod jus est, tam distinctum ab ipsis centum, & decem posteà recipiendis, sicuti in censu jus percipiendi pensiones annuas, vel menstruas est distinctum à pensionibus, & centum datis, ad tale jus emendum; quid in casu erit pœnitenti dicturus?*

Resp. Quòd apertum discrimen est inter mutuum, & censum. I. In mutuo obligatur mutuatarius reddere sortem, præfinito tempore, sive, quando mutuo dans, eam repetit, quemadmodum petere potest: in censu autem emptor non potest unquam pretium repetere, neque obligare venditorem reddere, dum nolit. II. In mutuo sors nunquam mutuanti perit, etiamsi res mutuatarii pereant; in censu verò, pereunte prædio, aut re alia censui subjecta, sine culpa Censuarii, in totum, vel in partem, census perit; nec obligatur posteà Censuarius ad pensionem, vel ad pretium, primo datum, solvendum, nisi ad ratam intercessus.

III. In mutuo dominium mutui non est apud mutuantem, & ideò non potest aliquid exigere de eo, quod suum non est; in censu autem dominium census, seu juris ad petendam pensionem, est in Censualista, & ideò potest sine injustitia, & pallio usuræ, pensionem illam exigere; quemadmodum potest illud jus alteri vendere: legendi sunt Gibalin. Cabassut. *cit.* & Engel. *Colleg. jur. Can. lib.* 5. *tit.* 19. §. 2. *n.* 22. nec pensiones illæ exigun-

tur, ut incrementum sortis, sed solùm, ut fructus juris empti.

11. Sed quæritur, *an, si ob fortuitam sterilitatem, ut insolitum calorem, nimiam pluviam, eo anno communem, res non fructificet, ad pensionem solvendam censuarius teneatur?*

Resp. Videndum, an sterilitas compensetur ex fertilitate præcedentium annorum, vel spes sit ex sequentibus; & in casu, pensio est à Censuario solvenda: ubi notandum ex Giballin. *cit. art. 11. num. 5.* & Rotario *Theol. moral. p. 2. cap. 7 sect. 5. num. 13.* opus non esse, quòd res censita singulis annis fructificet; nam sufficit, ut sit natura sua fructifera, ut Pontifex loquitur, & ex ea fructus regulariter Censuarius computando unum annum cum alio percipiat, sufficientes ad solvendam pensionem: nec Censualista emit fructus, quos res censita ferat singulis annis; quæ etiam, si aliquo anno fructus non ferat (ut dictum, quæ dicitur fructifera civiliter, licèt aliquandiù illocata maneat) censibus poterit subjici; non verò si crebrius, aut ferè semper fructus non ferat.

12. Sed quæritur, *an res censita debeat ferre fructus qui æquent pensionem ei impositam?*

Resp. Affirmativè, aliàs ratione illius excessus solvendi supra fructus, frugifera non foret. Giballin. ibid. *n. 7.*

## §. II.

### *Contractus Cambii.*

13. QUæritur, *quid sit Cambium, & quotuplex?*

Ad I. Respondetur, *est permutatio pecuniæ pro pecunia cum moderato lucro.* DD. communiter. Ubi, qui Cambium petit, pecuniam accipit, & dat lucrum, *Campsarius* appellari solet; qui verò rogatur, ut pecuniam commutet, ipsamque permutat, & lucratur, *Campsor* vel *Bancarius*, nominatur.

Ad II. Cambium dividitur *in fictum, quod vocatur siccum, hoc est, carens humore ad lucrum; & in reale. Siccum* illud est, in quo est tantùm apparentia Cambii, & justi tituli ad lucrum, cum revera cambium non sit, sed verè contractus mutui, figura fictitii cambii efformati, de quo DD. & nos infra. *Reale* verò illud est, in quo revera reperitur titulus justus, ratione cujus posslit aliquid justè accipi pro Cambio, quia realiter pecunia cum pecunia commutatur.

Et hoc subdividitur *in minutum, seu manuale, & locale. Minutum, est permutatio præsentis pecuniæ cum alia pecunia præsenti, sed inæqualis materiæ, sigilli, & figuræ:* argenteæ cum aurea, æneæ cum argentea, vel unius Principis cum ea alterius Provinciæ, propter commodum migrantium de una in aliam Provinciam; dicitur *minutum*, quia regulariter minor moneta commutatur cum majori: *& manuale*, quia statim in eodem loco, & tempore de manu ad manum pecunia numeratur. *Locale est, in quo pro pecunia data in uno loco, datur alia in alio loco*; quod, cum ordinariè per literas fieri soleat (quibus Campsor mandat suo correspondenti, ut Campsario certam pecuniæ quantitatem, quam ipse Campsor, v. g. hic Romæ accepit,

cèpit, numeret Lucæ) Cambium per literas appellatur.

14. Quæritur, *an in Cambio ſicco poſſit Campſor aliquid lucri juſti ſupra ſortem accipere?*

Reſp. Negativè, ratio eſt, quia in eo nullus habetur legitimus titulus ad lucrum exigendum; nam, non eſt verè Cambium, ſed mutuum, ementito nomine Cambii, & uſuræ pallio palliatum. Ad Cambium verum, & reale exigitur, ut realiter, & cum effectu pecunia Campſario detur: ſeu, ut reipſa literæ cambiales de uno ad alium locum tranſmittantur, virtute quarum fiat vera ſolutio pecuniæ, quæ recepta fuit in alio loco; quod non reperitur in Cambio ſicco. Exemplum pono: hìc Romæ petis à Campſore decem, & accipis, ut poſt duos menſes des ea Florentiæ, ſed non intendis ibi ſolvere, necibid. ſolvis, ſed hìc: & literæ illuc tranſmiſſæ redeunt inanes, & vacuæ. Quod ultra ſortem reddis, vel à Campſore exigitur, eſt lucrum uſurarium, datum ſolùm ob expectatam ſolutionem, & dilationem temporis, quod vendi non poteſt. Ideò patet, acceptum ſupra ſortem accipi ex vi mutui palliati, & propterea injuſtè, & iniquè. Maſtr. *cit.* Cabaſut. *cap.* 12. Layman *lib.* 3. *tract.* 4. *cap.* 19. *in fine.*

15. Quæritur, *an in Cambio minuto, in quo Campſor Ungaricos cùm teſtonibus, duplones Hiſpanicos cum julìis, & teſtones cum obolis, vel bajocchis Campſario commutat, poſſit aliquid lucri juſtè accipi ſine peccato, & periculo uſuræ?*

Reſp. Affirmativè, Maſtr. *cit. n.* 125. Poncius *num.* 23. Cabaſut. *lib.* 6. *cap.* 10. *num.* 2. Layman. *num.* 3. Engel. *nu.* 24. De la Cruz *art.* 3. *de Cambiis num.* 1. *conc.* 1. & communiter DD. Pro quo advertendum: pecuniam habere duplicem valorem, alterum legalem, & extrinſecum, qui, taxatur à Principe, per quem eſt rerum pretium; & alterum naturalem, & intrinſecum ut quædam res eſt, pretioſius metallum, antiquius, commodius ad aſportandum, & facilius ad expendendum inter exteros; quamvis autem pro ea, qua pretium rerum eſt, vel ratione valoris legalis, non poſſit aliquid juſtè recipi, quia hujuſmodi valor, utpotè à lege taxatus, indiviſibilis eſt; poteſt tamen aliquid moderatum lucrum juſtè exigi, ratione valoris naturalis, ſeù intrinſeci; ſub qua ratione certè eſt æſtimabilior aurea, quàm argentea, propter conditionem materiæ, quæ eſt nobilior, durabilior, in pluribus locis expendibilior, aſportatu commodior, & tandem ad plures uſus idonea; & præter rerum pretium, eſt etiam ad deaurandum, medicinas, & ſimilia apta.

Ex vi etiam laboris, & expenſarum, quas Campſor facit, ut habeat, & cuſtodiat ſimiles pecunias pro Cambio, juſtè aliquid accipit; nam labor ille, & expenſæ ſunt pretio dignæ: ſed vitentur fraudes.

16. Quæritur, *an in Cambio locali juſtè aliquid lucri accipiatur?*

Reſp. Affirmativè: nam in iſto quoque, ſunt tituli legitimi pro juſto lucro exigendo; ſive Campſor hìc Romæ v. g. numeret primò pecunias Campſario, ab iſto ſolvendas Florentiæ Campſoris correſpondenti, vel procuratori: ſive Campſarius Romæ numeret primo Campſo-

ri pecuniam, ut ab istius correspondente eam recipiat Florentiæ; nam, sive uno, vel altero modo Cambium celebretur, semper debet Campsor expensas facere, conducendo, vel alendo famulos, & scribas, tenendo libros rationum, aliosque sumptus, sine quibus correspondentias in locis remotis non haberet; in secundo reperitur etiam, transportatio virtualis pecuniæ de uno ad alium locum, quæ fit à Campsore, liberando Campsarium ab onere, sumptibus, & periculis, quæ ipse in transferenda pecunia deberet subire: quæ omnia sunt pretio æstimabilia, & digna stipendio.

17. Sed quæritur, *quodnam censeatur justum pretium, quod supra pecuniam cambitam accipi potest?*

Resp. Quòd, vel lex Principis taxat, vel loci consuetudo induxit: & potest augeri, vel minui propter locorum distantiam, & difficultatem majorem, & vel minorem, ac pericula transferendi pecuniam, & similes rationes, videndas apud Cabasut. *cit. num.* 4. & Mastr. *num.* 227. Hoc unum Confessarius ponderet, quòd lucrum moderatum esse debet: &, si Campsor pretium excedat, tenetur excessum restituere. Giballin *cit. lib.* 5. *cap.* 1. *art.* 4. *n.* 8.

18. Quæritur, *interrogatur Confessarius de conditionibus necessariis ad legitima Cambia, quid responsurus sit?*

Resp. Eas contineri in Constit. B. Pii V. *incip. In eam pro nostro* edita 1571. ut omnem aditum usuris, & fraudibus accluderet. Quarum 1. est, ut Cambium non sit siccum, seu fictitium, quod fit, quando contrahentes simulant certas nundinas, & certa loca, ubi verè nundinæ non celebrantur: ad quæ, qui pecuniam recipit, literas Cambii non mittit, vel ita mittit, ut vacuæ, siccæ, & sine effectu debeant reverti, quia non est, qui solvat.

II. Ut lucrum non recipiatur in casu non solutionis Cambii.

III. Ne Campsor pactiscatur de lucro ratione dilatæ solutionis ultra terminum.

IV. Ut, nec ante, nec post Cambium fiat pactum de certo, & determinato interesse solvendo, etiam in casu, quod non fiat solutio, tempore præfixo; hujusmodi enim pactum fundatur in periculo usuræ: quod periculum per Giballin. *cit. art.* 1. *cap.* 15. *constit.* 9. in simili pacto reperitur, & non tantùm præsumitur; propterea dixit Constit. in conscientia obligare, & esse omnino servandam.

V. Ne cambia realia celebrentur, nisi pro primis nundinis, ubi illæ celebrantur, hoc est, quòd Cambium solvatur tempore, quo celebrantur; quod, si ibi nundinæ non sint, ad primum terminum in cambio solitum designari juxta distantiam locorum; vetatque abusum, quo cambia pro secundis, & deinceps nundinis sine terminis exercentur.

Itaque Pontifex non vult terminum solutionis Cambiorum differri; ne propter hanc dilationem Campsores majora lucra recipiant, quemadmodum olim consueverint.

Sciendum est, in certis locis, quolibet anno, quater nundinas celebrari, inter quas spatium trium mensium intercurrit,

currit, ut merces possint ad loca asportari, & literæ cambiales dirigi. Unde Cambium fieri ad primas nundinas, est, Campsorem, & Campsarium inter se convenire, ut solutio fiat intra trimestre: ad secundas intra sex: & ad tertias intra novem menses. Et quia Campsores consueverunt sic cambire, ut, si Cambium non solveretur in primis nundinis, vel istæ non celebrarentur, majus lucrum exigerent: & majus in secundis: & magis etiam in tertiis; ideò Pontifex similem modum solutionis, & celebrandi cambia prohibuit, utpote continentem lucrum usurarium, acceptum ex sola dilatione solutionis. Solvenda itaque sunt cambia in termino præfixo in singrapha, vel literis; vel si postea solvantur, non potest plus à Campsore exigi, nisi propter lucrum cessans, & damnum emergens, non fictum, sed verum, & reale: sed de hoc debent Campsor, & Campsarius convenire. Semper tamen vitentur fraudes.

19. Quæritur, *an Cambium cum recambio, quod Itali vocant* con la ricorsa, *sit licitum?*

Resp. Negat Cabasut. contra plures, resolvens rationes aliorum, probare solùm esse speculativè licitum, non verò practicè; quòd quidem constat ex ipsa natura prætacti Cambii, quod sic institui solet. Titius, Campsarius accipit Mediolani à Campsore centum aureos, solvendos Placentiæ (ubi Titius pecuniam, nec respondentem habet) propterea ipsum Campsorem rogat, ut sibi concedat, & scribat suo respondenti Placentiæ, ut nomine ipsiusmet Titii satisfaciat, & solvat sibi Campsori Mediolani; Campsor literas Placentiam dirigit suo respondenti; quibus acceptis, correspondens Campsoris, nomine Titii, eamdem summam recambit Mediolanum ad Campsorem, ut iste centum exigat à Titio. Hic pondera, hujusmodi Cambium reduci ad Cambium siccum, & mutuum usurarium, palliatum titulo ficto Cambii localis, nam propriè est mutuum cum usura, cum Campsarius debeat Mediolani, ubi recipit, solvere, & cogatur uti illo falso circuitu solutionis, faciendæ Placentiæ, solùm, ut ab usurario mutuum recipiat, quod aliàs non accepisset; teneas itaque sententiam Cabasutii.

## §. III.

### *Contractus Societatis.*

20. Quæritur. *Petit pœnitens à Confessario instrui de conditionibus necessariis, ne erret in celebrando contractu Societatis, quid Confessario agendum?*

Resp. Significet esse hujusmodi contractus celebrandos ad præscriptum Constit. Sixti V. Incipien. *Detestabilis* 45. *ibid.* in Bullar. disponentis.

I. Ne fiat pactum inter socios de restituenda sorte, & capitali alteri socio, qui eam vel in totum, vel secundùm partem dedit in Societatem ad negotiationem, etiamsi casu, & fortuitò pereat, & deterioretur; atque consocius vel minorem partem tribuat, vel solam industriam, & laborem.

III. Ne paciscatur de solvendo lucro in singulos annos, vel menses, ad indemni-

tatem sortis, ei, qui pecuniam, aliasve res in societatem contulit.

III. Ut socii ad commune lucrum conferant in commune, sive pecuniam, sive animalia, navem, industriam, & laborem.

IV. Ut, finita societate, & capitale extet, restituatur ei, qui in societatem contulerit.

V. Ut inter socios sint communes fructus, expensæ, & damna.

VI. Ut inter eos, tam lucrum, quàm damnum dividatur juxta proportionem, & ratam eorum, quæ singuli contulerunt; ita ut, sicut se habet sors ad sortem, sic se habeant fructus, & lucrum, ad fructum, & lucrum: hinc, si uterque contulerit centum cum æquali industria: & lucrum, finita societate, sint ducenti aurei, singuli socii poterunt pro lucro reportare centum, & centum pro capitali. Nota, quòd plus debet lucrari, qui dat pecuniam, & operam, quàm, qui dat solam pecuniam, vel operam, quia sic servatur æqualitas. Quilici *q.* 7. *art.* 3. *num.* 21.

21. Sed quid, *si unus posuerit centum, & alter solam industriam, & laborem?*

Resp. Si apposita industria centum aureis æstimetur, & lucrati sint alia centum, debet primo alter accipere centum, quæ dedit pro sorte, divisis aliis centum, ita ut quilibet eorum sumat quinquaginta, proportione lucri. Mastr. *cit. art.* 4. *num.* 132. Cabasut. *art.* 13. *num.* 6. apud quos alii.

22. Sed quid, *si, finita societate, salvis centum datis a socio pro sorte principali, nil lucri appareat?*

Resp. Debent illa ei reddi, qui contulit; æqualitas in casu inter socios in hoc stat, quòd si sors data ab uno socio, altero conferente industriam, pereat sine hujus culpa, ei pereat, qui dedit; si verò, salva pecunia, nil lucri habeatur, alter socius, qui suum laborem, vel industriam contulit, solùm sentiat jacturam industriæ, pecunia verò tota ad suum Dominum redeat: etenim pecunia data in societatem semper est dantis, nec ipsius dominium in alterum transfertur, ut optimè D. Thom. 2. 2. *quæst.* 78. *art.* 2. *ad* 5. & allegata Const. Sixti, propterea, si pereat sine culpa socii, ipsius Domino perit.

23. Quæritur. *Eget Agricola bobus ad arandum, rogat Herum, ut sibi mutuet pecuniam ad ipsos emendos. Herus in nundinis, ipso Agricola pacisceute cum venditore, solvit nonaginta scuta pro duobus bobus, quos Agricolæ concedit ad triennium, sequentibus pactis.* I. Ut singulis annis sibi duo rubia frumenti solvat. II. Ut, si mori boves contigerit, Agricola eorum pretium solvat. III. Ut, finito triennio, boves consignentur Hero sub nova æstimatione, &, si scutis nonaginta non fuerint æstimati, sed minoris, Agricola suppleat de proprio usque ad debitam summam: *petitur, an contractus, eaque pacta sint legitima?*

Resp. Contractus iniquus est, cujuscumque generis esse asseratur, sivè mutui, quo Herus Agricolæ pecuniam mutuet; sivè societatis, quo ad societatem ipsi boves tradat; sivè locationis, quo eidem locet boves.

Si mutui esse dicatur, iniquitas patet; nam contractus mutui de sui natura petit esse

esse gratuitus, juxtà illud, *mutuum dantes, nihil inde sperantes*, ergo, ubi mutuum gratuitum non est, usura est. Glos. *ad cap. Conquestus de usur. in ver. de feudo.* Addo, quòd Herus pensionem exigit de re non sua, cùm boves empti sint pecunia mutuata Agricolæ, adeòque pecunia, cujus Agricola est Dominus (in mutuo enim dominium transfertur) ad quem itaque boves spectant, & cui propterea pereunt: nam res domino perit.

Item, si ad societatem spectet, iniquitas est manifesta. Nam in contractu societatis juxtà Sixti constitutionem allegatam suprà *num.* 20. Non licet pactum facere de restituenda alteri socio sorte, casu, vel fortuitò pereunte, sed jactura, & periculum fortuitum, ac ipsius deterioratio debet esse apud tradentem; nec debet jactura in recipientem refundi, nisi ejus culpa, & negligentia contingat; prout etiam habetur ex *Cons. Mediolanen. sub* S. Carolo *p. 2. tit. de usuris:* ibi. *In societate animalium, quæ inæstimata alicui dantur ad custodiam, sive, ut operas præstet, omnes casus, etiam fortuiti, semper sint periculo ejus, qui dederit; nisi id alterius socii dolo, vel magna negligentia accidisse constiterit. Nec fiat pactum, ut sors sit semper salva, etiam ex primis fœtibus; neve quidpiam certum præter sortem ex fructibus animalium, quotannis solvatur.* In casu proposito Herus vult sortem salvam, periculum deteriorationis in se non suscipit (boves enim arando deteriores fiunt) & quolibet anno exigit pro certo lucro pensionem duorum rubiorum frumenti contra naturam societatis; quæ postulat, ut partes sint æquales, & æqualiter participent de lucro, & damno habito respectu ad quotam in societate positam; societas enim est quædam fraternitas: at quæ æqualitas erit, quæ paternitas, si Agricola ex bobus nihil lucretur, & nihilominus de suo debeat solvere ea rubia? vel, si deducto valore illorum duorum rubiorum nil lucri maneat apud ipsum? vel, si debeat de suo fortuitum periculum, & deteriorationem boum compensare? Unde videtur resultare potiùs contractus mutui, quàm societatis cum justitiæ violatione.

Item non minus est contractus iniquus, si dicatur esse locationis, quo Herus locat Agricolæ boves. Nam, ut iniquus, & injustus non sit, exigitur, ut periculum fortuitum, & capitalis deterioratio sit apud Locatorem, qui est boum dominus, cùm in locationis contractu dominium non transferatur, consequenter, quod ipsi pereant, dum fortuito casu perire contingit; ergo, cùm Herus boves vult Agricolæ perire, vult Agricolam esse ipsorum Dominum; nam res Domino perit; adeoque injustè, & per usuram, eam annuam pensionem exigit, cùm pro re non sua illam accipiat. Deinde pensio duorum rubiorum frumenti est nimis excessiva; ergo pactum est injustum. Tum quia in contractu locationis debet servari æqualitas inter locatorem, & Conductorem, ergo lucrum, quod recipit Herus, debet correspondere utilitati, quæ ex bobus redundat in Agricolam; nam, si nullam utilitatem Agricola ex bobus perciperet, nil dare deberet Hero; vel certè minus solvere deberet, si, deductis frumenti rubiis, quæ dat Hero Locatori, minus lucrum Agricolæ conductori proveniret, juxta text. *in cap. Propter*

*pter de locato, & conducto; & ibi Gloss. in verb. Vitio rei.*

24. Sed petitur. *Cujus generis censendus sit praditus contractus?*

Resp. In se est locationis, & conductionis. Nam Herus boves emit, eosque ad triennium cum ea pensione locat Agricolæ; quia verò pensio nimis est excessiva, in eo justitia violatur. Verùm propter alia duo pacta adjecta, degenerat in mutuum. Hinc optimè dixit, *de la Cruz direct. consc. 7. præcept. q. 6. art. 2. dub. 2.* quòd, qui alteri locat bovem, aut dat decem aureos pro emendo eum, obligando illum, ut post tempus locationis reddat illos aureos, aut bovem ita sanum ac recepit cum pretio locationis, committit usuram; quia idem est, ac mutuare decem, ut reddantur duodecim; cùm conductor suscipiat in se fortuitum periculum, & deteriorationem rei locatæ contra naturam locationis. Idem habet Leotardi *de usur. quæst. 36. num. 25.* asserens illum, qui rem suam justo pretio æstimatam, veluti equum, vel bovem, ad certum tempus alteri locat ea lege, ut, re illa quomodocumque pereunte, pretium cum lucro consequatur, usurarium esse.

Nec obstat, Agricolam ab Hero petiisse mutuò pecuniam; nam cùm dati sint boves per triennium ad colendos agros cum annua pensione, contractus assumit naturam locationis, & conductionis dictorum boum. Ad cognoscendum contractum magis est inspicienda ejus forma, & effectus, quàm nominis appellatio. At, dato etiam habere naturam mutui, patet esse iniquum.

25. Quæritur. *Cajus aperit Confessario: ego dedi in custodiam oves Francisco sub ista lege, quod, ubi oves quovis casu pereant, pro una medietate mihi, & pro alia pereant Francisco; ubi verò non pereant? prius debeam ego ex fructibus meum trahere capitale, & ex tunc oves communes sint: petit, an contractus sit licitus?*

Resp. Negativè. Nam in isto contractu melior est conditio Caji, quàm Franciscì, adeòque non servatur æqualitas, sed Franciscus recipiens oves nimis gravatur; quoniam ubi malè fortunentur, ipse amittit duo, medietatem scilicet pretii ovium, quam de proprio tenetur solvere, & laborem suæ custodiæ. Cajus autem unum amittit, alteram scilicet medietatem pretii pecorum. Hinc, quia Franciscus recipiens, seù conducens pecora majori subsistat periculo, debet etiam plus participare de lucro, ut æqualitas in contractu servetur; & ita Cajus debet à Confessario obligari ad rescindendum contractum, & oves ad se revocare, vel alium contractum juxta juris regulas celebrare.

26. Quæritur. *An contractus redditionis bestiæ sub istis terminis celebratus, V. G. Joannes tradit Petro rustico centum oves, quarum qualibet æstimatur duobus aureis, adjecto pacto, ut, si pereant, tale pretium reddat Joanni: vel ex ovibus, quas Petrus habet, totidem ejusdem ætatis, bonitatis, & ponderis eidem reddat; & interim singulis annis debeat Petrus ipsi pro qualibet solvere duas libras lanæ; sit legitimus?*

Resp. Negativa patet, si celebretur contractus venditionis ovium æstimatarum. Nam tunc ultra pretium duorum aureorum pro qualibet ove, nil aliud

præ-

ſtæcisè ob dilatam ſolutionem, vel temporis longitudinem, eſt ſolvendum; res enim vendita, & emptori tradita, ſicut ei perit, ita ei parit quàm Domino. Patet etiam, ſi dicatur celebrare locatio, aut ſocietas; quia tunc dominium, & periculum fortuitum ovium debet indiſpenſabiliter eſſe apud Joannem deponentem; cùm id ſit de natura ſimilium contractuum. Quia, itaque celebratur ſolùm mutuum cum uſura palliatum ſub colore ſocietatis, contractus eſt inæquus.

27. Quæritur. *Quando animalia tradantur juſtè in ſocietatem alteri?*

Reſp. Cùm obſervantur diſpoſita in citata Conſtitutione Sixti. Habet quis viginti oves, aliustotidem, vel etiam decem, & communicant ad invicem eas; de periculo, lucro, ac expenſis participant æqualiter; ſi æqualiter ponant in ſocietate; vel pro rata, ſecundum quòd ponunt; ſocietas juſta eſt. Qui poſſunt etiam licitè convenire, quòd de fœtibus recuperentur capita mortua; vel de velleribus emantur capita ad augendum gregem. Item unus poteſt ponere oves, & alter curam, induſtriam, & laborem, juxta dicta ſupra *n.* 20. 21. & 22.

Injuſta autem eſt, cùm quis dat certa capita ovium æſtimata certo pretio, hoc pacto, ut ruſticus recipiens, non accipiat aliquam utilitatem, donec tradens receperit prius totam ſortem. Hoc pactum eſt valdè iniquum: nam æqualitas non ſervatur; ruſticus enim ſuam operam gratis exhibet, Sicut iniquum eſt, paciſci, quòd antequam ruſticus recipiat aliquid, reſtaurabit de fœtibus omnia mortua. Hoc enim pacto eſt, quaſi velle oves immortales, in quo nec æqualitas ſervatur.

Item, injuſta eſt, dum alteri quis tradit in ſocietatem pecora æſtimata tanto pretio, ea conditione, ut capitale ſibi reddat, & præterea aliquod emolumentum, ſive in pecunia, ſivè fructibus, lana, lacte, caſeo &c. Immò mutui virtualis potiùs, quàm ſocietatis contractus cenſetur, quia ultra capitale ſalvum penſionem annuam exigit.

## §. IV.

### *Contractus mutui, commodati, locati, & depoſiti.*

28. QUæritur. *Negotiator petit à Confeſſario differentiam inter contractus mutui, commodati, locati, & depoſiti, ne in eis celebrandis erret, quid Confeſſarius eſt reſponſurus?*

Reſp. Quòd mutuum acceptum pro contractu celebrato inter mutuantem, & mutuatarium, *eſt contractus gratuitus, quo quis rem ſuam uſu conſumptibilem alteri tradit, cum translatione dominii, ea lege, ut eandem in ſpecie, & bonitate, ſtatuto tempore reddere teneatur.*

Differt à *venditione*, quæ transfert rei dominium ſine onere reddendi ſimilem; à *commodato*, in quo res eadem, non ſpecie tantùm, ſed & numero reddi debet; *à locato*, quo non gratis, ſed certa penſione alteri traditur res ad uſum eadem numero reddenda; à *depoſito*, quo alterius fidei res traditur ad cuſtodiam.

29. Petitur, *quæ ſint obligationes mutuatarii.*

Reſp. Vide *lib.* 1. *cap.* 31. *nu.* 27. *&* 28.

Hoc est certum, ipsum teneri ad restituendam rem mutuò acceptam, quocumque casu pereat; nam res, sicut domino parit, ita perit: mutuatarius autem est dominus rei mutuò receptæ.

Pariter commodatum sumptum pro contractu, *est contractus, quo res aliqua ad certum usum, & tempus sine mercede conceditur, reddenda eadem numero post usum expletum, ad quem fuit concessa.* In commodato dominium rei non transfertur in eum, cui ad usum conceditur, ideò differt à mutuo: gratis, & sine mercede conceditur, aliàs foret locatio. Differt *à precario* (precarium dicitur, quod precibus ad utendum gratis datur alteri) quia res precario data revocari potest, quandocumque danti placuerit, quia sine præfinitione certi usus ad utendum conceditur cap. *Precarium de precariis: & Glos. ad cap. cum gratia sui de commodat. in ver. commodatum.*

30. Petitur, *quæ sint obligationes rem commodantis?*

Resp. Sequentes. Prima, ut rem commodatam ad se revocare non possit ante expletum usum, pro quo fuit data: nam statim ac pro certo usu datur, tali usui subjicitur, & affixa reputatur: *non decipi beneficio nos oportet, sed juvari*, ut ibid. *Glos.* deciperetur autem ille, cui conceditur, si ante completum usum revocaretur, sicut nocumentum reciperet, si res apta non foret pro usu, ad quem conceditur; & tunc revocans teneretur de damno. Limitatur, ut possit ante usum revocare in casu non prævisо in contractu, si nimirum commodans ex defectu rei majus, aut tantum detrimentum incurreret, quantum pateretur commodatarius, si res ab eo auferretur antè usum expletum; nam præsumi debet in tali usu eum non voluisse rem commodare.

31. Petitur, *quæ sint obligationes commodatarii, seu illius, qui rem commodatò accipit.*

Resp. Sequentes. Prima, ut re commodata utatur dumtaxat ad usum, ad quem eam à Domino accepit; aliàs furtum committit, utpotè utens re, invito domino; hinc si tibi commodem equum, ut ad villam eas, & tu ducis ad bellum, teneris mihi pro tali usu, ad quem equum tibi non concessi. Glos. *ad c. cum gratia sui de commodato.*

Secunda, cùm commodatum concedatur gratia solius accipientis, tenetur de culpa non modò lata, & levi, sed etiam levissima; immò etiam de casu fortuito, qui scilicet non potuit prævideri, si culpa sua contingat, vel sit in mora restitutionis post expletum usum, aut pacto ad id se obligat, cap. *cum gratia sui cit.* Propterea circa rem commodatam conservandam, debet eam curam, & diligentiam adhibere, qua homines diligentissimi solent in rerum custodia, juxta dicta supra cap. 22. num. 72. unde, si ejus negligentia pereat, debet eam in æquivalenti pretio restituere.

Item locatum pro contractu acceptum, *est contractus, quo res, vel persona ad usum, vel fructum, salva semper ejus substantia pro pensione certa conceditur ad tale tempus.* Qui rem locat, locator; & ex parte ejus contractus locatio nominatur; qui verò rem accipit, conductor: ex parte cujus contractus conductio dicitur.

32. Pe-

32. Petitur, *quæ sint obligationes locatoris?*

Resp. Sequentes. I. Ut apud ipsum remaneat periculum fortuitum rei locatæ, sicut enim est ipsius rei dominus, ita debet ei perire.

II. Tenetur detegere rei locatæ vitia, etiam occulta, quæ conductori damno esse possunt: hinc teneris damnum reparare, si mihi commodas dolium vitiosum, propter quod necessariò vinum inficitur. Propterea locator debet eam diligentiam adhibere ad vitandum nocumentum, conductori ex re locata proventurum, quam vir prudens adhibere solet.

III. Tenetur ad expensas necessariò faciendas circa rem locatam, ut ad calceandum equum, dum inservit conductori, iter facienti: ad reparandam domum locatam, tectum, fenestras &c. non verò ad expensas voluptuarias, & superfluas.

IV. Ad onera publica, & tributa imposita pro re locata, nisi aliud ex pacto, vel locorum consuetudine sit determinatum.

V. Non potest expellere conductorem à Domo, nisi in casibus, de quibus *in l. ade. Cod. de locato, ut*, si conductor pensionem non solvat: si ex casu aliquo, non præviso tempore locationis, res locata esset valdè necessaria ipsi locatori: si res locata indigeat reparatione, quæ fieri nequit, si maneat apud conductorem; & tandem, si conductor abutatur re locata, eam damnificando, vel abutendo contra malos mores, retinendo in ea meretrices, & usurarios publicos &c. nam præsumendum est, quod locator non habuerit voluntatem eam locandi in illis casibus.

33. Petitur; *Quæ sint conductoris onera erga locatorem?*

Resp. Sequentia. I. Ut re conducta utatur solùm ad usum concessum; nam tenetur stare conventioni, aliàs contra voluntatem locatoris rationabiliter præsumptam, tenetur, quasi actione furti, re aliena invito domino utens; Hinc, qui equum conduxit ad eundum Florentiam, & equitat ad pergendum Viennam, tenetur dare pretium pro isto usu; & casu quo in isto itinere periret, alio itinere non perituris, debet prætium equi restituere.

II. Si res conducta ejus negligentia perit, tenetur reddere æquivalens; Est commune, conductorem teneri de lata, & levi culpa dumtaxat, non de levissima, quia res conducta non solùm gratia conductoris conceditur, sed etiam in utilitatem locatoris recipientis ex locatione mercedem.

III. Ut solvat locatori mercedem, seu pretium usus rei juxta conventionem.

34. Dubitatur, *An pensio V. G. agri locati sit minuenda propter sterilitatem ipsius agri.*

Resp. Affirmativè, modò sterilitas contingat casu fortuito, ut alluvione fluminis, incendio, hostium incursu, &c. ita ut nullus, aut modicus fructus colligatur, pro rata enim est remittenda, vel in totum, vel in partem, nisi sterilitas compensari possit ubertate præcedentis, vel sequentis anni, *cap. Propter de locat. & conduct.* Dicitur *casu fortuito*, hoc est, qui prævideri non potuit; quia, si impedimentum percipiendi fructus pro-

veniret ex ipso conductore, ad integram pensionem teneretur; nam æquitas non patitur, ut locator subeat damnum, quod culpa conductoris sequitur. Item, si casus sterilitatis ab initio sciri, & prævideri facilè potuerunt, ut, si regio illa procellis, & grandinibus obnoxia sit; vel pateat hostium incursibus; aut ager locatus sit vicinus flumini sæpius inundanti, aut fundus natura sua infæcundus, non est locus remissioni, quia hos omnes casus conductor præxidisse censetur, adeòque in se suscepisse reputatur omne periculum, omnesque casus fortuitos, ac renunciasse juri, quod in ejusmodi casibus remissionem pensionis concedit, & ideò ad integram pensionem tenetur.

Dices, dum fructus fundi insolito modo crescunt, non augetur locatori pensio à principio; ergo, ut æqua sit locatoris, & conductoris conditio, non est minuenda pensio propter sterilitatem contingentem, sine culpa conductoris.

Confir. Emphyteuta, qui tempestatem passus fuit, integrum Canonem persolvit, nec ullam remissionem consequitur, ergo conductor ob sterilitatem, cœli intemperie contingentem, à solutione integræ pensionis liberari nequit.

Resp. Negando consequentiam, discrimen est, quia insolita illa sterilitas damnum infallibile affert conductori, si teneatur eo casu pensionem præstare; ingens verò, & insolitum lucrum ex fortuita ubertate proveniens nulli omninò nocet; immò locator semper, & facilius pensionem promissam recipit, & ideò jus in tanta calamitate conductori subvenit.

Ad confirmationem, paritas non concludit. Emphyteusis enim à conductione valdè differt: conductori pensio constituitur in compensationem fructuum, quos percipere ipse potest ex fundo; emphyteutæ autem non in compensationem fructuum dantur, sed in recognitionem directi dominii, ut infra patebit, ex Gonzalez *in* 3. *tit.* 18. *cap.* 3. *num.* 8. *de locat. & conduct.*

35. Dubitatur. *Nobilis quidam certa pensione conduxit pro anno Petrum ad suum servitium, post sextum mensem absque ulla culpa ipsius Petri eum dimisit*; petitur, *an Confessarius debeat nobilem obligare ad integram mercedem totius temporis Petro solvendam?*

Resp. Affirmativè; neque conductor, neque locator, altero invito, potest absque justa causa antè tempus à contractu recedere; nam ex eo, sicut ex quovis alio legitimo contractu nascitur obligatio ex justitia in utroque foro, conscientiæ scilicet, & civili: hinc si nobilis à contractu pro suo arbitrio recedit, solvat pensionem conventam à principio, vel curet servum alteri elocare: dum sibi difficile est alium herum invenire.

Depositum tandem pro contractu, seù pro formali item sumptum (quia pro materiali venit res, quæ deponitur) *est contractus, per quem res aliqua alterius fidei custodienda committitur, & alter eam ad custodiam recipit.* Aliud est depositum purum, aliud non purum. Purum est, cùm res traditur in meram custodiam in deponentis gratiam, & favorem: Non purum verò, cùm datur aliquid depositario pro custodia.

36. Pe-

36. Petitur, *quæ sit obligatio deponentis?*

Resp. Hæc est, ut si res depositа casu fortuito pereat, ipsi deficiat, tamquam ipsius domino.

37. Petitur, *quæ sint depositarii onera.*

Resp. Sequentia. Primum, ut teneatur ad restitutionem, si ex gravi ejus culpa res depositа pereat; imò, si ex levi, dum, aut indemnem promisit, aut de pretio pro illius custodia convenit; aut, cum à deponente repetita, sed non reddita, fortuitò pereat, vel deterioris conditionis facta sit.

Secundum, ut, si res depositа sit pecunia in sacculo obsignato, ea non utatur, aliàs peccaret in usu rei, invito domino; secus, si apertè numerata fuerit ipsi commissa, modò inde nullum periculum deponenti immineat; nam tunc præsumitur tacitè eam facultatem concedere; modò ea utens ad solvendum non fiat impotens.

Tertium, ut, si depositum consistat in aliis rebus utensilibus, ut vestibus, equo &c. eis uti nequit, Domino invito; & dum utitur ad propriam utilitatem (cum talis usus sit pretio æstimabilis) tenetur pro eo solvere domino. Dicitur *ad propriam utilitatem*, quia posset sine peccato, si usus cederet in utilitatem deponentis; ut, quia aliàs equus V.G. in stabulo perpetuò accluſus maneus piger efficitur, & ineptus ad cursum, in hoc enim domini negocium utiliter ageret.

## §. V.

### *Contractus pignoris.*

38. QUæritur. *Quid sit contractus pignoris.*

Resp. Quamvis pignus sumptum materialiter sit res illa, quæ alteri conceditur in securitatem debiti, tamen acceptum formaliter, *est contractus, quo res aliqua traditur alteri in debiti securitatem.*

39. Petitur, *Quæ sint obligationes debitoris oppignorantis rem?*

Resp. Sequentes. Prima, tenetur tradere creditori pignus promissum, loco, & tempore, statutis; nec potest illud repetere, nisi debitum solverit, aut alio modò satisfecerit creditori. Secunda, tenetur ad omnes expensas, quas creditor in servando pignus fecit.

40. Petitur, *quæ sint onera creditoris accipientis pignus?*

Resp. Sequentia. Primum, ut in faciendis expensis in servando pignore ita moderatus sit, ut non cogat debitorem, qui eas omnes solvere nequit, aut pignus dimittere, aut aliis vendere. Secundum, obligatur ad fidelem pignoris custodiam: & tenetur de dolo, ac lata, & levi culpa, itaut servet rem illæsam, in eamque sumptus necessarios faciat. Tertium, tenetur rem ita servare, ut ea non utatur; aliàs furtum committit; debetque resarcire damna pignoris, quo usus est; nisi talis usus cedat in commodum debitoris ne scilicet pignus deterius fiat.

Quartum, tenetur solutionem debiti, quandocumque sibi oblatam, recipere,

& pignus illicò reddere; quia, sublata principali obligatione, & accessoria cessare debet; & obligatur pignus reddere cum suis fructibus; nam fructus non sunt creditoris, sed debitoris: sequuntur enim dominum, debitor autem est dominus pignoris; quod traditur creditori, non ut lucrum ex eo faciat, sed, ut in tuto creditum habeat. Hinc sequitur, quòd si creditor ex re pignorata fructus retineat, usuram committit, cum retineat aliquid supra sortem; ideò debent fructus computari in sortem principalem, sivè extent, sivè sint consumpti; immò, etsi ob culpam latam, vel levem creditoris non sint percepti, cum aliàs percipi potuerint.

Excipitur casus, in quo pro dote promissâ dantur marito à Patre uxoris possessiones in pignus, usque dum dos fuerit ei persoluta; tunc vir non tenetur fructus pignoris in sortem computare, cum cedant lucro ipsius propter onera matrimonii ab ipso sustinenda, cap. *salubriter de usur.* Vide dicta *lib. 1. cap. 31. num.* 11. ubi improbatur contractus Antychriseos dictus, lege Gonzalez in 3. *tit. 21. cap. 6. & 7.*

Quia itaque debitor est dominus pignoris, ipsi perit, si casu fortuito perire contingat; si verò ex culpa lata, vel levi creditoris deficiat, ipse tenetur restituere.

41. At dubitatur, *in quo contractus pignoris distinguatur ab illo Hypothecæ.*

Resp. In hoc, quòd res, quæ oppignoratur in securitatem debiti, traditur creditori, illa verò quæ hypothecatur pro debiti securitate, est utique pro debito obligata, sed nulli traditur, manetque apud ipsum, apud quem fuit, antequam hypothecaretur. Hinc DD. notant apud Gonzalez *cit. § 6. nu. 8.* contractum pignoris perfici traditione rei datæ in cautionem debiti, illum verò hypothecæ consensu, quo res, quæ creditori non traditur, ei obligatur, tamquam rei debitæ vinculum.

42. Quæritur, *an res Deo dicatæ possint pignori dari?*

Resp. Negativè, nisi ex gravi necessitate, juxta text. in cap. *Ut nullus de pignorib.* ubi: *Ut nullus Clericus præsumat calicem, vel patenam, aut pallam Altaris, vel vestimentum Sacerdotale, aut librum tabernario, vel negotiatori, aut cuilibet Laico, vel fœminæ in vadimonium dare, nisi justissima necessitate urgente*; Nam res Deo dicatæ censentur portio, & patrimonium Dei per consecrationem oblatæ, & inde sequitur, ut tales res in nullius dominio sint, nec in commercio hominum remaneant. Propterea est certum inter alias alienationis species erga res Ecclesiæ prohibitas, contineri & pignoris datationem; quoniam, licèt in traditione pignoris non mutetur dominium, tamen jus in re tribuitur, propter quod distractioni locus paratur: & ideò est necessarium beneplacitum Apostolicum: Casus, in quibus possunt vasa sacra pignori dari, refert Gonzalez cit. *cap. 1. num.* 10. & Glos. *ad alleg. cap. in verb. necessitate.*

§. VI.

## §. VI.

### *Contractus Emphyteusis.*

43. QUæritur, *quid sit contractus, emphyteusis nominatus?*

Resp. *Est contractus, quo res immobilis in perpetuum, sive in longum tempus conceditur alteri quoad dominium utile, sub certa pensione præstanda Domino directo.* Contractus Emphyteuticus neque est venditio, nec locatio, sed participat de utroque. Accedit ad venditionem, quia in principio, quando celebratur, Emphyteuta dat domino directo certam pecuniæ quantitatem, (quæ ab aliquibus laudemium dicitur) sicut in venditione datur pretium; sed ab ea differt, quia per hunc contractum non transfertur dominium directum, sicut fit per venditionem. Accedit ad naturam locationis, quia in Emphyteusi retinetur dominium rei à concedente, & quolibet anno aliquid percipit, sicut in locatione. Sed à locatione differt, quia Emphyteusis locum habet solùm in rebus immobilibus, & solidumtaxat, locatio autem in omnibus. Præcipua autem differentia est, quòd in contractu Emphyteutico solvitur parva pensio domino directo pro ejus recognitione; in eo verò locationis solvitur magna pensio, hoc est; quæ fructibus correspondeat, vel quasi; ideòque ex modica pensione Emphyteusis, ex magna verò locatio judicatur per DD. apud Fagnan *in 3. ad cap. potuit de locat. & conduct. sub num. 13. & sequen.*

44. Petitur; *an res Ecclesiæ possint in Emphyteusim dari sine solemnitate juris,* vel *beneplacito Apostolico?*

Resp. Affirmativè, ex cap. *Ambitiosè,* sed quatuor debent concurrere. Primum, ut non fiat ultra triennium: & triennium computatur ex tribus fructuum collectionibus. Secundum, ut sit in casibus à jure permissis. Tertium, ut sit de bonis ab antiquo in Emphyteusim dari solitis. Quartum, ut subsit evidens Ecclesiæ utilitas de tempore contractus, ex cap. *Ex parte tua de fendis,* & cap. *Nulli de reb. Eccles. non alienan.* tradit Fagnan. *in 3. ad cap. nulli cit. n. 16.* Gonzalez ubi supra *tit. 13. cap. 7. sub n. 4.* Vide, quæ dixi *offic. cur. Ecclesiast. c. 45.*

Notandum, quòd si res sine culpa Emphyteutæ pereat, aut transeat ad hostes, liberatur à pensione. modò nulla pars rei maneat apud ipsum, quoniam, si maneret aliqua, tota pensio ex vigore legum solvenda foret.

Item, quòd dum pensio, sine impedimento excusante, non solvitur ab emphyteuta, res Emphyteutica transeat ad dominum cum omni melioratione.

Item, quòd emphyteuta jus suum non vendat, nec melioramenta, nisi admonito domino, cui dantur duo menses ad deliberandum, an ipse velit jus, & melioramenta emere tanto pretio.

De contractu livellario nil est addendum, quia videtur coincidere cum emphyteusi.

§. VII.

## §. VII.

### *Contractus feudalis.*

45. QUæritur, *quid sit contractus feudalis?*

Resp. *Est contractus, quo dominium utile rei immobilis datur alicui pro fidelitate, & servitio personali, retento Dominio proprietatis ab eo, qui rem dat.* Differt Feudum ab Emphyteusi.

Primò, quia in Emphyteusi in introitu Emphyteuta domino principali solvit quandam pecuniæ summam, non sic Vassallus, dum feudum recipit; nam dominus directus exigit solùm obsequium, & fidelitatem personalem, quòd si pensio reservetur, contractus erit mixtus ex Emphyteusi, & feudo.

Secundò, quia Emphyteuta debet solvere pensionem tempore præfixo, etiam non requisitus. Feudatarius autem non debet solvere obsequium personale, nisi id petatur à principali: & tunc, si illud non exhibeat, amittit feudum: sicut cum graviter offendit dominum, aut ipsi est ingratus notabiliter.

Tertio, si successor Feudatarii non petit investituram, feudum etiam amittit.

## §. VIII.

### *Contractus fidejussionis.*

46. QUæritur; *Quid sit fidejussio?*

Resp. *Est contractus, quo quis sine pignore, & hypotheca se obligat accessoriè, & casu, quo debitor principalis non solvat, ad solvendam summam ab isto debitam.*

47. Petitur. *Quæ sint onera fidejussoris?*

Resp. Sequentia; I. tenetur ad solvendam summam creditori, dum debitor principalis non solvit, & ad compensandum ipsius damnum ex dilata ultra præfixum tempus solutione, ad quam debitor erat obstrictus.

Secundò, post datam fidejussionem, non potest disponere de bonis propriis æquivalentibus debito, à debitore principali non dum soluto, nisi aliàs æquivalentes facultates habeat.

48. Dubitatur. *Petrus fidejubet pro debito, quod Franciscus debet Paulo, sed propter fidejussionem exigit à Francisco, vel, quòd ad suam officinam emat sericum, vel quolibet anno, quo fidejussio durat, solvat duos aureos; petitur, an licitè id possit exigere?*

Resp. Negativè, est utique contractus fidejussionis licitus; at ubi apponitur conditio, ut debitor solvat aliquid pretio æstimabile fidejussori, illicitus evadit: Nam fidejussio est quædam mutui species: cum enim ipse fidejussor mutuum amico dare non possit, alium per suam fidem jussionem rogare videtur ut det loco sui; in mutuo autem aliquid supra sortem recipiendum non est.

49. Petitur. *Quæ sint onera debitoris, pro quo fidejubetur?*

Resp. Sequentia. Primò, tenetur indemnem reddere fidejussorem de sua fidejussione; qui solvens pro reo principali actionem habet contra ipsum ad repetendum omne id, quod pro ipso solvit, cap. *Pervenit de fidejussoribus.*

Secun-

Secundò, debet fidejussorem ab obligatione liberare, cum ab ipso fidejussore cogitur, ut eum liberet; nam in fidejussoria obligatione non videtur actum, ut fidejussor perpetuò obligatus sit, sed post justum tempus eximitur, ne præstitum beneficium illi damnosum sit; æquum enim non est eum, qui amico pietatis officium exhibuit, retineri in perpetua obligatione, dum debitor potest amicum liberare solvendo pecuniam debitam.

Casus, in quibus potest fidejussor, antequam solvat, agere contra debitorem pro sua libertate traduntur, *cap. Eum, pro quo*, hoc tit. & sunt: I. Si debitor sit arbitrio Judicis in mora solvendi. II. Si debitor principalis dilapidet bona sua, vel incipiat vergere ad inopiam. III. Si fidejussor condemnatus sit; nam non convenit, ut pro beneficio debeat pati detrusionem in carcerem, vel cedere bonis. Addi potest. Si fidem suam ad tempus interposuit; nam, eo elapso, obstringi nequit; cum fidejussio non extendatur ultra verba, & conventionem.

## §. IX.

### *Contractus donationis.*

50. QUæritur, *Quid sit donatio?*

Resp. *Est res alteri non debita spontanea, & liberalis concessio translatione dominii.* Quæ, dum à donatario acceptatur, parit obligationem, etiam sub mortali, si res donata sit alicujus momenti.

Donatio alia dicitur *inter vivos*, ut, *Matthæus Cantela Confess.* cum quis ex mera liberalitate sic donat, ut, etiam se vivo, velit rem donatam esse alterius: Hæc etiam, post donatarii acceptationem revocari potest ob ingratitudinem ipsius donatarii: *ut, si fortè in donantem manus impias injecerit; aut ei atroces injurias: seu grave rerum suarum damnum, vel vitæ periculum inferre præsumpserit, cap. propter de donation.* Sed de ingratitudine debet legitimè constare, & coram Judice est probanda, ut in conscientia donatarius teneatur restituere. Abellii *Medulla p. 2. 7. præcept. decal. sect. 7. §. 7. nu. 5.* Revocatur etiam, si posteà liberi donanti nascantur, *l. si unquam, C. de revocand. donat.* Quæ lex fundatur in præsumpta voluntate donantis, qui existimatur donaturus, quia putabat se filios non susceperum.

Et alia, quæ fit *causa mortis*, ut, cum quis donat, ita ut rem non velit esse alterius absolutè, & irrevocabiliter, nisi post suam mortem, qualiter in testamentis, & codicillis fieri solet; hæc non reputatur ultima voluntas donantis, ideò potest ad ipsius arbitrium revocari, cujus morte solùm confirmatur.

51. Quæritur, *Quid sit necessarium ad donationis valorem?*

Resp. Primò, ut, qui donat, dominium, & administrationem habeat rei, quam donat. Secundò, ut res, quæ donatur, alteri non sit obligata. Tertiò, ut donans sit rationis compos. Quartò, ut is, cui donatur, sit donationis capax.

52. Petitur; *An subsistat bonorum donatio facta inter conjuges post matrimonium unitos?*

Resp. Negativè, loquendo de dona-

tione inter vivos, in qua alter locupletior, & alter pauperior efficitur, ut expresse tex. in *cap. Donatio de donationib. inter vir. & uxor.* ibi: *firmitatem non habet, nisi donatoris obitu confirmetur; quæ tamen penitus evanescit, si revocetur ab eo tacitè, vel expresè; vel, qui donatum accepit, prius debitum naturæ persolvat*; Ratio prohibitionis est, quia aliàs conjugati, mutuo, ac cœco amore se amantes se invicem expoliarent bonis, & ubi elanguisset amor, ad extremam paupertatem redigerentur. Cæterùm donatio inter virum, & uxorem causa mortis facta subsistit, quia in hac non militat adducta ratio; & ejus effectus confertur (dominium nimirum, & rei possessio) in id tempus, in quo conjuges esse desinunt. Neque in prohibitione comprehenditur donatio remuneratoria, cum hæc sit merces accepti beneficii, & non liberalis concessio.

Dixi, *post matrimonium unitos*, quia donatio ante illud, aut nuptias facta subsistit per tradita à Gonzalez *in 4. tit. 20. cap. 8. de donat.*

## §. X.

### *Contractus dotalis.*

53. QUæritur, *quid sit contractus dotalis?*

Resp. *Est contractus, quo certa bona à muliere, vel ejus nomine ab aliis dantur marito, ut onera matrimonii ferre valeat.* Proprietas dotis est apud uxorem, usus autem, quamdiù matrimonium stat, apud virum; propterea, marito invito, nequit uxor de fructibus dotalibus disponere.

54. Petitur; *An Parentes in conscientia teneantur de rem suis filiabus dare?*

Resp. Affirmativè; nam parentes ex virtute pietatis tenentur liberis de victu providere. Dos autem vice alimentorum constituitur; ad quæ præbenda tenetur mater, si Pater sit impotens; immò & frater compellendus est ad sororem dotandam in defectum Patris, & Matris: quod non modò exigitur ab ordine charitatis, verùm & rectè colligitur ex *l. Qui filium, ff. ubi pupilli educari.* Itaque frater tenetur præstare alimenta sorori his indigenti, ergo, & eam dotare; nam dos in locum alimentorum succedit; & præsertim procedit de sorore ex eodem Patre nata; & extenditur ad sororem uterinam, quando frater sit hæres Matris vel Patris ipsius sororis, quia tunc repræsentat personam defuncti, & ejus onera sustinet.

## §. XI.

### *Contractus promissionis.*

55. QUæritur, *quid sit promissio?*

Resp. *Est contractus, quo quis ex mera sua liberalitate, & cum animo se obligandi, aliquid alteri pollicetur.* Differt à pacto, quia pactum utriusque paciscentis consensum requirit; & à contractibus onerosis, cum sit omnino gratuita.

56. Petitur, *an promissio obliget promittentem sub gravis peccati pœna?*

Resp. Affirmativè, si quatuor hæc concurrant. Primum, si res promissa sit

sit magni momenti. Secundum, si fuerit, acceptata ab eo, cui facta est. Tertium si promissio seriò, & deliberatè facta sit, ex animo nimirum vel promittendi, seque alteri obligandi; sæpè enim promissio confunditur cum proposito, ut idem sit promittere, ac habere voluntatem faciendi aliquid, ad quod tamen quis non se obligat. Quartum, ut promissio non sit contra bonos mores, aut contra leges. Quibus concurrentibus, promittens tenetur stare promissis, adeout graviter peccet, si ea non observet. Dum enim ipsa non implet, non potest habere charitatem cum promissario; nam charitas vult ei bonum tranquillitatis societatis humanæ, ipse autem promissionem non implens, tale bonum ei non vult: per transgressionem enim violat datam fidem; ex violatione autem fidei graviter læditur tranquillitas humanæ societatis, ut tradit Fagnan *in* 1. *ad cap. Antigonus de pactis num.* 8. Ubi *ex cit. cap. probat*, non servantem pactum peccare mortaliter, quia juxta *text. ibid.* recedens à pacto potest excommunicari; excommunicatio autem non infligitur nisi pro mortali: cap. *Nemo Episcoporum* 11. *qu.* 1. Immò quia is, cui facta est promissio, & ab ipso acceptata, jus habet ad rem promissam: Pacti violatio opponitur justitiæ; & hinc promittens tenetur ex justitia servare promissum.

57. At dubitatur: *Petrus promittens centum aureos se daturum Judici, si iniquam sententiam contra Paulum ferat, & sicario, si Cajum occidat; petit à Confessario, an obligetur stare promissis; & quatenus affirmativè; an Judex, & sicarius possint eos aureos sibi retinere, vel teneantur restituere? & cui? quid est Confessarius dicturus?*

Resp. I. Quòd tam ipse, quàm Judex, & Sicarius peccarunt mortaliter, paciscendo de re turpi.

II. Quòd ipse tenetur in conscientia ante delicta patrata promissionem revocare, quia in malis promissis fides rescindenda est. cap. *In malis* 22. *q.* 4. ubi: *In malis promissis rescinde fidem, quia impia est promissio, quæ scelere adimpletur.*

III. Quòd promissio illa, utpotè facta ob opus illicitum non obligat. Jus canonicum est manifestum, cap. *Pactiones de pactis*, ibi; *nam, etiam juxta legitimas sanctiones pactum turpe*, vel rei turpis, aut impossibilis de jure, vel de facto, nullam obligationem inducit; *cap. Cum contingat, cap. Quintavallis de jurejurando.* Jus item civile est clarum *l. ex instrumento, C. de inutilibus stip.* ibi: *Cum omnia, quæ contra bonos mores in pacto, vel stipulatione deducuntur, nullius sint momenti: & l. si plagis, ff. de verb obligat*: ibi: *Si plagis faciendi, vel facti causa corrupta sit stipulatio, ab initio non valet.* Plures alios text. refert Gonzalez *in* 1. *tit.* 35. *de pactis cap.* 8. *nu.* 11. Ergo, cum stipulatio, & pactio de re turpi, hoc est, de re contra justitiam, aut proximo nociva, vel læsiva pietatis, secundùm leges nullius sint momenti, ab initio non valeant, nec sint obligatoriæ, Petrus non obstringitur stare promissis, nec Judex, & sicarius possunt meredem ob ea flagitia promissam retinere, dum accipiunt. Addo *ex* 58. *reg. jur. in* 6. *non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum*;

*tum*; ergo, nec promissio à Petro illis facta, cum eam esse contra bonos mores non sit dubium.

Dices, hæc omnia verificari ante opus impletum, non verò postquam Judex sententiam injustam pronunciavit, & sicarius Cajum interfecit; nam, sicut isti impleverunt, quod promiserant in contractu oneroso, ita justum est, ut Petrus quoque contractum impleat solvendo pretium promissum; quod non solvitur propter actiones prout sunt proximo injuriosæ, & Dei offensa, quia sub ista ratione sunt prorsùs invendibiles, & nullius valoris (sicut enim venales non sunt virtutes, ita, nec venalia sunt vitia) sed prout annexum habent laborem & pericula suscepta ab Judice & Sicario in gratiam Petri promittentis, & propter utilitatem, & commodum in istum redundans; sub qua ratione injusta sententia, & occisio sunt quid pretio æstimabile, sicut aliæ actiones humanæ.

Resp. En unicum contrariæ opinionis fundamentum, cui responsio ex adductis juribus patet; nam pactum turpe juxta canonica jura nullam obligationem inducit; ergo, si post factum aliquam habet, falsum est, quod nulla sit ejus obligatio. Item, si ante factum nullius est momenti, etiam post factum nullam vim habet; nam novum pactum post factum non intervenit, & prior conventio, aut promissio nulla à jure declaratur. Tum quia ante factum nulla fuit obligatio, ergo post factum aliqua esse non potest; quod enim semel est irritum, non potest postea reddi ratum: patet de legitima obligatione, quæ semel extincta non reviviscit; ergo à fortiori obligatio, quæ nulla semper fuit, & pro infecta habetur, & post factum non reviviscet juxta regulam 18. *juris in 6. Non firmatur tractu temporis quod de jure ab initio non subsistit.*

Tum quia, ubi lex resistit obligationi, obligatio non oritur: est regula juris notissima apud Gonzalez in 4. *tit* 2. *cap.* 8. *nu.* 10. *de donat. inter. &c. l. si non sortem, ff. de condict.* Sed in casu lex obligationi resistit ex dictis; & per distinctionem de ante, vel post factum lex eluditur; nam lex absolutè loquitur, & cum negativis universalibus respicientibus ante, & post, ergo non est opus distinctione.

Accedit, legibus divinis, & humanis multo plus punitur crimen commissum, quàm committendum: ergo, si ob turpitudinem criminis faciendi nulla nascitur ex promissione obligatio, multo minus erit ex pravitate commissi oritura.

Addo, si promittentis utilitas, & labor, ac periculum exequentis meretur præmium, aut justam mercedem, cui promissio in sua origine de pretio solvendo, saltem sub illis conceptibus non declaratur valere? Tum quia talis labor ordinatur ad injuriam, & grave nocumentum contra justitiam innocenti inferendum, ergo non potest, nec debet compensari; nam justitia cum sit læsa, resistit.

Tum quia, si obligatio post factum maneret, esset vehemens incitamentum, ad hoc, ut factum fieret, & ut Judex, & sicarius putarent se obligatos ad ea crimina. Nullus autem ad peccandum obligari potest, nec habere actionem ad

peten-

petendum ex justitia pretium promissum; Siquidem contra justitiam proximo nocent: ergo justitia eis non assistit, quia ipsam lædunt.

Et hinc patet, distinctiones à contrariis adductas esse subtilitates, quæ aliud non operantur, quàm peccandi licentiam præbere, & ad omnia scelera aditum aperire: consequenter sententia ab iisdem asserta, quamvis esset speculativè probabilis, ad praxim non est deducenda, utpotè unicè idonea ad peccata solvenda. Sed illa, quam sequimur cum Poncio *Theol. disp. 54. q. 2. concl. 4. sub n. 9.* Du-hamel *Theol. moral. cap. 7. num. 6. to. 2. de justitia, & jure*, est tenenda, tamquam christianis moribus magis apta, & idonea ad retrahendos homines à prænunciatis operibus. A quibus utique abstinerent, dum scirent, promittentem non obligari ad dandum pretium, & se sub ea conditione receptum non posse retinere.

Propterea Confessarius tenetur obligare Judicem, & Sicarium ad pretium restituendum, etiamsi post factum receperint, quia, cùm acceperint contra leges prohibentes, & irritantes contractum, dominium in eos non transfertur; nam per conventionem, jure nullam, & irritam, non transfertur dominium, nec contra prohibitionem legis acquiritur, *ex cap. Non sanè 12. q. 4.* Hinc usurarius usuras, & simoniacus pretium simoniacum restituere tenentur, quia naturali, & positivo jure usura, & simonia prohibetur, & contra legem prohibentem accipiunt.

58. Sed dubitatur; *Cui sit tale pretium ab Judice, vel Sicario restituendum?*

Resp. In casu, non danti, quia in pœnam suæ iniquæ promissionis meretur ea privari, sed pauperibus, vel locis piis, aut iis, qui fuerunt læsi.

Dices, promittens dare aliquid meretrici pro copula illicita, tenetur ad illud dandum, & meretrix recipiens non tenetur tale quid restituere, ergo à pari; nam, etiam meretrici pretium datur ob turpem causam.

Resp. Est falsum, promittens teneri ratione promissionis dare meretrici pretium illicitæ copulæ, quia, cùm stipulatio cum meretrice facta, sit turpis, æterno supplicio punienda, & bonis operibus contraria, nullius momenti est ex supra allegatis; ergo, quod ipsi datur, non traditur ratione pacti; nam hoc etiam esset occasio meretrici ad credendum, quòd promittens obligaretur ad ipsi dandum, quod promitteret, &, ita magis alliceretur ad actum illicitum; nec traditur, ut merces commissi criminis, sed, ut merces utilitatis, quam ex meretricibus percipit Respublica; à qua potiùs dari, quàm à committente flagitium debet censeri, dum ipsa in ipsarum permissione studet eo pretio majora flagitia vitare; consentit allegatus Du-hamel tradens, meretrici pretium deberi, non ex stipulatione, sed, quia lex, ut majora crimina vitentur, imponit viris ad eam accedentibus pœnam, ut promissam solvant mercedem. Consule D. Thom. *2. 2. q. 32. art. 7. ad 2.* ubi: *Quod mulier meretricium exerceat, turpiter agit, & contra legem Dei; sed in eo, quod accipit, non injusta agit, nec con-*

*tra legem; unde, quod, sic illicitum acquisitum est, retineri potest, & de eo eleemosyna fieri*; quod repetit *q. 62. art. 5. ad 2.* quod intelligitur, dum recipit à potentibus alienare.

## §. XII.

### *Contractus ludi.*

59. QUæritur, *Quid sit contractus ludi?*

Resp. *Est contractus plurium, quo unus se obligat ad dandum aliquid alteri, dum fuerit victor in exercitio proposito.* Forma, sub qua fit talis contractus, non est injusta, nec ratione inæqualitatis; nam inter contrahentes servatur æqualitas, ut patet ex verbis, quibus concipitur; *rem meam expono ludo, ut tu vicissim exponas tuam:* nec ratione periculi, quia cuique licet rem suam aliquando periculo exponere; ut est evidens in contractu assecurationis mercium maritimarum. Desiderium lucrandi alienum, si vehemens sit, arguit quidem summam in ludente avaritiam, sed irritum non reddit pactum, quod inter se ludentes inierunt, cùm talis voluntas sit omninò accidentalis, sicut in cæteris contractibus. Nec ratione finis, quia finis ludi per se est animos recreare. Ex quibus sequitur, ludum ex natura sua & per se esse licitum; dum, verò aliquis prohibetur, hoc evenit propter imperfectiones, pericula, incommoda, & scandalum, quæ illum solent comitari, & ideò per accidens illicitus esse potest.

60. Petitur; *an aleis ludere sit peccatum mortale?*

Resp. Negativè, modo ludus assumatur causa modestæ recreationis, aut etiam parvi lucri sine scandalo, & quin quis se exponat periculo proximo gravium peccatorum. *Consentit Card. de Luca discur. 19. num. 3. in annotat. ad Conc. Trid.* & Quilici *confes. mannd. q. 7. art. 2. num. 7.* asserentes, quòd in eodem genere alearum, & taxillorum, aliquæ species reputantur scandalosæ, & aliæ non. Posterioris generis censeri possunt illæ, vulgò dictæ all'ombra, *a Tarocchi, à Trionfini, al Matto, à Sbaraglino, & similes:* Prioris sunt, ex quibus plura sequuntur mala. Deducitur ex *cap. Episcopus dist. 35.* ubi tam Clericis, quam Laicis frequens alearum ludus sub gravi pœna depositionis, & privationis communionis respectivè prohibetur; sed non est verisimile, ut observat Poncius, quòd tam gravis pœna infligatur ob actionem, aliàs ex se indifferentem, qualis est ludus honestè habitus ad animum recreandum absque periculo gravium peccatorum, quæ solent in lusu committi. Verùm standum est consuetudini locorum, & arbitrio Superiorum, ac legibus municipalibus.

61. Petitur: *Petrus domi suæ recipit lusores, commoditatemque ludentibus, taxillos, & aleas præbet.* Quæritur, *an mortaliter peccet?*

Resp. Negativè, quando cognoscuntur, quòd honestè ludunt, vel recreationis, aut parvi lucri causa, & propterea absque mortali periculo proximo committendi gravia peccata, bene verò, si talis generis sint, ut ludo sint dediti, fraudibus utantur, blasphement, perjurent, sua dilapident, impotentes se

se reddant ad regendam familiam, ad solvenda debita, &c. & sint populo scandalo; nam, tunc ipse est particeps talium criminum, cùm ipsis commoditatem præbeat. Immò tenetur ad restitutionem, dum lusor restituere debet, & est impotens. Quod, si Principes domum ludi (vugo al Casino) permittunt, id faciunt ad majora mala vitanda in republica, quorum interest. Quilici *Confess. manud. q. 7. art. 4. nu. 28.*

62. Petitur: *Cajus in alearum, vel taxillorum ludo lucratus est centum Francisco, à quo illa fuerunt Cajo soluta: quaritur, an Cajus recipiens sua faciat illa centum, vel teneatur ad restitutionem?*

Resp. Solutio pendet à difficultate, an per ludum alearum dominium rei, ludo expositæ, transeat in victorem. Ad quod notandum plura exigi, ut dominium transferatur. Primò, ut, qui transfert rem, non modò sit verus dominus, sed etiam, ut jus habeat alienandi; quod pupillo non conceditur. Secundò, ut is, in quem transfertur, facere possit rem suam: hinc Religiosus sibi acquirere non potest. Tertiò, ut sit justus titulus, ut, donationis, testamenti, venditionis, &c. Quartò, ut lex non resistat, nec irritet contractum.

Res est sub lite apud cit. Du-hamel *differt. 2. cap. 4.* Nonnulli tamen tradunt, in locis, in quibus leges positivæ prohibent lucrum per alearum ludum, per eum non transferri dominium in victorem; positivæ enim leges possunt contractus, alioquin jure naturali validos, reddere nullos, cùm id ad bonum commune Reipublicæ conducit. Hinc D. Thomas *2. 2. q. 33. art. 7. ad 2.* dixit, quod, ubi leges civiles prohibent alearum ludum, qui sunt hujusmodi legibus obstricti, tenentur universaliter ad restitutionem, dum luerantur, nisi fortè contraria consuetudo prævaleat.

63. Petitur. *Cajus ludens prohibito ludo, oppignorata fide perdidit decem aureos; inde consulit Confessarium, an in foro conscientiæ teneatur ea solvere; quid Confessarius dicturus erit?*

Resp. Quòd, si leges ludum prohibentes sint in usu, & non sint per desuetudinem abrogatæ, non tenetur solvere; ratio est, quia ei, qui ludo perdidit, & solvit, datur actio ad repetendum, *L. victum, C. de aleatoribus, & alearum usu:* ibi: *Victum in alea lusu non posse conveniri; & si solverit, habere repetitionem, tam ipsum, quàm hæredes ejus:* Idem legitur, *l. ut alearum, C. de Relig. & sumpt. fun.* ergo multo magis ei competit immunitas ab obligatione solvendi, antequam solvat. Quid est opus solvere, si posteà repetendi coram Judice jus habet? Cui enim conceditur actio ad repetendum, quod dederit, conceditur etiam exceptio, ut id non solvat exigenti. *L. invitus, §. cui damus ff. de regul. jur. & regul. 71. Qui ad agendum de regul. jur. in 6.* Ergo, cùm perdenti in odium prohibiti ludi concedatur actio ad repetendum, quod solverit, & non possit conveniri, ut solvat, propter similem rationem debet dari exceptio absque ulla culpa, antequam solvat.

Dices, Leges adductæ sunt pœnales respectu victoris, ergo necessaria est sententia Judicis, ut victor subsit pœnæ, de non recipiendo lucro.

Resp.

Resp. Negando consequentiam. Utique sunt pœnales, sed, quia pœnæ nullam requirit executionem ex parte victoris, qui illa punitur, non est necessaria sententia Judicis, ut pœna in odium ludi data vim habeat; sed sat est, ut victus lucrum deneget. Addo, ex dictis nu. superiori, victor in ludo prohibito lucrum non facit suum, nam, in odium prohibiti ludi, dominium non transfertur; ergo non est opus sententia Judicis, ut ei non solvatur, sed potest ei absolutè non solvi; At, nec Cajus potest sibi retinere, sed in pœnam actus illiciti debet pauperibus dare.

64. Petitur; *Petrus Confessario aperit se honestè, & licito ludo lucratum esse centum Francisco, quem gravibus minis, ac metu incusso, dum non deberet, ad ludendum induxit, cum aliàs ludere nollet; & quærit, an possit ea centum tuta conscientia retinere, vel teneatur eidem restituere? quid Confessarius erit dicturus?*

Resp. Quòd tenetur ea reddere Francisco, cum nullo legitimo titulo possit ea retinere non titulo donationis, ut est certum; nec validitatis contractus ludi: Nam, cum Franciscus injusto metu fuerit coactus, & inductus ad ludendum, contractus invalidus reputatur ex omnium doctrina; quòd metus gravis ab extrinseco proveniens, hoc est, incussus à causa libera in ordine ad contractum faciendum, si injustè incutiatur (ut in nostro casu) contractum invalidat; ergo ea retinens, retinet alienum, invito domino, qui passus est injuriam, dum injustè coactus est ad exponendam pecuniam suam illi periculo; ergo tenetur restituere illam; sicut si cogeret alium ad interficiendum proprium equum, teneretur ad restitutionem.

Dices, si Franciscus, sic coactus lucraretur, non teneretur ad restituendum lucrum, ergo, nec Petrus cogens tenetur restituere ipsi, si perdat; aliis non servaretur æqualitas in ludo.

Resp. Cardinalis de Lugo admittit antecedens, & negat consequentiam: discrimen est: quia cum Francisco facta sit injuria, servari debet indemnis; non sic Petrus, cui nulla injuria fuit irrogata.

Sed nos convenimus cum aliis negantibus antecedens; Ex injuria facta Francisco, sequitur solùm, quod debeat servari indemnis: & servatur, dum non tenetur illa centum Petro dare, non verò, quod ex illa debeat reportare luctum; ergo debet lucrum & ipse reddere, sed non Petro, quia in pœnam sui delicti non est dignus recipere, sed pauperibus. Major probabilitas nostræ sententiæ in eo fundatur, quod eo ludo dominium non transferatur in Franciscum; nam donatione non transfertur, quia Petrus hoc non intendit; nec contractu ludi, quia contractus ex dictis est invalidus, & nullus alius adest titulus. Poncius *citat. num.* 13.

65. Sed quid, *si non minis, sed importunis precibus eum ad ludendum induxisset?*

Resp. Nec potest retinere, si preces essent tales, ut gravem metum inferrent, ita ut Franciscus, si eas non sequeretur, timeret grave malum incurrere in bonis, vel vitæ, vel honoris, vel fortunæ: secus si preces talem metum non incuterent.

66. Sed

66. Sed quid, *si Petrus fraude, & dolo vincat?*

Resp. Est commune, quòd, qui vincit decipiendo fraude, & dolo, (ut si chartis signatis utatur, vel plures sumat) tenetur ad restitutionem; secus, si astutiis solitis, & in ludo permissis adversarium decipit, fingens V. G. metum, vel habere chartas deteriores; aut negligentia colluforis, ejus chartas videat; nam sibi imputet. Cæterùm viri timorati semel ad minus adversarium monere debent, ne suas chartas ostendat.

67. Sed quid etiam, *si Petrus se imperitum ad ludendum fingat, cum aliàs sit totaliter peritior Francisco, qui aliàs, si excessum peritiæ scivet, non luderet, quamvis provocatus à Petro?*

Resp. Tenetur Petrus ad restitutionem, si vincat ex communi regula, quòd error cum dolo dans causam contractui, qui aliàs non celebraretur, illum invalidat ex natura rei, saltem quantum ad hoc, quod deceptus, non verò deceptor invito decepto, resilire possit. Et patet quoque, quia inæqualitas peritiæ reddit omninò periculum inæquale, & non est par conditio utriusque. Ergo Petrus id cognoscens non exponit rem suam ludo cum tanto periculo, quàm Franciscus; ergo contractus est injustus. Cæterùm, dum Franciscus ludere vellet, quamvis ei non esset ignotus excessus peritiæ, Petrus restituere non teneretur, quia tunc Francisco nulla irrogaretur injuria, nec contraheret ex errore; & ideò sibi ipsi deberet imputare, si perderet; cujus amissio reputaretur veluti spontanea donatio.

68. Petitur: *Cajus habens solummodò decem, tam in pecunia, quam in aliis bonis, ludens cum Francisco id ignorante, lucratur centum*; quæritur, *an possit ea centum retinere?*

Resp. Negativè; nam justitia postulat, ut quis non possit ludo plus obtinere, quàm possit amittere. In tali contractu non servatur æqualitas, & melior est conditio Cai, quàm Franciscì; nam Cajus plus potest lucrari, quàm perdere, cum periculo ludi solùm exponat decem, & Franciscus alia plura; qui, dum plura, quam decem vinceret, non posset ea accipere; ergo, dum plura perdit, quam decem, non tenetur ea dare; nam non censetur velle ludo transferre dominium pecuniæ in Cajum, nisi illius summæ, quam, & ipse Cajus periculo in ludo exponit; Ergo, dum Cajus recipit, restituere tenetur.

Dices, Cajus vincens fecit sua illa centum? ergo potest retinere.

Resp. Negando antecedens, ex modo dictis. Ex his sequitur, quod filiusfamilias, qui non potuit magnam pecuniæ summam ludo validè exponere, non potuit quoque validè lucrari summam gravem à viro, quem vicit.

69. Petitur. *Titius ex ludo cum Religioso acquisivit centum*; petitur, *an possit ea retinere? & quatenus negativè, cui debeat restituere?*

Resp. Retinere non potest; nam dominium in ea non habet, cùm acceperit à non domino; Religiosus enim caret dominio rerum, quibus utitur. Si acceperit à Religioso, cujus Religio potest bona in communi habere, restitutio est facienda Superiori. Si verò ab eo, cujus

Religio est incapax possidendi, tam in particulari, quam in communi, uti est illa Min. de Obser. & Capuccin. restituì debent Syndico Apostolico Conventus, in quo Religiosus est de familia, juxta const. Urb. VIII. incip. ⁂.

Idem debet dici de iis, qui vincunt mulieres matrimonio conjunctas, quæ alia bona à dotalibus non habent; nam restitutio est facienda maritis; nisi summa ludo obtenta sit exigua, quia tunc præsumuntur ipsi mariti præstare consensum alienationis uxoris.

70. Petitur. *Cajus furtivam pecuniam ludo exposuit, in quo lucratus est centum*, quæritur, *an faciat suum lucrum?*

Resp. Negativè, ex regula generali, quod ludens aliena pecunia, non facit lucrum suum, quod ludendo acquirit; nam in casu contractus ludi videtur invalidus, utpotè celebratus per dolum dantem illi causam; si enim colluso scivisset pecuniam esse alienam, non lusisset: præsumendum est enim non voluisse peccare. Verùm, si Cajus haberet aliquod proprium, quod traderet perdenti, vel unde pecuniam restituere posset, dum eam perderet, posset retinere lucrum. Hæc possunt applicari collusori furripienti à socio in ludo pecuniam, quam ludit.

71. Sed petitur. *Titius lucratus est in ludo à fure mille, potest ne sibi retinere?*

Resp. Affirmativè, si fur habet dominium pecuniæ, quam ludo exposuit, quod censetur habere, si per pecuniam furto acquisitam, in negotiatione eam pecuniam acquisivit, ut communiter DD. Si verò illius dominium non spectabat ad furem, non potest sibi tale lucrum retinere, sed postquam cognoverit esse alienam, tenetur ratione rei acceptæ omninò restituere; & fur tenetur Titio reddere æquale de aliis bonis.

## §. XIII.

### *Contractus sponsionis.*

72. QUæritur; *Quid sit contractus sponsionis, vulgò scommessa?*

Resp. *Est contractus, quo duo, vel plures contendentes de veritate, aut eventu alicujus rei, se obligant ad dandum aliquid sibi invicem, si res non sit, ut ipsi dicunt.* Contendunt Petrus, & Paulus super Lillæ expugnatione: asserit Paulus fuisse expugnatam die 10. Octobris, vel expugnandum mense Januarii; & quando non ita sit, se obligat ad dandum Petro decem aureos. Petrus id negat, pariter se obligans; quòd dabit Paulo decem aureos, si fuerit eo tempore expugnata. Ut contractus iste sit licitus, & justus, requiritur? Primò, ut res sit æqualiter dubia, & eventus incertus in utroque spondente, aliàs non servaretur æqualitas, & melior esset conditio unius, quàm alterius. Secundò, ut sponsio in sensu univoco accipiatur. Tertiò, ut causa in sponsionem deducta non sit inhonesta, & illicita. Hinc patet, quòd illicita sit sponsio eorum, qui spondent, quòd alter alterum superabit in bibendo; causa enim hìc est inhonesta, & datur alterutri occasio se inebriandi.

73. Petitur: *Cajus sponsione præmissa*

*sa cum Titio centum aureorum, quod Cardinalis N. eligetur in summum Pontificem, lucratus est, quia evenit, ut ipse affirmabat, eos nec recepit; deinde accedens ad Confessarium ab eo inquirit, an possit eos aureos retinere; quid Confessarius dicturus est?*

Resp. I. Quòd sponsio celebrata cum Titio nulla est, & irrita. II. Quòd dominium in eam pecuniam non acquirit, nec suam facit. III. Quòd eos aureos tenetur tradere locis piis, loci, in quo sponsio fuit facta, vel, ubi primùm detecta fuerit. IV. Quòd si fuerit Clericus sæcularis, vel Regularis, est ipso facto in utroque foro privatus, quovis beneficio Ecclesiastico, & inhabilis ad ea, & alia in futurum. V. Quòd est excommunicatus excommunicatione Papæ reservata, à qua à Confessario, etiam in mortis articulo, absolvi non potest, nisi prævia integra illorum aureorum restitutione locis supradictis.

Hæc omnia habentur ex Const. *Cogit nos* a 4. *Greg. XIV. in Bullar. to.* 3. in qua sub prætactis pœnis damnantur sponsiones, seù excommunicatæ, & pacta, super vita, morte, & futura electione Summi Pontificis, ac promotionibus S. R. E. Cardinal. Pœna excommunicationis reservatæ extenditur, etiam ad præstantes auxilium, consilium, vel favorem, aut mediatores dictarum sponsionum, ut ibi textus.

74. At petitur; *Victor adhuc aureos non recepit, vel eos victo condonavit*, quæritur, *an victus possit eos retinere?*

Resp. Negativè, ut ex ipsa Const. §. *Quinimmò*, ibi: *Statuimus, &c. Sed quidquid pecuniarum, aut cujusvis alterius rei in contractus, seù sponsiones hujusmodi deductum fuerit, sive datum, & acceptum, sive tantummodò promissum, vel, ut præfertur, condonatum, aut etiam, ut ab aliis solvatur, mandatum existat, eo ipso piis locis ejus Civitatis, aut Oppidi, ubi sponsiones ipsæ initæ, vel, ubi primùm detectæ fuerint, etiamsi prius alibi initæ sint, acquisitum censeri, & ipsos contrahentes ad restitutionem, sive elargitionem eisdem piis locis in utroque foro teneri.*

75. Petitur; *Cajus concurrentibus Lælio, Francisco, & Titio ad beneficium* (quod uni solùm concedi debet) *cum unoquoque eorum seorsim spondet decem nummos, quod non eligetur ad illud; deinde consulit Confessarium, an possit tuta conscientia retinere viginti, quæ lucrabitur à duobus, qui non eligentur? quid Confessarius responsurus erit?*

Resp. Quod non potest retinere; ratio est, quia in tali contractu non servatur æqualitas periculi amittendi; nam Cajus est certus, quod infallibiliter lucrabitur viginti ab aliis duobus, qui non eligentur, quamvis debeat perdere decem cum eo, qui beneficium obtinebit.

Dices, quælibet sponsio seorsim sumpta est licita, ergo etiam simul junctæ.

Resp. Negando consequentiam: in primo casu nullus est certus de non perdendo, aut lucrando, sed utrinque est æquale periculum, & spes; at, dum simul celebrantur, nec spes lucrandi, & perdendi periculum est in omnibus æquale; sed illa in Cajo est infallibilis. Contra Poncium *cit. disp.* 58. *q.* 4. *nu* 21.

79. Petitur; *Petrus sciens certò Ur-*

*bem A. esse expugnatam, protestatur Paulo id negante, se certò scire: quo non obstante, Paulus spondet decem aureos Urbem non esse expugnatam; Petrus sponsionem acceptat, & vincit; quæritur, an in conscientia possit eos decem aureos recipere, & retinere?*

Resp. Affirmat Diana *tr. 4. de Ludo resol. 75. to. 6.* Coord. juxta regulam, *quòd volenti, & consentienti nulla fit injuria, neque dolus:* sibi, & suæ pertinaciæ Paulus imputet aureorum jacturam. Consentiunt Quilici, & Sanchez id permittentes in pœnam temeritatis Pauli durissimæ frontis.

Negat Poncius ubi supra cum Card. de Lugo *num. 19.* ratio est, quia Petrus certus de expugnatione, & spondens, quòd Civitas sit expugnata, non vendit Paulo pro decem nummis, quos hic spondet, si Civitas sit expugnata, nisi jus ad decem alios nummos, quos ipse Petrus spondet se daturum, si Civitas non sit expugnata; sed tale jus, suppositâ certitudine expugnationis, non valet tantum, quàm decem nummi, quos Paulus spondet, ergo non servatur æqualitas. Nec obstat, quòd Paulus putet tanti valere; quia Petrus certus omninò de expugnatione, scit omninò, quod non valent tanti, & se non exponit periculo perdendi; ergo non potest vendere Paulo jus ad decem nummos (quos Petrus est certus se non perditurum) & pro illo accipere jus certum ad nummos, quos Paulus spondet. Patet à pari de vendente gemma, quam certò scit esse falsam, quam non potest vendere emptori, non credenti esse falsam, tanto pretio, quanto venderetur, si non foret falsa; ratio est, quia in tali venditione, & emptione non servatur æqualitas, & justitia. Quam sententiam in praxi amplectimur.

Ad rationem Dianæ dicitur, quòd, licèt in hujusmodi sponsione non interveniat fraus, & injuria, non propterea est licita, & justa, quia Petrus videt, quòd jus, quod pro decem nummis vendit Paulo, non tanti valet.

Illa Quilici, & Sanchez, non subsistit; aliàs idem dici posset de vendente gemmam falsam emptori, nolenti credere esse falsam. Tum quia pœna imponi debet ab Judice, non à quovis privatâ propriâ auctoritate.

Alii putant, Petrum posse lucrum tuta conscientia retinere, quia præsumunt Paulum velle eos aureos donare; sed præsumptio sine fundamento statuitur, & nisi id certò constet, non est præsumendum, & maximè, dum res non est parvi momenti. Cesset itaque Petrus à sponsione, &, dum spondet, pretium receptum restituat.

## §. XIV.

### *Contractus Emptionis, & venditionis.*

80. QUæritur, *quid sit emptio, & venditio?*

Resp. Emptio est contractus, *per quem mediante pretio determinato dominium in rem aliquam acquiritur.* Venditio verò est contractus, *per quem, mediante pretio determinato, alicujus rei in alterum transfertur dominium.* Quæ ad emptionem, & venditionem tria

desiderantur, quibus contractus perficitur §. 1. *Instit de empt. & vendit. Consensus, res, & pretium:* Per pretium intelligitur pecunia ut pecunia formaliter, hoc est, habens valorem taxatum à lege, vel Principe, ejus authoritate cusa.

Per ly *determinato pretio* differunt à *permutatione*, in qua non datur res pro pretio, sed una res pro alia. Differunt *à cambio*, quia in hoc datur pecunia pro pecunia, & non res pro pecunia; Quòd si venderetur pecunia pro alia pecunia, adhuc distingueretur à cambio, quia in cambio datur pecunia formaliter, & non materialiter ratione materiæ pro alia formaliter considerata; & in casu non venderetur pecunia formaliter, sed quatenus est ex tali materia, vel vetus, vel pulchra. Poncius *cit. disp. 56. qu. 1. n. 1.*

Differunt à *donatione, & promissione gratuita*; quia pro re donata, aut sic promissa non datur pretium.

Differunt à *mutuo*, quia in mutuo pretium non confertur.

Differunt à *commodato*, quia in commodato non transfertur dominium in commodatarium, sicut per venditionem dominium transfertur in emptorem.

Differunt ab *Emphyteusi*, per quam non transfertur dominium directum rei, sed tantùm utile.

Differunt à *locatione*, quia per hanc non dominium, sed tantùm usus rei locatæ transfertur.

71. Quæritur. *Petrus emit equum à Paulo, cui solvit pretium, sed relinquit equum apud venditorem, interim equus perit: quæritur an pereat Petro emptori, vel Paulo venditori?*

Resp. Supposito cum Poncio *cit.* quòd venditio potest fieri absque actuali traditione rei emptæ (ad ejus enim naturam non necessario exigitur, ut res empta actu tradatur, sed quòd quantum est ex natura contractus transferatur Dominium rei datæ in emptorem, quod transfertur statim, ac emptor venditori pretium rei tradit) quòd perit emptori, modò non contigerit ex culpabili negligentia venditoris: ratio est, quia res Domino perit; equus autem est Petri, in quem per venditionem fuit translatum dominium.

72. Quæritur, *quid requiratur, ut contractus emptionis, & venditionis sint justi?*

Resp. Est necessaria æqualitas inter pretium, & merces: ubi hæc non servatur, læditur justitia commutativa, quæ læsio ex sua natura obligat ad restitutionem; cum proprium dictæ justitiæ sit uniquique tribuere suum jus, & æqualitatem inter partes servare. Duhamel *cit. tract. de justitia, & jure dissert. 1. cap 4.*

Advertendum tamen hic est quòd justum pretium aliud est legale: illud nimirum, quod lege aliqua positiva Principis, vel magistratus authoritate determinatum est. Quod est positum in indivisibili, à quo discedi non potest, nec à venditore augeri: cum obligatione restituendi excessum si etiam minimum supràid à lege taxatum acceperit, in quo mortaliter, vel venialiter peccat, juxta gravitatem, vel levitatem excessus. Hujusmodi pretium dici solet etiam legitimum, quia à lege dependet. De la Crux *direct. consc. 7. præcept. qu. 3, num. 1.* Aliud au-

tem dicitur pretium naturale, (juxtà nonnullos vulgare) quod communi hominum peritorum æstimatione constitutum est; nec consistit in indivisibili, sed pro circumstantiarum varietate loci, temporis, copiæ, & inopiæ mercium, & mercatorum variatur: ex copia enim mercium cum inopia emptorum pretium juxta peritorum judicium minuitur: copia verò emptorum cum inopia mercis pretium augetur ibid. De la Cruz, & Natal. *Alex. theol. moral. tom. 2. cap. 6. art. 5. reg. 1.*

83. Quare hoc intra limites justi pretii aliquam habet latitudinem: unde pretium dividitur in *summum, medium, seu moderatum, & infimum, seu pium:* Una enim, & eadem res potest justè vendi, & emi majori, & minori pretio justo, juxta doctrinam D. Thomæ 2. 2. *qu. 77. art. 1. ad 1.* ibi: *modica additio, vel minutio non videtur tollere æqualitatem justitiæ.* Propterea, si ulna panni habet pro pretio summo decem aureos, pro medio octo, pro infimo erunt sex; & quoniam quodlibet ex istis est pretium justum, poterit mercator eam justè vendere decem aureis, quamvis uni vendat pro octo, & alteri pro sex. Natal. Alex. *cit.* & communiter DD.

84. Quare emptor in rerum emptione peccat. I. Dum aliquos supposititios emptores subornat, qui pretium offerant longe minus justo, ad cogendum venditorem, ut ab ipso emptore pretium, quod obtulerit majus, sed infra infimum justum, accipiat. Idem reg. 6. & tenetur defectum restituere Venditori.

II. Dum scienter pro pretio mercium venditori monetam adulteratam, & defectuosam dat, venditore ignorante defectum: Si autem ex ignorantia id faceret, existimans monetam esse legitimam, propter bonam fidem excusatur, quia si defectum agnovisset, eas non dedisset. Tamen, cum in notitiam veritatis devenit, tunc cessat bona fides, & tenetur damnum compensare illi, cui monetam dedederit.

Nec excusare se potest, quòd talem monetam innocenter ab aliis receperit; id enim suo infortunio, aut imprudentiæ debet ascribere; non enim est justum, ut inde alii damnum reportent. Mayol. *sum p. 2. 7. præcept. qu. 1. art. 9.* & Natal. *cit. regul* 11.

Hic observa, quòd moneta potest tribus modis adulterari. I. quoad substantiam, cum substituitur, aut permiscetur unum metallum pro alio. II. Quoad pondus quando decurtata cuditur, aut cusa raditur, & minuitur. III. Quoad formam, quando quis monetam justi ponderis cudit, apponendo effigiem, aut sigillum Principis, sed sine ejus assensu, ut apud eos loc. cit. Ad monetam enim legitimam tria hæc requiruntur, ex *l. 1. §. 1. ff. de contract. empt.* materia idonea, justum pondus, & authoritas Principis.

Nota item, quod attondentes monetam, vel per aquam fortem, subtilizantes tenentur restituere; tametsi attonderent solùm exuberantes monetas, relinquentes eas cum justo pondere; eo quia excessus vel per errorem fuit appositus, vel quia Princeps voluit ex bonitate monetæ laudari. Sylvester *v. Falsarius.*

Pondera pariter, quòd cudentes monetas ex materia adulterina admiscendo metallum vilius nobiliori, tenentur ad

damna

damna illata reparanda restituendo pauperibus, si læsi sunt ignoti, Mayol. *cit.*

III. Dum pretio non proportionato emit gemmam ab eo, qui eam putat esse vitrum: tunc enim emptor tenetur venditori indicare æstimabilitatem gemmæ, vel augere pretium juxta valorem illius De la Cruz *cit. num.* 14. ubi observat, quòd si in re esset virtus occulta, & latens, etiam peritos in arte, (nec communiter quæritur ob illam virtutem, cognoscitur tamen ab isto emptore ob singularem scientiam, quam habet) non tenetur eam manifestare, vel augere pretium ob illam occultam virtutem: Quoniam justum pretium rei attenditur ex utilitate in ordine ad usus communes hominum: sed hæc res communiter, & secundùm quòd deservit usui communi hominum æstimatur decem aureis; ergo decem aurei sunt pretium justum. Cæterùm, si tam vendens, quàm emptor ignorarent lapidem esse gemmam, & emptor emeret ipsam vili pretio, tanquam si esset vitrum: cognita deinde veritate, deberet vel pretium augere, vel reddere gemmam, exigendo pretium prius traditum: Nam dominium non habet in gemmam, cum venditor non gemmæ, sed vitri dominium in eum transtulerit.

85. Quæritur. *Titius scit pecuniam, quæ in præsenti valet decem aureos, post octo dies esse valiturum sex: petitur, an possit eam ab ignaro minutionis futuræ supra valorem pecuniæ emere mercem, quæ valeat decem?*

Resp. Affirmativè; quia non requiritur, quòd pretium sit justum, nisi pro tempore, quo res emitur. Poncius *cit. qu.* 4. *num.* 13. De la Crux *cit. ibid. conc.* 2. Soto *de just. & jur. lib.* 6. *q.* 1. *art.* 2.

Limitatur communiter, nisi magistratus data opera differat promulgationem legis de minuendo valore pecuniæ, ut interea à emptores scienter emerent pecuniis pro valore præsenti; quia sic committerent fraudem. Poncius ibid. lege *cap. sequent. num* ... & supra *cap.* 21. *num.* 22.

De peccato emptorum in rerum emptione commisso, an mortale sit, vel veniale, judicandum est juxta læsionem justitiæ; an scilicet graviter, vel leviter fuerit læsa.

86. Pariter Venditor in venditione mercium peccat. I. Si pretium alterat supra rationem justi pretii, adeout non servetur æqualitas inter merces, & pretium. Cæterùm mercatoribus ob curas, pericula, solicitudines, & expensas, quas adhibent in mercibus conquirendis, & asportandis, (hæc enim sunt pretio æstimabilia) licet rem pluris aliquando vendere, quàm per se nudè valent, sed semper est servanda justitia pretii Abell. *sum. p.* 2. *tom.* 2. *cap.* 4. *sect.* 7. §. 8. Et pro qualitate excessus committitur justitia gravis, vel levis cum obligatione pro foro interno restituendi, etiam sub pœna peccati mortalis si excessus sit materia peccati læthalis: licèt in foro externo quis non cogatur ad restitutionem, nisi defraudaverit ultra medium. Quilici *Confess. manud. q.* 7. *art.* 3. *n.* 13.

II. Si alterat merces vendendo rem vitiosam, & vilem pro bona, & pretiosa intermiscendo etiam mendacia, & perjuria. Ita Tabernarius non potest addere vino generoso tantùm aquæ, quantum sufficit

sufficit ad illud reddendum æquale vino ordinario, & illud vendere pretio vini ordinarii; quia tunc venderet aquam ad taxam vini ordinarii, & contra voluntatem emptoris, qui intendit emere vinum purum, & non lymphatum. Ideò contra voluntatem emit. Propterea venditor tenetur restituere pretium correspondens mensuræ aquæ. Quòd procedit, etiamsi vinum non esset servandum, sed statim bibendum Tambur. *lib. 4. tract 5. de empt. & vendit.*

Ita emptori petenti pannum Hollandicum non potest pro eo vendere pannum Venetum; casu autem quod istud vendidisset, putans illud esse Hollandicum, deberet deinde cognito errore, emptorem monere, ut rescinderet contractum. Dum verò pannum consumpserit, vel in vestes aptaverit, adeout illud non possit integrum reddere, debet venditor restituere excessum pretii: nam in eum dominium non habet, cum emptor f. per hoc fuerit invitus.

87. At petitur. *An venditor teneatur vitium rei venalis emptori aperire?*

Resp. Non semper tenetur, ut dum vitium est manifestum; at semper propter illud debet subtrahere de pretio, quantum oportet per D. Thom. cit. *art.* 3. apud d. *Natal. Alex. reg.* 14. ubi observat, quòd si subsit aliqua fraus (ut si vitium rei, licèt sit manifestum, tamen ab emptore non ita facilè deprehendi possit; vel si emptor protestetur se nolle emere rem vitiatam; aut venditor interrogatus de vitio rei, illud tacuerit, vel negaverit; vel eam, quasi vitio carentem etiam non interrogatus laudaverit, vel inter res non vitiosas venalem exposuerit,) tenetur ad emptoris arbitrium contractum rescindere; si res vendita tunc temporis sit in esse: vel supplere reddendo tantum pretii, quantum debebat propter vitium rei subtrahere.

III. Si utatur dolosis ponderibus, & falsis mensuris, ita ut aliquid modicum à singulis emptoribus surripiat. Ubi consideret Confessarius, quòd si parum surripiat ex defectu occasionis, quia scilicet non potest majora surripere, peccat mortaliter pro qualibet vice, propter intentionem mortaliter malam, sivè ab uno, sivè à multis exiguum quid accipiat, intendens paulatim inde magnam summam accumulare, & detinere. Ubi verò paulatim absque ea mala intentione parum surripit, peccat solùm venialiter pro qualibet vice, sed, cum primùm illæ parvæ acceptiones attingunt, & complent notabilem quantitatem, peccat mortaliter illa ultima parva acceptione, quàm cupiditate victus advertit (vel debet advertere) unà cum prioribus componere notabilem quantitatem, sufficientem ad mortale. Ratio est 1. quia Venditor, licèt notabile damnum singulis non intulerit, nocuit tamen notabiliter toti Communitati, ut observavit Mayol. *cit. art.* 1. § 1. II. quia acceptiones illæ sunt talis generis, ut priores cum subsequentibus continuentur, & moraliter unum efficiant cum notabili damno proximi: sicut dum quis in die jejunii plura pauca comedit, mortaliter peccat: hujusmodi enim comestiones collectivè sumptæ uniuntur, & jejunium frangunt juxta decretum Alex. VII. *ut in primo libro cap. 22. n....*

Quia

Quinimmò DD. observant, quòd postquam venditor pervenerit ex illis parvis acceptionibus ad notabilem quantitatem, quævis deinde minima acceptio est mortalis propter continuationem moralem cum illis.

Cæterùm, ubi priores illæ acceptiones fuerint per interpositam pœnitentiam retractatæ, aut restitutionem, antequam compleant notabilem quantitatem, tunc acceptio, vel detractio superveniens non continuatur præcedentibus, ut ibid. Mayol. sed videas supr. cap. 21. n. 11. & cap. proximè præced. n. 61.

IV. Si advertens rem esse multùm commodam, & utilem emptori, pretium augeat supra justum: Nam alienum commodum vendentis dominio non subjacet; nec utilitas ex vendente, sed ex conditione ementis. *Nullus autem potest vendere alteri, quod non est suum.* Ita D. Thom. *ubi supr. art.* 1. Cæterùm, si emptor vellet emere rem multùm venditori necessariam, & venditor ex venditione aliquod damnum emergens, vel luctum cessans pateretur, posset res carius vendi, quàm valeat, ad compensandum illud damnum, dummodo fraus, & dolus absit. Ubi verò venditor, non rogante, & urgente emptore, sed sponte quidpiam vendat, non potest augere pretium ob damnum, quod patitur, ut ex D. Thom. *qu.* 13. *de malo art.* 4. *ad* 14. Natal. *Alex. reg.* 2.

88. Quæritur. *Petrus, rogante, & urgente emptore, hunc vendit mensuram olei majori pretio, quàm tunc valeat, ex quo non intendebat tunc eam vendere, sed servare usque ad tempus, quo probabiliter pluris erat valitura: petitur, an injustitiam committat?*

Resp Negativè juxta tex. *in cap. In civitate de usur.*

Verùm, ut advertit alleg. Natalis *reg.* 5. tutiùs est abstinere ab augendo pretio, cùm solùm dubium est, an pluris, vel minoris merces sint valituræ tempore, quo mercator vendere illas proposuerat, ut constat ex eodem capite, in quo Alex. III. rescripsit: *& ideò Cives tui saluti suæ bene consulerent, si à tali contractu cessarent, cùm cogitationes hominum Omnipotenti Deo nequeant occultari.* Sæpè enim similibus cupiditas pecuniæ fingit, quod non debet.

89. Quæritur: *Titius mercator Amicorum litteris certò instruitur magnam frumenti copiam brevi ex Hollandia hic Romam esse advehendam, id emptoribus celat & proprium frumentum vendit pretio currenti, quod, illo adveniente, minuetur: petitur, an teneatur id ipsum emptoribus patefacere; & quatenus negativè: an injustitiam committat?*

Resp. Ad utrumque negativè, ita D. Thom. *cit.* 2. 2. *art.* 3. *ad* 3. *ibi: unde venditor, qui vendit rem secundùm pretium, quod invenit, non videtur contra justitiam facere: si, quid futurum est, non exponat. Si tamen exponeret, vel de pretio subtraheret, abundantioris esset virtutis, quamvis ad hoc non videatur teneri ex justitiæ debito.* Unde Du-hamel *ubi supr.* ex Cajetano ponderat in emptione, & venditione considerari pretium præsens, non præteritum, aut futurum: Quare justitia patet ex ipsa natura contractus rei, quæ in præsenti emitur, cujus pretium debet esse præsens;

nam est quædam commutatio; *ut rem meam tibi trado, ergo æquum est, ut pretium vicissim accipiam*: quod autem majus, aut minus pretium posteà sit futurum, necesse non est scire, aut dicere: sicut enim, si sciam pretium esse augendum, non mihi licet propterea carius vendere, ita nec minoris teneor vendere, cum scio pretium esse minuendum: nec mala fide ago, aut alium lædo, sed utor jure meo, cum tanti vendo, quanti valet nunc.

90. Quæritur; *Parochus, vel: Beneficiatus aperit Confessario se vendidisse bona Parochiæ, & Beneficii. Quid Confessarius erit eis dicturus?*

Resp. Interroget, an vendiderint obtento beneplacito Apostolico, vel sine illo; & quatenus absque eo bona distraxerint: urgeat eos ad restituendum pretium, & recuperanda bona. Quoniam contractus alienationis bonorum Ecclesiæ tum immobilium, tum mobilium pretiosorum sine beneplacito Apostolico prohibetur expressè *extravag. Ambitiosæ de rebus Eccles. non alienand.*

Significet pariter, quod sunt privati Beneficiis, quorum bona alienaverunt, & ligati excommunicatione latæ sententiæ, in d. extravaganti lata in alienantes, & bona alienata recipientes. A qua non excusantur, nisi adsit bona fides sincera, vel ignorantia facti probabilis, vel etiam juris in personis non adeò peritis, ut ex Riccio, & Nicolio tradit Monacellus *for. p. 2 for. 4. num. 8. tit. 14.* quæ ignorantia non videtur supponenda cum dicto Parocho, & Beneficiato, cum ad eos spectet scire, quod possint, vel non circa bona Ecclesiastica. Vide Tridentinum *sess. 22. cap. 11. & sess. 25. cap. 11. de reform.*

91. At petitur. *An ipse Confessarius possit eos ab incursa excommunicatione absolvere?*

Resp Negativè; nam absolutio dictæ censuræ est Papæ reservata in Concil. Trid *sess. 22. cap. 11. de refor.* Quinimmò, cum S. Congreg. Concil. quotidie committat Episcopis, ut absolvant excommunicatos propter alienationem rerum Ecclesiasticarum, ut apud dictum Monacellum, sequitur esse evidens, quod saltem ex praxi excommunicatio in Extravaganti implicitè sit reservata; Ideò Confessarius non potest in eorumdem absolutione se ingerere, nisi consulendo, ut ad Sedem Apostolicam pro absolutione recurrant, & petant illam, & dispensationem ad retinenda beneficia.

92. Quæritur. *Titius vendit agrum Cajo, interea à Lælio movetur Cajo lis in judicio super d. agro; in quo adversus Cajum obtinet sententiam, vigore cujus Cajus agro privatur, & acquiritur Lælio. Petitur, ad quid teneatur Titius venditor?*

Resp. Tenetur de evictione, adeòque ad reddendum Cajo pretium, quod pro agro recepit. Cajus enim transtulit in Titium dominium pecuniæ implicita conditione, quòd Titius rem suam, & non alienam ipsi venderet.

Ad quod est à Confessario cogendus, nec debet absolvere, nisi restituat, cum rem alienam retineat. Quinimmò Cajus potest Titium coram Judice convenire, & illum ad reddendum officio Judicis compellere.

Hinc nota, quòd evictio *est rei, quæ*

*apud*

*apud nos ex juxta causa erat, ablatio ab alio dominii, vel hypothecæ jure, sine culpa nostra per Judicem facta*, ita Gonzalez in 3. *tit.* 17. *cap. ult. à num.* 5. Dicitur *ab alio*, ut cognoscatur, quòd ut possessor possit de evictione agere, non sufficit, ut noverit rem esse alienam, oppignoratam, vel hypothecæ subjectam, sed opus est, ut res in effectu sit ablata. Ponitur *rei, quæ apud nos erat ex justa causa*, ut significetur, quòd solùm bonæ fidei possessor agere potest de evictione, non verò possessor malæ fidei *l. si feudum* 27. *cap. de evict.* Nec competit emptori scienter rem alienam ementi. Nam tunc non potest conqueri tanquam à venditore deceptus: Sciens enim conditionem rei, eam cum suis qualitatibus emisse intelligitur. Additur *dominii, vel hypothecæ jure*, quòd denotat emptorem posse de evictione agere, non tantùm, quando res aliena ab eo auferitur, sed etiam quando reperitur hypothecæ obligata. Additur *per Judicem facta*, quo ostenditur, quod non quævis amissio rei possessæ parit actionem ad evictionem, sed ea tantùm, quæ fit Judice auctore, hoc est in judicio, *l. si pro re* 22. §. 1. *ff. de evict.* Seu dum sententia Judicis pronunciatur, rem pertinere ad petitorem *l. mancipium* §. *ult. eod. tit.* Quapropter, si res pereat, aut aliquovis modo à possessore auferatur, non potest ab emptore de evictione agi, ut communiter DD. apud d. Gonzalez *n.* 9.

93. Cæterùm tres casus excipiuntur, in quibus venditor de evictione non tenetur, & contra eum emptor non potest de evictione agere, ut in *cap. si venditor, de empt. & vendit.*

Primus est si tempore, quo lis emptori movetur, ipse non denunciet venditori litem esse motam, ut rem defendat. Denunciatio autem fit, ipsum ad eum effectum citando, ut de lite mota ei juridicè constet: Si venditor non inveniatur, citatio facienda est in domo coram vicinia, & si decesserit, citandi sunt hæredes.

Secundus, si emptor tempore sententiæ contumaciter absit: hoc est, vel, quia citatus non venit ad sententiam, vel, quia legitimo tempore post sententiam non comparuit ad interponendam appellationem: Tunc enim sibi debet imputare, si contra se fuerit sententia lata.

Tertius est. Si emptor injustitia, & culpa Judicis condemnetur. Etenim tunc sententia ex malitia Judicis lata inter casus fortuitos numeranda est *l. ad eos. ff. mandat.* Venditor autem, emptione celebrata, non tenetur de fortuitis periculis juxta *gloss. in d. cap. v. legitimas sanctiones*; quia tunc Judex facit litem suam, & ipse tenetur. *L. Filiusfamilias. ff. de jud.*

Extra istos casus venditor tenetur de evictione pro re evicta nec debet tantùm pretium agri restituere, verùm etiam reddere sumptus, & meliorationes ab emptore in agro factas, ac expensas, quas emptor solvit in casu; quoniam æquitas, & justitia dictat, omne id esse ei restituendum, quod abest emptori propter evictionem. Videatur Gonzalez *loo. cit.*

94. Huc spectat etiam instruere Confessarium circa monopolia, quæ à Mercatoribus committi solent. Quare Mo-

nopolium est *occulta machinatio, & conventio mercatorum ex compacto inter se conspirantium, ut ipsi soli certo pretio ab eis constituto merces emant, aut vendant.* Monopolium cedit in Reipublicæ, & privatorum grave damnum: exercetur contra finem negotiationis, & commerciorum, ac ad communem inopiam inducendam: repugnat publicæ fidei, Juri Gentium, & Civili ut constat ex *l. Jubemus C. de Monopol.*

Monopolium mercatores committunt I. Si, ut res pretio inter se convento vendant, illas servant in tempus inopiæ.

II. Si vi, vel fraude impediunt, ne alii merces ad locum afferant.

III. Si falsis rationibus expositis, & per subreptionem privilegium impetrent à Principe, ut ipsi soli has merces vendant legitimo pretio à Principe, vel Magistratu non constituto.

Licitè utique alicui sine damno Reipublicæ conceditur privilegium, ut ipse solùm aliquid vendat: ut fit cum Typographo, prohibendo, ne alius librum ab eo impressum excudat: id enim cedit in bonum Reipublicæ, quia aliàs fortasse nullus vellet subire expensas libri imprimendi; quia timeret, ne statim recuderetur ab aliis, & ita magnum damnum reportaret. Cæterùm non licet privilegium concedere pro rebus maximè necessariis, nisi aliàs urgeat maxima necessitas, & Princeps taxet pretium, ut per allegat. De la Cruz *dub 8. conc. 2.* & Poncium *q. 5. num. 19.*

IV. Si Quis prævidens, quòd brevi pretium frumenti sit minuendum quia per Hollandos mox magna copia adducenda est, suppositiis, falsisque litteris rumorem in vulgus spargat, naves periisse, aut ab hostibus captas fuisse, ut hujusmodi mendacio pretium annonæ, & frumenti augeatur.

V. Si quis tempore messis emit totum triticum, aut maximam ejus partem pretio vili, pro quo tunc vendi solet, ut postea omnes ab ipso cogantur carius emere. Cæterum si alii emerunt sibi necessaria, licitè emit, quod supersit, ut postea tempore inopiæ vendat etiam carius, sed pretio justo: Nam hoc est utile Civibus, cum tunc habeant merces tanquam in depositio pro tempore necessitatis, nec extra oppidum deferuntur. Ita De la Cruz *cit.*

Regula generalis est, ut quoties ratione monopolii fit excessus, aut defectus in pretio justo, restituendus est excessus. Atque ita Authores, & participes Monopoliorum, qui res ultra justum pretium vendiderunt, vel emerunt, tenentur excessum, & defectum restituere; vel iis, quos læserunt, si illos noverint, vel, si sint ignoti, pauperibus.

95. At quid, *Si quis ignorans monopolium venderet res pretio currente, quod tamen supponitur esse supra justum, utpote constitutum à fabricatoribus monopolii?*

Resp. Quòd, ablata ignorantia, tenetur ratione rei acceptæ restituere excessum supra justum pretium, sed Monopolæ debent restituere etiam ratione injustæ acceptionis excessum pretii, etiam ab aliis reportatum, dum alii non restituunt, quia fuerunt causa damni illati. De la Cruz *allegat.* Natal. Alex. *reg. 7.*

96. Sed

96. Sed quid, *si monopolæ convenerunt in pretio justo rigoroso?*

Resp. Poncius ibid. negat eos teneri ad restitutionem ullam, quia quamvis peccent contra charitatem (quia reducerent multos ad emendum cum magno dispendio) tamen non lædunt justitiam. Rotarius verò *in apparatu Theol. moral. p. 2. cap. 7. sect. 4. num.* 19. eos obligat ad restituendum, quia damnum notabile populis inferunt; nam plures emerent pretio medio, & infimo, & ideò ex ipsorum fraude minus habent.

97. Quæritur, *Cajus bonâ fide à Titio emit viginti aureis gemmam valoris triginta aureorum: secuta emptione, audivit gemmam fuisse furto sublatam de domo Sempronii, cupiens gemmam vero Domino tradere, mediante tamen recuperatione pretii 20. aureorum: fatis diligentiis furem non invenit, nec est spes inveniendi: proinde sub secreto naturali committit Petro Sacerdoti extra confessionem, ut accedat ad Sempronium, ut recognoscat, an re vera gemma sibi fuerit furto sublata; Petrus alloquitur Sempronium, qui instat, ut sibi gemma ostendatur, quam esse suam cognoscit, viginti tamen aureos non vult reddere, quia rem suam emere non vult, & protestatur, quòd si Sacerdos eam sibi non tradat, eum reputabit habuisse manum cum fure. Hæc Petrus referens Cajo, iste urget Petrum, ut sibi reddat gemmam, ne & gemmam, & viginti aureos perdat: Petitur, an Sacerdos debeat gemmam Cajo, vel vero Domino tradere?*

Resp. Supponendum, quòd in casu Petrus non agit ut Confessarius, sed ut merus amicus, & mediator; hinc dicendum, Petrum debere gemmam tradere Sempronio vero Domino; quia res ubicunque sit, semper clamat pro Domino: nec Cajus potest esse rationabiliter invitus, & tribuat suo infortunio, si debeat perdere viginti aureos, & furem invenire non possit, contra quem habet semper actionem pro illis rehabendis. Quinimmò præsumptione legitima censendus est consentire, nisi velit majus malum subire in existimatione suæ famæ in foro externo, in quo reputabitur ut fur, vel saltem, quòd scienter gemmam à fure emerit, ad quod argumentum præbet, quod justo pretio gemmam non emerit; debens scire, quòd verus Dominus, licèt aliquid de summa triginta aureorum potuerit ob necessitatem detrahere, non tamen tam excessivam diminutionem fecisset.

Nec Sacerdos tenetur cum periculo suæ famæ secretum naturale servare. Quando enim promittitur secretum servare, subintelligitur, nisi ex non revelatione esset innocens damnandus, vel ipse esset in necessitate mentiendi, vel aliquod grave scandalum oriretur, aut ipse deberet ex taciturnitate aliquod grave malum in vita, honore, vel rebus recipere, ita ex Alex. de Ales. Fagn. *in 3. ad cap. Tua num.* 47. *de testam.* ubi *num.* 44. ex D. Bonavent. *in 4. sent. dist.* 21. *art. 2. q. 3.* tradit, quòd recipiens aliquid in secreto, tenetur revelare Superiori præcipienti, & juramentum de non revelando est nullum, quia in præjudicium veritatis, & obedientiæ; sicut, qui juravit testimonium non dicere, juramento non obstante testificari compelli-

tur, cap. *Insinuavit de restib.* & ideò in tali circumstantia, in qua agitur de jactura propriæ famæ, reputatur fundatissimè, quòd Petrus non voluerit, nec debuerit se obligare.

98. Sed quid, *si secretò recepisset in Sacramento Pœnitentiæ?*

Resp. Quòd tunc nullo modo potest secretum acceptum revelare, quia hujusmodi non scit, ut homo, sed tamquam Dei Ministet, & majus est vinculum Sacramenti quolibet hominis præcepto, & malo subeundo, ut per D. Thom. 2.2.*q.*70.*art.*1.*ad* 2. & ibi Fagnan. *num.* 38. *& sequen.*

99. Si verò sacramentaliter non confitetur, concurrente una ex dictis circumstantiis ad secretum non tenetur. Nec obstat, quòd dixerit, *hoc dico tibi in confessione*; quia, ut ait Innocentius *in cap. Omnis de pœnit. & remis. num.* 7. Non est verum, quòd dicat in confessione, & Pœnitentia, ac ut Dei Ministro, sed solùm petit consilium, vel auxilium modo secreto, sed extra confessionem Sacramentalem; & hinc non intervenit sigillum confessionis, ut illud secretum revelare sit sacrilegium, quamvis peccet contrà fidelitatem, si absque justa causa, & urgente necessitate factum secretò receptum revelet.

## §. XV.

### *Contractus Assecurationis.*

100. Assecuratio est contractus, quo quis ob pretium suscipit in se periculum rei alienæ, obligando se ad illius rei recompensationem, si res illa pereat. De la Cruz *direct. Cons.* 7. *præcept.* 9.6. *art.* 2. *num.* 1. Contractus iste justo pretio factus, consideratis periculis, valet, quia illa periculi susceptio est pretio æstimabilis.

At petitur, *quid necesse sit, ut hujusmodi contractus licitè celebretur.*

Resp. I. requiritur, quòd assecuratus habeat bona periculo exposita. II. Quòd Assecurator habeat bona, quibus possit facere compensationem rei, si pereat. III. Quòd Assecurator moneatur de periculis specialibus, quibus Navis V. G. est exposita, ut videat, an velit, & quantum petere possit pro pretio periculi rei, quod in se suscipit. IV. Quòd moneatur, etiam de quantitate, & qualitate mercium, quas assecurat.

Hic adverte, quòd si Assecurator, qui assecuravit Navem onustam serico, directam Francisco Mercatori, non habet bona, quibus possit eidem Francisco compensare jacturam mercium, si navis pereat, non potest pro assecuratione navis, quæ ad portum salva venit, recipere pretium pro assecuratione, quia contractus ex parte Assecuratoris est fictus: nam reverà in se non suscepit periculum assecurationis, sed res semper manent sub eodem periculo: Unde contractus est injustus, & Assecuranti injuria irrogatur, relinquendo ejus res eidem periculo expositas, quæ ab alio fortè assecurarentur.

Nec potest illud pretium recipere pro periculo carceris, & aliarum vexationum, quibus se exponit; quia ista sunt accidentalia ad justitiam contractus, & Assecurato inutilia.

101. At petitur. *Assecurator habet bona,*

*bona, quibus potest compensare solum medietatem mercium, si pereant: an possit recipere dimidium pretium assecurationis. Si merces salvæ ad assecuratum perveniant?*

Resp. Negativè: Quia contractus est nullus, quoniam ex parte assecurati est involuntarius, utpotè celebratus ex ignorantia antecedenti, & dante causam contractui. Etenim, si ei nota fuisset impotentia assecurationis, alium assecuratorem postulasset, nec consensisset in contractum celebratum. Propterea assecurator ex contractu nihil potest recipere. Tenetur tamen, casu quo res pereant, solvere bona, quæ habet, non ratione initi contractus, quia fuit nullus, sed vigore injuriæ Assecurato illatæ propter fraudem, & dolum. Ita Bannes apud d. De la Cruz contra Rodericum *in Sum. p. 2. cap. 105*, & Tamburin. *libro 9. tr. 7. cap. 2. nu. 6.*

100. Ad finem capitis pro majori notitia notabis, à DD. alia dici *substantialia*, alia *naturalia*, & quædam *solemnia contractibus*. *Substantialia*, illa dicuntur, quæ essentiam contractus constituunt, sine quibus contractus non subsistit, nec sunt mutabilia ex voluntate partium: ut est consensus liber utriusque partis. *Naturalia*, dicuntur, quæ contractui tacitè insunt, licèt expressa non sint, & possunt pacto contrahentium removeri, valido remanente contractu; ita venditor ex natura venditionis tenetur emptori de evictione, si res ab aliquo tertio, ut sua, ab emptore fuerit recuperata. *Solemnia*, vocantur, quæ de jure requiruntur, ut legitimus contractus censeatur; & ex his quædam sunt *solemnitates substantiales*, sive *intrinsecæ*, sine quibus contractus validus non est, ut consensus Capituli, & Pontificis in alienatione rei spiritualis, seu Ecclesiasticæ; præsentia Parochi, & testium in matrimonio &c. Aliæ *extrinsecæ*, sine quibus actus, quidem non licitè, sed validè celebratur, ut trina denunciatio antè contractum matrimonium, benedictio nubentium in templo facienda &c. vide *lib. 4. cap. ult.*

## CAPUT XXIV.

### *Prop. XLI. & XLII. ab Innoc. XI. &c. Lucrum Usurarium.*

1. PROP. 41. *Cum numerata pecuniæ pretiosior sit numeranda, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quàm futuram, potest creditor aliquid ultra sortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari.*

Prop. 42. *Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur, tamquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, sed solum, si exigatur tamquam ex justitia debitum.*

2. Author propositionis primæ traditur Caramuel apud Cardenas hìc *dissert. 25. cap. 1.* Ille sentit, conferentem mutuò nonaginta quinque posse post annum accipere centum, quia centum solvenda post annum æquivalent nonaginta quinque præsentibus, ex quo plus valeat pecunia præsens, quàm futura: & propter illam æquivalentiam dixit mutuatorem non recipere aliud supra sortem. Verùm, concesso etiam (quod non damus) pecuniam præsentem esse pretiosiorem

siorem futura, non sequitur, quod, datis mutuò nonaginta quinque, possint licitè recipi centum, & si recipiantur, quinque non sint supra sortem; nam nonaginta quinque, quando à mutuatario restituuntur, sunt præsentia, ergo eandem æstimationem habent, quàm habuerunt eo tempore, quo mutuator ea mutuavit, ergo aliquid plus accipitur supra sortem ex vi solius mutuationis, vel ratione interusurii (interusurium est usus medii temporis) hoc est, ratione usus, quem habet mutuatarius toto eo tempore, quo pecuniam, aliamve rem sibi mutuatam servat, donec eam mutuanti restituat: illicitum autem est aliquid accipere pro usu rei mutuatæ, quia tunc mutuans accipit pretium pro re non sua; nam pecunia mutuata non est mutuantis, ut alibi diximus, & communiter DD. sed mutuatarii: nec usus pecuniæ: quia in mutuatarium cum dominio pecuniæ transfertur facultas ipsa utendi, vel ejus usus, ergo, quod accipit mutuans supra sortem, accipit pro usu, & re non sua, ergo iniquè accipit, & non modò contra charitatem, sed etiam contra justitiam peccat, cùm injustum sit aliquid petere pro usu rei, vel donatæ, vel alteri datæ in proprietatem. Duhamel Theol. *moral. de just. & jure tom. 2. dissert. 3. cap. 1. n. 3.*

3. Secunda propositio pluribus etiam Authoribus placuit; verùm, quia utraque via usurariis lucris aperitur, in quibus, & ipsorum occasionibus eradicandis totus debet esse Confessarius: ideò hìc præter adducta *lib. 1. cap. 31.* alia pro institutione Confessarii ad ipsa usuraria lucra spectantia referimus; quem ad præfatum *cap.* pro uberiori notitia remittimus, ut videat ibi *num. 3.* usuræ definitionem.

4. Quæritur, *Franciscus accipit mutuò à Petro quatuor rubia frumenti mense Novembri, quo generaliter venditur decem aureis pro rubio, hac lege, & inito pacto, ut venturo Augusto restituat, vel ipsa rubia quatuor frumenti, vel aureos quadraginta ad electionem ipsius Petri: dubitatur, an in contractu lucrum usurarium eluceat?*

Resp. Affirmativè, nam contractus est usurarius; etenim ibi est usura, ubi plus quàm datum fuerit, expectatur, *cap. si faneraveris, cap. Usura 14. qu. 3.* Sed in casu Petrus plus, quàm dedit, expectat; nam si frumenti valor erit ultra aureos quadraginta, prætendet frumentum, & hinc plus accipiet, quàm fuerit pretium, quod currebat tempore contractus; si verò valor decreverit, postulabit 40. aureos, & sic plus, quàm sit pretium ipsius frumenti restituendi.

Accedit, quod quoties mutuatario imponitur obligatio pretio æstimabilis, committitur usura ex communi DD. Sed in allato casu Francisco hujusmodi obligatio à Petro imponitur; nam, si mense Augusto, frumentum minoris valebit, quàm quadraginta aureis, tenebitur solvere dictos 40. aureos; si autem majus fuerit pretium, arctabitur emere frumentum, ut quatuor rubia frumenti restituat, ut optimè Layman. *lib. 3. tract. 4 cap. 16. num. 14. ver. Sco 2.* ergo usura committitur, & lucrum, quod exigeretur, esset usurarium.

5. Quæritur, *an usurarium esset lucrum,*

*rum, quod reportaretur à mutuante, se obligante non repetere mutuum, nisi transacto anno?*

Resp. Affirmativè; nam semper aliquid supra sortem ex vi solius mutuationis exigeret. Tum quia, admissa opposita opinione, omnes usuræ excusabuntur, quia quilibet affirmabit se non pro mutuo, sed pro illa obligatione tale lucrum exigere: & ita quilibet mutuans posset pro quolibet mutuo aliquid supra sortem exigere, cum quilibet statim ac mutuat, se obliget, saltem virtualiter, ad non repetendum mutuum pro aliquo tempore. Gibal. *lib. 1. de usur. cap. 8. art. 2. conject. 18.* Talis itaque obligatio non repetendi suam pecuniam, & carendi ea, est mutuo intrinseca, & non est æstimabilis, vel compensabilis pretio distincto ab ipsa pecunia mutuata, sed ad æqualitatem compensatur per redditionem sortis, cum facultate ea utendi toto tempore sequenti; ideò, si aliquid pro ea recipitur, recipitur aliquid non debitum, contra justitiam, ac ex vi mutui, quod omninò est iniquum.

6. Quæritur, *Sempronius petit, & accipit mutuò ab Antonio centum Ludoviceos (Luigi d'oro) post annum eos restituturus, quorum quilibet tempore contractus, valet triginta Julios, completo anno, valor cujuslibet ascendit ad triginta duos Julios: Sempronius vult restituere trecenta scuta in Ludoviceis, computatis ad valorem 32. Juliorum: Antonius autem exigit numero centum Ludoviceos, dubitatur, an licitè exigat?*

Resp. DD. non conveniunt. Aliqui affirmant; quorum ratio est, quia species, & numerus Ludoviceorum sunt in contractu, & veniunt sub obligatione: casus enim in terminis loquitur. *Sempronius petit, ac accipit centum Ludoviceos ab Antonio, eos post annum restituturus:* Nota, ipsum petere, & obtinere mutuò centum Ludoviceos, non trecentum scuta, ergo, petendo *Ludoviceos*, est in pactum deducta talis qualitas aureæ monetæ, & petendo *centum*, numerus aureorum; & cum promiserit eos *post annum restituere*, promisisse præsumitur *eos* in simili qualitate, & eodem numero reddere: quod ostendit dictio illa *eos*, quæ per Barbos. *de diction. dic. 103. num. 3.* est relativa, demonstrans, & repetens qualitates præcedentes, consequenter cum suo augumento.

Aliter discurrendum foret, si Sempronius petiisset ab Antonio trecentum scutà, cui ea Antonius dedisset in centum Ludoviceis, nam tunc crescente extrinseco Ludoviceorum valore, sat esset, quòd Sempronius redderet summam acceptam, quam petiit, quamvis in alia pecunia, vel in minori Ludoviceorum numero, sufficiente tamen ad integram compensationem trecentorum aureorum.

Alii verò negant, ex quo valor monetæ de jure crescat, & decrescat Domino, sed Sempronius est Dominus Ludoviceorum, quos mutuò recepit, ergo augumentum valoris Ludoviceorum ipsius esse debet. Tum quia, usura est aliquid supra sortem recipere, juxta DD. communiter, sed in casu Antonius reciperet viginti aureos supra sortem, nam ipse dedisset trecentum scuta in centum

Ludoviceis, & ipse in aliis centum cum augmento reciperet trecentum viginti; hujus sententiæ est Layman. *lib. 3. de just. tract. 3. par. 1. cap. 5. num. 15. Gibalin. lib. 1. de usur. cap. 3. art. 4. consect. 8.* aliique, quam sententiam in praxi amplector.

Nec relevans videtur aliorum ponderatio: nam similis modus loquendi: *pro centum Ludoviceos, post annum eos restituturus:* est isti æquivalens: *pro summam trecentorum scutorum, & hunc numerum post annum restituere spondeo*; quem numerum certè Antonius exegisset, si valor Ludoviceorum fuisset diminutus ad 28. Julios, nec foret contentus recipere centum Ludoviceos; quod concludit contractum mutui fuisse dare trecentum, & trecentum recipere. Utraque sententia habet classicos Authores, quorum primi loquuntur ex suppositione, quod inter Sempronium, & Antonium præcessisset pactum de solutione facienda in eadem specie, & moneta, & pari numero; sive crescat, sive decrescat in extrinseco valore per decretum Principis; alii verò, supposito, quod sic non convenerint.

7. Sed quid, *si interea Ludovicei, vel moneta, in qua convenissent, ut esset solutio facienda, omnino reprobaretur?*

Resp. Mutuatarius (qui est Dominus, & cui propterea perirent) deberet solvere totam summam acceptam in alia æquivalenti, & proba moneta, arg. optimum *ex cap. olim de censib.* injuncta Gloss. *in ver. vel æstimationem*, aliàs contractus non foret justus, sed injustus, & cum læsione creditoris, vide *alleg.* Layman. *num.* 14. & Gibal. *consect. 3. num.* 73.

8. Quæritur, *an sit iniquum pactum, quo Mutuatarius obligatur solvere in meliori, aut pariori pecunia, quam acceperit: v. g. accipit mutuò centum in ære, & exiguntur in auro, vel argento?*

Resp. Affirmativè, quia mutuatarius in communi existimatione obligatur ad aliquid, ad quod ex vi mutui non tenetur.

9. Quæritur, *Petrus justo pretio, mille nimirum, vendit Francisco prædium, à quo statim recipit quingenta, recepturus reliqua post biennium, quærit à Confessario instrui, an interim possit recipere fructus alterius partis prædii, cujus solutionem expectat, & de tali pensione suscipienda convenire cum emptore, eique prædium locare, & ab ipso pensionem annuam percipere?*

Resp. Negativè; ratio est, quia fructus illi non perciperentur, nisi propter dilationem solutionis, quæ est aperta usura: aliàs quisquis creditò vendit, posset aliquid supra justum pretium accipere propter dilatam solutionem, sive capere usuras non soluti pretii. Tum quia, fructus sunt ejus, qui Dominus rei est, emptoris nimirum, cum res Domino suo fructificet, ergo illos non debet dare venditori, qui pro fructibus non potest prædium locare emptori, cum nullus possit, nisi rem suam in locationem concedere; prædium autem non est amplius Petri, quia ipsum justo pretio vendidit. Gibal. *lib. 2. cap. 5. art. 5. & lib 3. cap. 8. art. 9. consect. 1.*

10. Sed nonne cum Duhamel ubi supra

*pra num. 6. dici potest prædium esse Franciſci ſolùm quoad dominium proprietatis, & directum, non verò, quoad dominium utile, quod reſervavit ſibi Petrus, ut poſſet percipere fructus uſque ad tempus integræ ſolutionis?*

Reſp. Negativè; quia, prout ponderavit Gibal. *cit. art. 5.* in ſimili contractu reſervationis juris colligendi fructus, non ſervatur æqualitas, nam, ſi intermedio eo tempore res periret, emptori periret, non venditori, ergo totum incommodum eſſet emptoris, non venditoris, cui poſt biennium eſſent alia quingenta ſolvenda. Tum quia, penſio illa, venditori ſolvenda, eſſet conjuncta cum mutuo: nam pecunia ad tempus, palliato mutuo, emptori concederetur, ergo, ſi pro ipſius uſu, venditor quidquam accipit, uſuram committit, ſicut ex *cap. conquæſtus de uſur.* fructus capere ex pignore, & non computare in ſortem, uſura eſt, ſed Venditor, poſtquam alienavit fundum, ſi ex eo capit fructus, eos percipit, tamquam ex pignore, ergo cum crimine uſuræ.

11. Quæritur, *an Pharmacopola poſſit ſuam Tabernam, & omnia illius medicamenta, & vaſa locare cum pacto, ut conductor, pro quolibet centenario pretii æſtimati, ſolvat decem annua, & in fine locationis reſtituat eadem, Vaſa, & medicamenta ad taxam ejuſdem pretii æſtimati?*

Reſp. Negativè; quia contractus illicitus eſt, & uſurarius; nam penſio decem pro ſingulis centenariis eſt exorbitans, & graviſſima. Tum quia, cùm medicamenta ipſo uſu conſumantur, non poſſunt locari; nec Conductor illis uti poteſt cum ipſorum deſtructione, perſeverante eorum dominio apud Locatorem, ergo mutuò dantur, & quidquid exigitur, eſt lucrum uſurarium.

12. Si dicas, medicamenta illa eſſe permutata cum aliis æquè bonis, ejuſdemque pretii, reddendis à Conductore Tabernæ poſt decennium.

Ex hoc etiam, non vitas uſuram; nam, ſi ſunt permutata, jam ſunt facta Conductoris, ergo non potes ſine uſura, lucrum capere ex illis, quia præter ſortem, ſuo tempore reddendam, exigeres lucrum intermedii temporis de re, quæ tua non eſt; alioquin liceret locare horreum plenum trecentis frumenti menſuris cum pacto, quod, finito triennio locationis, totidem frumenti menſuras, ejuſdemque valoris reſtituerentur: & pro locatione, tum horrei, tum frumenti, quolibet anno durantis locationis, certam penſionem conductor ſolveret: hujuſmodi autem penſionem lucrum uſurarium eſſe nullus negabit.

Nota, quòd, ſi pro uſu ſolius horrei penſio impoſita eſſet proportionata, contractus foret licitus; quemadmodum, ſi illa decem annua darentur non pro uſu, & locatione medicamentorum, ſed pro uſu, & locatione Tabernæ, & inſtrumentorum, & ſervaretur æqualitas, contractus licitus eſſet, ſicut ſunt cæteri locationis, in quibus æqualitas penſionis, & rei, domus v. g. locatæ, ſervatur Gibal. *lib. 3. cap. 8. act. 8. conſect. 6.*

13. Quæritur, *Pœnitens Confeſſario hæc exponit; dedi Cajo bis mille aureos cum pacto, ut donec ego vixero, mihi annuatim ſolvat centum, & poſt meam*

*mortem, sortem principalem ipse lucretur, peto, an licitè contraxerim?*

Resp. Hujusmodi contractus nominatur apud DD. vitalitius, seu ad vitam emptoris census, quem licitum ex usu, & consuetudine probant; quod tamen falsum est, nisi tres conditiones serventur.

I. Ut Census super re certa, & fructifera, domo, agro &c. & non super industria personæ imponatur, juxta Constit. B. Pii V. *cap. super num.* 2 quæ conditio non debet gravis videri. Censualistæ, sed utilis; siquidem, ubi constitueret sibi censum vitalitium super sola industria, seu persona censuarii, eo per mortem sublato, amitteret, & annuam pensionem, & pecuniam, qua censum emit: vel saltem difficile foret eam recuperare ex generali hypotheca bonorum, quæ, utplurimum, non sufficiunt ad aliis creditoribus satisfaciendum.

II. Ut justum sit pretium; judicium justi pretii census vitalitii esse debet vel Patriæ consuetudo, vel arbitrium boni viri, consideratis ætate, sanitate, robore, aliisve qualitatibus censualistæ. Vide Clericatum *ad dec. quæst. mense Septembr. 3. quæstio casu* 2.

III Ut pecunia, qua Censualista censum emit, ita sit Censuarii vendentis, ut nunquam ab eo invito repeti possit: nam, si præfata pecunia esset aliquando restituenda, vel posset repeti, non census liciti, sed mutui naturam contractus haberet, ut optimè DD.

Quibus notatis: interrogetur pœnitens, an prætactas conditiones servaverit, nimirum; an pro censu fuerit res fructifera assignata, & Cajus ipse talis sit ætatis, & temperamenti, ut arbitrio boni viri possit justè ab eo exigere annuatim centum pro quolibet centenario, & an se obligaverit ad nunquam repetendum mille exbursata: & quatenus affirmet, resolvat licitè, & sine luero usurario contractum vitalitium celebrasse.

Quia verò in hujusmodi censibus vitalitiis datur occasio venditori optandi mortem emptoris census, debent Confessarii hujusmodi census suis pœnitentibus dissuadere; quamvis hæc venditoris malitia non immutet naturam contractus, dum est cum prætactis conditionibus celebratus. Duhamel *cit. cap 9.*

14. Quæritur, *petit pœnitens a Confessario, an licitus sit contractus vulgò dictus*, dare à godere, *quem celebrasse dicit cum Antonio: ei ego, ait, dedi mille, & ipse mihi agrum æquivalentem, ut ego agro, ipse verò pecunia frueretur usque ad restitutionem pecuniæ?*

Resp. Affirmativè, si contractus fiat in rebus utrinque fructiferis, & justitia, ac æqualitas servetur; de qua dubitandum non est, si pœnitenti Antonius daret fruendam Domum locabilem, ille verò Antonio agrum, nam fructus compensarentur fructibus; propterea, quem pœnitens celebravit, injustus est, quia pecunia, quam ipse Antonio dedit ex se sterilis, & infructifera est, ager autem fructiferus, & hinc pœnitens gaudens agro, fruitur etiam fructibus, quibus non gaudet Antonius habens solam pecuniam: ideòque nulla æqualitas est in contractu, immò usura; quia ibi est usura, ubi est mutuum cum lucro, sed in

in casu habetur mutuum cum lucro: nam pœnitens dat mutuò Antonio mille cum lucro percipiendo ex fructibus agri. Tambur. *in Decal. lib. 8. tract 4. cap. 7. §. 6. num. 8.*

15. Quæritur, *emit Franciscus nonaginta quinque aureis creditum centum aureorum, quod Petrus habet adversùs Antonium, quos ipse Petrus, nonnisi difficillimè, potest exigere, petitur, an contractus sit usurarius. Quod est idem ac quærere, an chyrographa debitorum possint licitè emi pro minori pretio, adeòut, si pro debito debeantur mihi, possit quis numerare Creditori octingenta, cedenti pro octingentis alteri suum creditum, & omnem suam actionem adversùs debitorem?*

Resp. Resolutio est ponderanda; nam Caramuel ex Chyrographis debitorum, emptis minori pretio, desumpsit argumentum ad inferendum eum, qui mutuat nonaginta quinque aureos, posse obligare mutuatarium, ut post annum solvat centum; nam, si Chyrographum centum aureorum, solvendorum post annum, emitur nonaginta quinque, ut post annum recipiantur centum; cur etiam non erit dicendum pecuniam præsentem pluris æstimari, quàm futuram?

Ideò videndum, an difficultas in Petro exigendi debitum ab Antonio consistat in solo tempore, nec ad exigendum sit opus alio, quàm expectare tempus; & tunc quidem usura est; nam Franciscus supra sortem ex sola dilatione temporis exigit quinque, & veluti mutuat vendenti sibi anticipatam solutionem pro quinque, post annum recipiendis supra nonaginta quinque. Nec servatur æqualitas inter emptorem, & venditorem, quoniam, si sola dilatio temporis sufficiens esset ad ponendam æqualitatem, mutuans centum recipienda post annum posset plus exigere: & mercator vendens merces creditò justo pretio summo, posset ultra justum pretium ex solo titulo dilatæ solutionis aliquid plus accipere; quod omnes reprobant, & nos constanter asserimus esse iniquum? aliàs omnes usuræ justificari possent.

Quare teste Engel. *colleg. jur. Canon. lib. 5. tit. 19. §. 2. num. 12.* Joan. De la Cruz *direct. conf. 7. præcept. quæst. 5. ver. usura dub. 6.* & Cardenas *cit. cap. 7* cum quibus conveniunt DD. possunt sine injustitia, minori pretio, emi credita, cum illa sine expensis, molestiis, & periculis à debitore acquiri non possint, quia tunc illa credita ob adducta pericula, & sumptus minoris æstimantur; & addendum crederem necessarium esse, quod venditor roget emptorem, & huic essent significanda à venditore illa pericula, & expensa facienda.

16. Dices communiter asseritur, minus esse habere actionem ad rem, quàm in re, sed creditor habet solam actionem ad pecuniam debitam, ergo pro minori potest eam vendere.

Resp. Ex de la Cruz, illud axioma intelligitur de actione, seu jure ad rem, quando adest periculum recuperandi illam, aut cum expensis, & labore recuperabitur, non verò cum ista non concurrant; sed tunc in contractu reperitur implicitum mutuum cum lucro; sicut, quando

do venditur merces minori pretio ob anticipatam solutionem, censetur ab emptore mutuari venditori illud pretium anticipatum, ut accipiat illud plus rei, quod valebit tempore traditionis, vide *lib. 1. cap. cit. n. 11.*

17. Sed quæritur, *an possit ipse debitor creditum minoris emere, quàm valeat?*

Resp. Negativè, si debitor ipse sit causa, cur debitum sit difficilis solutionis: ut in praxi contingit cum Potentioribus, qui adeò defatigant creditores suos, ut eos obligent acceptare debitum in minori summa, vel in deteriori qualitate: qui sanè sine injustitia, & summa iniquitate & onere restitutionis, nec possunt minoris creditum emere, nec modo enunciato operari, Engel. cit.

18. Quæritur, *recipit Sempronius mutuò centum à Lælio ea lege, ut eos restituat initio mensis Aprilis; distulit Sempronius restitutionem usque ad Majum, Lælius petit aureos decem supra centum titulo lucri cessantis, quod propterea passus est, cùm non potuerit, juxta solitum, aleis ludere, nec in ludo ad minus decem lucrari; petitur, an licitè Lælius petat?*

Resp. Negativè, ratio est, quia ad exigendum in mutuo aliquid ultra sortem ratione lucri cessantis, requiritur, ut istud sit probabile, & moraliter certum, & non tantum possibile, ut eveniat. Alioquin in quovis mutuo semper aliquid supra sortem accipi licitè posset; sed lucrum, quod Lælius sibi promittit ex ludo, esto possibile sit, non est tamen probabile, aut moraliter certum: quia nulla major incertitudo, quàm in ludis lucrari, & aliquid acquirere; ergo Lælius non licitè petit, vide dicta *lib. 1. cap. 31. num. 4.* ubi notavimus cum communi DD. inter conditiones à Theol. & Canonistis requisitas, ut liceat aliquid in mutuo exigere ultra sortem à mutuatario pro lucro cessante, unam esse, quòd ab initio mutuatarius fuerit de hoc monitus, & tale onus deductum fuerit in pactum.

19. Quæritur, *Franciscus ad triennium locat Antonio gregem centum ovium, aut aliorum animalium, ea lege, ut singulis annis pro fructu locati gregis, ipsi Antonius solvat viginti aureos, cum onere, quod idem Antonius teneatur integrum gregem conservare, & subrogare alias oves in defectum morientium, ac, finita locatione, numerum locatum reddere, petitur, an Contractus sit injustus, & Usurarius?*

Resp. Affirmativè; injustus sanè, quia in contractu locationis, & conductionis (uti est præsens) reslocata est Locatarii, cui perit, si sine culpa Conductoris pereat, ut tradunt communiter DD ergo, cum præfatus sit contractus locationis, & conductionis, necesse est, oves, quæ sine culpa Antonii pereunt, ipsi Francisco perire; ergo iniquè exigit, quòd aliæ subrogentur in defectum morientium. Tum quia, supponatur, quòd decem oves pereant: tunc certè nequit Franciscus justè exigere integram pensionem (ac, si non periissent) etiam si aliæ ab Antonio in ipsarum locum subrogentur: quia subrogatæ non sunt Franciſci, nam eas non locavit; & pensionem accipere justè non

potest,

potest nisi pro illis ovibus, quas ipsi Antonio locavit.

Propterea, Contractus Usurarius, etiam probatur, non modò, quia ultra justam pensionem (suppono enim illam constitutam inter contrahentes esse justam) exigit sui gregis renovationem, quod est aliquid pretio æstimabile; verùm etiam, quia cum Contractu locationis, videtur palliatus alter mutui, nam cum velit Antonium teneri ad subrogandas morientibus oves alias, præsumitur velle ipsas ipsi Antonio perire, consequenter eas esse Antonii; & ita non posset pensionem ex ovibus accipere, quia nullus ex re non sua potest pensionem justè exigere; vel saltem non posset eam accipere ex ovibus de novo subrogatis, quia istæ non fuerunt à Francisco Antonio locatæ, apud Gibal. plures.

20. Quæritur, *pœnitens dedit mutuò centum Antonio, & suscepit in se, periculum sortis, hac lege, ut, si ipsa centum pereant, sibi, & non mutuatario, pereant, propter quam assecurationem exigit ab Antonio quinque pro quolibet Anno, petitur, an Contractus sit Usurarius?*

Resp. Affirmativè, ex dictis etiam *lib. 1. cap. cit. num. 10.* nam sic mutuans Usurarius judicatur, & præsumitur ab Ecclesia, *Cap. Naviganti de usur.* quod exprimunt hæc verba: *Usurarius est censendus.* Judicium in eo videtur fundari, quod ut plurimùm Creditores suscipiant in se periculum ad palliandam pravam intentionem, quam gerunt, lucrandi ex pecunia mutuata: ex his autem, quæ ut plurimùm accidunt, jura constituuntur, ut ex *L. nam ad ea ff. de legib.* Fagnan. discurrit *in 5. Decretal. ad alleg. cap. Naviganti de usur. num. 22.* quare quia opposita opinio viam ad palliatas usuras aperit, in praxi non est tuta.

21. Quæritur. *Titius accepit mutuò à Cajo mille, ex quibus lucratus est centum, cui, restituto capitali, ob gratitudinem recepti beneficii sponte dat alia triginta, quæritur, an Cajus possit ea triginta tuta conscientia recipere?*

Resp. Non est dubium usuram esse, si mutuator aliquid supra sortem exigat ex benevolentia, & gratitudine debitum, prout patet ex damnata 42. *propositi.* quia igitur in proposito casu nullum pactum, nec explicitum, neque implicitum, fuit inter mutuantem, & mutuatarium, nec Cajus à Titio tale lucrum, tanquam aliquo titulo sibi debitum, exigit, non apparet, quare non possit illud tuta conscientia recipere. Posset Titius cuicumque alteri rem suam donare, & iste tuta conscientia eam reciperet, ergo non videtur excludendus Cajus; alias mutuando deterioris conditionis foret, quàm alter, qui beneficium mutuando non fecisset, *Carden. cit. cap. 6. num. 49.* Engel. §. 1. *num. 3.* aliique, cum quibus, & juxta textum in *cap. Consuluit, de usur.* teneas usuram esse mutuare cum intentione, & spe, etiam mutuatario non significata, recipiendi aliquid supra sortem, quocunque titulo id recipiatur, qui non sit, vel damni emergentis, vel lucri cessantis in pactum deducti, ab initio contractus.

22. Quæritur, *An sit usura rem ob ante-*

*anticipatam solutionem minoris emere justo pretio, vel solvere minùs, quàm justè sit debitum?*

Resp. Affirmativè. D. Thom. 2.2. *qu.* 88. *art.* 2. *ad.* 7. Nam anticipatio solutionis pecuniæ habet rationem mutui, cujus quoddam pretium est, quod minuitur de justo pretio rei acceptæ, Atque ita in solutione rei valentis centum, dando anticipatè nonaginta, illa anticipatio solutionis reputatur mutuari pro decem, dum virtute ipsius diminuuntur decem de justo pretio rei emptæ: Ita etiam ex D. Antonino *par.* 2. *tit.* 1. *cap.* 8. §. 1. & §. 4. Ille, qui ad certum terminum dare debet, si ante terminum solvat, ut ei aliquid de debito dimittatur, usuram committere videtur, quia manifestè tempus solutionis pecuniæ vendit: unde ad restitutionem tenetur, nec excusatur propter hoc, quòd solvendo ante terminum gravatur: vel, quòd ad hoc à creditore inducitur, quia eadem ratione possent omnes alii usurarii excusari: hæc S. Doctor.

23. Quæritur; *An usura sit, rem aliquam ob dilatam solutionem carius vendere justo pretio?*

Resp. Affirmativè cap. *In Civitate de usur.* in quo concordant omnes Theologi, & Canonistæ. In casu enim habetur mutuum occultum palliatum, & præsumptum, quatenus verbis, & exteriori figura contractus vendens ostendit celebrare contractum venditionis, sed revera latet occultum, & virtuale mutuum; quod ex intentione venditoris facilè colligitur: Nam ex eo, quòd justi pretii solutionem ad terminum remittat, creditur, & præsumitur justum pretium tempore contractus ementi mutuare usque ad diem, vel terminum dilatæ solutionis, ut accipiat aliquod lucrum, hoc est, supercrescentem quantitatem ultra justum pretium. Natal. *Alex. Theol. dogmat. reg.* 15. *de simonia.* Gonzalez *in* 5. *tit.* 19. *cap.* 6. *n* 3.

24. Dicunt. Licere mercatoribus lucrari cùm se pro communi utilitate, periculis, laboribus, & expensis exponant; ut autem lucrentur decem v.g. pro centenario, augendum est pretium pro expectatione solutionis.

Resp. Licèt mercatores possint propter labores, expensas, & pericula lucrari, non tamen modo illicito, & injusto, sicut eveniret, si vendendo ad terminum, ob dilatam solutionem supra justum pretium aliquid perciperent: ita enim venderent tempus.

25. Dicunt 2. Mercatores se merces suas carius justo non vendere propter tempus, sed ad recuperandum damnum, quod ex dilata solutione incurrunt. Quoniam si præsenti pecunia solverentur, possent interim lucrari, quòd non valent, quia creditò vendunt.

Resp. Quòd si creditor inde lucrari possit, est etiam possibile quòd non lucretur, quinimmò ut perdat capitale: Adeòque quia pro tunc non stat in periculo talis damni, nec potest stare in certitudine talis lucri. Tum quia tunc reportaret lucrum de re non sua, hoc est, de mutuo dato in emptione, quod sine usura non contingit.

26. Dicunt 3. Mercatores se merces suas carius vendere creditò, quàm pecunia numerata, quia ut plurimum contingit, quòd debitores non solvant tempore

pore statuto, & ad credita sua exigenda frequenter magnæ expensæ sunt faciendæ. Quinimmò aliqui nunquam solvunt, quia recedunt, vel fallunt.

Resp. Si multi, quibus terminus concessus est, in termino non solvant, multi etiam solvunt: & tamen pretium, quod propter tempus mercibus additum est, non minuitur his, qui in termino constituto solvunt. Ideò æquè utrisque vendere terminum inæqualitas est & injustitia; justum enim non est, quòd in termino solventes, patiantur pœnam pro non solventibus, & malis debitoribus. Ab illis itaque, qui in termino non solvunt, potest venditor exigere compensationem damni, quod pateretur, dummodò revera damnum interveniat & de hoc onere ementem monuerit juxta *cap. Pervenit de Testament.* Tum quia mercatores non coguntur talibus vendere: nec illis venderent, si crederent illos non soluturos; & ratione dubii in mutuo (quod est ibi implicitum) non licet sperare lucrum. Natal. *Alex cit. reg. 15. ex D. Antonino.*

27. Quapropter, dum venditor suas merces vendit ad terminum, ultra quantitatem justi pretii propter expectationem, usuram committit, quia expectatio temporis cadit sub pretio. Secùs dicendum de eo, qui justo pretio summo vendit, quamvis, si statim numeraretur pecunia, aliquid de pretio justo summo remitteret emptori, & contentus esset vendere merces justo pretio medio, vel infimo: semper enim servaret justitiam in pretio.

28. Petitur. *An venditio cum pacto retrovendendi sit usuraria?*

Resp. Affirmativè. Si venditio cum pacto retrovendendi sit simulata; ut si venditor rem venditam redimere cogatur: vel ipsi imponatur onus non redimendi, nisi post certum tempus; aut adjiciatur pactum de re majori pretio redimenda, quàm empta sit; vel, ut res venditoris non emptoris periculo pereat. Usura tunc palliatur: siquidem fictus emptor simulato venditionis, & emptionis contractu aliquid ex mutuo virtuali intendit supra sortem accipere, cum rem sibi remanere nolit, sed redimi, ut interim fructus supra sortem accipiat: unde contractus ille est potiùs pignorationis, quàm venditionis. Natal. *Alex. reg. 12.*

29. Quæritur. *Princeps constituit ut cuilibet militi pro quolibet die dentur tres panes, quorum valor in fine mensis ascendit ad summam novem juliorum. Cajus miles in principio mensis rogat Officialem, ad quem pertinet dispensatio, ut sibi loco panis menstrui conferat pecuniam; cui Officialis tradit septem julios: mense verò completo à Furnario, qui panem dedisset, recipit novem: Petitur, an Officialis tutus sit in conscientia, & sine usura illos duos julios recipiat?*

Resp. Nonnulli affirmant & inferunt ex periculo, cui officialis exponit suam pecuniam: Nam, si miles ex albo deleatur, officialis illam perdet: metus autem periculi perdendi capitale est pretio æstimabilis, cum anxietatem, & molestias generet. Videtur enim receptum propter periculum perdendi sortem posse in mutuo aliquid auctarium supra illam exigi; maximè, quia non potest cautione, vel pignore periculo providere.

Sed vera resolutio est, officialem sine usura non posse illos duos julios recipere: nam revera hic intervenit ad minùs mutuum virtuale, præsumptum, & palliatum, cum officialis ex illa anticipata solutione lucretur duos julios supra septem. Et veluti propter dictam solutionem anticipatam vilius à milite emit panes, quàm valeant, quod non licet, ut communiter DD.

30. Nec purgatur crimen usuræ à periculo; nam potest ab eo se liberare non conferendo dictam summam, & sibi imputet, si miles non sit ad solvendum potens, non debebat ipsi credere. Unde cum miles sit dominus pecuniæ receptæ, officiali nihil restat, quàm actio repetendi dictam summam, ideò nil potest supra ipsam recipere, & miles obligatur in conscientia sortem integram reddere.

31. Est commune & certum usuram esse, aliquid ultra sortem exigere, vel accipere ob periculum facti, cui mutuans exponit rem suam dando mutuum. Nam mutuum per se ipsum gratuitum esse debet. Periculum verò facti ipsi mutuo cohæret, & est ipsi intrinsecum; siquidem res mutuò data, & in dominium debitoris transiens, variis fortunæ casibus est exposita; fierique potest, ut ipse debitor ad inopiam redactus, impotens sit ad solvendum, ideò metus periculi perdendi sortem in mutuo non est pretio æstimabilis, nec ratione periculi licet aliquid supra sortem exigere, vel recipere, aliàs quidquid propter ipsum reciperetur, acciperetur ex vi mutui, cui tale periculum insitum est, & connaturale. Natal. *Alex. Theol. moral. tom. 2. lib. 3. art. 2. reg. 3.*

32. Quinimmò, si propter periculum sortis, quod est mutuo intrinsecum, liceret aliquid pacisci, aut ultra sortem recipere, posset quis plus exigere à pauperibus, quàm divitibus, & mercatoribus; quia res mutuò data, minus secura est, & majorem cruciatum affert apud pauperes, quàm apud divites, & mercatores; Quòd nullus non dixerit. Tum quia, si pro metu periculi sortis liceret quidquam supra sortem exigere ob eam molestiam, quam causat mutuanti, ob eamdem rationem liceret aliquod pretium exigere pro metu perdendi illud lucrum supra sortem, & sic deinceps discurrendum esset de metu perdendi alia lucra: atque ita excessiva lucra ex mutuo exigerentur. Quod est absurdissimum, ut per Mayol. *Summa morali p. 2, sept. præcep. q. 6. art. 3. concl. 3.*

Unde, quia miles in quemcumque statum deveniat, aut quocumque casu res pereat, manet semper obligatus ad solvendam sortem integram officiali, est manifestum id, quod ultra sortem hic exigit, ac percipit, exigi, ac percipi ratione mutui, adeòque cum usura; ut consultus respondi.

Et inde patet ad rationem ex adverso adductam; quæ similibus casibus aptari possunt.

33. At, *quid dicendum de eo, qui mutuat alteri, sed aliquid supra sortem recipit, eo quod in se susceperit periculum sortis* (quod dicitur periculum juris) *adeòque quocumque casu capitale pereat, sibi pereat, & mutuatarius liber sit ab onere ipsum restituendi?*

Resp.

Resp. Usurarius censendus est ex c. *Naviganti de usur.* ibi: *Naviganti, vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem, pro eo quod suscipit in se periculum, recepturus aliquid ultra sortem, usurarius est censendus.* Gonzalez *in 5. tit. 19. cap. 19.* Fagnan. *ibid. ad allegat. cap. de usura.* Hujusmodi enim pacta aptissima sunt ad palliandas usuras. Nam, cum mutuans paciscitur, ut sortis periculum ad se pertineat, & propterea aliquid supra sortem lucretur; præsumitur lucrum ab eo recipi propter mutuum, & susceptionem periculi adhibitam esse ad palliandam usuram. Ad quam quidem palliationem removendam sub colore periculi suscepti emanavit d. Decretalis. Ideò ab eis abstinendum est; & hoc injungendum pœnitentibus, iisque, qui pro consilio accedunt. Interim videatur Fagnan. *ibid.*

34. Quæritur. *Titius mercator artis sericæ eget ministris in officina, quibus deberet quolibet mense pro servitio solvere quinque aureos, loco quorum confert telas texendas, cum promissione eas continuandi, ut ita lucrari valeant:* petitur, *an à mercatore committatur usura?*

Resp. Affirmativè. Nam censetur ministris mutuare provisionem, & continuationem telarum, ut inde recipiat lucrum aureorum, quos deberet eis conferre in stipendium servitii, quod intendit, sibi gratis præstari, ipsumque solvit mercede textricibus debita. Quoniam certum est pro textura telarum debere mercatores textoribus, aut textricibus ex justitia pro singulis ulnis solvere in mercedem laboris V. G. septem obolos, aut bajoccos. In casu Titius hæc non solvit, atque ita gratis servitium exigit: vel non solvit, nisi in mercede debita labori texentium. Quapropter non de suo solvit, sed de re alteri debita, adeòque cum manifesta injustitia; à qua Titius non excusatur, ex quo ministri acquiescant quia non sponte consentiunt, sed coactè, ut necessaria ad vitam sibi acquirant.

Ita corripienda est nonnullorum mercatorum praxis, qui mulieribus tradentes lanas ad filo torquendas, & vestes, ut eas reapient, ac ad usum reddant, eis, etiam invitis, solvunt mercedem laboris, non in pecunia, sed in mercibus, ut plurimùm deterioribus, quibus ipsæ vel non egent, aut quas minori pretio alibi reperirent. Nec sunt absolvendi, nisi à corruptela cessent: saccaro virus injusti lucri, & palliatæ usuræ condientes.

35. Quæritur. *Titius tradit Cajo mercatori mille nummos aureos in societatem, spe lucrandi centum triginta. Ex hac summa lucri sperati Titius remittit Cajo sexaginta nummos, ut Cajus in se suscipiat periculum sortis principalis mille aureorum, adeòut quisquis fuerit negotiationis exitus, debeat Titio d. summam mille aureorum reddere.* Rursus *Titius eidem Cajo remittit alios viginti nummos, ut sine ullo prorsus periculo damni ex fortuitis casibus interdum contingentibus quinquaginta nummos residuos lucretur:* petitur, *an contractus licitus sit, & ab usura immunis?*

Hujusmodi contractus dicitur contractus trium contractuum. Primus dicitur contractus Societatis, in quo unus

pecuniam, alter vel tantam pecuniam, aut operam, & induſtriam confert? ita ut ambo lucrum, & damnum participent. Secundus dicitur aſſecurationis ſortis, ſivè capitalis, quo unus ſocius cum conſocio paciſcitur de ſecuritate capitalis, ne pereat. & pro tali ſecuritate dat conſocio aliquod pretium, vel tantumdem de lucro ſperato remittit. Tertius dicitur venditionis lucri incerti majoris ex negotiatione ſperati pro lucro certo minori. Atque ita ſocius, qui pecuniam confert, ac de ſecuritate ſui capitalis pactus eſt, cum conſocio turſus paciſcitur de certo lucro minori pro incerto majori ſperato: propter quod ex quindecim, quos pro quolibet centenario poſſet pro ſua parte probabiliter lucrari, remittit conſocio decem, ut iſte ſuſcipiat in ſe onus reddendi ſocio lucrum quinque aureorum pro quolibet centenario in omni eventu; hoc eſt, ſivè ex negotiatione lucrum reportetur, ſivè non.

Nonnulli apud Gibalin, *lib. 6. art. 1. cap. 3. de uſu fori Lugdunen.* tradunt hujuſmodi contractum eſſe licitum, & abſque labe uſuræ celebrari: nam tres enunciati contractus diviſim non ſunt prohibiti, & uſurarii, ut DD. communiter. Ergo etiam, dum ſimul celebrantur; cum non ſint niſi contractus ſocietatis, aſſecurationis, & venditionis, in quibus nihil eſt, quod meritò reprehendi poſſit.

Contra quos eſt communior opinio DD. tum veterum, tum Recentiorum. Natal. *Alex. theol. moral. tom. 2. tom. de peccat. cap. 7. art. 4. regul 24. de uſur;* Duhamel. *theol. moral. tom. 4. tract. de juſt. & jur. diſſert. 3. cap. 9.* Mayol. *cit. art. 11. §. 3.* aliique plures apud Gibal. ubi *ſupr.* Secundum quam in praxi eſt judicandum. Nam in eo contractu quid aliud facit Titius quàm mutuò dare mille, & octoginta, ut quinquaginta ſupra ſortem recipiat, & lucretur: Quare hujuſmodi contractus ex conjunctione in eum finem tendunt, ut ex mutuo ultra ſortem lucrum reportetur, unuſque ſocius habeat caput ſanum, & alter fractum, ut loquitur S. Joan. de Capiſtrano *de uſur. 2. pe. 2. partis num. 89.* allegatus à Gibalino *cit art. 1. num. 1.* Conſequenter inter Titium, & Cajum non ſervatur eſſentia ſocietatis: non enim concurrit æqualitas damni, & lucri. Tum quia, per contractum aſſecurationis capitalis, & lucri minoris certi deſtruitur ſocietas, & in mutuum transformatur. Siquidem Titius nihil ampliùs de ſuo habet in ſocietate, per quod communicet cum Cajo: Cum hoc ipſo, quòd periculum pecuniæ in ſocium tranſtulerit, etiam illius dominium tranſtuliſſe præſumatur: aliàs non Cajo, ſed ſibi pecunia perire deberet; quia res Domino perit.

Quare ratio in oppoſitum producta non concludit. Quia dicti contractus ut juncti ſunt iniqui. Manu rem alienam palpare, eam manu claudere, & fugam capere ſunt actus, qui ſeparati non ſunt prohibiti; ſed conjuncti, hoc eſt, cum re aliena fugere, furtum continent.

36. Quæritur, *An ſit uſurarium pactum legis Commiſſoriæ, ſi in hoc conſiſtens, ut creditor pignus accipiat pro mutuo ea conditione, ut, ſi debitor præfinito tempore non ſolvat, pignus illud*

*illud vendatur, vel retineatur à creditore pro quantitate sibi debita?*

Resp. Affirmativè. Textus expressus *in cap. Significante de pignorib.* Nam ultra sortem aliquid exigere, vel accipere, aut obstringere debitorem, ut aliquid emat, vendat, vel locet, etiam justo pretio, usurarium est; cùm ei imponatur obligatio pretio æstimabilis, ad quam non tenetur. Nec obstat, quòd debitor ea de re convenerit. Quoniam non liberè, sed coactus inopia pecuniæ id agere censetur, sperans, se pignus intra tempus præfinitum posse redimere: Qua inopia fit, ut ad diem statutam pecuniam receptam solvere non possit, & quòd creditor rem pretiosam pignori datam lucretur. Natal. Alex. *cit. reg.* 8. Gonzalez *in 9. tit.* 21. *cap.* 7. *de pignorib.*

37. Nec sola mora debitoris est legitimus titulus, ut possit Creditor pignus retinere, vel distrahere, aut quidquam supra sortem exigere. Nam quidquid supra sortem exigitur, & percipitur, etiam post moram debitoris, nullo interveniente damno, vel lucro cessante, cum usura percipitur. Quinimmò, etiamsi lucrum creditori cessaret, vel damnum sequeretur, non posset juste supra sortem quidquam exigere, nisi debitor propria culpa in mora solvendi esset constitutus.

38. Quare, concurrente lucro cessante, vel damno emergente, potest mutuans aliquid supra sortem exigere, ut communiter DD. Nam tunc lucrum non provenit ex vi mutui, nec est fructus pecuniæ mutuatæ, sed ex alio titulo; ad compensandum nimirum pro damno emergente, vel lucro cessante.

39. Cæterùm, ut titulo damni emergentis aliquid justè suprà sortem exigi possit, plura requiruntur.

I. Ut damnum acceptum sit reale, & certum, non dubium, & fictitium.

II. Ut damnum procedat ex mutuo. Nulla enim ratio habenda est de damno aliundè proveniente, quàm ex occasione mutui: Sicut enim creditor non tenetur debitori cum proprio damno beneficium præstare, ita debitor non cogitur ad aliud damnum compensandum, præter illud, quod creditor accipit ratione mutuatæ pecuniæ.

III. Ut damnum proponatur debitori, & in stipulationem deducatur, cum mutuum accipitur à creditore, ne invitus cogatur illud onus subire.

IV. Ut damnum sit æquale compensationi, quæ exigitur à debitore; qui cogi non debet, ut paciscatur de compensatione damni incerti, & possibilis.

V. Ut pactio de compensando futuro damno respiciat casum, in quo debitor sua culpa fuerit in mora restituendi pecuniam mutuatam. Nisi versaremur in casu damni certò imminentis, & præsentis, & nihilominus debitor instaret pro mutuatione pecuniæ suscipiendo onus compensandi damnum.

VI. Ut compensatio damni non ante exigatur, ac à debitore percipiatur, quàm damnum acceptum sit. Alioquin creditor commodum ex mutuo percipere, & plus exigeret, quàm deberet. Natal. Alex. *cit. art.* 2.

40. Pariter, ut titulo lucri cessantis quidquam supra sortem possit justè accipi, debent nonnulla concurrere, quæ titulum justificent.

I. Ut mutuatarius à mutuante de lucro cessante moneatur; aliàs non posset ei innotescere, an contractum celebrasset cum conditione adeò onerosa.

II. Ut mutuatarius relinquatur in sua potestate ad talem contractum celebrandum.

III. Ut lucrum illud verisimiliter perceptum fuisset à mutuante, nisi mutuum dedisset, & ut occasione mutui, & non ex aliis causis extrinsecis eo privetur.

IV. Ut pactum de compensando lucro cessante referatur ad casum, in quo mutuatarius fuit sua culpa in mora reddendi sortem. Omne enim pactum citrà moram debitori culpabilem, mutuo adjectum, ut sorti aliquod augmentum fiat, usurarium esse censetur.

V. Ut propter lucrum cessans nihil percipiatur ante tempus, quo creditor ex negotiatione, arte, aut re frugifera, ad cujus emptionem pecunia mutuo data destinata erat, percepisset. Ita mutuans, qui convenit cum mutuatario de pretio lucri cessantis, non potest à principio recipere, quod recepturus est, v. g. anno exacto; aliàs si mutuaret centum pro decem ad compensandum in fine anni lucrum cessans, & statim illa decem acciperet, non centum, sed solùm nonaginta conferret; atque ita non ex centum, sed ex nonaginta dumtaxat lucrum cessaret.

VI. Ut res mutuò data, aut negotiationi sit exposita, aut proximè vera, & efficaci præparatione animi sit destinata ad negotiationem, vel emptionem rei frugiferæ; à quo non ad mutuantis arbitrium avertatur, sed ad preces mutuatarii, qui dictam summam mutuò petit. Atque ita non sufficit, ut pecunia potuerit negotiationi exponi, aut ad emendam rem frugiferam referri: Siquidem illa potentia est remota, cujus nulla ratio habetur, ut lucrum propter mutuum cessare censeatur.

VII. Ut mutuans nullam aliam pecuniam otiosam habeat, quæ in locum ejus, quæ mutuò data est, possit ad negotiationem, & emptionem opportunam ex sincera voluntate faciendam substitui. Verùm non reputatur habere pecuniam otiosam; tametsi habeat asservatam ad alimenta, & provisionem familiæ, ad dotem filiarum, ad casus fortuitos, ut sunt morbi, incendia, lites emergentes, & similes.

VIII. Ut priusquam à mutuatario exigatur, & percipiatur compensatio lucri cessantis, deduci debeant pericula, & impensæ, quas debuisset creditor in acquisitione lucri præstare.

IX. Ut mutuans ad mutuum dandum ex charitate, & non ex spe, desiderio, aut cupiditate lucri percipiendi moveatur. Hinc advertat Confessarius, quòd si aliqua dictarum conditionum deficiat, mutuans occasionem mutuandi quærit, ut ex eo lucrum faciat, & alterius damno locupletetur.

41. Quæritur, *an usurarius sit contractus Antichresis dictus, quo creditor pro assecuratione capitalis mutuò dati recipit à debitore pignus frugiferum, & fructus interim percipit, non computans eos in sortem principalem?*

Resp. Affirmativè; nam supra sortem aliquid recipitur. Fructus enim pignoris

ris computari debent in sortem principalem, ut expresse tex. in *cap. Cùm contra de pignoribus.* Quare, cùm mutuans non sit dominus pignoris, sed ejus dominium pertineat ad debitorem, pignus pro debitore fructificat; cui vel restituendi sunt fructus, quorum dominium ad eum spectat, vel si creditor eos accipit, cadunt in solutionem debiti, & ipso jure sortem principalem minuunt. Creditor enim accipit pignus non ad lucrum, sed ad securitatem debiti. Teneturque ad fidelem illius custodiam, & sumptus necessarios facere, ut illæsum servet. Debitor verò obligatur ad resarciendas expensas necessarias, & utiles factas à creditore circa rem oppignoratam.

Expensæ necessariæ dicuntur, quibus non factis res oppignorata periisset, vel deterior evasisset: ut est ædificia ruentia reparare; oliveta restaurare; arbores curare: flumina avertere, &c. Utiles verò sunt, quæ meliorem rem faciunt, & ex quibus redditus Domino acquiritur. Non tenetur tamen ad voluptuarias, quæ sunt ad ornatum, sed fructus non augent. Natal. Alex. *cit. regul.* 9. Gonzalez *in* 3. *tit.* 21. *cap.* 6.

Attendant Confessarii verba Cabasut. prax. *lib* 6. *cap* 7. *nn.* 8. ubi ad praxim plura habet, eaque dirigit ad ipsorum instructionem, dicens. Si creditori, nullatenus petenti, aliquid à mutuatario detur gratuitò, poterit sine fœnore, vel peccato recipi. Verùm non est facilè præsumendum omne oblatum esse gratuitum. Munera enim quandoque à debitoribus afferuntur metu severioris exactionis, cui se impares agnoscunt ob paupertatis angustias: si munera ista sunt pretiosa, aut pecuniaria, præsumendum est non esse spontanea: item, si debitor inopia laboret, debet creditor oblata omninò recusare, ne occasione alienæ paupertatis locupletetur; si verò levia sint munuscula, nec pecuniaria, nec difficilè parabilia, censeri poterunt ex spontanea animi gratitudine proficisci, atque ita licebit recipere; hæc ille.

Ex quibus videtur deduci, quòd mutuans pecuniam etiam absque ulla lucri spe, & intentione, dum recipit à mutuatario, dante ex sua spontanea liberalitate aliquid supra sortem, debet censere dari non spontè, si adhuc sortem non restituerit; vel, sit talis conditionis, ut sæpè sæpius egeat pecuniis ad negociandum: vel, debet colligere, quod det, ne sors repetatur: vel, ut aliàs mutuò faciliter pecuniam recipiat; aliàs non recepturus. Maximè, quia receptum mutui beneficium non obligat ad certum, & determinatum gratitudinis actum in specie, sed ad aliquam gratitudinem in genere, ut dixit Engel. Sed potest se gratum ostendere exhibendo aliud gratitudinis signum, vel verbis, vel factis, vel obsequio: Quæ tamen ipse mutuans nec exigere potest. Quæ doctrina apta videtur ad plures difficultates enodandas; & ideò à Confessario notanda.

22. Quæritur, *Super quo interrogandus pœnitens aperiens in Confessione se ex mutuata pecunia recepisse aliquid supra sortem præter damnum emergens, vel lucrum cessans?*

Resp. Debet petere, an ipse ultro, & non

non rogatus dederit mutuò pecuniam, quamvis prævidisset sibi ex eo aliquid lucrum debere cessare; & dum affirmat, ad restitutionem obliget, quia sibi, & non mutuatario imputare debet cessantia lucri. Si verò rogatus dederit, quærat: an prius, quàm mutuum daret, habuerit voluntatem veram, & efficacem impendendi eam pecuniam aliis licitis, & lucratoriis negociis, ex quibus probabiliter, detractis expensis, speraſſet tale, vel tale lucrum reportare, & id mutuatario aperuerit: ac se non posse dare mutuò, ne tale lucrum amittat; vel ne damnum patiatur; & tunc, si adhuc mutuatarius voluerit pecuniam mutuò recipere cum onere tale compensandi lucrum, poterit receptum, ad justam ratam lucri cessantis, vel damni emergentis, retinere.

Hinc eos pœnitentes redarguat, qui excusationes quærunt in peccatis, quorum aliqui fundant interesse ex mutuo, licitè recipiendum in hoc, quod possent mutuatam pecuniam exponere legitimo lucro: cùm tamen nullum ad id habeant, aut habuerint efficax propositum; & alii protestantur, se non permissuros, ut sua pecunia arcis inclusa otiosa maneat: cùm tamen, aut solùm intendant ex mutuò lucrum; vel saltem de aliis modis lucrandi, nil certò, aut efficaciter proposuerint, nisi fortè solo illo casu, quo fidi mutuatarii non occurrerent, quibus tuto cum fœnore suam pecuniam crederent; propterea hujusmodi propositum præposterum est, & consequens mutuum, ideò insufficiens ad exigendum lucrum cessans.

23. Quæritur, *an juramentum solvendi mutuanti lucrum usurarium ex mutuo obliget?*

Resp. Affirmativè ex *cap. debitores de jurejurando*, ubi hæc sunt: *debitores ad solvendas usuras, quibus se obligaverant, cogi non debent, si verò de ipsarum solutione juraverint, cogendi sunt Domino reddere Sacramentum, & cùm usuræ solutæ fuerint, creditores ad eas restituendas sunt Ecclesiastica severitate, si necesse fuerit, compellendi.* Circa quæ ponderandum, quod jurans non tenetur ex justitia usuras solvere, quia contractus solvendi de se invalidus est, sed tenetur solùm ex virtute Religionis erga Deum, ne falsò juret, ipsius nomen adducendo in testimonium falsi. Unde videas, quòd juramentum de solvendis usuris non est de re illicita; quamvis mutuatarius promittendo, & jurando usuras solvere peccare possit: vel, quia nulla prorsus necessitate, vel honestate petit, & jurat: vel, quia alterum promissione usurarum ad mutuandum inducit: & in his circumstantiis juramentum etiam servandum est, quia licèt fuerit modo illicito præstitum, & jurando peccaverit, non fuit tamen de re illicita; nam solutio usuræ sine peccato impleri potest, quia potest, immò debet, mutuator eas recusare. Vide Layman. *lib. 4. tract. 3. cap. 7. num. 1.* Gibal. *lib. 1. cap. 9. art. 7. num. 7.* Engel. *cit. §. 1. num. 12.* Poncium *disp. 53. quæst. 3. num. 12. & lib. 1. cap. 31. num. 29.* Campion. *2. part. Instruct. ad Confes. capit. 28. num. 15.* & solvens, ex causa justa solvit, ut sit fidelis.

24. Quæritur, *Super quo sint interrogandi à Confessario Ministri Montis Pietatis?*

Resp.

Resp. Præsens notitia erit Confessario, in Civitatibus Confessionibus exposito, necessaria, sed.

I. Suppono, ex Concil. Lateranensi sub Leone X. quod Montes Pietatis sunt liciti, non usurarii, sed pii, religiosi, & laudabiles: instituti ad occurrendum usuris, quas frequenter pauperes, & indigentes fæneratoribus, & præcipuè Judæis, cogebantur solvere.

II. Quòd Mons Pietatis est quantitas pecuniæ à testatoribus, vel aliis Christifidelibus destinata, ut mutuetur indigentibus, ad quam, quasi ad Montem, refugium habent.

III. Leges, quibus gubernatur Mons Pietatis, ad tria reducuntur: I. Ut mutuetur pecunia Montis pauperibus: II. Ut mutuatarius pignus deponat custodiendum per Ministros Montis, & vendendum intra certum tempus, si pecunia mutuata non restituatur, ut ex pretio venditionis recuperetur pecunia mutuata, & residuum Domino pignoris reddatur. III. Ut aliquid moderatum, absque lucro eorumdem Montium, ad solas Ministrorum expensas, & alias, necessarias pro pignorum, & pecuniæ custodia, quilibet mutuatarius supra sortem conferat, prout idem Concilium *sess.* 10. quia justum est, ut à quocunque exigatur pretium pro labore, & expensis, factis in gratiam ipsius: sed expensæ, quæ fiunt in Monte, & labor, ac assistentia Ministrorum fit in gratiam pauperum, ergo justum est, ut pro iis solvant; quibus notatis,

Dico esse interrogandos, an in pignoribus recipiendis, & pecunia egenis mutuanda, fuerint tardi, morosi, asperi, vel difficiles. II. An munera extorserint, vel aliquod præmium pro recipiendis pignoribus. III. An pecunias tonsas, non justi ponderis, vel numeri, aut difficiles ad expendendum eisdem tradiderint. IV. An pignora in proprium usum converterint, aliisve ad utendum concesserint. V. An divitibus in præjudicium pauperum, ipsis indigentibus exclusis, aut neglectis, summam notabilem pecuniæ dederint. VI. An in venditione pignorum fraudes fecerint: & ea, simulato aliorum emptorum nomine, vili pretio sibi retinuerint, vel omiserint quanti plurimi vendere, aut restituere Domino pretium, excedens sortem mutuatam. VII. An in alios usus expenderint, vel minuerint Sacri Montis pecuniam, collectam, & conservatam ad mutuandum indigentibus. Contra transgressores, in locis Romano Pontifici subjectis lata est excommunicatio Summo Pontifici reservata in const. onerosa la 82. Pauli V. in Bullar. Cherub.



## CAPUT XXV.

*Prop. XLIII. & XLIV. ab Innoc. XI. &c.*
*Detractio, & peccata linguæ.*

1. PROP. 43. *Quidni, non nisi veniale sit, detrahentis authoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere?*

PROP. 44. *Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam, & honorem defendat. Et si hoc non sit probabile,*

*bile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.*

2. Authores propositionum, quicunque sint, voluerunt, nec mortaliter, nec contra justitiam peccare, eum, qui, sive intra judicium, falsum crimen falso testi, & accusatori ad defendendam suam vitam, sive extra judicium, ad tuendam suam famam injusto detractori imponit, contra quos Inn. Decretum edidit; est nam certum in nullo casu esse licitum mendacium, utpotè intrinsecè, ac indispensabiliter malum ex dictis supra *cap.* 17. quod semper mortale est, quoties quis mentitur, & falsum dicit in materia gravi, sed, qui imponit falsum crimen alicui, quamvis falso testi, & detractori, in materia gravi falsum dicit, & mentitur, ergo mortaliter peccat; major est certa, nec revocari debet in dubium, ex dictis loco cit. minor etiam patet, quia imponens falsum crimen alicui, ipsum graviter damnificat, injustum damnum inferens in bonis famæ, & contra mentem loquitur. Tum quia, quilibet habet jus ad suam famam, & est suæ famæ Dominus, ergo absque injuria non potest invitus privari, ergo, qui ipsum infamat per impositionem criminis falsi, ei in re gravi injuriam facit, ergo graviter peccat contra justitiam, adeòque mortaliter, dum proximi famam lædit, quæ maximi momenti bonum est, & excellentius fortunæ bonis; ergo, quemadmodum mortaliter peccat, qui in his aliquem graviter damnificat, sic, qui proximum infamat; quod est ita certum, ut nec, post decretum Innocentii, oppositum sit probabile; ad quod attendat Confessarius, ne inexcipiendis detractorum, & calumniantium Confessionibus erret: cui ad uberiorem instructionem, quamplura alia, ad materiam detractionis, & contumeliæ pertinentia, ac de cæteris peccatis linguæ, subnecto.

3. Supponat I. Quòd fama, est *bona opinio plurium de vita, & moribus alterius*; hanc habentes dicuntur habere bonum nomen; ex quibus habetur, infamiam in mala opinione de moribus, & vita consistere.

4. II. Quòd honor *est testificatio externa excellentiæ alterius.* Differt fama ab honore, quia illa consistit formaliter in judicio, & interna opinione de bonitate, & virtute morali alterius; honor autem in externis signis, quibus protestamur aliquem æstimare, & excellentem esse: quod fit factis, ut genuflexione, corporis inclinatione, aperitione capitis, spontaneo famulatu, &c. vel verbis, ut, alterum honorificè appellare sapientem, magnificum, nobilem, &c.

5. III. Quòd potest lædi honor, & non fama: si in occulto, nemine vidente, alapam impingis viro ingenuo, & honorato; vel nemine audiente, falsa crimina objicis, vocando furem, sputium, plebejum, honorem lædis, quæ ipsum contemnis, & non famam, cùm nullus ex eo malam opinionem de illo concipiat. Potest quis aliquem honorare, & de illo malam famam, & opinionem habere: sic plures Principes, & viri honorantur, qui apud honorantes ob crimina, & perditos mores bonum nomen non habent.

§. IV.

6. IV. Quòd contra honorem, & famam sunt duo præcipua peccata, oris, & linguæ: detractio, & contumelia: detractio lædit famam proximi, eam occultè, & in absentia denigrando, & minuendo; contumelia verò honorem in præsentia aufert: unde ex parte objecti essentialiter differre notavit Joan. De la Cruz *direct. confes. 8. præcept. quæst. 2. de detract. num. 1.* sicuti differunt honor, & fama. Contumeliam esse peccatum gravius detractione in Confessione explicandum, dixit Quilici *Confess. manud. q. 7. art. 2. nu. 25.* nam certè per contumeliam major injuria proximo injuriato infertur.

Verùm, etiam in præsentia potest fama denigrari, ut, si alicui, pluribus audientibus, occultum vitium objicias, & tunc, tam famam, quàm honorem lædis, cum onere restituendi utrumque.

7. Quæritur, *quid sit contumelia?*

Resp. Cùm contumelia significet contemptum, & dehonorationem proximi, definitur: *est injuria, qua quis lædit alterius honorem, factis, vel verbis in præsentia exhibitis, vel prolatis.* Tribus modis honor lædituri: *verbo, scripto, & facto*; contumelia fit verbo, & est contumelia strictè, dum injuriosè alteri sua peccata objicis, ex quorum notitia dehonoratur, & contemnitur; ut, si Petrum voces furem, ebrium, mendacem; vel est convicium, ut si per contemptum objicias alteri, id, quod in eo peccatum non est: ut, si voces Judæum, cœcum, gibbosum; seù improperium, ut, si alteri injuriosè exprobres beneficia, quæ tu ipsi contulisti.

Contumelia fit *scripto*, per eos, qui famosos Libellos componunt: est Libellus famosus ex Ameno de *pen. tit. 5. §. 5. num. 2. scriptura alicujus, occultam infamiam continens, publicata, ut nescientibus innotescat*; & censetur famosus, licèt in eo publicetur crimen verum, modò sit occultum; nam semper honor, & fama alterius lædituri. Authores, & Compositores Libellorum gravissimè peccant contra justitiam, quemadmodùm, qui eos inveniunt, scientes esse famosos, non lacerantes, sed manifestantes, ut observat Layman; sed non sunt de facto excommunicati in Bulla B. Pii V. *Romani*, & Greg. XIII. *ea est*, sub Anno 1572. ut incautè quidam scripserunt; quod ex Bullar. Cherub. est manifestum; qui etiam voluerunt componentes præfatos contra Ord. Prædicat. & Minor. ligari excommunicatione Papæ reservata ex Const. *ex alto* Alex. IV. cum tamen Pontifex disponat solùm, contra eos, qui non lacerabant libellum, tunc temporis contra præfatos Ordines editum.

Facto tandem fit contumelia, ut si percutias alaquem Chiroteca, vel alapa, & arundine, ut ostendas eum parum æstimare, vel aliis signis ipsum contemnere significes.

8. Quæritur, *an contumelia sit ex suo genere peccatum mortale?*

Resp. Affirmativè, quia proximum lædit in honore, qui est bonum præstantius divitiis, & ideò est gravius furto, *cit.* De la Cruz *de contumel. conc. 3.* Est ex suo genere mortale, lædens justitiam, sine qua non potest servari charitas cum proximo, cùm charitas velit proximo

bonum, calumnia verò auferat illud honoris. Materia gravis, per se sufficiens ad peccatum mortale in contumelia est exprobrare alicui crimen mortale: quia nullus est, qui per similium exprobrationem graviter non offendatur; per accidens autem, potest etiam esse defectus venialiter peccaminosus, vel solummodò naturalis; nam esse potest, ut alicui, ob suam dignitatem, & conditionem personæ, ut si sit Prælatus, Consiliator, &c. tam displiceat exprobratio defectus naturalis; ut quòd sit illegitimus: vel solùm venialiter malus, ut si affirmes eum sæpè, quamvis non in re gravi, mentiri; ac homini plebejo, militi, &c. displicet, si objiciatur defectus mortaliter peccaminosus, ut accubuisse cum meretrice, blasphemasse, &c.

Potest tamen à mortali excusari, vel per inadvertentiam, vel ex levi injuria, ut si materia, de qua loqueris, non sit gravis, nec graviter contumeliosa.

Notat Marchant. regulariter non esse mortale dicere de aliquo esse superbum, avarum, iracundum, &c. quia ordinariè hæc non accipiuntur, ut sonent peccata mortalia, sed, ut denotant naturalem inclinationem; verùm ex circumstantia, tam personæ, de qua dicuntur, quàm audientium, qui possunt ea accipere pro gravibus vitiis, possunt esse mortifera; ideò quisque cautus esse debet.

9. Quæritur, *quid sit detractio?*

Resp. *Est injusta ablatio, seù denigratio famæ alterius, absentis*; Est ex suo genere mortale, quia per eam læditur proximus in fama, quæ est pretiosior cunctis opibus; sive loquamur de detractione formali, qua defectus alterius publicantur cum intentione explicita infamandi; sive de materiali, qua quis defectus proximi manifestat, sed non cum formali, & explicita intentione nocendi, sed ex quadam loquacitate, & malo habitu; nam saltem animum virtualiter nocendi habet, cum manifestet ea, quæ ex sua natura possunt infamare; verùm in primo casu est gravius peccatum. Ex levitate materiæ, & perfecta advertentia potest esse venialis; levitas materiæ relinquitur considerandæ prudentiæ Confessarii, quam debet desumere vel à qualitate personæ, cui detrahitur: vel an, quod de eo dicitur, sit parum, vel multum nocivum: vel ex qualitate Sermonis, ut, si crimen, vel defectus sit levis. Layman. *cit. cap. 3.* Quilici *nu. 35.* Marchant *resol. pastor. cap. 8. circa 8. præcept.*

10. Quæritur, *quot modis soleat crimen detractionis committi?*

Resp. Duobus, directè, & indirectè: directè quatuor modis contingit. 1. Si falsum crimen alteri imponas. 2. Si verùm crimen falsis circumstantiis aggraves. 3. Si crimen verum, sed occultum, publices. 4. Si opus ex se bonum, mala intentione factum affirmes; quod si sine fundamento judices, etiam judicium temerarium facis, & dupliciter peccas.

Indirectè verò accidit. 1. Dum affirmas Petrum, v. g. non fecisse opus bonum, quod revera fecit. 2. Si malitiosè alterius bonum taceas, quando teneris revelare: ut, si aliis Petrum laudantibus, subjicias, *ego taceo: vel frontem contrahas, aut humeros con-*

*stric-*

*stringat.* 3. Si alterius virtutes minuas, aut frigide laudes.

11. Quæritur, *an peccet peccato mortali detractionis, qui ab inquirentibus informari de persona Petri interrogatus: an cognoscat Petrum, affirmat, sed statim subdit*, ego de eo volo tacere, *relinquamus ipsum, vel, est optimus vir, sed....: illa est honesta fœmina, sed...?*

Resp. Affirmativè; nam est detractio, & mortalis, ex Quilici *num.* 35. sic enim respondens operatur, ut audientes bonam opinionem erga Petrum, & fœminam illam deponant, vel suspicionem concipiant.

12. Quæritur, *an sit mortale revelare sine rationabili, & urgenti causa viro prudenti de quo præsumitur non publicaturum, verum crimen occultum, Francisci, v.g. commisisse adulterium cum Berta?*

Resp. Aliqui apud Poncium *disput.* 52. *qu.* 8. *anum.* 41. & Layman. *cit. cap.* 3. *nu.* 6. dixerunt non peccare mortaliter, qui lædit famam alterius apud unum virum prudentem tantùm, qui non publicaret defectum significatum aliis: maximè, si ex levitate, vel loquacitate occultum crimen revelaret, ut alii docuere apud Anton. à Spiritu Sancto *director. Confess. tract.* 11. *de detract. sect.* 6. Quorum opinio in praxi tuta, nec probabilis admittitur; nam certè Francisco graviter displiceret, quod prudens ille vir defectum ipsius sciret: viri enim cordati pluris æstimant habere bonum nomen apud virum gravem, quàm apud multos vulgares. Ilsung. *tract.* 4. *disp.* 3. *qu.* 3. §. 1. *num.* 105.

Addo, quod, si id liceret, posset occultissimum crimen paulatim fieri publicum apud multos, nam, si licet uni crimen occultum proximi revelare, huic etiam licebit alteri aperire, & sic deinceps: cum non sit assignandum, cur, si mihi liceat tibi viro prudenti revelare adulterium Francisci, tibi non sit permissum alteri, itidem viro probo aperire, & isti alteri. Poncius, Layman, & Anton. à Spiritu Sancto, & apud eos plures.

Ex quibus sequitur, quod non possit uxor cum marito loqui de peccatis occultis filiorum, aut famulorum: nisi aliàs non sit spes, quod moniti emendentur; nam tunc in emendam & correctionem id efficere licebit, ut cum Bonacc. idem à Spiritu Sancto, & De la Cruz *dub.* 3. ratio est, quia maximum bonum est esse bonæ æstimationis apud illos, cum quibus conversamur, & conjunctionem aliquam habemus, qui possunt juvare, vel nobis nocere. Lege D. Thom. 2. 2. *qu.* 144. *art.* 3.

Causa verò rationabilis, & urgens revelandi esse potest, ad impediendum grave malum alterius, ad petendum consilium, vel cum prudenter judicatur id esse expediens bono particulari, & magis publico; ratio est, quia nemo per Marchant. jus habet tuendæ suæ famæ cum gravi damno alterius; verùm semper id est exequendum cum minori damno, quo potest, & non ex malo animo: nec ex affectu vindictæ; nec exequendum in casu, quo manifestatio non esset conducens ad damnum impediendum: ita DD. concedunt posse te, amico interroganti super qualitatibus Francisci,

quem tu noscis esse furem, dicere, ne eum in famulum recipiat; & quem scis esse imperitum Medicum, Advocatum, & Artificem, manifestare iis, qui à te consilium petunt, & quibus ex eorum imperitia damnum notabile obvenire potest: legendus Quilici *num.* 36. Marchant, & Rotarius *part.* 2. *cap.* 8. *sect.* 3. *num.* 8. *apparat. Theol.* De manifestatione hæreticorum diximus *lib.* 1. *cap.* 4.

13. Sed quæritur, *hæc Dominicus Confessario aperit:* sum deputatus à Ministris Societatis SS. Annunciatæ ut diligenter, & fideliter sumam informationes super vita, & honestate puellarum, quæ sunt admittendæ ad dotem, juxta solitum à Societate conferendam: sum certus, quòd Franciscа non sit Virgo, quia eam ego cognovi: quomodo me gerere debeo? Si eam manifesto, occultum crimen revelo, ipsam infamo, & sum causa illius damni: si taceo, partes meas juxta commissionem non impleo, & sum causa, cur alia virgo dotem non obtineat; *peto instrui, ne errem?*

Resp. Si à Parocho, & iis, quos super vita, & moribus puellæ interrogas, habes testimonium sufficiens, probans ipsam esse bonæ famæ, & in vicinia bonum nomen habere, id debes Ministris referre, & tunc censeris diligenter tuo officio satisfeciisse; nam aliud onus tibi non fuit impositum, quam, ut fideliter inquireres, & referres, an puellæ dotibus ascriptæ essent bonæ famæ, & nominis; hujusmodi autem, ex stupro occulto cum te commillo, æstimationem propriam non amisit; nam, eo non obstante, ab omnibus habetur ut virgo, & est boni nominis: ideò nulli alteri injuriam facis, dum refers esse bonæ famæ, & nominis, quia talis est.

13. Quæritur, *an peccet mortaliter, qui de publicè infame propter adulterium, aliud crimen occultum revelat, ut esse furem, homicidam, &c.*

Resp. Affirmativè; ratio est, quia infamis in uno genere vitii, non propterea amittit jus, & famam, quam habet in aliis virtutibus, ideò ea sine gravi injuria spoliari, nec potest, nec debet; quinimmò infamans contra justitiam peccat; potest enim quis esse, & teneri, ut adulter, non verò, tamquam fur, consequenter habere bonum nomen quoad secundum, non quoad primum, & ideò, si sit occultus manifestari non potest.

14. Sed quid. *si publicus adulter per emendationem iterum recuperaverit famam?*

Resp. Non potest ipsius crimen apud immemores, vel ignorantes detegi, & quatenus propaletur, delinquitur contra justitiam, cum per emendationem verum jus acquisiverit ad suam famam. Sicut malis moribus infamia facti contrahitur, & bona fama amittitur; ita contrariis bonis moribus infamia facti aboletur, & bona fama recuperatur. Layman. *nn.* 8 Marchant. & Quilici *nn.* 35.

15. Sed quæritur, *Petrus hic Romæ fuit tamquam fur fustigatus, & in exilium actus, petitur, an liceat id patefacere Florentiæ, ubi ignoratur; quod est idem, ac quærere, an crimen proximi publicum in aliqua Civitate possit sine peccato alibi manifestari, ubi ignotum est?*

Resp. Affirmat Layman. *nn.* 8. Quilici *num.* 35. De la Cruz *conc.* 2. *dub.* 3. *citat.* à *Spi-*

*à Spiritu Sancto sect.* 7. & Ilsung. *num.* 107. ratio est, quia per sententiam Judicis est sic fama spoliatus, ut in ultionem criminis, & partem supplicii, sit unicuique facta facultas ab Judice illud publicandi. Sicut si alterius bona permittat publicæ direptioni, potest quivis ea diripere, quin injuria reo inferatur; potest tamen in eo peccari contra charitatem, si, ubi manfurum erat occultum, ex odio, & malo animo publicetur; item contra justitiam, si manifestetur, postquam reus emendatus bonum nomẽ recuperavit in loco, in quo habitat.

16. Sed quid, *si crimen sit publicum in uno loco, non judicis sententia damnatum?*

Resp. Peccat contra justitiam, qui ipsum in alio loco, ubi non est notum, manifestat: ita mulier, quæ Florentiæ adulterium commisit, dum hic Romæ honestè vivit, habet jus retinendi suam famam, qua per Judicis sententiam spoliata non fuit.

17. Sed quid, *si multi ejusdem Civitatis crimen sciunt, an possint aliis manifestare?*

Resp. Vel illi cognitionem habuerunt de illo crimine ex injusta publicitate, à detractione proveniente, & tunc contra justitiam peccant aliis revelando; vel habuerunt ex publicitate justæ sententiæ, & tunc patet ex supradictis; vel quia crimen fuit publicè, & coram multitudine patratum: & tunc, quia crimen notorium censetur, & publicum, ac delinquens, facto ipso infamis, præsumitur suæ famæ cessisse, & non posse esse rationabiliter invitus; ideò id aliis revelans non censetur contra justitiam peccare, licèt possit contra charitatem, si ex malo animo, vel cum sensu revelationis. Quilici *nu.* 35. Propter quod excusantur Historici, dum delinquentium notitiam ad posteros transmittunt: præsertim loquendo de criminosis publicis, quorum notitia expedit bono communi.

18. Quæritur, *in quo detractio distinguatur à murmuratione?*

Resp. In hoc, quòd detractio vel proximo imponit crimen falsum, vel verum occultum detegit; murmuratio verò confabulatur de factis publicis, & de iis etiam, quæ possent in bonam partem sumi, vertendo ea in malam partem, exaggerando rem ultra meritum causæ, ponderando subtiliter circumstantias, ex quibus omnibus persona aliqua denigratur in suo honore, & fama; & est læthale, vel veniale, prout ex hac gravis, vel minor injuria proximo fit. Rotarius *num.* 15. verùm pro eodem sæpè sumuntur.

19. Quæritur, *an audiens detractorem peccet?*

Resp. Affirmativè. I. Si ita audit, ut inducat, vel excitet, etiam paratum, ad detrahendum, vel ad incæptam detractionem continuandam, sive interrogando, juvando, laudando, approbando, non corrigendo, dum possit, & debet: & peccat contra justitiam æque bene ac ipse detractor, quia est causa injusta damnificandi proximum in bono famæ: & contra charitatem peccato scandali, quatenus est causa ruinæ spiritualis infamantis, dum vel ad detrahendum excitat, vel ad prosequendum animat: & ad restitutionem famæ tenetur, si principalis non restituat.

II. Si audiens, detractorem non induxit,

duxit, sed lætatur, & sibi complacet in detractione, peccat peccato odii contra charitatem, quatenus de malo alterius lætatur. Layman. *cit. nu.* 14.

III. Si eum non induxit, neque movit ad detrahendum, & cum possit, non impedit, nec redarguit expressè, sive tacitè, discedendo, aut avertendo sermonem, vel tristem se præbendo, peccat contra charitatem, quæ obligat ad impediendum malum proximi, cum potest.

IV. Peccant semper contra justitiam Superiores, cum subditum detrahentem non corrigunt.

V. Excusatur à mortali, qui ex reverentia debita Superiori, rationabili timore gravioris mali, vel spe non reportandi fructum, detrahentem, vel non impedit, aut non relinquit; sed tunc debet sibi detractio displicere, detractori non credere: & animadvertere, quòd loquaces sæpè falsa dicunt, & referunt; item, si audiat ad consilium, vel remedium præbendum; item si parva sit detractio; legendi Layman. Quilici, Ilsung. & Marchant. *cit.*

20. Sed quid, *si ex curiositate, quis alterius defectus, & mores inquirat?*

Resp. Peccat mortaliter, quia nemo jus habet sine justa, & rationabili causa inquirendi de vita, & moribus proximi. Excusantur Superiores, quibus id ex officio incumbit, vel cum id necessarium est ad admittendum aliquem ad Religionem ad Matrimonium, vel ad aliud Officium, aut beneficium: sed tunc non ex curiositate, sed justa, & rationabili causa inquiritur: & si ex curiositate audias, peccas contra charitatem.

21. Quæritur, *quomodo se gerere debeat Confessarius cum pœnitente se accusante de peccato detractionis?*

Resp. 1. Interroget, an fuerit audiens, vel detractor; Si audiens: an detractotem induxerit, &c. & tunc peccasse contra justitiam, & charitatem pronunciet: si verò solùm in detractione sibi complacuerit, vel discursum non interruperit, aut non fugerit, dum poterat, contra charitatem. Si detractor: inquirat de numero virorum, & personarum, quibus detraxerit, & coram quibus: quia tunc tot peccata contra justitiam commisit, quot personas in fama damnificavit: & tot peccata scandali. Si de una integra familia, vel Religione sit oblocutus, id exprimere tenetur, etsi nesciat numerum personarum aperire: quamvis intenderet solùm de aliquibus unius familiæ obloqui; nam audiens, eos ab aliis nescit distinguere, & ideò omnes infamat. Ameno de pœnis.

II. Interroget, an detractione imposuerit falsum crimen: an verum, sed occultum revelaverit: vel de publicis, cum scientibus sit locutus. Si primo modo peccavit triplici peccato. 1. Mendacii pernicioſi. 2. Contra justitiam, & 3. Peccato scandali contra charitatem. Secundo modo contra Justitiam, & charitatem. Tertio modo contra charitatem; & ideò in Confessione est semper aperiendum, an primo, vel secundo, aut tertio modo detraxerit. Specificanda est species infamiæ (vel contumeliæ) ut, si de aliquo, etiam eodem impetu, dixerit esse furem, Sodomitam, Judæum, Sortilegum, &c. nam hæc convicia in genere moris, & quoad vim lædendi famam, & inferendi nocumentum specie distinguun-

guuntur ; cum dubium non sit, quin apud prudentes pejoris nominis, majorisque malitiæ reputetur Hæreticus, quàm fur; Sodomita, quàm simplex fornicarius; unde vocans aliquem Hæreticum magis ipsum infamat, & magis potest ipsi nocere, quàm si vocet furem, ergo magis famam lædit, immò tollit famam diversæ speciei moralis, ergo, si simul revelet esse Hæreticum, furem, & Sodomitam tria peccata specie, & numero distincta committit. Poncius *disp.* 46. *qu.* 7. *nu* 74. Ant. à Spiritu Sancto *tr.* 5. *disp.* 9. *sect.* 1. *de sacr. pœnit. nu.* 659.

22. Sed quæritur, *pœnitens petit instrui de modo restituendi famam, & honorem, ad quod scit ex justitia obligari, quid est ei Confessarius dicturus?*

Resp. 1. Quòd si honorem alterius coram aliis lædit, debet coram illis debitam reverentiam exhibere, antecedenter salutando, invitando ad mensam, eum visitandò, conversando, &c. vel veniam petendo, vel alio simili modo arbitrio prudentis; si verò privatim, nullo audiente contumeliam irrogaverit, v. g per injuriam, spurium vocando, & ad aliorum notitiam non pervenerit, tenetur ab ipso, se reum cognoscens, veniam petere, & animum offensum sibi reconciliare.

II. Si infamavit imponendo falsum crimen, tenetur se retractare coram illis, qui eum detrahere audierunt, per media tam efficacia ad restituendam famam, qualia fuerunt ea, quibus innocentem infama damnificavit: dicendo *se esse mentitum*, & addendo, si opus sit, juramentum, ut audientes credant crimen impositum fuisse falsum.

23. Sed quæritur, *an restitutio sit facienda solùm coram illis, à quibus auditus fuit detrahere vel, etiam coram aliis, ad quos detractio pervenit?*

Resp. Cum Mastr. *Theol. moral. disp.* 8. *qu* 3. *art.* 2. *num* 60. vel personis, coram quibus detraxit, secretò id dixit, & aliàs cognoscebat eas talis esse naturæ, ut secretum non essent divulgaturæ: vel, nec sub secreto, neque talibus personis manifestavit; si primum, sat est, ut coram personis immediatis se retractet; si secundum, restitutio est facienda coram omnibus, & singulis, malè opinantibus de injustè infamato, quia totum subsequens damnum infamiæ ab injusta detrahentis detractione, & injuria procedit: unde sæpè expedit operari, ut retractatio publicetur.

Si infamavit revelando crimen verum, sed occultum, tenetur ad restitutionem famæ, & abolendam malam opinionem, in quantum potest: nunquam tamen mentiendo; ideò Confessarius non debet obligare, vel suadere, ut dicat, *quod dixi, non est verum*, quia mendacium malum est ab intrinseco; sed restituet utendo verbis non continentibus mendacium; *ut, imprudenter sum locutus absque debita advertentia, & informatione, fatuè, & insipienter, ideò ne credatis: & si credideritis malum, quod dixi, sciatis vos imprudentes esse*; vel laudet infamatum, & honorificè de eo loquatur, ubi datur occasio; aut simili alio modo expressè, vel implicitè, quantum in se est, aboleat opinionem malam, quam ingessit.

24. Sed quid, *si retulisset occulta*

*peccata alterius absque asseveratione, & dubitanter?*

Resp. Tenetur ad restitutionem: si narret Sortilegia, Hæreses, & similia, quorum mera suspicio famam multùm denigrat; vel persona, de qua narrantur, sit ita venerabilis, & digna, ut sola suspicio gravis criminis eam valdè diffamet; etiamsi, narratio contingat apud personas, de quibus verisimile est, quod non credant; nam tunc saltem contra charitatem referens peccat; & contra justitiam, si audivisse testetur à magnæ authoritatis viro, qui, ut verax habetur: abstinendum est itaque à simili referendi modo. Rotar. *nu.* 8. & alleg. à Spiritu Sancto *sect.* 6.

25. Sed quid, *si quis detraxerit viro defuncto?*

Resp. Si detractio defuncti redundet in infamiam familiæ, & hæredum viventium, est illis fama læsa resarcienda; si verò solùm dehonoretur, vel infametur defunctus, hic est compensandus eodem modo, ac si viveret. Rotarius *citat. num.* 17. Alleg. à Spiritu Sancto dixit peccare mortaliter Historicos occulta aliquorum in suis Historiis notantes, quamquam illi, de quibus scribunt, jam sint defuncti.

26. Quæritur, *an infamatus licitè possit condonare restitutionem famæ?*

Resp. Alii negant, quia nullus est Dominus suæ vitæ, & famæ: & sicut nullus potest se occidere, sic nec donare, quod suum non est; & ex eo probant, nullum posse infamare se ipsum; quod sequitur, si quis restituendæ famæ obligationem condonet, & remittat. Alii ex opposito affirmant, ex quo homo sit Dominus suæ famæ, & aliorum bonorum, quæ, propriâ industria, acquiruntur; nam est præmium virtutis, quod propriis meritis respondet; & confirmant exemplo D. Augustini in suis Confessionibus, & aliorum Sanctorum, qui ex motivo humilitatis propriam famam, & honorem contempserunt. Cum istis dicendum, hominem ex justa, & rationabili causa, & cùm non sequitur scandalum, vel motivum peccandi; aut aliis nec spiritualiter, nec temporaliter nocet, posse suam famam spernere, & aliis obligationem restitutionis condonare; nam nulli injuriam facit. De la Cruz 1. *p. acep. qu.* 7. *art.* 2. *dub.* 7. Ubi observat hominem privatum, licèt non peccet mortaliter contra justitiam se infamando, vel condonando famæ restitutionem, peccare tamen ex genere contra charitatem, cum exponat se periculo peccandi amissa verecundia.

Verùm, cum infamia redundat in alios, filios, fratres, subditos, vel Monasterium, peccat, qui condonat. Ideò Prælatus contra justitiam peccat condonando famam, sicut, si se infamet de peccatis redundantibus in subditos, ut Sodomia, hæresi, &c. quia tunc læditur fama subditorum. Quilici *nu.* 48.

27. Quæritur, *Franciscus per errorem inculpabilem, Petro detrahendo crimen falsum imposuit, & postea cognoscit se falsum dixisse: tenetur ne famam restituere?*

Resp. Tenetur, quia revera ipsum damnificavit: sicut, qui bona fide, rem alienam possidet, cum postea reperit alienam esse, si apud se extet, tenetur restituere.

28. Sed quid etiam, *si Franciscus Petrum,*

*Petrum, & è contra Petrus infamaverit Franciscum?*

Resp. Quidam dixerunt unum non teneri famam alteri restituere, si æqualiter sint læsi: vel solùm in excessu, si unus alium plus offendit; sed non sunt audiendi; nam infamatio unius non est medium, nec satisfactio pro fama alterius, ideò in utroque est restitutionis obligatio.

29. Quæritur, *an non modò fama sit infamato restituenda, verùm etiam compensanda damna, quæ ex illa sequuntur?*

Resp. Affirmativè; ratio est, quia revera infamans fuit injusta causa damni sequuti; ideò, si occultum Petri crimen revelas, ob quod officio privatur, teneris ad compensandum damnum, quod ipse ex tali privatione reportat: si alter ultimo supplicio est puniendus ob crimen falsò à te impositum, debes te Judici præsentare, ut eum liberes, etiam si tu reus esses, & propterea suspendendus; vel ad minus operari, & rem aperire, ut ille non damnetur; & in casu mortis illius hæredibus resarcire damnum, cujus causa reputaris; qui non modò contra te actionem habent, verùm etiam adversùs tuos hæredes, ad quos tua bona descendunt, ex quibus justa compensatio est eis facienda. Layman. *citat. art. 7. num. 4.*

30. Quæritur, *quomodo, qui detraxit alteri libello famoso, debeat restituere?*

Resp. Conciliis publicis scriptis, servata proportione ad superius dicta *n. 23.*

31. Quæritur, *Cajus coram multis detraxit Bertæ, sed quia postea verecundatur in se retractando, nocte affixis libellis in locis publicis Civitatis, ex motivo exonerandi conscientiam, famam restituit; petitur, an satisfecerit obligationi de fama restituenda?*

Resp. Negativè; hic non servatur æqualitas, prout requirit justitia commutativa: nam fama fuit ablata per certum detractorem, sed per certum non restituitur; nam incertum est, à quo fuerint folia affixa, an à Cajo, an ab alio, & an fuerint potius libelli contra ipsam Bertam; immò videtur Cajus novo peccato detractionis peccare (nisi bona fides, inadvertentia, vel simplicitas excusaret) quia renovavit detractionem, etiam apud eos, qui factum ignorabant. Propterea, quia fama fuit ore per certum detractorem apud tales audientes læsa, ore apud eosdem debet restitui, & si sint absentes per epistolas, proprio nomine signatas.

32. Quæritur, *Petrus est morti proximus, confitetur, se infamasse Religiosum, Confessarius instat, ut se retractet coram astantibus, ut Religioso famam restituat: pœnitens respondet velle se retractare coram Notario, hac lege, ut scriptura per ipsum rogata, legatur post ejus mortem; quia non vult vivens pati verecundiam, conceptam ex publica retractatione à se facta, nec ut mendax vult haberi: petitur, an possit absolvi?*

Resp. Negativè; nam indispositus est sine vero proposito restituendi famam: cum verùm propositum non præsumatur in eo, qui potens actu peccatum relinquere, non actu relinquit, sed vult in futuro; aliàs posset, etiam absolvi in-

firmus, potens concubinam è domo ejicere, & non ejiciens, ne ingratus appareat, sed relinquens onus, ut ab hæredibus expellatur; quod nullus prudens dixerit: uterque enim est in occasione proxima. Tum quia, si supervixerit, famam non restituet propter verecundiam, & ne mendax æstimetur, ergo propositum est solùm sub conditione, ergo non efficax. Debet esse resolutio communis contra Anton. à Spiritu Sancto *in direct. Confess. tract. 5. disp. 3. sect. 11. n. 167. de sacr. pœnit.*

33. Quæritur, *an dentur causæ excusantes à famæ restitutione.*

Resp. Affirmativè, sic DD. communiter. I. Excusaris per condonationem; si nimirum diffamatus cedat juri suo.

II. Si infamia abiit in oblivionem, quia per restitutionem potiùs renovaretur suspicio criminis; sed quia non potest dari certitudo, quòd in oblivionem abierit, ideò regulariter infamans tenetur ad restitutionem.

III. Cum fama jam est facto recuperata.

IV. Cum non posset restitui absque vitæ periculo; ratio est, quia est ordo inter bona: alia enim sunt *bona animæ, alia vitæ, seu Corporis, alia famæ, & honoris, & alia fortunæ*: pretiosiora autem sunt bona animæ quàm vitæ; vitæ quàm famæ; & famæ quàm fortunæ, ideò nullus tenetur restituere bona vitæ cum damno animæ nec bona famæ cum damno vitæ; nec bona fortunæ cum damno famæ; ratio est, quia in restitutione debet servari æqualitas, & cum pretiosior sit anima quàm vita, & vita quàm fama, & fama quàm divitiæ, ideò &c. sic *cit.* à Spiritu Sancto *tract. 11. disp. 3. sect. 3.*

34. Nota I. differentiam inter *susurrationem, detractionem, contumeliam, derisionem, seu irrisionem*; Calumniator seriò intendit lædere honorem proximi: Detractor famam denigrare: Susurrator amicitiam tollere: & Irrisor, joco pudorem, & verecundiam causare; unde susurratio est *obloquutio ad amicitiam tollendam inter aliquos.* Est ex suo genere mortale, cum tendat ad nocendum proximo, tollendo amicum; & gravior contumelia, ac detractione, quia tollit amicitiam, quæ est bonum præstantiùs fama, cum hæc ad amicitiam disponat. Hinc graviter peccant contra justitiam, qui inter consanguineos, & amicos fixas suis verbis ponunt, quia amicus jus habet, ne fraude, & modis illicitis privetur bono amicitiæ; & sæpè cum peccato contumeliæ, & detractionis conjungitur. Fit veniale vel ex inadvertentia, aut ex parvitate materiæ, si nimirum parum minuat de amicitia.

35. Irrisio, vel derisio *est verborum ludus ex proximi defectibus, ut erubescat, & confundatur.* Quòd si fiat signis dicitur subsannatio: pro fine habet erubescentiam, & confusionem in proximo; est ex suo genere mortale contra justitiam; quia, sicut proximus jus habet, ne dehonoretur, nec infametur, sic jus retinet, ne confundatur, & contristetur; unde, si proximus graviter contristetur, & erubescat propter crimen ei per jocum, vel derisum objectum, Derisor mortaliter peccat; si derisio sit contra parentes est peccatum

contra

contra pietatem : si contra res Sacras, contra Religionem.

36. Quæritur, *an ex joco deridere res sacras, & cæremonias Ecclesiasticas, facta, vel dicta Sanctorum, scurriliter Sacram Scripturam citare, sit peccatum lethale?*

Resp. Affirmativè, est sacrilegium profanativum rei venerabilis. Rotarius *sect. 4. num. 2.* nec datur parvitas materiæ; quemadmodùm peccatum gravissimum est, si quis omittat invocare nomen *Jesu*, vel genuflectere coram Imagine Crucifixi, ex quo sibi displicet, quod id tendat in gloriam Dei: & dicitur esse peccatum acediæ; quatenus tristatur de opere laborioso, quâ bonum opus est, tendens in gloriam Dei.

37. Sed quid, *an mortale sit deridere aliquem ex joco leviter, & gratia recreationis, ut, quod collum contorqueat, vel alium similem defectum habeat?*

Resp. Si derisio ista sit sine verbis pungentibus, & non prævideatur irrisus graviter offendendus, grave peccatum non est. Si verò irrisor prævidet gravissimam proximi contristationem, & erubescentiam, vel, quia scit, quod similia ei displicent, vel, quia aliàs ab eo fuit monitus, ut desisteret, non excusatur à mortali à Bonaccina apud Quilici *num. 3.* Super quo sunt à Confessario pœnitentes examinandi.

38. Quæritur, *quid sit maledictio?*

Resp. Pro ut hìc sumitur, est idem, ac verbis precari, seù optare malum alteri: & est duplex, *formalis, & materialis.* Formalis est, dum malum ex corde desideratur: est ex suo genere peccatum mortale, quia procedit ex odio interno, & charitati proximi directè repugnat; gravisque peccatum est, quando strictius tenemur, personam, cui maledicimus, diligere; potest esse veniale aut ex parvitate materiæ, aut ex inadvertentia, & ex non pleno consensu: propter quod sæpe à mortali excusantur parentes propter maledicta in filios.

39. Materialis est, cùm malum non desideratur ex corde, sed tantùm ore profertur, & sine intentione nocendi: est ex suo genere tantùm veniale, quia deest intentio, & nocumentum non infertur; potest tamen fieri mortale ratione scandali: ut si Prælatum subditus in faciem maledicat, vel filius parentes, ob gravem irreverentiam, & propter injuriam, quæ proximo fit.

40. Quæritur, *an maledicere creaturis irrationabilibus sit peccatum lethale?*

Resp. Affirmativè, si considerentur, ut sunt creaturæ Dei: & est blasphemia, quatenus illa maledictio redundat in Deum. Si considerentur, ut sunt aliquid proximi, est peccatum mortale contra charitatem: sic mortaliter peccat, qui ex animo vellet perire bestias inimici. Si verò considerentur, quatenus creaturæ irrationales præcisè, est veniale; & nullum, quatenus sunt nobis causa alicujus mali, & incommodi: id enim est magis maledicere ipsi incommodo, quàm creaturis, *ut pereat dies, in qua natus sum.* Quilici *qu. 15. art. 2. num. 10.*

41. Quæritur, *an, qui unico actu integræ familiæ maledicit, tot peccata committat, quot sunt personæ?*

Resp. Affirmativè, ratio est, quia

licèt verbum sit unum, realiter terminatur ad diversas personas, & correspondet diversis, & pluribus, saltem virtualiter actibus internis voluntatis, quibus vult malum singulis personis ex illa familia. Vide *lib. 1. cap. 7. nu. 10.*

Itaque Pœnitentes in Confessione debent explicare. 1. Malum, quod optant, si est malum vitæ, famæ, vel fortunæ, 2. Quibus optant, quia si sunt parentes, vel filii, est peccatum etiam contra pietatem. 3. Quot sint personæ, quibus optant. 4 Quoties optarunt. 5. Quibus, & quoties fuerunt scandalo; & Confessarius interroget etiam, an sint in eo habituati, & ex consuetudine similia mala imprecentur.

Adulatio etiam est peccatum linguæ, dum mendacium includit; quod evenit, cùm id, de quo quis laudatur, in eo non est; & est mortale, cùm adulatione fit, ut adulatus in peccatum prorumpat. De aliis peccatis linguæ vide dicta in superioribus capitibus.

## CAPUT XXVI.

### *Prop. XLV. & XLVI. ab Innoc. XI. &c. Simonia.*

C. PROP. 45. *Dare temporale pro spirituali non est Simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed dumtaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale; vel etiam, quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut è contra.*

PROP. 46. *Et id quoque locum habet, etiam si temporale sit principale motivum dandi spirituale; immò etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic, ut illud pluris æstimetur, quam res spiritualis.*

Satis opportunè occasione utriusque propositionis agitur hìc de Simonia, de qua ipsæ in terminis loquuntur; cujus notitia est Confessario necessaria; nam fortè nulla est delicti species, quæ tot, tantisque difficultatibus sit implicata; & tam Confessariis ad ipsam distinguendam difficile, ideò, quæ scitu magis necessaria judicamus, breviter in examen reducemus.

2. Definitionem Simoniæ videas *lib. 1. cap. 8. §. 5. num. 75.* & interea considera, quòd pecuniam itaque, aut quodvis aliud pecunia æstimabile dare, vel recipere non licet, nec pro Sacramentis, quæ sunt causa gratiæ (quæ est supra omne pretium, & cui repugnat, quod gratis non detur) Nec pro spiritualibus actibus, ut sunt administratio Sacramentorum, usus Spiritualium donorum, divini verbi prædicatio, divinæ laudes, jurisdictionis Ecclesiasticæ usus, Religiosa Professio, &c. Nec pro his, quæ sunt spiritualibus adnexa: ut sunt Ecclesiastica beneficia, Juspatronatus, &c. ut diximus *lib. 1. cap. 8. §. 2.* Hæc enim omnia ejus generis sunt, de quibus Christus dixit Matth. 10. *gratis accepistis, gratis date.*

Quapropter nihil refert, an pecunia pro Beneficio, vel alia re spirituali promittatur, detur, vel accipiatur, tamquam *pretium*, vel *incitamentum*, seù *motivum*, aut, *ut gratuita compensatio*; sed semper est simonia quocumque

que titulo detur, prout expresè ex decreto Innocentii.

3. Hinc patet, quòd invectus distinctiuncularum usus inventus fuit ad palliandas simonias. Siquidem, illis admissis, vix, nisi homines plumbei, simoniam committerent; nam quisque se excusaret, se non conferre pecuniam tamquam pretium, nec rem temporalem cum spirituali *tamquam pro æquali commutare*; nec temporale pluris, vel tanti æstimare, quàm ipsum spirituale; sed solùm eam offerre, tamquam *motivum*, vel *gratuitam compensationem*. Ità Simon Magus respondere potuisset; se Apostolis obtulisse pecuniam. *Actor.* 8. non sub ratione formali *pretii*, sed tamquam *motivum*, quo eorum voluntates moveret ad conferendam sibi potestatem dandi Spiritum-Sanctum per manus impositionem. Nec ille erat solicitus de modo, quo conferret, dummodò potestatem illam consequeretur. Nec D. Petrus eum reprehendit in hoc, quòd voluerit pecuniam tamquam pretium dare, & pro æquali cum potestate spirituali commutare, sed absolutè dixit. *Pecunia tua tecum sit in perditionem: quoniam Donum Dei existimasti pecunia possideri .... cor enim tuum non est rectum coram Deo.* Atque ita, quod collatione pecuniæ per modum illicii monentis, absque cogitatione pretii, vel expressa comparatione rei spiritualis cum temporali obtinetur, pecunia possidetur. Et circa res spirituales committitur simonia. De quo Natalis Alex. Theol. *dogm. to. 2. lib. 2. cap. 7. art. 2. num. 5.* Ad hæc itaque attendant Confessarii.

4. Adverte, quòd simonia repugnat Religioni, justitiæ, & pietati. Religio violatur propter contemptum rerum spiritualium, quibus irrogatur injuria, cùm pecunia æstimantur. *Nam quis non vile putat, quod venditur?* ajebat Hormisda Papa *Epist. ad Episcopos Hispaniæ cap.* 2. apud Gonzalez *in* 5. *tit.* 3. *cap.* 2. *num.* 16. Quæ enim commutantur, tantùm valere existimantur, quantum ea, cum quibus commutantur; nullæ autem valoris donorum spiritualium, quæ pretium omne excedunt, cum pecunia est proportio, nec emi, nec vendi possunt, quorum nullus est dominus, quantumvis ille, qui pretium dat, ea studiosè emere conetur, & procuret.

5. Violatur justitia, tum Distributiva, quia turpi Beneficiorum, & Ordinationum nundinatione opulentiores in Sacerdotes ordinantur, & ad beneficia assumuntur, omissis doctioribus, sanctioribus, & magis idoneis: Tum Commutativa, contra quam est pretio commutare, quod pretio commutari non potest; & vendere, & emere, quod gratis acceptum est, ea conditione, ut gratis detur.

6. Tandem violatur pietas; nam collatio rerum spiritualium medio pretio animos piorum offendit, & animos pauperum à Sacramentorum perceptione retrahit, ut *ibid.* Gonzalez, & d. Natalis *num.* 2.

7. Quæritur. *Franciscus moneribus sibi obligat familiarem Episcopi, hac lege, ut merita proprii filii commendet apud Prælatum, ut hac forma moveatur ad conferendum beneficium Ecclesiasticum, quod posteà confertur, tam Episcopo, quàm filio pactum ignorantibus:*

*tibus:* petitur, *an Franciscus sit simoniacus.*

Resp. Affirmativè, quia revera hìc adest pretium pro re spirituali obtenta. Du-hamel *tom. 2. Theol. moralis lib. 1. dissert. 5. cap. 4. nn. 5. & 12. in decalog.* Cabasut. *prax. jur. canon. lib. 5. cap. 3. num. 7.* Ignorantia Episcopi, & filii operatur, eos non peccasse, & non ligari pœnis latis adversus simoniacos: sed non legitimat actum, aliàs invalidum, *cap. de regul. cap. ex insinuatione, cap. nobis hoc tit.* & provisus statim, habita notitia, tenetur beneficium dimittere D. Thom. 2. 2. *qu.* 100. *art.* 6. Fagnan. *in 5. ad d. cap. nobis num.* 73. & 76. *De simon.* videas *cap.* 35. *nu. ult.*

8. Sed. An debeat restituere fructus?

Resp. Tenetur restituere fructus extantes tempore scientiæ, sed non consumptos ob bonam fidem. D. Thom. *cit. ad* 3. Cabasut. & Fagnan. *nu.* 80. In quo distinguitur ab eo, qui simoniacè est intrusus in beneficium, qui, cùm careat vero, & putativo titulo, dicitur fur, & invasor, *cap. Ordinationes* 1. *qu.* 9. Et ideò semper est in mora restituendi, sicut fur; teneturque ad restitutionem omnium fructuum, etiam qui percipi potuissent à legitimo, & diligenti possessore. D. Thom. *cit. art.* 1. *ad* 2. & Fagnan. ibid. *in cap. sua nos nu.* 8.

9. Quæritur, *an Simoniam committat Episcopus conferens beneficium suo familiari propter servitium, vel obsequium sibi præstitum?*

Resp. Affirmativè; nam in casu intervenit munus ab obsequio: tale enim servitium est pecunia æstimabile, propter quod viri nobiles suis famulis exolvunt menstruum justum stipendium; hìc videtur esse virtualis venditio, & commutatio beneficii pro obsequio temporali, ac, quod intentio immediata per se, & primaria famuli, gratis Episcopo servientis directa sit ad acquisitionem beneficii, alliciendo Episcopum ad ipsum conferendum propter exhibita, & exhibenda obsequia; &, quòd Episcopus primariò ad eum finem conducat ejusdem servitia, & pro pretio locationis obsequii, loco pecuniarii stipendii substituat collationem beneficii; id totum videtur haberi *ex cap. & si quæstiones de Simon.* illis verb. *quod autem scriptum est beatus, qui excutit manus suas ab omni munere, de illis donis dictum est, quæ accipientis animum allicere, vel pervertere solent*, Videndus Cabasut. *cit. num.* 11.

10. Pondera, alios famulos famulari Prælatis, ut beneficium accipiant, sine stipendio: & alios ita, ut ipsorum famulatus, & obsequium æquali mercede pecuniaria compensetur; qui priori modo obsequium exhibent, principaliter, & per se intendunt allicere, & movere suo obsequio animum Prælati ad conferendum beneficium; ideò collatio si contingat, est Simoniaca. Si verò secundo modo servitia præstentur, non censentur exhiberi animo acquirendi beneficium, vel movendi Prælatum, quia solus famulatus æquali mercede compensatus, non allicit animum collatoris ad conferendum beneficium. hinc si alicui æquali stipendio conducto, beneficium conferat, quia occasione famulatus eum dignum reperit, & utilem Ecclesiæ fore judi-

judicat, gratis omninò, & purè liberaliter conferre censetur. Carden. *dissert. 27. cap. 5. art. 3.* Legendus Campion. *par. 2. instru. ad aud. Confess. cap. 37. num. 2.*

Unde sunt à Confessario instruendi Aulici, qui, justa mercede, Prælatis famulantur cum aliqua spe obtinendi beneficium, vel pensionem, ut eam spem deponant, quia periculosa res est, ut intentio pervertatur, & principaliter exhibeatur obsequium, animo alliciendi Prælatum ad promovendum ad beneficium, ac Simonia pallietur.

11. Quæritur, *an committat Simoniam, qui alterum sic alloquitur:* si mihi conferas, vel procures beneficium, gratus tibi ero?

Resp. Affirmativè: hìc enim palliatur Simonia, & gratuita compensatio, exprimitur; nam revera volo conferentem, vel mediatorem movere, & allicere, ut mihi ob lucrum titulo gratitudinis promissum, conferat, vel procuret beneficium; & ità adest verus contractus, dabo, si dabis, & æquivalenter in contractum res spiritualis deducitur.

Propter quod, nec conferens potest beneficium conferre hac lege: *do tibi Canonicatum, ut sis mihi gratus: dabo tibi beneficium, sed nollem te esse mihi ingratum*; nam semper reperitur contractus, *do, ut des*, & quod temporale sit gratuita compensatio pro spirituali, quòd & Innoc. reprobat *in 45. prop.*

12. Quæritur, *an sine Simonia possim te præsentare, vel tibi conferre, procurare, vel resignare beneficium Ecclesiasticum intentione, vel expresso pacto, quod tu mihi, vel meo nepoti, vel alteri designato, vel designando, postea resignabis, aut dabis alteri fructus beneficii, vel partem eorum, & pensionem solves?*

Solutionem videas *lib. 1. cap. 8. §. 6.* ubi egi de confidentia beneficiali, & *§. 5.* de simonia, ubi plura resoluta habentur.

13. Quæritur, *an Parocho, vel alteri Sacerdoti nolenti baptizare puerum morientem, nisi pecuniam recipiat, possim ego absque Simonia dare?*

Resp. DD. dividuntur; affirmant Ponc. *cit. conc. 1. num. 28.* de la Cruz *qu. 47. præcept. dub. 2.* Antonius *à S. Sancto de Simon. tract. 4. disp. 4. sect. 8.* Layman. *cit. 82.* alios plures citantes, resolventes peccatum non esse dare pecuniam Sacerdoti nolenti infantem baptizare, vel absolvere adultum, de proximo morituros, nisi recipiat pecuniam, quam aliàs licitè recipere non posset, modò non detur in pretium pro ipsa baptizatione, seu absolutione, quia ita emeretur Sacramentum, sed ad redimendam injustam vexationem, & injuriam, quæ eis irrogatur: vel, ut, ea ratione, alliciatur, moveatur, & molliatur avari Sacerdotis animus; supponunt ibi alium non esse, qui possit præfatos respectivè baptizare, & absolvere.

Negant D. Thomas *2. 2. qu. 100. art. 2.* ad primum. Cajetanus *ad eundem* locum, Sylvest. Paludanus, Aragonius apud eundem, Layman. Campionus *cit. nu. 13.* Et horum sententiam veram censeo, & juxta Decretum Innoc. ac alteram sub damnatione comprehendi, quod probo: Innocentius damnat ut Simoniacum, dare temporale pro spirituali, quamvis non detur ut pretium, sed dumtaxat

tamquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale; sed juxta Authores primæ sententiæ pecunia illi Sacerdoti conferretur, ad minus tamquam motivum conferendi baptismum, & absolutionem, ergo eorum opinio ab Innoc. damnatur.

Quia itaque dare pecuniam in dicto casu esset ad minus virtualiter, & æquivalenter ex natura operis, & dationis, emere Sacramentum, & Dei donum (quod est intrinsecè malum, & prohibitum, contra illud *gratis accepistis, gratis date*) à nullo fine extrinseco potest honestari, & licitum reddi; semper enim hæc deformitas reperitur, quòd Dei donum gratis non detur, ac irreligiosè, & cum injuria res divina tractetur.

Hinc in praxi, & facti contingentia, debet quis se gerere eo modo, ac si non foret, qui puerum baptizaret; ex regula illa, quòd pro eodem reputantur non habere ministrum, ac non posse illum habere absque peccato: Verùm, si Pater infantis posset tunc ipsum baptizare, deberet: si baptizandus esset adultus, & in periculo mortis, nullusque adesset, nisi qui exigeret pecuniam ad ipsum baptizandum, deberet suam salutem procurare baptismo flaminis, & desiderii, quemadmodum per actum contritionis suam adultus moribundus, quem absolvere nollet Sacerdos, nisi recepta pecunia.

14. Sed quæritur, *an Pater posset ab eo Sacerdote aquam emere? supponitur, quòd non sit alia aqua, quam illa, quam habet præfatus Sacerdos.*

Resp. Affirmativè, ita D. Thomas ubi supra, firmans posse emi, quà purum elementum corporale est; sed si pretium Sacerdos ille vellet augere, propter benedictionem aquæ, quæ fit in Sabatho Sancto, illicitum?, & Simoniacum foret illam emere.

Pro materia itaque remota baptismi, potest pecunia dari, sicut datur pro pane, vino, & oleo, non vero pro materia proxima, ablutione nimirum.

15. Sed quæritur, *an possit licitè vendi Calix consecratus?*

Resp. Affirmativè, *cap. Hoc jus porrectum 10. qu. 2.* modò prius frangatur, & pretium non augeatur ratione consecrationis, solaque materia æstimetur, non habita ratione benedictionis. Fagnan. *in 1. decretal. ad cap. Cum pridem de pactis num. 63.*

Nequit tamen pro pretio locari usus rerum sacrarum, quia censeretur venditus usus rei, qui est spiritualis, & sacer: Engel. *numer.* 18. & De la Cruz *dub. 5.*

16. Quæritur, *cur possit vendi Calix argenteus consecratus, & non beneficium Ecclesiasticum? sicut enim in Calice argentum est res temporalis, & secundùm se pretio æstimabile, ita in beneficio jus percipiendi temporales redditus pretio æstimabile est?*

Resp. Discrimen est, quia Calix consecratus est annexus rei spirituali antecedenter, quatenùs argentum, quod est materia Calicis, sua natura, non pendet ab annexa consecratione; quæ in eo est accessorium, & argentum principale; ideò vendi, & æstimari secundùm se potest, non vendito, nec æstimato spirituali. Beneficium verò est annexum rei spiri-

spirituali consequenter, quia beneficium, seu jus percipiendi redditus datur tamquam stipendium, debitum propter officium, seu ministerium spirituale: beneficia enim sunt instituta pro celebrandis divinis officiis, & non dantur nisi propter officium *cap. final. de rescript. in 6.* Unde si alicui vendatur jus beneficialium reddituum, venditur etiam illi jus spirituale exercendi officium, seu collatio, aut assignatio ad sacrum officium, cui redditus destinantur: quæ collatio, & assignatio est sacra, & ex divino jure profecta. Cabasut. *capit. 3. num. 14.*

17. Quæritur, *an Sacerdos possit sine peccato Simoniæ recipere pretium, eique à fidelibus dari pro celebratione Missæ?*

Resp. Negativè, ut pretium Sacrificii, & operis, vel, tamquam mercedem correspondentem fructui, quem applicat ei, pro quo celebrat, cùm invendibilis sit, & cum nulla proportione ad temporale pretium; bene verò, tamquam stipendium sustentationis ipsius Sacerdotis, privantis se sua libertate ad inserviendum alteri pro tali tempore, cui gratis servire non tenetur; quæ ratio valet etiam in Sacerdote divite, qui aliis gratis famulari non obligatur.

18. Sed quæritur, *an id etiam dicendum sit de Parocho?*

Resp. Negativè, nam Parochi ex officio, & justitia tenentur populo Sacramenta ministrare, & pro Parochianis sacrificium applicare, sic, ut si redditus pingues sint, singulis diebus, si verò tenues, saltem diebus festivis ex Sac. Cong. Concilii decreto edito sub 10. *Maii* 1681. vide *lib. 1. cap. 6. num. 14.* quia igitur Parochis assignati sunt redditus, unde sufficienter sustentantur, nil possunt justè exigere; quia jus non habent, nec titulum exigendi: idcirco talis exactio est injusta, & speciem gerit Simoniæ, Layman. *cit. n. 16.*

Quapropter DD. conveniunt, quòd si Sacerdos vocatus ad audiendas Confessiones, vel celebrandum ad locum distantem, teneatur ex officio, vel beneficio ire, ut Confessiones audiat, celebret, vel baptizet, non possit aliquid pro eo labore exigere. Poncius *cit. num. 29.*

19. Sed quæritur, *an possit Sacerdos licitè recipere aliquid pro labore, insumpto in ipsa administratione Sacramentorum, celebratione, Concione &c.*

Resp. Negativè; Nota DD. considerare duplicem laborem in his sacris actibus, & ministeriis; alium cum eis intrinsecè conjunctum, & per se necessarium ad tale ministerium, prout ab hominibus moraliter exerceri potest, & solet, propriè ab illo inseparabilem; hujusmodi est labor, & studium, quod adhibet Concionator in paranda Concione, vel in mandando eam memoriæ; & ille, qui adhibetur à Sacerdote adeundo Ecclesiam ad celebrandum, in assumptione vestium sacrarum, in legenda Missa, &c. Et alium extrinsecè, seu per accidens conjunctum cum Sacramentorum administratione, sive prævius, sive concomitans sit actionem: ut est se conferre de loco ad locum, locare libertatem suam, obligando se ad celebrandum, vel prædicandum, aut audiendas confessiones in

loco particulari, & pro toto anno, vel pro toto tempore Quadrageſimali, aut tota hebdomada, aut ſingulis diebus feſtis &c. Pro primo labore, nequit ſine Simonia aliquid recipi; ratio eſt, quia labor ille, quatenus per ſe neceſſarius eſt, ut habeatur tale miniſterium, veluti integrat unum corpus morale, quod totum ſacrum eſt, & ut tale tractandum; bene verò pro ſecundo, quia eſt per accidens conjunctus cum re ſpirituali, ſine quo poteſt miniſterium ſacrum exercen; hinc propriè pretium recipitur pro obligatione aſſumpta, & ſuæ operæ locatione, quæ ſunt, quid temporale, & extrinſeca rei ſpirituali. Sperellus *dec. 7. num. 13.* plures allegans juncta Gloſ. in *cap. ſignificatum de præbend. ver. ita quod*, & ibid. videndus Fagnan. *in 3. decretal.*

20. Videant itaque Concionatores, ne paciſcantur de ſtipendio, recipiendo pro ipſa Concione, nam id abſque labe Simoniæ non agerent; quia, licèt prædicatio compoſita ſit ex re ſpirituali, & temporali ſimul, nempe ex verbo Dei, & labore, formaliter tamen, ac principaliter eſt ſpiritualis: nec pro ipſis laboribus per ſe neceſſariis ad ipſam, aliquid recipi poteſt ibid. ex Cajetano Sperellus, ſed ſolùm pro ſua ſuſtentatione, & laboribus per accidens connexis, juxta conſuetudinem approbatam.

21. Quæritur, *Pœnitens Confeſſario aperit ſe dediſſe Sacerdoti pecuniam, ut ſuam Confeſſionem exciperet, & ut Miſſam celebraret, ſine qua neutrum exequi voluit, quid Confeſſarius dicturus eſt?*

Reſp. Quod non peccaverit dando ſtipendium juxta conſuetudinem ab Eccleſia approbatam, ut Miſſam celebraret, modò ad id ex officio, vel beneficio non teneretur: aut non ſignificaſſet ſe pecuniam exigere, tamquam pretium pro fructu, aut applicatione ſacrificii, intendens vendere rem ſpiritualem; bene verò conferendo pecuniam, ut confeſſionem exciperet, nam id ab Eccleſia reprobatur, & Simoniacum eſſe ſtatuitur pretium dare, vel accipere pro abſolutione à peccatis *cap. Nemo Presbyterorum de Simonia: & cap. ad noſtram ed. tit.* interdicitur, ne pro miniſterio Eccleſiaſtico exercendo pecunia, vel aliquid exigatur. Ideò DD. tradunt omnem actum juriſdictionis Eccleſiaſticæ eſſe materiam Simoniæ, ea ratione, quod poteſtas Eccleſiaſtica ſit ſpiritualis, tum ratione principii, tum finis, adeòque actus ab ea procedentes; ex quo ſequitur etiam nil poſſe accipi pro actibus juriſdictionis voluntariæ, diſpenſatione in voto, juramento, impedimento matrimonii &c. nec pro actibus juriſdictionis contentioſæ: ſic dictæ, quia exigit proceſſum judiciarium, ferentem ſtrepitum judicii, & pro tribunali exercetur.

22. Sed quæritur, *an Simoniam committat Sacerdos, qui pecuniam recipit, ut pœnitentem non abſolvat?*

Reſp. Affirmativè, ex *allegat. cap. nemo Presbyterorum*, in quo utrumque Simoniacum dicitur, & munus accipere, ut pœnitentem reconciliies, & munus accipere, ut pœnitentem à reconciliatione removeas; ratio eſt, quia omiſſio actus ſpiritualis, qui eſt ex poteſtate juriſdictionis Eccleſiaſticæ ſic, ut eam non exercere ſit mortaliter hominem authoritati-

vè ligare, aut ligatum detinere, est Simonia; unde, si audita confessione pœnitentis, & clave dictante eum esse dignum absolutione, vendas negationem absolutionis, Simoniacus es, quia talis negatio tunc procedit à potestate spirituali clavium, Confessoribus data *Joan. 20.* qua possunt absolvere: & ligatum detinere, negando absolutionem; sic dicitur de examinatore, qui, pecunia recepta, spondet se non approbaturum dignos ad Ordines, quia approbare, vel approbatum declarare est actus Ecclesiasticæ jurisdictionis, & potestatis. Layman. *numer.* 43. De la Cruz *dub.* 7. *conc.* 2.

23. Quæritur, *an Simoniam committam, si conferam panperi eleemosynam, ut pro me oret?*

Resp. Et pro responsione refero verba D. Thom. 2. 2. *qu.* 100. *art.* 3. ubi ad argumentum sibi objectum: quod pro Missis cantandis aliqui Sacerdotes præbendam, vel pecuniam accipiunt, sic ad 2. habet: *quod Sacerdos non accipit pecuniam, quasi pretium consecrationis Eucharistiæ, aut Missæ decantandæ, hoc enim esset Simoniacum, sed quasi stipendium suæ sustentationis.* Hæc applica ad dubium, & ad stipendia, quæ dantur pro Processionibus, & exequiis.

24. Quæritur, *an Simonia committatur, si aliquid recipiatur pro ingressu in Religionem?*

Resp. Affirmativè, si Superior, vel alius Religiosus conveniat, & paciscatur cum ingressuro, vel professuro de dando, vel recipiendo aliquid, ut ad Religionem, vel professionem admittatur; cum admissio ad Religionem, & professionem sit aliquod spirituale, tendens ad salutem animæ, & cultum Dei: idque prohibetur *cap. Non satis, cap. veniens, & cap. quoniam de Simonia.* Dum verò admittendus, liberaliter Monasterio, vel Ecclesiæ capaci sua bona offert, licitè recipi possunt: quemadmodum aliquid pro sustentatione temporali ipsius Religiosi, si Monasterium sit capax, & inops juxta consuetudinem. Engel. *nu.* 21. Layman. *num* 29. Cabasut. *lib.* 5. *cap.* 5. *sup.* 17. Qui *num.* 17. refert. Clement. VIII. declarasse, Moniales non esse Simoniæ reas paciscendo de dote recipiendarum pro sufficienti, & congrua ipsarum sustentatione, non pro ipsa admissione ad statum Religiosum. Lege decretum S. Cong. apud Fagnan. *in* 3. *ad cap. non amplius de instit. numer.* 25. & quæ dixi *offic. Cur. Ecclesiast. cap.* 32. *num.* 13.

25. Quæritur, *an Franciscus vendens Agnum Dei, benedictum ab Innoc. XI. Simoniam committat?*

Resp. Affirmativè, si Agno benedicto non sit ornamentum adjunctum; vel etiam, si propter benedictionem intendat pretium augere; secus, si solum pretium vellet ad æstimationem ornamenti: nam sacræ Reliquiæ venales non debent esse, *cap. cum ex eo de Reliq. & vener. Sanct.*

26. Sed quæritur, *an liceat commutare unum benedictum ab Innoc. cum alio benedicto à B. Pio V.*

Resp. Affirmativè; Campionus *num.* 23. & consentit Layman. *num.* 57. & Glos. *ad cap. ad quæst. de rerum permut.* notans spiritualia inter se rectè permutari; verùm id non intelligitur de beneficiis,

neficiis, & redditibus Ecclesiasticis, quia id SS. Canones, ut Simoniacum prohibent, nisi accedat legitimi Superioris facultas; idcircò, si quilibet alius pravus contractus absit, & non intendatur uno Agno alius emi, illicitum non videtur.

27. Sed quæritur, *an liceat sacras Reliquias ab infidelibus pretio redimere.*

Resp. Affirmativè, quemadmodum legitur, antiquos Christianos Martyrum corpora à carnificibus redemisse. Cabasut. *cap. 4. num. 9.*

28. Quæritur, *an Simonia sit ex genere suo peccatum mortale?*

Resp. Affirmativè: est peccatum contra Religionem, & sacrilegium, quia indignè tractantur res sacræ: & contra justitiam, dum venduntur divina, quæ sunt prorsus invendibilia, cùm nullum pretium sit, quo æstimari possint, & in nullius sint dominio nisi solius Dei, quorum homo est purus dispensator, quæ ad vendendum, vel nundinationem non accepit, sed ad gratis communicandum, sicut gratis accepit: unde ratio naturalis dicit illicitum, & injustum esse ea vendere, & pretium receptum esse restituendum.

Et, proportione servata, verificatur, tum de Simonia juris Divino, & naturali prohibita, quæ committitur in venditione rei spiritualis, & beneficii Ecclesiastici, tam Curati, seu habentis annexam Ordinis Sacri executionem, quàm Simplicis *cap. ex multis, cap. si quis objecerit 1. quæst. 3.* tum de illa jure Ecclesiastico vetita, qua delinquitur in beneficiorum permutatione, facta sine auctoritate legitima *cap. quæsitum cit.* & juxta superius dicta.

29. Quæritur, *an possit esse venialis ex parvitate materiæ?*

Resp. Negativè, nam semper venditur gratia, & donum Spiritus Sancti, per quod atrox injuria Deo infertur, ut habetur *cap. eos 1. quæst. 1.* & existimatur donum Dei pecunia possideri, ac excellentius non esse omni pretio, & re temporali; quare, sive pro re temporali detur unum Ave, sive totum Psalterium, semper mortaliter peccatur, quin semper gravis deformitas reperitur in utroque: gravior tamen esset, si quis Eucharistiam venderet. Et resolutio procedit, sive pro re spirituali unus obolus accipiatur, sive centum aurei; immò in primo casu videtur major irreverentia, quia quo minori pretio res venditur, eo minoris videtur æstimari, & ita major videtur irreverentia. Vide Fagnan. in *1. decretal. de pactis cit. num. 9.*

30. Quæritur, *cuinam sit restituenda pecunia, vel res temporalis recepta pro spirituali?*

Resp. Regulariter ei non est restituenda, qui eam contulit, quia turpiter, & contra legem irritantem, ac justitiam dedit, sed Ecclesiæ, in cujus ignominiam data fuit *cap. si quis in atrio 17. quæst. 4. & cap. de hoc de Simonia*, & ibi Glos. *in ver. restituant*; vel pauperibus, si Ecclesia fuerit in culpa, hoc est totum Collegium consensit Simoniæ. Ex misericordia tamen potest danti tribui, dum non habet, unde vivat, vel cum dans pecuniam non peccavit in jure, vel in facto, quia bona fide, & ignoranter dedit. Fagnan. *in 5. decretal. ad cap. tua nos de Simonia numer. 13.* Cabasut. *cap. 9 num. 2.* nam inculpabiliter dedit.

31. Sed

31. Sed quæritur, *an res Simoniacè acceptæ, ut Beneficium, & dignitas Ecclesiastica, sit resignanda, & dimittenda?*

Resp. Affirmativè, *ex cap. cum detestabile de Simonia inter extravag. com. & ex const. B. Pii V. Cum primum in Bullar. Cherub.* in qua hæc sunt: qui *dignitates Ecclesiasticas Simoniacè acquisiverit, illis sit ipso jure privatus, & in futurum inhabilis ad eas, & quascumque alias obtinendas; qui Beneficium, aut Officium Ecclesiasticum Simoniacè adeptus fuerit, illis similiter sit ipso jure privatus, & ad fructuum omnium, quos perceperit, restitutionem teneatur, & perpetuò sit inhabilis, &c.*

Et non modò resolutio procedit, si Simonia fuerit realis, verùm etiam si fuerit conventionalis, ut expressè disponit Pius IV. *const. in sublimi*, ibid. edita pro reformatione Sac. Pœnitentiariæ: in qua legitur: *Caveat, etiam Pœnitentiarius, ne in absolutionibus à Simonia reali, vel conventionali etiam occulta, unquam concedat, ut ipsi Simoniaci Beneficia, super quibus Simoniam commiserunt, seu pecunias, vel alia pro illis accepta, aut fructus, exinde post commissam Simoniam acceptos, in toto, vel in parte retinere possint; quinimmò in absolutionibus hujusmodi apponatur clausula, quòd uterque ad Beneficium, super quo fuit commissa Simonia, perpetuò inhabilis existat.*

32. Sed quid, *si quis ignorans Simoniam Beneficium receperit, vel ad Prælaturam fuerit electus?*

Resp. Tunc collatio nulla est *cap. novis de Simonia*, ubi nulla declaratur illius electio, cujus amici, ipso ignorante, dederunt electoribus aliquod pro illius electione: qui si habita notitia commissæ Simoniæ, dignitatem, vel Beneficium non dimittat, pœnis pro Simoniacis taxatis ligatur. Piasec. *prax. par. 2. cap. 4. art. 6. n. 11. & n. 12.* tradit, Simoniacum teneri in foro conscientiæ dimittere Beneficium, & fructus restituere, etiam ante sententiam declaratoriam Judicis; quia, ut notat *Quaranta sum. Bullar. ver. Simoniæ vers. quantam igitur*, in illis non videtur justè intitulatus, cum ab initio nihil juris in eis acquisierit: & non modò fructus reddere tenetur, verùm & id in quo factus ditior, demptis expensis. De la Cruz *dub. 17. v. sup. num. 13. & 14.*

33. Quæritur, *an Simonia inducat excommunicationem Summo Pontifici reservatam?*

Resp. Affirmativè: pro Simonia commissa pro ingressu Religionis, tam dantibus, quàm recipientibus aliquid, legitur statuta *cap. sanè de Simon. extravag. com.*

Pro illa commissa à Simoniacè Ordinante, & Ordinato, ac à mediatoribus, sive manifesti sint, vel occulti, habetur *cit. cap. cum detestabile*: & nota, Sixtum V. in Bulla, *Sanctum, & salutare* contra Simoniacè, & promoventes alias statuisse pœnas, quas, quo ad eos Clement. VIII. in sua *const. Romanum Pontificem*, quamvis, quò ad alia, moderetur illam Sixti, firmas esse voluit. Ordinans itaque. I. Suspenditur ab executione munerum Pontificalium, & à collatione ordinum, etiam Primæ Tonsuræ. II.

Inter-

Interdicitur ab ingressu Ecclesiæ: &, si spretis suspensione, & interdicto, prædictis temerè se ingesserit, à regimine suæ Ecclesiæ, aut Monasterii, & à perceptione fructuum omnium suorum beneficiorum suspenditur, & à solo Papa suspensio relaxatur. Ordinatus verò. 1. Suspenditur ab exercitio Ordinum, sine spe ascendendi ad alios ordines. Si præsumpserit ministrare, fit irregularis, & privatur quolibet beneficio, & dignitate: &, si fuerint Regulares, etiam voce, activa, & passiva.

Pro illa verò, tam in collatione, quàm adeptione beneficiorum, & dignitatum Ecclesiasticarum commissa legitur in alleg. *cap. cum detestabile*, & comprehendit tam principales, quàm mediatores, & procuratores, & electos, ac eligentes.

34. Sed quæritur, *an scientes aliquos in præfatis Simoniam commisisse, vel procurasse, aut mediatores fuisse, & non revelantes, aliqua censura innodentur?*

Resp. Quamvis nulla ligentur, adhuc tamen absolvi non possunt, donec revelent, ut ibi expressè textus.

35. Sed quæritur, *an Simonia debeat esse realis, ex utraque parte completa, sic, ut ex una parte datum sit pretium Simoniacum, sive in totum, sive ex parte, & ex altera contributares spirituales, & sacri à?*

Resp. Affirmat Layman. *cit. num.* 68. Cabasut. *cap.* 8. *num.* 2. Ant. à Spiritu Sancto *sect.* 29. Piasec. *cit num.* 6. Dela Cruz *dub.* 19. & habetur ex alleg. decreto sub Clem. VIII. in quo inter alia prohibetur, Confessarios absolvere *à Simonia reali scienter contracta, & confidentiabeneficiali* Crediderim sufficere etiam conventionalem mixtam.

36. Sed quæritur, *an Simoniamentalis inducat censuram?*

Resp. Negativè; *ex cap. mandato de Simon.* Piasec. *prax part. cap* 4. *art.* 7. Fagnan. *in* 1. *decretal. ad cap. cum ad nostram de elect. num.* 19. *& ad cap. ex parte de offic deleg num.* 29. *& in* 5. *adcit. c. tua* D. Thom 2.2 *q.* 100. *art.* 6. *ad* 6.

37. Sed quæritur, *an inducat obligationem resignandi beneficium, & restituendi receptum proeo?*

Resp. Plures negant: sed non consentio, nam pretium pro re invendibili datur, & sumitur, & ita nec emptor rem spiritualem, neque venditor pretium suum facit; propterea dixerunt quidam apud Cajetanum dari obligationem restituendi rem spiritualem, & pretium respectivè, non ratione legis Ecclesiasticæ, sed ratione juris naturalis, quatenus injustè accipitur, quidquid Simoniacè adipiscitur; sed quia alleg. *cap. mandato* statuitur sufficere Simoniaco mentali, qui sine prævio pacto, sed affectu animi recepit temporale pro spirituali, ut Deo per solam pœnitentiam satisfaciat; & non exigit resignationem, & restitutionem, immò non teneri concludit, ideò juxta ibi dispositapraxis esse potest; sed meliori resolutioni me submitto.

Nota ad incurrendam censuram contra reos Simoniæ confidentialis in beneficiis, statutam à B. Pio V. *in const. intolerabilis*, sufficere, si unus alteri beneficium in confidentiam resignet, quamvis alter in confidentiam

tiam non intendat recipere, ut ipse B. Pontifex per hæc verba significat, *etiam si sola dimittentis intentione receperit*; & infra: *licèt ipsum confidentiæ crimen alterius tantùm partis conscientiæ sit admissum.*

38. Quæritur, *quomodo se gerere debeat Confessarius cum pœnitente Simoniaco?*

Resp. Si reus sit Simoniæ realis, scienter contractæ, aut confidentiæ beneficialis eum absolvere nequit juxta disposita in allegatis constitutionibus, & adducto decreto sub Clemente: sed debet ipsum ad summum Pontificem dirigere.

39. Sed quid, *si haberet facultatem, ut tempore Jubilei, absolvendi a casibus in eo decreto expressis?*

Resp. Deberet prius interrogare, an habuerit errorem in intellectu contra fidem, credendo dona Spiritus Sancti, & res divinas pecunia posse possideri, & in commutationem venire pro re temporali: & an illum externè manifestaverit; si affirmet, utpotè hæreticus formalis, absolvi nec potest tempore Jubilei ex dictis *lib.* 1. *cap.* 24. *n.* 29. nisi in literis sit specialiter indultum, quod etiam ab hæresis crimine Confessarii absolvant.

40. Sed quid, *si contra fidem nil credidit?*

Resp. Debet respectivè obligare ad restitutionem pretii Simoniacè recepti, & ad dimittenda beneficia, fructus perceptos, ac Ecclesiasticam dignitatem, & Prælaturam Simoniacè adeptam; nec potest absolvere, nisi cum effectu ea adimpleat, dum impotens moraliter non sit.

*Matthæucci Cautela Confess.*

41. Sed quæritur, *an tempore Jubilei possit pœnitentes Simoniacos habilitare ad officia, & dignitates, ad quas per simile crimen fiunt inhabiles.*

Resp. Negativè, nisi in literis Jubilei id expressè concedatur, quod regulariter semper negatur; quemadmodum & facultas dispensandi super irregularitate, prout expressè in eis legitur.

## CAPUT XXVII.

*Prop. XLVII. ab Innoc. XI. &c.*
*Electio ad dignitates Ecclesiasticas.*

1. PROP. 47. *Cum dixit Conc. Trid. eos alienis peccatis communicantes, mortaliter peccare, qui, nisi, quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles, ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent, Concilium, vel, primò videtur per hoc digniores, non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo: vel secundò, locutione minus propria, ponit digniores, ut excludat indignos, non verò dignos vel, tandem loquitur tertio, quando fit concursus.*

Propositionem docuit Tambur. *lib.* 8. *in decalog. tract.* 3. *cap.* 4. §. 4. *nu.* 5 & 8. Poncius *cursu Theolog. disp.* 59. *quæst.* 1. *conc.* 5. *num.* 40. Contra quos alioque Authores sensum verborum Trid. *sess.* 24. *cap.* 1. *de ref. nisi, quos digniores*, tangentium qualitates necessarias in personis assumendis ad Ecclesiasticas dignitates, Prælaturas, & beneficia, extorquentes ad improprium, & nutritivum peccati, est decretum Innoc. Quod est à Confessario ponderandum, ut si-

milis opinionis viros, à reprobato errore ad veram intelligentiam reducat; ac Distributorum, & Electorum conscientias juxta legitimum sensum in Trid. expressum, & ab Innoc. intentum instruat, & dirigat.

2. Quæritur, *quinam censeantur digniores pro beneficiis, & Ecclesiasticis dignitatibus.*

Resp. Qui habent qualitates requisitas ad ministerium dignè, & laudabiliter in utilitatem Ecclesiæ, & animarum bonum exequendum: digniores itaque reputantur, non qui absolutè doctiores, & nobiliores, aut sanctiores fuerint, sed qui, consideratis omnibus, Ecclesiæ, & bono communi utiliores futuri esse creduntur. Considerandum est beneficia Ecclesiastica primariò, & principaliter instituta esse in utilitatem Ecclesiæ, ut hæc habeat idoneos Ministros; secundariò, & minus principaliter, ut præmia eorum, qui de Ecclesia, ob eorum virtutes, & doctrinam benemeriti sunt, & aptiores ad serviendum Ecclesiæ; quare digniores non præcisè ex doctrina, & probitate, sed etiam ex prudentia, & aptitudine ad regendum, æstimandi sunt, quod dixit D. Thom. 2. 2. *quæst.* 63. *art.* 2. & ipsum Trid. ibidem per adjectam clausulam, *& Ecclesiæ magis utilis*, per quam priorem *digniores* explicuit.

3. Sed quæritur, *an sit mortale eligere minus dignum ad Prælaturam Ecclesiasticam, eique beneficia, & Officia Ecclesiastica conferre, qui minus utilis bono communi, & animarum saluti prævidetur, relicto digniori, & qui magis idoneus pro utilitate spirituali judicatur?*

Resp. Affirmativè, sic *loc. citat.* Trid. & D. Thom. *artic.* 2. & cum illo omnes communiter: nam id est mortale, quod ex sua natura habet oppositionem cum charitate, seu cum mediis necessariis ad conservandam charitatem cum Deo, vel proximo; sed electio minus digni, relicto digniori, oppositionem habet cum justitia distributiva, quæ est medium necessarium ad conservandam charitatem cum proximo: quia, qui non vult dare per justitiam distributivam bonum proximo debitum, certè non vult bonum proximi, nec eum diligit.

Addo, quòd electio minus digni, relicto digniori, est electio minus utilis, relicto magis utili, ergo, qui ipsum eligit, non justè procedit, necessitatis providet ad impedienda peccata, & peccatorum pericula, quæ per magis idoneum impediri possent; & peccat etiam contra charitatem, peccato scandali, dum præbet proximo occasionem ruinæ spiritualis, & alienis peccatis cooperatur.

Solùm ex parvitate materiæ potest esse veniale, si nimirum leve detrimentum debeat communitas sentire; ponderat in fine cap. verba D. Thomæ.

14. Sed quæritur, *qua ratione electio minus digni opponatur justitiæ distributivæ?*

Resp. Quia per hujusmodi electionem delinquitur peccato acceptionis personarum: acceptio autem personarum est vitium justitiæ distributivæ oppositum, pro ut optimè S. Thom. *cit. art.* 1. cum

cum quo ponderet Confessarius, justitiam distributivam esse virtutem, cujus est bona Reipublicæ inter cives ejusdem ad ipsius utilitatem dividere, & distribuere, servando æqualitatem Geometricam, ad ipsorum qualitates, & merita; cui per defectum opponitur acceptio personarum: quæ tunc contingit, quando Superior in distribuendis bonis Reipublicæ non considerat merita personæ, nec utilitatem respicit Reipublicæ, sed, vel personam, aut qualitatem ipsius, quæ in tali distributione considerandæ non sunt: v. g. confert quis Petro Parochiam, vel in Prælatum Paulus eligitur, non quia dignus, idoneus, ac utilis futurus populo, vel Provinciæ consideretur, sed quia consanguineus, amicus, nationalis, vel, quia non considerantur qualitates, quæ reddunt præfatos dignos Parochia, vel Prælatura, sed solùm personæ, vel conditiones, quæ nil faciunt, ut sint digni talibus ministeriis; alioquin, si sola amicitia ad id sufficiens foret, amico etiam inepto, ad satisfaciendum obligationibus suis, & Reipublicæ non utili, possent ea sine peccato dispensari, quod est falsissimum propter damnum, quod pateretur Communitas, & peccata, quæ non impedirentur in populo.

5. Quæritur, *petit Distributor officii Ecclesiastici instrui super modo, quem servare debet, ne erret, in distributione, & electione, quid Confessarius dicturus erit?*

Resp. Inter alia monebit, I. Quòd obligationem habet ita providendi, ut ex electione, vel distributione damnum Ecclesia, vel populus non patiatur.

II. Quòd officia Ecclesiastica debent distribui in bonum Ecclesiæ, & animarum.

III. Quòd sufficientem diligentiam debet adhibere ad examinandum, qui sit dignus, quive dignior.

IV. Quòd debet provideri servitium, vel ministerium, & non persona.

V. Quòd bona Communitatis, & præsertim Ecclesiastica officia, sunt distribuenda meritis, & juxta cujusque merita; ac jus ad ea fundatur in merito, consequenter, quòd majus habeat, qui magis meretur, & est utilior.

VI. Quòd una persona potest esse digna respectu unius officii, & non respectu alterius; sic, quis potest esse dignus pro Canonicatu, & non pro Episcopatu, pro Magisterio, non pro Provincialatu.

VII. Quòd is, cui commissa est distributio beneficiorum, & dignitatum Ecclesiasticarum, non est Dominus bonorum Ecclesiæ, ut possit ea dare pro libito suo, sed dispensator, S Thom. *art. 2. ad 1.*

6. Quæritur, *Petrus impedit, ne Paulus consequatur beneficium ei ab Episcopo destinatum, quid debet Confessarius agere cum Petro?*

Resp. Quærat, 1. An impediverit ex odio, aut ex invidia, & tunc semper peccavit contra charitatem: 2. An viis injustis, puta, vi, dolo, vel fraude, & tunc debet Petrum urgere, ut manifestet injustas vias. Si Episcopum removerit ab intentione conferendi, ex quo falsa, vel vera, sed occulta, de Paulo Episcopo

retulerit, debet ipsum obligare ad vim, & fraudem tollendam, ac Paulo apud Episcopum famam restituendam: 3. Animadvertat, qualitatem beneficii, & dispositionem Episcopi ad conferendum: & pensata hic, & nunc conditione personarum, & negocii, obliget ad aliquid restituendum, sed non ad æquale, sed quantum hic, & nunc valet spes beneficii: quòd cum adhuc non sit adeptum, potest multipliciter impediri. D. Thomas.

7. Sed quid, *si jam adeptus fuerit, & quis indebitè operetur, ut eo privetur?*

Resp. Teneturad restitutionem æqualis, seu fructuum, quos Paulus potuisset ex beneficio percipere.

8. Sed quid, *si non vi, aut fraude, sed solùm mendaci consilio fuerit causa, quod Paulus beneficium non obtineret?*

Resp. Etiam tunc teneretur restituere; ratio est, quia est causa injustè influens in damnum Pauli, ibidem S. Doctor.

Ex his nota, quòd impediens alterum vi, aut dolo, & fraude à consecutione alicujus boni, tenetur auferre fraudem, & vim, ac restituere damnum, quod sequitur; ratio est, quia, sic impedito, injuria irrogatur, ac jus læditur; cum injuria aliud non sit, quàm læsio juris alieni, quod quisque ex justitia habet, ne per causam indebitam, fraudem nimirum, & dolum impediatur à bono sibi dando; etiam si conferendum esset ex misericordia, liberalitate, vel gratitudine, Joan De la Cruz 7. *præcep. qu. 7. art. 2. dub.* 8.

9. Quæritur, *an, qui ex officio, sibi ab Ecclesia commisso, debet distribuere beneficia Ecclesiastica, teneatur restituere, si in distributione non procedat secundum dictamen justitiæ distributivæ, dictantis esse attendendas qualitates, & merita personarum, quæ possunt esse Ecclesiæ magis utiles, juxta proportionem boni communis?*

Resp. Affirmativè; ratio est, quia in Distributore, cui ex officio ab Ecclesia sibi commisso incumbit promovere ad officia, & beneficia, adest obligatio ex justitia commutativa erga Ecclesiam, ad procurandum maxima bona, & impedienda damna; sed hujusmodi non possunt impediri, & respectivè procurari, nisi digniores ad ea promoveantur; nam certè majus bonum in animarum salutem expectandum est, & minora damna timenda, si cura Parochialis, vel Prælatura committatur aptiori, quàm minus apto. Illsung. *Theol. moral. tract. 4. disp. 2. quæst. 1. art. 3. § 2. num.* 12. & Joan. De la Cruz 7. *præcept. quæst. 7. art. 2. dub.* 11. Voluntas Ecclesiæ est, ut beneficia distribuantur cum proportione ad merita, quam Distributor tenetur sequi ex justitia commutativa; & ita ex ipsius voluntate providere ministros magis idoneos ad occurrendum malis, & bonum promovendum: ac restituere damna secuta, tum Ecclesiæ, tum digniori relicto, dum secus egerit De la Cruz *conc.* 5.

10. Sed quæritur, *quomodo est restitutio à distributore facienda?*

Resp. Si Ecclesiam, v. g. Parochialem, de inepto Pastore providit, tenetur provisionem irritam declarare, eique curam con-

conferre, cui debuisset conferri, ac compensare fructus, quibus injustè privatur: detrahi tamen debent expensæ, quas necessariò in suam sustentationem fecisset.

11. Quæritur, *an indignus provisus, suam indignitatem cognoscens, teneatur officium in foro conscientiæ ante Judicis sententiam dimittere?*

Resp. Affirmativè, quia sicut nullum jus habet ad beneficium, ita nullum jus in beneficio acquirit, nec potest suos fructus facere; ita Layman. *lib. 4. tract. 2. cap. 15. num. 2.* discurrens de invalidè electo propter impedimentum canonicum, censuræ, irregularitatis &c. nam excommunicato, suspenso, vel interdicto Ecclesiasticum beneficium conferri non potest, & collatio est nulla. Piasec. *prax. p. 2. cap. 5. art. 3. n 25.*

12. Sed quid, *si invalidè provisus, impedimentum ignoraverit, & bona fide fructus percèperit?*

Resp. Tenetur posteà restituere fructus extantes, & etiam, quatenus locupletior factus est, idem ibid.

13. Quæritur, *an valeat electio minus digni, relicto digniori, & eo, qui magis utilis creditur?*

Resp. Affirmat Piasec. *cit. numer. 12.* Engel. *colleg. jur. canon. lib. 1. tit. 6. nu. 48.* Fagnan. *in 1. decretal. ad cap. eum dilectus de const. num. 19.* D. Thom. *cit. quæst. 63. art. 2. ad 3.* nam licèt Sacri Canones, & omnia jura clament, ut meliores, & utiliores Ecclesiæ, animarumque bono, etiam extra concursum, contra Authores propositionis ab Innoc. damnatæ, eligantur, adeò ut peccent electores contra justitiam distributivam, si, omisso digniori, eligant dignum; tamen post electionem, illa minus digni, omisso digniori, irrita ipso jure non est, nec retractatur, sed sustinetur, ut litium occasiones amputentur. Circa distributionem Ecclesiarum Parochialium, vide Const. B. Pii V. *In conferendis Kal. April. 1566.*

14. Quæritur, *an possit electior denegare suffragium in electione illius, quem ex confessione scit esse Prælatura indignum, & præsertim, si vota dentur ita secretò, ut nunquam sit agnoscendum, qui non dederit: v. g. simus congregati ad effectum eligendi Prælatum, in consultoriis tractatibus, electioni de necessitate præmittendis, omnes convenimus Petrum esse Prælatura dignum, in quem propterea omnes inclinamur, interim ego audio ipsius Confessionem Sacramentalem, ex quâ agnosco ipsum esse hæreticum, vel plurium suffragia per Simoniam adeptum?*

Resp. Negativè; nam non licet unquam uti scientia Confessionis, sed Confessarius, quò ad audita in Confessione, ita se debet gerere, ac si nunquam ea scivisset; etiam si sint defectus naturales, ut, quod quis sit illegitimus; nam, si talis usus liceret, difficilis, onerosa, & odiosa redderetur confessio, & multi retardarentur a bea, dum scirent Confessarium non teneri ad secretum de auditis in Confessione.

15. In nullo itaque casu possunt Confessarii licitè uti notitia in Confessione habita cum directa, vel indirecta revelatione Confessionis, & gravamine pœnitentis. Unde à S. Congreg. S. Officii 18. Novemb. 1682. fuit proscripta hæc

propositio: *Scientia ex confessione acquisita uti licet, modò fiat sine revelatione confessionis, & gravamine pœnitentis, nisi aliud multò gravius ex non usu sequatur, in cujus comparatione prius meritò contemnatur:* Addita deinde explicatione, sivè limitatione, *quòd sit intelligenda de usu scientiæ ex confessione acquisitæ, cum gravamine pœnitentis, seclusa quacumque revelatione, atque in casu, quo multò gravius gravamen ejusdem pœnitentis ex non usu sequeretur:* & Statuerunt dictam propositionem, quatenùs admittit usum dictæ Scientiæ cum gravamine pœnitentis omnino prohibendam esse, etiam cum dicta limitatione; & præsenti decreto prohibent, ne quis ultra audeat talem doctrinam publicè, aut privatim docere, aut defendere &c.

16. Circa quam propositionem Pisanus *in append. ad Glad. Gedeon. ad prop. damnat. ab Innoc. XI. num.* 83. observat propositionem quoad primam partem: *Scientia ex confessione acquisita uti licet, modò fiat sine directa, aut indirecta revelatione, & gravamine pœnitentis*, non damnari: ita Confessarius ex confessione viri docti, vel pii, potest instrui in faciendo examine suæ conscientiæ: & esse in necessitate pro solutione alicujus casus legendi libros, vel petendi à Doctioribus consilium, exponendo eis casum in abstracto, & non tanquam auditum in confessione: nunquam tamen licet uti notitia ex confessione habita, quando ex ea sequitur directa, vel indirecta revelatio confessionis; aut, licèt ista non sequatur, habetur incommodum, & gravamen pœnitentis, & talis usus est nocivus honori, & reverentiæ Sacramenti. Quatenus fideles scientes posse Confessarios notitia confessionis juvari ad actus externos dirigendos, non tam fidenter ad Sacramentum accederent, sed fortè ab accessu omninò averterentur. Ita Pisanus cit. & Diana coord. *to. 1. tract. 8. resolut. 15. & 16.*

Hinc Episcopus non potest Ordines denegare petenti, quem ex sola confessione cognovit esse irregularem. Parochus non potest non conjungere in matrimonium eos, quos ex sola confessione novit habere impedimentum dirimens. Et Confessarius non potest licitè vitare eum, quem ex sola confessione scit esse excommunicatum non toleratum: nec dimittere famulum, quem novit ex confessione esse furem, licèt nullus posset suspicari hoc fieri propter notitiam habitam in confessione, quia hoc est per accidens, sed per se confessio redderetur odiosa. Nec Superior Regularis, licèt possit esse cautior, & prudentior in regimine, ut si extra confessionem notitiam de delicto subditi recipiat, valeat eum corrigere per De la Cruz *Direct. Consc. de Sacram. pœnit. qu. 6. num. 2.* tamen pro nullo Religionis bono potest notitia habita in Confessione subditum ab officio, etiam amovibili, removere: nec potest subditum aliò mittere: clausuram melius custodire, ostium claudendo, muros erigendo; solitum egressum denegare, in mores subditi acrius invigilare: vel quid simile exteriùs operari, quia hujusmodi afferunt pœnitenti gravamen, & vim habent tacitæ reprehensionis, atque ita Religiosos ab accessu ad confessionem deterrerent.

Ita

Ita Confessarius Novitiorum novitio, & elector eligendo non potest propter notitiam indignitatis ex confessione accepta votum denegare: ex usu enim hujusmodi notitiæ confessio redderetur odiosa, & Religiosi timentes sibi propterea posse suffragia denegari, vel retraherentur ab accessu ad confessionem, vel non nisi sacrilegè confiterentur; atque ita honor Sacramento debitus violaretur.

17. Proinde Clemens VIII. *sub 26. Maii 1595.* edidit decretum, quod refero *lib. 4. cap 5. num. 11.* quo mandatur, ne Superiores, vel Confessarii, cum ad superioritatis gradum fuerint promoti, ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur. Quod decretum importat non solùm directionem, sed etiam præceptum obligans sub mortali, ut patet ex §. *ultimo*: ejus enim transgressio est res gravis: nam Pontifex voluit consulere subditis, & integritati, ac puritati confessionis. Ideò in omni eventu obligat, ut d. *resol. 16. num. 3* Diana.

Et quamvis decretum loquatur de solis Regularibus, non sequitur Confessarios sæculares posse uti scientia ex confessione percepta, quia etiam in casu sequerentur eadem incommoda; Confessio enim redderetur difficilis, & odiosa, & fideles ab ea retardarentur, vel non aperirent peccata, propter quorum notitiam intelligerent se posse officio, vel suffragio privari. Nec obstat, quòd à pœnitente ignoretur, an suffragium fuerit à Confessario denegatum, quia suffragia dantur secretò: nam hoc est per accidens, sed per se confessio redditur gravis, & difficilis.

18. Dices scienter eligere indignum est ab intrinseco malum; ergo confessarius, qui ex confessione novit alicujus indignitatem, non potest ad illius electionem concurrere.

Resp. Negando consequentiam. Antecedens est verum. Sed adhuc Confessarius non peccat ipsum eligens, quia non eligit scienter indignum scientia utili & humana, quæ ipsi servire possit ad dirigendas operationes externas: Unde notitia illa in electione perinde se habet, ac si in eo non esset, & electio indigni, sic cogniti, est quasi ignoranter facta, quia ad ipsam accedit ut homo, & ut homo habet notitiam dignitatis, Ita *cap. Sacerdos de offic. Ord.* disponitur, reos non esse puniendos à Prælato, dum tantùm ex confessione Sacramentali sibi eorum defectus innotescunt, quia tunc non scit eos ut Judex, sed ut Minister Dei, & notitia incommunicabili foro exteriori.

19. At petitur, *Cajus, & Titius conveniunt occidere Confessarium, hac lege, ut si alter eorum pœnitentia ductus rem Confessario manifestet, à consocio revelans occidatur. Cajus Confessario narrat conventionem cum Titio factam.*

Quæritur. *An possit Confessarius in tali casu pro evitanda propria morte ea scientia uti, adeòque vel fugere, vel non celebrare?*

Resp. Negativè. Si ex sua actione, quamvis indifferenti cognita à Consocio pœnitentis, huic mors imminet: Ita Pisanus *cit. num. 84.* uteretur enim notitia ex confessione habita cum gravamine pœni-

pœnitentis, quod fieri in dicta propositione prohibetur. Unde si ex non usu talis notitiæ sequeretur, vel penderet aut pœnitentis, aut totius mundi damnum, & ruina, non est dictus usus licitus, quia reddere confessionem odiosam, gravem, & difficilem est majus malum, quàm mors pœnitentis, & ruina totius mundi, ut notant Doctores. Unde Suarez alleg. à d. Pisano, ait, Confessarium, non posse uti scientia confessionis, ubi etiam periculum spirituale sibi immineret, indeque ex confessione deprehenderet.

20. Sed quid, si *Sacerdos ex confessione videat sibi in Missa esse paratum venenum in vino consecrando, an possit à celebratione Missæ cessare?*

Resp. Quilici *Confessar. manud. art. 3. q. 10. n. 15.* tradit, Sacerdotem teneri ad bibendum vinum, ne confessio reddatur odiosa, & difficilis. Pisanus verò *n. 84.* docet, quòd si confessarius potest adeò secretè sibi consulere per susceptionem pharmaci, ut nulli suspicionem afferat, quod id faciat ex notitia ex confessione habita, nec damnum pœnitenti sequatur, potest pharmacum sumere, & tunc etiam non jejunus celebrare, quia in eo casu cessaret obligatio jejunii naturalis, quod est de præcepto Ecclesiæ, & servare sigillum Confessionis est de præcepto naturali, Divino, & Ecclesiastico. Casus à d. Quilici dicitur metaphysicus.

21. Quæritur. *Confessarius ex confessione Titii novit, quod Lia est ipsius Concubina, & ei occasio proxima peccandi, interea Confessario occurrit Lælius quærens famulam, Confessarius occasione discursus significat Lælio Liam aptissimam fore pro tali famulatu: ut hac forma removeat a Titio occasionem proximam peccandi.* Petitur, *an licite?*

Resp. Affirmat ex Diana *d resol. 16. num. 5.* Pisanus *num. 9.* Ratio est, quia supponitur, quòd nullus suspicari possit, quòd Confessarius ex notitia confessionis moveatur; & aliunde nullum gravamen, confusio, aut rubor pœnitenti obvenit, & aliàs ipsa vitatio occasionis proximæ non gravamen, sed levamen est pœnitentis, quia igitur nullum præjudicium redundat in personam, aut honore, vel confusio, aut rubor pœnitentis sequitur, usus notitiæ in dicto casu non est illicitus.

22. Verùm non est adeò facilè hæc doctrina admittenda. Nam per accidens est, quod nesciatur, an Confessarius ad commendandam Liam Lælio processerit ex notitia habita in Confessione; per se autem confessio redditur gravis, & onerosa: nam scientes, posse Confessarios notitia confessionis uti ad externos actus dirigendos, retraherentur à confessione; vel saltem non integrè confiterentur peccata. Tum quia in casu periculum esse potest, quòd detegatur, Confessarium processisse ad commendandam Liam Lælio ex notitia habita ex confessione Titii. Ideò cautissimi sint Confessarii.

23. Quæritur, *an pœnitens teneatur aperire in Confessione speciem boni, in cujus distributione peccaverit?*

Resp. Affirmativè, ut inde Confessarius possit gravitatem peccati percipere: quia, ut loquitur D. Thom. *2. 2. q. 63. art. 2. in corp. gravius peccatum est, personas accipere in dispensatione spiri-*

*spiritualium, quàm in dispensatione temporalium*; ideò exprimere debet, an malè distribuerit bona Ecclesiæ, vel Reipublicæ Laicæ, vel Familiæ, & an sint honores, gradus, vel bona fortunæ; ipseque Confessor animadvertat ad verba S. Thomæ *cit. quæst. 185. art. 7. in corp. quibus utitur in quæstione, an Episcopi mortaliter peccent, si bona Ecclesiastica, quæ procurant, pauperibus non largiantur*; ubi habet: *si in modico deficiat, vel superabundet* (distributor) *potest hoc fieri absque bonæ fidei detrimento, quia non potest homo in talibus punctualiter accipere illud, quod fieri oportet; si verò sit multus excessus, non potest latere; unde videtur bonæ fidei repugnare, & ideò non est absque peccato mortali.*

## CAPUT XXVIII.

*Prop. XLVIII. & XLIX. ab Innoc. XI. &c. Species luxuriæ.*

1. PROP. 48. *Tam clarum videtur fornicationem secundùm se nullam involvere malitiam, & solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.*

Prop. 49. *Mollities jure naturæ prohibita non est. Unde, si Deus eam non interdixisset, sæpè esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali.*

Caramuel sub eisdem terminis utramque propositionem docuit, voluitque fornicationem & mollitiem, ideò esse peccata, quia Deus eas prohibuit. Et ipse concedit, esse de fide, ipsas esse peccata læthalia, cùm nonnisi peccatum mortale excludat à regno Dei, à quo fornicatio, & mollities excludunt, ex testimonio Pauli 1. *ad Corinth. 6. ad Galatas, & ad Ephesios* 5. verùm rationibus probat, quòd, præcisa prohibitione divina, talia non forent; contra quem Innoc. Decretum edidit, & sunt omnes DD. communiter cum D. Thoma 2 2 *qu.* 154. ad quem Confessarium remitto, & interim aliqua spectantia ad luxuriæ peccata resoluta propono.

2. Suppono I. Castitatem esse virtutem, *quæ moderatur venereas voluptates.* Sed est ponderandum, non omnem actum venereum, & voluptatem carnalem prohibere, aliàs opponeretur propagationi speciei; nec omnem concedere, alioquin non esset virtus, quæ in medio consistit: nec foret moderata abstinentia ab actu venereo, prout solet ipsa etiam definiri; ergo aliquem admittit: sed ita moderatur, ut non fiat, nisi quando, & eo modo, quo secundùm rectam rationem decet: hoc est, ut non fiat extra matrimonium, extra quod omnem omninò prohibet. Castitati opponitur luxuria, quæ est *Immoderata cupido, & usus venereorum*, juxta D. Thom. *cit. art.* 1. ubi dixit peccatum luxuriæ in hoc consistere, quod quis non secundum rectam rationem delectatione venerea utatur.

3. Suppono II. Quòd alia est castitas *conjugalis, vidualis, & virginalis.* Prima, est abstinentia ab omni actu venereo extra matrimonium, & in matrimonio eo utitur ad generationem prolis, vel in remedium incontinentiæ. Secunda est abstinentia ab omni actu venereo, etiam licito in novo matrimonio. Tertia est

abstinentia ab omni actione venerea, tam licita in matrimonio, quàm illicita extra, tam interna, quàm externa; hæc est propria eorum, qui castitatem absolutè vovent, de quibus intelligitur, quod voveant castitatem perpetuam, & perfectam, & non ad tempus, aut quod tantum velint abstinere à conjugio, aut non cognoscere mulieres: virginitas enim, ut à statu virginali distinguitur (in quo sunt puellæ ante matrimonium cum integritate carnis, quam à natura habent) perpetuitatem dicit.

4. Suppono III. Luxuriam, tamquam in species dividi in *simplicem fornicationem*, *adulterium*, *stuprum*, *incestum*, *raptum*, & *peccatum contra naturam*, quibus addi potest *Sacrilegium*. Si carnalis copula sit soluti cum soluta, est simplex fornicatio: si cum uxorato, vel matrimonio conjuncta, adulterium: si cum sanguine conjuncta, vel affine, incestus: si cum virgine, per defllorationem tollendo virginitatem, stuprum: si cum muliere per vim, & violentiam abducta de uno ad alium locum, in ordine ad commodiorem coitum, raptus: si cum Deo consecratis per votum castitatis, vel in loco Sacro sacrilegium: & peccatum contra naturam, dum habetur voluntaria seminis effusio alio modo, quàm à natura instituto, concedente potentiam generativam in ordine ad procreationem prolis.

Istud sub se habet, *mollitiem*, *sodomiam*, & *bestialitatem*; quæ specie differunt, & debent in Confessione aperiri; de quibus non est opus plura dicere, quia natura instructione non eget.

5. Sed dices, omnia hæc sunt contra eandem virtutem castitatis, ergo specie non differunt; nam colligimus unum peccatum mortale ab alio specie differre, propter oppositionem ad diversas species virtutes; sic furtum à fornicatione specie distingui asserimus, quia illud justitiæ, hæc castitati repugnat, ut *lib. 1. cap. 17.*

Resp. Verum est, esse contra eandem virtutem castitatis, sed non secundum eandem specie malitiam, & deformitatem, sed alia differenti malitia formali in eamdem virtutem feruntur: cùm alia sit formalis malitia, & turpitudo fornicationis, & alia adulterii, bestialitatis &c. Nullus enim negare potest, quin in genere luxuriæ major sit turpitudo, & deformitas adulterii, quàm illa simplicis fornicationis &c.

6. Unde Confessarius notet, per fornicationem præjudicari bono à natura intento in actu venereo, optimæ nimirum educationi prolis: per adulterium fit injuria alteri conjugum: ideò est peccatum contra duas virtutes, castitatis, & justitiæ, ut ex dicendis *cap. sequent.* per stuprum injuria irrogatur parentibus, & tutoribus, sub quorum custodia est puella, quæ defloratur, & quæ proinde constituitur in periculo meretricandi, à quo retrahebatur metu amittendi signaculum virginitatis, & est peccatum contra castitatem, & Justitiam; per incestum fit irreverentia sanguini, vel affinitate conjunctis, quibus honor, & reverentia debetur: in actibus enim venereis est turpitudo honori, & reverentiæ contraria, & propterea est peccatum contra castitatem, & pietatem; per raptum fit injuria parentibus, vel

personæ, quæ abducitur ad turpia: & præter malitiam luxuriæ continet quoque illam rapinæ. In peccato contra naturam est deformitas repugnans fini primario intento à natura in actu venereo, generationi nimirum hominis. Sodomia est peccatum gravius mollitie: & bestialitas gravius sodomia; de quo nullus prudens debet dubitare. In sacrilegio præter deformitatem luxuriæ, est malitia irreverentiæ, quæ fit Deo, dum polluitur persona, vel locus Deo dicatus, consequenter est contra virtutem castitatis, & Religionis.

7. In Confessione sunt distinctè à pœnitentibus reis explicandæ species luxuriæ: an nimirum peccaverint cum solutis, vel uxoratis, consanguineis, vel affinibus, cum virginibus, vel raptis, cum Deo Sacris, & in Sacris locis, vel contra naturam peccato mollitiei, vel Sodomiæ, aut bestialitatis; debent numerum aperire, tam personarum, quàm vicium, & alia, de quibus *lib.* 1. *cap.* 18. quæ hic omitto, ne dicta inutiliter repetam; quæ à Confessario videnda sunt, ut habens speciem peccati, possit remedia applicare, & curare infirmum.

8. Præfatis speciebus luxuriæ solet addi impudicitia, quæ versatur circa tactus impudicos, oscula, verba obscœna, & aspectus libidinosos, quæ in non conjugatis, etiam propter solam delectationem in eis repertam, sunt peccata mortalia; nam hujusmodi delectatio est ex natura sua mortalis; nam actus, qui nequit stare cum charitate, est mortale, sed non potest simul cum actu venereo stare charitas, ex dicendis infrà, ergo nec cum dispositionibus excitantibus ad eum actum. Vide dicta *lib.* 1. *cap.* 29. & Joan. De la Cruz 6. *præcept. artic.* 1. *dub.* 2. *conc.* 1. & pondera præfatos actus esse circumstantias, & pertinere ad speciem coitus, adeòut, si fiant cum uxorata, habeant malitiam adulterii; cum soluta, fornicationis; cùm virgine, stupri; cùm consanguinea, & affine, incestus; cùm Moniali, sacrilegii, &c. etiam si ex intentione operantis non ordinentur ad copulam: sat est enim, quod ex sua, vel natura operis ordinentur ad illam, & voluntariè procurentur.

9. Quæritur, *an luxuria ex sua natura sit peccatum mortale?*

Resp. Affirmativè; quod patet, ex quo luxuria, seù quælibet delectatio carnalis, omnisque actus venereus consummatus, & exercitus extra matrimonium, opponatur castitati, quæ sub mortali prohibet omnem hujusmodi actum, & delectationem veneream, ut non fiat extra matrimonium, ergo cum extra ipsum voluntariè exercentur, sunt mortalia.

Et maximè suadet animadversio, quod actus venereus sit à natura principaliter intentus ad generationem prolis, & ipsius rectam educationem, non modò corporalem per cibos, verùm & moralem per instructionem; cùm homo non sit quodcumq; animal, sed animal rationale; qui autem actum venereum exercet sine prætacto fine, illum exercet, quomodo non decet, & cum damno prolis; quoad esse, ut contingit in peccatis contra naturam; & quoad educationem, ut evenit in aliis speciebus luxuriæ, ergo mortaliter pec-

cat: quia mortaliter peccamus, dum aliquid operamur, quod nequit stare cum charitate, sed actus venereus extra conjugium non potest stare cum charitate; nam charitas vult bonum prolis, talis verò actus extra matrimonium habitus bono prolis præjudicat: cùm, si aliter fiat, quàm inter virum, & fœminam, esse privetur: si verò sit inter virum, & fœminam, matrimonio non conjunctos, recta educatione, vel saltem periculo exponitur, ut non rectè educetur.

10. Quæritur, *an actus luxuriæ, vel delectatio venerea possit esse venialis ex parvitate materiæ?*

Resp. Negativè, sic DD. communiter: in peccatis itaque contra castitatem non excusatur ullus à mortali, ob parvitatem materiæ, quæ in rebus venereis non admittitur; nam castitas quamlibet delectationem veneream, etiam secundùm se prohibet: cujus malitia est ejusdem speciei cum malitia pollutionis voluntariæ: cum hac solùm differentia, quod ea pollutionis sit major; quælibet enim venerea delectatio per Galenum, est quædam inchoata pollutio, cùm secundùm se, & sua natura proximè ordinetur, & sit apta ad commovendos humores genitales in ordine ad consummatam voluptatem veneream in corpore; quilibet autem inchoatus actus pollutionis mortalis est, ergo & quælibet delectatio venerea, sive intensa, sive remissa, cùm in utraque semper sit pollutionis periculum, & quod exerceatur contra finem à natura intentum, ergo eam procurans, vel voluntariè admittens, mortaliter peccat, quamvis per accidens pollutio non sequatur; quemadmodùm mortaliter peccat, qui voluntariè excitat scintillam ordinatam ad incendendas segetes, quamquam per accidens non sequatur incendium.

11. Sed dices, ergo saltem non peccabit fornicator cognoscens fœminam sterilem, ex qua nulla est futura proles; vel, si provideat, ut proles rectè moraliter educetur?

Resp. Negando consequentiam; nam quòd proles non sequatur, vel rectè educetur, est per accidens, cùm copula carnalis ordinetur per se ad generationem, & proles sic nata regulariter per se prævè moraliter educetur; in lege autem attenditur, quod est per se, non quod est per accidens. Deindè, natura non modò intendit vitare damnum malæ educationis moralis, sed etiam periculum, quod pravè proles educetur: quod non vitatur, licèt in aliquo casu proles educetur rectè: & non modò istud periculum, & damnum, verùm etiam alia, quæ ex fornicatione sequuntur, cùm proles ex fornicatione concepta careat securitate: siquidem ejus vita per se est in maximo periculo ante, & post nativitatem, cùm soleant Matres præcipuè nobiles, & fœminæ bonæ famæ, non solùm generationem impedire, sed etiam aliquando abortum procurare, & filios, etiam ante baptismum, occidere: si sint masculi, ubi adolescunt, variis delictis se tradunt: si fœminæ, meretricium assumunt. Quæ providit etiam propagationi speciei per matrimonium: ergo nullus coitus extra ipsum est necessarius ad speciem propagandam: alioquin pauci forent homines, qui uxorem ducerent, & jura, & Religio matrimonii viola-

violarentur: ergo copula carnalis extra matrimonium est à natura prohibita, quia caret morali certitudine rectæ educationis, justitia, & necessitate, ergo est intrinsecè mala, & peccatum.

12. Sed quæritur, *quomodo peccaminosa non erit copula conjugalis inter senes steriles, & cum fœmina prægnante, dum ipsa non ordinetur ad finem intentum à natura, nimirum ad generationem, nec ab ipsis possit exerceri in bonum prolis, cum prolis generandæ spes non adsit?*

Resp. De hac re diximus *cap.7. nn.20.* Quorum Matrimonia valida sunt, & copula per se ad generationem ordinatur, cum semen emittant ex natura sua prolificum, etsi per accidens ratione debilitatis, vel accidentalis frigiditatis generationi ineptum; ad differentiam illius per Eunuchos, & spadones utroque teste privatos, emissi, quorum Matrimonia invalida esse declaravit Sixtus V. *const. Cum frequenter, die 27. Junii 1587.*

13. Sed dubitatur, *an cognoscere conjugem ad solam incontinentiam vitandam, seu ad non peccandum ex concupiscentia contra castitatem, sit venialiter illicitum?*

Resp. DD. dividuntur: aliqui cum D. Augustino *lib. de bono conjugii cap. 7. & serm.63. de divers. cap.13.* D. Thomas *in 4. dist.31. quæst.2. art.2. in corp. & ad secundum*, dicunt, non carere culpa veniali: quibus adhæret Campion. *part.2. instruc. cap.51. num.12.* & Contenson. *Theol.l.11. part.4. dissert.4 cap.1. prop.5.* affirmantes post lapsum fuisse Matrimonium, etiam ordinatum à Deo in remedium incontinentiæ, tamquam finem secundarium subordinatum primario; generationi nimirum filiorum; consequenter peccare venialiter conjuges exercentes copulam principaliter ad evitandam incontinentiam; & deducunt ex illo Pauli 1. ad Corinth. *secundùm indulgentiam dico*; ubi autem nulla est culpa, nulla est indulgentia.

Alii sustinent in eo nullam esse culpam, ita Layman. *l.5. tract.10. part.3. cap.4.* plures referens, & Poncius *disp.49. quæst.2. conc.3.*

Qui omnes hoc idem concedunt, quod actus conjugalis careat veniali culpa, cum exercetur ad gignendos filios: qua etiam caret ex parte reddentis, dum debitum reddit alteri conjugi petenti, propter vitandam incontinentiam in illo, quia in eo fine invenitur fides conjugii, hoc est, satisfactio obligationis ex justitia reddendi debitum; juxta August. *lib. de bono conjug. cap.7.* ubi: *reddere debitum conjugale nullius est criminis, exigere autem ultra generandi necessitatem culpa venialis*; ipsum legas ibid. & *cap. in adolescentia 33. quæst.2. & qu.4. cap. Virum propria.*

14. Sed quæritur, *an veniale etiam sit, copula conjugali uti solùm propter sanitatem?*

Resp. Affirmativè, ibid. Contenson: eum D. Thoma, ad 3. aliique, & Cardenas *num.52.* ratio est, quia omittitur finis primarius Matrimonii, hoc est, bonum prolis in ordine ad conservandam speciem, & rectam educationem, & assumitur medium ad id, de se non ordinatum. Verùm, si cum fine primario intenderetur etiam sanitas, id sine culpa veniali esset. Nec est necessarium,

quod intentio ob finem primarium sit actualis, sed sat est virtualis, ut ibi Cardenas *nu.* 45. & DD. *in tract. de Matrim.* De copula conjugali habita ob solam delectationem, vide *cit. cap.* 7.

15. Quæritur, *quid sit delectatio morosa, & an à desiderio distinguatur?*

Resp. Est voluntaria complacentia de objecto cogitato, sine ordine ad opus exequendum: qui purè morosè delectatur, non intendit exequi id, de quo delectatur, vel in quo sibi complacet, sed ibi quiescit: in quo differt à desiderio, quia desiderans aliquid, semper ex vi desiderii intendit consequi id, quod desiderat, & desiderium consummare in ipso opere externo. Appellatur *morosa*, non à mora temporis, qua quis in ea perseverat, quia momento perfici potest, sed à mora voluntatis, quatenus non illicò, & dum plenè advertit, eam non repellit, nec reprimere conatur, sed voluntariè admittit, etiam si per unicum instans.

16. Sed quæritur, *an cogitatio morosa sit peccatum mortale?*

Resp. Affirmativè, modò sit cum plena advertentia intellectus de re mortaliter mala, ut homicidio, ebrietate, fornicatione, &c. ratio est, quia apparet esse contra rectam rationem, quod appetitus delectetur de re turpi, inhonesta, & mala. Layman. *lib.* 1. *tract.* 3. *cap.* 6. *num.* 4. Quare ponderet Confessarius, quòd in genere omnis delectatio morosa de objecto, vel opere intrinsecè malo, mala est: ita ut si, opus sit solùm venialiter peccaminosum, ut mendacium officiosum, etiam delectatio de eo sit venialiter mala; si verò opus sit mortale, & delectatio de eo erit mortaliter illicita; quod, si opus sit licitum, licita erit; si indifferens, talis & ipsa.

17. Sed quæritur, *an delectari de commestione carnis in Quadragesima sit peccatum mortale delectationis morosæ?*

Resp. Distinguendum est: vel ita delectaris, ut velis carnes comedere eo tempore prohibitas, vel delectaris præcisè de ipsa substantia commestionis, secundùm se. Si primo modo, mortaliter peccas, quia, si, cognito Ecclesiastico præcepto, habes desiderium, & propositum comedendi carnes in Quadragesima, habes quoque voluntatem transgrediendi præceptum; nam tunc non solùm delectaris, sed vis efficere actum malum, & prohibitum: quoniam eo tempore non possunt carnes comedi (intelligo à non infirmis, & sine licentia) absque transgressione præcepti. Si secundo modo, non peccas, nec legem jejunii transgrederis, quia lex carnis commestionem prohibens prohibet commestionem carnis in re, non verò delectari de ipsius esu secundùm se: modò retineatur propositum efficax non comedendi. Layman. *cit. num.* 9. *Anton. à Sp. Sanct. tr.* 5. *disp.* 8. *sect.* 2. §. 25. *nu.* 53. *dico tertio.*

18. Sed quare etiam *non potest, qui delectari de fornicatione secundùm se, quin mortaliter peccet?*

Resp. Quia cum fornicatio sit prohibita, quia mala, non potest ab ipsa propria malitia præscindi, sed semper debet, ut turpis cognosci; commestio autem carnis tempore Quadragesimali est solùm mala, quia lege positiva prohibita

hibita, & ideò potest intellectus eam voluntati secundùm se præsentare absque extrinseca prohibitione, & sub ea ratione delectari; potestque esse delectatio commestionis carnis secundùm se, & non delectatio carnis, ut in Quadragesima, quia sic certè est mortaliter peccaminosa.

19. Quæritur, *an in Confessione sit explicanda circumstantia personæ, de qua delectari contingit, an sit Uxorata, virgo, libera, vel Monialis?*

Resp. Vide dicta *lib.* 1. *capitul.* 18. & hic nota, delectationes morosas esse diversæ speciei ex diversitate objectorum, sic, ut delectatio de homicidio, & furto contineat malitiam injustitiæ, & delectatio circa objecta venerea malitiam contra castitatem, diversam, juxta qualitatem objectorum, & personarum: circa quæ ego plura non addo; cum in hac materia melius, & tutius sit silere, quàm loqui. Sed consulas DD. & tibi caveas, ne curiositate in peccatum traharis.

20. Quæritur, *an liceat conjugibus delectari voluntariè de copula inter eos habita, vel habenda?*

Resp. Communior opinio affirmat, seclusò ulteriori periculo. Layman. *nu.* 12. Mastrius 195. De la Cruz *art.* 9. *dub.* 12. *Ant. à Sp. Sanct. tract.* 11. *disp.* 20. *sect.* 12. Campion. *part.* 1. *Instruct. ad aud. Confess. cap.* 31. *num.* 5. aliique plures; ratio est, quia delectantur de actu licito, de copula nimirum conjugali, quæ illis ratione Matrimonii licita est: & per accidens est, quod ob absentiam non possit exerceri, ergo & delectatio de copula cogitata, cum talis sit delectatio, quale est objectum: sed tutius est, ut abstineant.

21. Quæritur, *an liceat viduæ voluntariè delectari de copula præterita cum suo viro?*

Resp. Negativè, sed mortaliter peccat; ratio est, quia pro tempore, quo delectatur, copula est ei prohibita, ergo quidquid ad eam conducit.

22. Sed quæritur, *an sponsis liceat voluntariè delectari de copula futura?*

Resp. Negativè, propter eamdem rationem, quia eis non est licitus, nec permissus actus externus, de quo delectantur. Layman. & De la Cruz *cit.* quibus neque licent tactus, oscula, & amplexus impudici: juxta dicta *lib.* 1. *cap.* 29. *num.* 7.

23. Quæritur, *pœnitens se accusat, Pater, habui cogitationes impuras, super quo est à Confessario interrogandus?*

Resp. 1. An advertens se habere tales inhonestas cogitationes, voluntariè in illis perseveraverit, & commoratus sit: vel negligens fuerit in eis repellendis, & prohibendis; an verò totus fuerit in eis fugandis, & statim fecerit, quantum potuit, & debuit, ut eas rejiceret, divertendo intellectum ad alia objecta honesta, recurrendo ad orationem, &c. Si dicat eas sine mora rejecisse, ac prohibuisse, quævis alia interrogatio superflua est, cum tunc non peccaverit.

Si verò advertens eas non prohibuit, sed acceptavit, & admisit, etiam per instans, mortaliter peccavit; propterea debet aperire speciem cogitationum, delectationum, an fuerint circa perso-

nas

nas nuptas, vel solutas, virgines, masculos, &c. & numerum exprimere: ut sexies habui cogitationes, & delectationes morosas, semel de nupta, de virgine bis, & ter de Moniali sum morosè delectatus.

24. Sed quæritur, *pœnitens Confessario aperit, desideravi habere copulam cum Berta, si esset mea Uxor: & de copula sic per imaginationem proposita, morosè delectatus sum, peto, an mortaliter peccaverim?*

Resp. Affirmativè; ratio est, quia desiderium illud, & delectatio commovent, vel apta sunt commovere humores genitales in ordine ad voluptatem venereamin corpore, ergo licèt ea conditione præscindatur, à copula malitia fornicationis, desiderium tamen illud adhuc delectativum, est secundùm se mortiferum propter eam; etiamsi actu non excitetur delectatio sensitiva, nec commoveantur spiritus generationi inservientium, quia ad id tale desiderium est ex se ordinatum, & idoneum, *cit. à Sp. San. tract. 5. nu. 533.* Ilsung. *tr. 4. disp. 1 art. 3. §. 4. num. 71.*

25. Quæritur, *quando nec tus venerei censeantur esse mortalia?*

Resp. 1. Cum à voluntate excitantur; hoc est, cum in ordine ad eos directè, & positivè applicantur media opportuna, & per se ordinata; ut si quis data opera, ad eos excitandos velit cogitare de rebus venereis res turpes aspicere, osculari, de obscœnis loqui, & alia similia agit: item cum, illis aliunde excitatis, voluntas consensum præbet; quoties enim voluntas, suppositâ intellectus advertentia, motus carnales, & delectationem venereamsensibilem nec repellit, nec reprimere conatur, censetur consensum præbere, & mortaliter peccat; quævis enim delectatio, etiam minima, quæ in parte sensitiva percipitur ex voluntaria consideratione venereorum, secluso etiam consensu in opus externum illicitum, extra matrimonium, est mortaliter illicita.

26. Quæritur, *an vir nobilis, seu devos manifestans in confessione, se defloraſſe virginem pauperem, sit a Confessario obligandus ad eam dotandam?*

Resp. Affirmativè, saltem quoad partem, licèt ipsa sponte consenserit; ratio est, quia præsumitur eam, non tam ex levitate, quàm ex necessitate id fecisse, adeòque cum tacita conventione recipiendi, saltem partem dotis, qua alteri nubat. Quilici *Confess. manud qu. 7. art. 2. num. 12.* Joan. de la Cruz *direct. conse. 7. præcep. q. 7. nu. 2. dub. 4. conc. 3.*

Cum quibus DD. tradunt, eum, qui vi, dolo, fraude, vel minis Virginem violavit, teneri, per se loquendo, eam in uxorem ducere, *cap. si seduxerit de adulteriis*; ratio est, quia ei injuriam fecit: dixi *per se loquendo*, quia dantur plures casus, in quibus corruptor ad id non tenetur. 1. Si sint multùm disparet. 2. Si gravia scandala ex tali matrimonio probabiliter timerentur. 3. Si vir interim sacris initietur, vel intret Religionem, vel aliam in uxorem duxerit. 4. Si Pater puellæ recuset eam ipsi tradere. Sed tunc ex justitia tenetur dotare, vel dotem augere; ut possit tam bene nubere, quàm posset, si foret virgo: quòd si ipsa æquè bene nupsisset, ac si esset virgo, & nulla infamia sit Patri, vel ipsi secuta, ad nil

nil stuprator tenetur, cum tunc nullum intulerit damnum.

27. Quæritur, *corruptor interrogat Confessarium, an teneatur stare promissis cum Berta, quam defloravit sub promissione matrimonii, cui promisisse affirmat, sed promissione ficta, & animo ipsam non ducendi?*

Resp. Teneturr eam ducere; ratio est, quia ea promissio est contractus cum virgine; quæ ratione ipsius permisit copulam cum gravi suo præjudicio, ergo sicut ipsa ex sua parte conditionem adimplevit, ita corruptor debet ex sua. Aliqui eum excusant, si virgo poterat cognoscere promissionem non esse veram.

28. Sed quid, *si defloratur esset valdè nobilis, & virgo plebeja?*

Resp. Quidam ipsum liberant, quia facilè virgo poterat cognoscere, quod verè non promitteret. Sed id non admittitur à Poncio *disput. 52. qu. 7. num. 41.* cum illa disparitas non videatur sufficiens, ut id cognoscceret: quando quidem, ea non obstante, posset verè promittere, ut alii nobiles sæpè fecerunt, ergo, nisi aliunde fictio appareat, manebit obligatio. Ejusdem opinionis est Quilici ubi supra *num. 17.* Quod totum intelligendum est, nisi immineant scandala, gravia damna, rixæ, & contentiones inter consanguineos; quia cum justitia non obliget ad illicitum, non potest in eo casu ad matrimonium obligare, quod ratione scandali, & damni foret illicitum; quare tunc teneretur ad compensanda damna: & sic vel ad dotandum, vel ad augendam dotem: vel ponere ipsam, quantum possibile est, in tam bono statu, quàm fuit ante, in ordine ad ducendum maritum. Quæ etiam exequenda ab ipso forent, si post stuprum superveniret ipsi impedimentum dirimens matrimonium, ut si fieret affinis, vel aliam duceret, si sacros Ordines susciperet, &c.

Adverte; quod si fœmina decipiat virum fingendo se virginem, ad nihil vir tenetur, neque ad damna; nam ea sibi imputet mulier, quæ virum sub conditione virginitatis decepit, & vir sub eadem conditione promisit.

29. Sed quid, *si defloratur prius emisisset votum castitatis perpetuæ, vel Religionis, & virgo pateretur defloration em cum promissione matrimonii?*

Resp. Non teneatur eam ducere si puella scivit votum, quia promissio ratione voti fuit illicita; teneretur tamen ad damna compensanda, si sequantur, & ipsam dotare, vel dotem augere. Vid. *sup. cap. 16. num. 33.*

30. Quæritur, *puella post occultam defloration em obtinet dotem à Confraternitate N quæ solis virginibus ex dispositione testatoris debetur. petitur, an possit eam retinere?*

Resp. Negativè; nam ei datur contra mentem testatoris, & in præjudicium puellæ revera virginis: & ideò, vel eam restituere debet, vel recurrere ad majorem Pœnitentiarium, cui in constit. Innoc. XII. *Romanus Pontifex, edita 9. Septemb. 1692.* super facultatibus majoris Pœnitentiarii, datur facultas, ut infra. *Cum puellis, quæ virgines non sunt, & dotes petunt, seu obtinuerunt à Confraternitatibus, aut aliis locis, vel dispensatoribus piis, quibus injunctum est, ut illas virginibus tantùm*

*dent, seu distribuant, in occultis, & in foro conscientiæ tantùm, quatenus illa in posterùm honestè vivant, facultatem habeat dispensandi.*

Nota, luxuriam esse vitium capitale, & quòd ejus filiæ sunt, ac ex ea originem habent: *levitas mentis, præcipitatio, inconsideratio, inconstantia, amor sui, & hujus mundi, odium Dei, & horror futuri sæculi*; quia luxuriosi, veluti cæci, non percipiunt id, quod secundùm rationem percipere deberent: imprudenter agunt; statim à bonis propositis deficiunt: inordinatè propriam delectationem, & res hujus sæculi appetunt: Deum, tamquam concupiscentiæ vindicem, odio habent: res æternas fastidiunt, & contemnunt, ac ratione venereorum parati sunt beatitudini renunciare.

31. Quæritur, *an præter luxuriam dentur alia peccata capitalia, & cur capitalia dicantur?*

Resp. Affirmativè. Celebris est divisio septimembris peccatorum, *in Superbiam, Avaritiam, Luxuriam, Iram, Gulam, Invidiam, & Acediam.* Quæ capitalia dicuntur, quia ex ipsis tamquam ex fonte multa vitia derivantur, & originem habent.

32. Ex superbia nascitur. 1. *Præsumptio:* qua quis animo elato præsumit obtinere aliquid temerè, vel quod est supra suas vires; de oppositâ spei *Theol. diximus lib. 1. cap. 12.* *Ambitio*, inordinata nimirum cupiditas dignitatis, & honoris indebiti, vel debito majoris. 3. *Vana gloria*, hoc est, inordinata delectatio humanæ laudis, vel vana cupiditas æstimationis propriæ excellentiæ, sive veræ, sive fictæ. 4. *Jactantia*, de quâ supra *cap. 17. in fin.* 5. *Hypocrisis*, qua quis se justum simulat, vel justiorem, quàm sit, ut ibidem *nu. 21* 6. *Inobedientia*, qua quis dedignatur aliis subesse, & ut plurimùm contemptum inducit præcipientis, vel prohibentis. 7. *Pertinacia*, cum quis nimis suæ opinioni, & judicio innititur, nolens credere meliori sententiæ, vel consilio. 8. *Curiositas*, qua quis studet altioribus studiis supra suum statum, & capacitatem. 9. *Ingratitudo*, dum beneficium acceptum vel contemnitur, vel oblivioni traditur. 10. *Arrogantia*, per quam quis sibi attribuit, quod non habet. 11. *Discordia*, seu voluntatum divisio: inter superbos enim semper sunt jurgia.

33. Ex Avaritia procedit. 1. *Obduratio cordis*, impediens commiserationes erga pauperes indigentes. 2. *Inquietudo*, seu nimia solicitudo acquirendi divitias, & nimis metus eas perdendi. 3. *Fraus*, sive dolus in facto. 4. *Fallacia*, seu dolus in verbis. 5. *Proditio* contra fidem datam. 6. *Neglectus* divinorum, & salutarium. 7. *Injustitia, mendacium, & perjurium.*

34. Ex Ira oritur, *tumor mentis*, in hoc consistens, quod quis morosè delectetur, & excogitet diversas vias vindictæ: quibus cogitationibus dicitur animus tumefacere; *item contumelia, blasphemia, maledictiones, indignatio, rixa, &c.*

35. Ex Gula descendit *mentis hebetudo, inepta lætitia, multiloquium, scurrilitas, immunditia* (quæ consistit in vomitu) & similibus.

36. Ex Invidia, habetur *odium, sur-*

*furratio, detractio, gaudium in adversis proximi, tristitia in prosperis, & judicium temerarium.*

37. Ex Acedia, venit 1. *Tepiditas*, seu parvus boni amor, & languor spiritualis ad bonum. 2. Desperatio, qua quis desperat consecutionem beatitudinis æternæ. 3. Torpor, & pigritia, qua quis negligit adimplere divina præcepta. 4. Malitia, qua quis odit bona spiritualia in se, pœnitendo bene feciſſe, & abstinuiſſe à mortalibus, optando non esse natum, aut baptizatum. 5. Pusillanimitas, qua quis non audet aggredi viam perfectionis, quam Deus inspirat, & similia.

38. Sed quæritur, *an omnia vitia capitalia sint ex genere suo mortalia?*

Resp. Negativè. Vide supra *cap. 6. numero 4. & lib. 1. cap. 17.* & ex ibi dictis hic discurras.

39. Et interea animadvertas, superbiam esse ex genere suo mortale; quia cum superbus inordinatè appetat propriam excellentiam, ratione cujus velit super alios ire, & nolit subjici Deo, vel Superioribus, tenentibus vicem Dei in nostra directione, eosque contemnat, non potest habere charitatem cum Deo, vel proximo, quibus positivè non vult bonum suæ subjectionis, illis secundùm rectam rationem debitum: ad quam tenemur ex virtute humilitatis, ex D. Thom. 2.2. *qu. 161. art. 1. ad 5.* quæ idcircò sub mortali, saltem respectu principalis objecti, ad suos actus non obligat.

40. Sed potest *esse veniale, vel ex imperfecta advertentia, seu, cum res, in qua primatum quæritur, exigua est, vel cum quis plus justo se magnificat sine aliorum contemptu.*

De Luxuria diximus supra *num. 9.*

41. Invidia pariter est ex genere suo mortale, quia opponitur charitati, quæ vult bonum proximo, & de bono proximi gaudet; invidus autem de bono proximi, ut diminutivo suæ excellentiæ tristatur. Vide supra *cap. 8. nu. 21.*

42. Accedia tandem est ex genere suo mortale propter oppositionem, quam habet cum charitate; quia ipsa est tristitia, per quam tristamur de bono divino. Sed adverte, quod possum 1. tristari de bono, quod Deus in se habet. 2. tristari de spiritualibus, ut respiciunt Deum, non curando amicitiam ipsius, ut, de Sacramentis, & lege ab ipso lata. 3. tristari de opere bono, quia laboriosum est, ut, de recitatione officii. 4. tristari non de opere bono, quia laboriosum est, sed de opere laborioso, quia bonum, seu divinum, ita ut mihi displiceat, quia tendit in gloriam Dei.

Tristitia in 1. & 2. sensu est Dei odium: in 3. sensu est Acedia, sumpta pro pigritia: quia prigitia apud Poncium *disp. 2. 2. q. 11. n. 104.* est voluntarium tædium retrahens ab exercitio virtutis ob difficultatem; & est mortale, quando retrahit ab exercitio præcepto, aut constituit in magno periculo retrahendi, seu omittendi rem præceptam. Sub ista ratione Campion. *cit. cap. 14. num. 2.* affirmat, Acediam non esse per se prohibitam, sed per accidens, ratione nimirum rei præceptæ, adeòut non sit necesse, quod pœnitens in confessione se accuset, non jejunasse, ex illo tædio laboris, sed sufficere, quòd tale jejunium

omiserit; quo casu debet Confessarius interrogare ultimam circumstantiam peccati, an scilicet ad jejunium obligaretur, ratione voti, vel præcepti Ecclesiastici, & quibus cibis violaverit.

43. In quarto verò, est propriè peccatum Acediæ, per se prohibitum, & mortale ex genere suo contra charitatem, non admittens parvitatem materiæ: adeòut, si ex eo motivo omittam dumtaxat nomen Jesu invocare, sit mortale peccatum, esto nullam aliam habeam obligationem invocandi: modò talis tristitia sit voluntaria, & deliberata. Quòd, si ex illo motivo omitto id, ad quod aliàs sum obligatus, ut divinum officium, duplex peccatum committo, aliud Acediæ contra charitatem, & aliud omissionis recitationis contra Religionem: illud est contra charitatem, quia charitas vult Deum esse: tristari autem de rebus spectantibus ad Deum, ut in ipsius gloriam tendunt, est veluti tristari, quod Deus non sit Deus, quod gravissimum peccatum est.

44. Itaque quatuor hæc: Superbia, Luxuria, Invidia, & Acedia sub mortali ex genere suo obligant: non verò Tria alia, Avaritia, Ira, & Gula. Non Avaritia, quæ opponitur liberalitati, quæ affectum moderatur ad suos actus, sed non sub mortali obligat, cum possimus habere charitatem erga proximum, etiamsi non simus liberales; nam ex virtute liberalitatis nil alteri debemus: & dum liberalis alteri donat, non respicit necessitatem beneficiati (quia ad hoc tenemur ex charitate) sed suam propriam electionem. Verùm Avaritia per accidens fit mortalis: cum ex amore, & retentione pecuniæ vel violatur justitia, negando, aut differendo mercedem operariis, non implendo legata, non solvendo debita: vel violatur charitas retinendo sua in extrema necessitate proximi, vel etiam in gravi, dum habet de superfluis statui. Avarus enim inordinatè appetit pecuniam.

35. Non Ira, quæ opponitur mansuetudini, moderanti passionem iræ, ne quis irascatur plus, aut minus, quàm decet; verùm, quia ira est appetitus inordinatus vindictæ, ex parte objecti, misi exeusset parvitas materiæ, vel inadvertentia, est mortale, cum appetit vindictam injustam.

46. Nec Gula, quæ opponitur virtuti abstinentiæ, per se non obligantis sub mortali ad suos actus: sed per accidens sæpè obligat. Vide *cap. 6. nn. 3. & 5.*

Sed dices, ebrietas ex ibi dictis *nn. 8.* est ex suo genere peccatum mortale, sed est contra abstinentiam: quæ virtus moralis moderans delectationes gustus, ne homo plusquam decet, cibo, aut potu utatur, ergo & gula.

Resp. Negando ebrietatem esse contra abstinentiam; nam, ut ibi notavimus *n. 6.* ebrietas opponitur sobrietati, quæ sub mortali obligat ad ipsam non ponendam, tamquam actum ei oppositum per excessum, & incompossibilem cum charitate. Hinc notabis, quod moderari potum, ut non delectemur inordinatè in illo, spectat ad abstinentiam: moderari verò ut non noceat usui rationis, ad sobrietatem; quare abstinentia moderatur delectationem cibi, & potus, ut in edendo, & bibendo mensuram rationis homo non excedat, nec plus edat, nec bibat quàm decet. So-

brie-

brietas verò moderatur usum potus, ut ex immoderato potu non impediatur usus rationis per ebrietatem: abstinentia itaque impedit delectationem in cibo, & potu: sobrietas autem nocumentum in usu rationis; quod nocumentum repugnat charitati: & ideò sobrietas sub mortali obligat ad tale impedimentum non ponendum.

Denique non debet Confessarius omittere lecturam decreti Innoc. XI. editi *die 28. Augusti 1679.* contra errores Michaelis de Molinos, in quibus turpissimus Author laxavit habenas; & præsertim legat propositionem 41. 47. & 48. & omninò Molinisimum à pœnitentibus removeat.

## CAPUT XXIX.

*Prop. L. ab Innoc. XI. &c.*

### *Adulterium.*

1. PROP. 50. *Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium, adeòque sufficit in confessione dicere se esse fornicatum.*

Capite superiori vidimus adulterium numerari inter luxuriæ species, quod à DD. describitur: *est copula illicita consummata cum aliquo, vel aliqua, conjunctis in matrimonio:* de quo hic specialiter discutiendum est, & contra Authores propositionis, & instruendus Confessarius super ipsius malitia.

2. Quæritur, *quotuplex malitia, & deformitas specie distincta sit in crimine adulterii?*

Resp. Duplex: prima luxuriæ contra castitatem: secunda injustitiæ contra fidem conjugalem.

Animadvertas ex *c. omne itaque 27. q. 2.* tria esse matrimonii bona; bonum prolis, fidei, & Sacramenti; per bonum prolis intelligitur ejus esse, & educatio moralis: per illud Sacramenti venit matrimonii indissolubilitas, & perpetuitas; per fidem verò matrimonii ex Augustino *de bono conjug. cap. 4.* duo importantur: unum, quòd conjux teneatur reddere conjugi debitum: & alterum, quòd neuter possit alteri, quàm suo conjugi, carnaliter commiscri: ad quod ex justitia tenentur; nam talis obligatio descendit ex contractu: omnis autem contractus obligat ex justitia ad observantiam; & ideò, qui fidem matrimonii frangit, contra justitiam peccat, prout DD. communiter.

3. Sed quid, *si vir consentiat, ut famina alteri viro carnaliter commiscatur? videtur enim non esse adulterium, nec contra justitiam malitiam continere, cum juxta regul. 27. jur. in 6.* scienti, & consentienti non fiat injuria, neque dolus; *ergo, dum consentit, non est invitus, ergo jus ipsius non laditur, consequenter, nec contra justitiam delinquitur.*

Resp. Falsum est, talem mulierem non esse adulteram: lege decret. Innoc. & audi Paulum ad Rom. 7. *igitur, vivente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro; si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est à lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro:* propositio Apostoli est universalis asserens *omnem faminam conjugatam, quæ vivente viro, fuerit cum alio viro, esse adul-*

teram; ergo contradicit Apostolo, qui ponit hanc propositionem particularem negativam: *aliqua famina conjugata, qua, vivente viro, fuerit cum alio viro, non est adultera*; sed de illa, quæ, viro consentiente, esset cum alio viro, verificaretur, quod, vivente viro, esset cum alio viro, ergo foret adultera.

4. Addo, maritus non potest cedere juri, quod habet, ne uxor alteri carnaliter commisceatur; nam lex conjugalis obligans, quod uxor unicè viro suo adhæreat, & vir uxori, ac sint duo in carne una ad *Eph.* 5. nec divisi per commixtionem cum aliis, non dependet à voluntate mariti, ergo, quamvis ipse consentiat, uxor peccat contra legem matrimonii, & marito, ut subest statui matrimoniali injuriam facit; ob quem habet jus in conjugem, & debetur ei fides conjugii, nec juri cedere potest. Patet à simili de Petro, Clerico, qui non potest renunciare juri immunitatis Ecclesiasticæ, & propterea Judex Laicus excommunicatur, si Clericum ad suum tribunal, etiam ipso consentiente, trahat; nam semper ipsi, si non, ut Petro, tamen, ut subest statui clericali, injuriam irrogat: propter quem ei honor à laico est exhibendus, ut post Cardenas notavit Quilici *Confess. manud. qu. miscellan. num.* 24.

Nec obstat regula juris adducta, quia, ut optimè Cajetanus in D. Thom. 2. 2. *ad qu.* 154. *nu.* 6. *ad* 1. *Igitur dubium*, notat, intelligenda est in iis, quorum homo est dominus secundùm libitum suæ voluntatis, ut sunt bona fortunæ, & non in his, quæ, etsi nostra sint, non tamen possumus de illis ordinare, ut nobis placet; ut patet in naturalibus; nam licèt manus tua sit tua, non tamen propterea potest de consensu tuo sine tua injuria à te tolli. Est in marito jus utendi sua uxore, juxta leges matrimonii, sed non est dominus tradendi alteri usum corporis illius. De quo Mayol. *Sum. p.* 2. *q.* 1. *art.* 4. *sext. & non præcep.*

Dices D. Augustinus *lib.* 1. *de sermon. Domini in monte cap.* 16. de hujusmodi re dubitavit occasione historiæ, quam ibi narrat de muliere quadam Antiochena, quæ se, consentiente marito, alteri prostituit, ut eum à morte liberaret.

5. Resp. Negando D. Augustinum de veritate dogmatis dubitasse. Nam, ibi ait; *sed tamen, utrum quod ait Apostolus: Mulier non habet potestatem sui corporis, sed vir:* Similiter, & vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier: *Possit in tantum valere, ut permittente uxore, quæ maritali corporis potestatem habet, possit vir cum altera, quæ nec aliena uxor sit, nec à viro disjuncta concumbere: sed non ita est existimandum, ne hoc etiam famina, viro permittente, facere posse videatur, quod omnium sensus excludit.*

6. Sanctus Doctor solùm dubitavit de veritate historiæ, prout apertè tellatur, cum ait: *nihil hinc in aliquam partem disputo* (an historia sit vera, nec ne) *liceat cuique æstimare, quod velit: non enim de divinis auctoritatibus deprompta historia est.* Et secundum rectam rationem, & divinam legem similem concubitum non licere sequentibus tradit, subinferens: *sed tamen, narrato facto, non ita resipuit hoc sensus humanus, quod in illa muliere, viro jubente, commissum*

*missum est, quemadmodùm anteà, cum sine ullo exemplo res ipsa poneretur, horruimus; sed in hoc Evangelii capitulo nihil fortiùs considerandum est, quàm tantum malum esse fornicationis, ut cum tanto vinculo sibi conjugia constringantur, hæc una causa solutionis excepta sit.*

7. Nec tamen ipsa fornicatio ita conjugia dirimit, ut mulier innocens, vivo marito, licèt adultero, alteri nubere possit, aut copulari: *Siquidem mulier alligata est, quamdiù vir ejus vivit*, hoc est, marito in corpore constituto. *Si autem mortuus fuerit*, hoc est de corpore exierit, *soluta est à lege viri*, juxta text. Apostoli *ubi supr.* Circa quem Augustinus *lib. 2. de adulterin. conjugiis cap. 4.* ait. *Hæc verba Apostoli toties repetita, toties inculcata, vera sunt, viva sunt, sana sunt, plana sunt. Nullius viri posterioris mulier uxor esse incipit, nisi prioris esse desierit. Esse autem desinet uxor prioris, si moriatur vir ejus.*

8. Atque ita cùm adulterium sit alieni thori violatio, nec possit conjux operari, ut suus thorus non sit comparatione cujuslibet tertii alienus, est certum, non posse conjugem ullo suo consensu operari, quòd accessus cujusvis tertii ad suam conjugem non sit violatio alieni thori; atque adeò adulterium.

Unde consensus non modò uxorem, ejusque amicum à crimine adulterii non liberat; sed ipsum maritum criminis complicem, & reum lenocinii constituit, secundum illud Apostoli *ad Romanos 1. Qui talia agunt, digni sunt morte: & non solùm, qui ea faciunt, sed etiam, qui consentiunt facientibus:* ut bene Natalis Alex. *Theol. dogmat. tom. 2. lib. 4. cap. 8. art 2. regul. 1.*

9. Quæritur, *uxor cum alio viro commiscetur, à qua pro mercede accipit quinque aureos: petitur, an possit eos in conscientia retinere?*

Resp. Dubium apud neminem excitatum, & resolutum vidi. Circa quod negativè respondeo juxta dicta *cap. 9. n. 14.* Nam uxor non est domina usus sui corporis, quia ex allegatis verbis Apostoli vir habet potestatem corporis propriæ uxoris; atque adeò hæc non potest illum usum vendere, & dum conatur vendere, injustè vendit, quia vendit rem non suam; consequenter pretium non potest justè recipere, nec post receptionem retinere: quemadmodùm vendens equum non suum, vel ad vecturam concedens pretium non potest retinere, utpotè pretium rei non suæ, & quæ semper pro domino clamat.

10. Nec debet pretium dare marito, quia maritus est dominus usus corporis mulieris, ut eo utatur secundùm leges legitimi Matrimonii, non verò, ut possit ipsum alteri concedere; & comparari potest usuario, qui tenet, & habet usum rei pro se, & non potest illum dare alteri: per Dianam *coord. to. 7. tr. 3. resol. 13. nu. 1.*

11. Restituendum est itaque ab Adultera pretium receptum; sed non viro, cum quo peccavit, in pœnam delicti, & quia turpiter, & contra justitiam dedit, volens emere, quod non poterat; Ideò consilio Confessoris est erogandum pauperibus. Imputet autem sibi hæc fœmina, quòd omnia perdiderit, ut loquitur

tur Mendo apud Dianam *Coord. tom. 8. tr. 7. resol. 58. nu. 3.* de fœmina, quæ copiam sui corporis fecit Religioso non potenti quidquam turpiter insumere.

12. Dicitur restituendum est ab Adultera, quia ubi agitur de pretio dato meretrici à potente alienare, licèt sit illicitum dare, vel recipere illud ante fornicationem commissam, quia tam datio, quàm acceptio includit consensum in fornicationem, tamen post peccatum commissum dare, & accipere illud esse potest absque peccato; si nimirùm detur, & accipiatur, non ex complacentia peccati, sed ratione obsequii, vel laboris alteri præstiti. Verùm Toletus *lib. 5 cap. 21. nu. 7.* allegat. à Diana *cit. resolut. 59. num. 4.* tradit, quòd datio, & acceptio pro actu fornicario est mala, quia pro re turpi, & ob peccatum, sed non contra justitiam; & ideò meretrix non tenetur restituere. Lege ibi Dianam, & quæ dixi *cap. 23. §. 11. nu. 58.*

13. Quæritur, *an uxoratus habens copulam carnalem cum conjugata unum, aut duplex adulterium committat?*

Resp. Duo: utrumque in Confessione explicandum, quia duobus injuriam facit; & propriæ uxori, & marito conjugatæ, cum qua peccavit.

Hinc Confessarius audiens Confessionem mulieris se accusantis de copula carnali cum viro, ab ipsa petat. I. An sit conjugata, & vir uxoratus: quia tunc est duplex adulterium. II. An ipsa sit nupta, & vir cum castitatis voto; nam tunc copula continet, etiam malitiam Sacrilegii. III. An fuerit virgo; quia tunc in casu habetur etiam malitia stupri.

14. Quæritur, *Berta interrogat Confessarium, an sit validum matrimonium, quod contraxit cum Cajo, cum quo, vivente primo marito, adulterium commisit: quid Confessarius dicturus erit?*

Resp. Videat. I. An post adulterium ipsa per se, vel consilio, aut mandato proprium maritum, vel Caji uxorem occiderit, ea intentione, ut cum Cajo contraheret; vel, si non ipsa suum virum: propriam uxorem ipse Cajus interfecerit. II. An ante, vel post adulterium promiserit, vel promissionem acceptaverit, se mortuo proprio viro, Cajum ducere. III. An scienter adulteraverit, & ante mortem sui viri contraxerit cum Cajo, non ignorante adulterium committere. Dum comperiat alterum ex præfatis concurrere, matrimonium nullum esse significet; quia crimen committentis adulterium, & interficientis conjugem animo contrahendi cum adultero dirimit matrimonium, *cap. super hoc de eo, qui duxerit &c. & cap. si quis vivente 31. qu. 1.* quemadmodùm ipsum dirimit adulterium, præmissa mutua promissione, de contrahendo cum adultero, ita quod adulterium procedat in vim illius *cap. significasti, & cap. si quis, cit. tit.* maximè, si promissio ante facta non fuerit ante adulterium revocata; quia tunc adulterium promissioni conjungitur, ut notat Contenson. *Theol. de impediment. matrim. lib. 11. par. 4. dissert. 4. cap. 2.*

15. Nullum quoque erit matrimonium: si adulteri, vivente adhuc legitima uxore, vel viro respectivè, matrimonium contrahant: exemplum: Titius, uxore sua vivente, adulteratus est cum

Berta,

Berta, & cum ea matrimonium contraxit (quod utique non potest esse nisi invalidum) contingit postea, ut vera Titii uxor decedat: quæritur, an possit Titius verum matrimonium inire cum ipsa Berta? negatur posse; prout statuitur, *cap. cum haberet, & cap. si quis tit. alleg.* Verùm, ad hoc impedimentum requiritur, ut uterque sciat se adulterium committere; unde, si in casu proposito Berta ignorasset Titium esse uxoratum, posset, mortua ejus uxore, ipsum compellere ad contrahendum secum validum matrimonium, ut expressè textus *in cap. de eo cit. titul.*

16. Sed quid, *si allegaret, adulterium commisi ante mortem mei viri, quem non ego, nec meo consilio, aut mandato, sed me ignorante, ipse Cajus ad finem matrimonii occidit?*

Resp. Et tunc quoque, postea invalidè contraxit cum Cajo: quia ad impedimentum occisionis cum adulterio, sufficit, si una pars, altera etiam non consentiente, vel ignorante, occiderit ad finem matrimonii, *cap. significasti*, & DD. communiter: afferentes discrimen inter crimen occisionis, cum adulterio, & crimen solius homicidii (quod est etiam impedimentum dirimens matrimonium, cùm occisio est ad finem matrimonii cum conjuge occisi) quòd in primo adest occisio cum adulterio: in secundo sola occisio; in primo sufficit, quòd alter conspiret, vel alterius conjugem occidat: in secundo necesse est, ut ambo ad occidendum conspirent, & secutæ occisionis sint conscii, *cap. laudabilem de convers. infidelium.*

17. Sed quid, *agendum Confessario, cognita invaliditate matrimonii?*

Resp. Possent huc reduci dicta supra *capit. 7. num. 5.* Injungat mulieri, ut & virum moneat de nullitate matrimonii: quòd separentur à Thoro, & cohabitatione, quia quoad vinculum ligati non sunt, propter impedimentum dirimens; quòd, si separari absque gravi scandalo non possint, dispensationem petant à Sac. Pœnitentiaria, & interim ab omni copula abstineant, quia quælibet foret fornicaria; nec absolvi debet nisi post dispensationem obtentam.

18. Quæritur, *adulter susceperit de Berta Uxore Titii filium spurium, petitur, an teneatur restituere expensas à Titio factas in educatione prolis, de qua ad minus probabile est, quòd sit adulteri filia?*

Resp. Affirmativè, quia fuit causa injusta illarum expensarum. Poncius *disp. 32. quæst. 7. num. 43.* Quilici ubi supra *quæst. 7. art. 2. num. 20.* Joan. De la Cruz *direct. conc. 7. præcept. quæst. 7. art. 6. dub. 7.*

Et procedit, etiamsi fuerit ab adultera invitatus, quia tunc etiam injuriam marito infert, causa injusta damni reputatur, & pater prolis præsumitur: cui propterea ad minus juxta majorem, vel minorem certitudinem incumbit, de alimentis providere. Per quæ veniunt apud Tambur. in decalog. *lib. 5 cap. 3. §. 1. num. 2.* victus, vestitus, domus, lectus, medicinæ, impensæ funeris, &c. quæ debentur, non solùm secundum naturam, verùm etiam secundùm statum, & conditionem, adeò ut filio nobili debeantur alia, quàm plebejo.

19. Sed quid, *si proles Hospitali exponatur?*

Resp. Debet adulter, potens ipsam alere, restituere expensas educationis: tum, ex quo parentes teneantur filios alere: tum quia defraudantur pauperes, pro quibus similia hospitalia sunt instituta. Quilici, & De la Cruz *cit.*

20. Sed quid, *si adultera à duobus cognosceretur, ita ut, quamvis esset certum filium adulterinum, unius ex duobus esse filium, dubium tamen esset, quis eorum determinatè esset pater prolis?*

Resp. Uterque ex æquo debet concurrere ad sustentationem filii, & ad restitutionem faciendam marito; ratio est, quia cognoscitur certò, quòd filius non sit legitimus: & quia aliquis debet, & neuter potius, quàm alter, ideò uterque partialiter tenetur. Quilici, & Poncius.

21. Quæritur, *quid agendum Confessario cum muliere, quæ prolem suscepit ex Adulterio, propter quod legitimi filii damnum reportant; nam, cum & ipsa filius verus credatur, cæteri vel hæreditate privantur, vel in bonorum divisione tantùm non recipiunt, quantum habuissent, si ipsa inter filios non computaretur?*

Resp. Debet videre, & mulierem interrogare, an ex revelatione fructus expectetur: profutura sit: & verisimile sit filium esse creditorum; qui propterea integram hæreditatem aliis, & legitimis hæredibus relinquet, vel religionem intrabit, vel modo æquivalenti ad damnum non inferendum operabitur: in casu, quo affirmet, obliganda est ad fraudem ipsi detegendam. Verùm, quia non est ita facilè præsumendum, filium creditorum, immò potiùs verisimiliter timendum, ex revelatione scandala, & homicidia oriri posse, nec sine periculo infamiæ, & vitæ, crimen posse manifestari; ideò videat, an mulier sit dives, & habeat, unde satisfacere ex propriis bonis possit eis, ad quos bona mariti pervenissent: & si potens inveniatur, eam obliget ad resarcienda omnia damna ex adulterio provenientia, relinquendo legitimis bona propria, ne damnum in hæreditate patiantur; si verò pauper, vel impotens sit, & periculum infamiæ, ac vitæ ex revelatione immineat, injungat, ut de peccato doleat, cum proposito satisfaciendi cùm primùm poterit, ac moneat, ut filio ingressum Religionis suadeat: at non cujuscumque, sed *Minor. de Obser.* vel Capuccinorum: quia Aliæ, etiam Mendicantes, succedunt in bonis, ex *Trid. sess. 23. de Regul. cap. 3.* propterea per ingressum in alias, non ellet satis provisum damno.

Dum similes casus occurrunt, est magna prudentia, & non minori cautela procedendum. Considerandum damnum, quod oritur ex jactura bonorum fortunæ, minus esse, quàm damnum in bonis vitæ ex morte proveniens; nam, sicut bona fortunæ sunt inferioris ordinis ad bonum vitæ, in cujus conservationem illa ordinantur, sic discurrendum de damnis correspondentibus. Hinc, si ex revelatione immineat periculum vitæ, & jactura rerum dumtaxat, si taceat: minus malum eligi debet, juxta regulam communem, malis physicis aptabilem,

ab

*de duobus malis minus est eligendum*, cùm utrumque vitari non possit.

22. Sed quæritur, *an Adulter teneatur concurrere cum Adultera ad satisfaciendum?*

Resp. Affirmativè; dum sibi probabile est, & motivum habet credendi prolem esse suam, quia fuit causa injusta damni; unde si adultera, utpotè impotens, non restituit, adulter tenetur; dum verò ipsa satisfacit, debet ipse ei partem satisfactionis restituere, juxta regulam alibi ponderatam, quòd dum plures idem damnum inferunt, uno in integrum restituente, tenentur alii suas partes pro rata illi reddere; videndus Quilici, & Poncius ubi supra. Mastrius *Theol. moral. disp. 9. qu. 4. art. 1. nu. 54.* & Fagnan. *in 5. decretal. ad cap. officii de pœnit. & remiss.*

23. Quæritur, *an pro injuria, & dedecore, in maritum redundante ex Adulterio conjugis, debeat ab Adulteris aliquid restitui?*

Resp. Si Adulterium sit notorium, debent veniam ab ipso petere, & honorem coram aliis exhibere in compensationem contemptus; si verò sit occultum, tenentur majora obsequii signa ostendere (sed non, ut possit in cognitionem criminis devenire) in satisfactionem injuriæ. Illsung. *tract. 4. disput 3. quæst. 1. art. 2. §. 4. num. 95.*

24. Sed quæritur, *an Adulter ob solam, & nudam injuriam marito exhibitam, teneatur ad restitutionem pecuniarum?*

Resp. Negativè, (de damnis aliis emergentibus diximus supra) Adulterium, ut dixit Mastrius *cit.* non ideò dicitur contra justitiam, ut obliget adulterum ad aliquam compensationem pecuniariam, sed contra justitiam asseritur, ratione injuriæ irrogatæ, quatenus violatur jus, quod maritus solus habet in usum corporis Uxoris; & hinc cum pecunia, & injuria irrogata sint in diverso genere bonorum, per pecuniam non satisfit.

25. Quæritur, *an Uxor peccet negando debitum marito, sibi noto Adultero?*

Resp. Negativè; nam adulterium est sufficiens causa separationis, quoad Thorum, & habitationem *cap. ex literis de divort.* (sed non debet separatio, quoad habitationem fieri sine judicio Ecclesiæ *cap. porrò ibid.*) ergo etiam ad negandum debitum; nam cùm Adulter, admisso adulterio, privetur jure petendi debitum, jus exigendi non habet: & quemadmodùm ipse adulterando fidem Uxori fregit, sic videtur Uxorem non teneri ad debiti solutionem: nam frustra quis fidem exigit servari ab eo, cui fidem à se datam non servat; Poncius *disp. 49. quæst. 6. nu. 46.* Du-hamel. *to. 2. differt. 3. cap. 5. num. 10.* Layman. *lib. 5. tract. 10. cap. 7. num. 7.*

Verùm id intelligitur, si Uxor sit innocens; quia, si ipsa quoque esset adulterio consentiens, vel Adulterium commisisset, reddere teneretur: quoniam paria delicta mutua compensatione tolluntur, *cap. tua fraternitas de Adulteriis.* Item, dum ipsa innocens condonat marito injuriam, deberet reddere; nam, tunc censetur renunciare juri, quod habet negandi debitum: sive condonatio fiat tacitè, quod contingit, dum Uxor, cognito viri Adulterio, ei debitum reddit, vel id ab ipso petit: sivè expressè, ut, si verbis injuriam, & Adulte-

rium expreſsè condonet, ut poſt Layman. *lib. 5. tract. 10. part. 3. cap 6. num. 14.* dixit Engel. *colleg jur. Canon. lib. 4. tit. 19. num. 18.*

26. Sed quæritur, *an Uxor teneatur in conſcientia, cognito adulterio mariti, debitum petenti negare?*

Reſp. Negativè, *arg.* ex doctrina Auguſtini relati in *cap. Idololatria 28. quæſt. 1.* ubi: *Dominus autem permiſit cauſa fornicationis, Uxorem dimitti, ſed quia permiſit, non juſſit. Vide dicta num. 17.*

Tutius itaque, & melius erit, ut Uxor viro debitum reddat, ad evitandum majus malum, & nova Adulterii crimina, quia quanto frequentius ad Uxorem acceſſerit, tantò minùs alias quæret.

27. Quæritur, *an adulter peccet debitum exigendo ab Uxore innocente, & criminis inſcia?*

Reſp. Pro negativa videntur eſſe, quotquot tradunt ptivationem juris petendi ab Adultero non incurri, niſi, dum Uxor Adulterium cognoſcit, quia cùm illius privatio pœna quædam ſit, incurri non dubet, niſi ab Uxore (quæ in hoc obtinuit, quaſi locum Judicis) imponatur. Gobat. experien. *Theol. tract. 10. caſ. 15 num. 600.* Nicol. *Floſculi ver. debitr conjug. num. 4.* Tambur. in decalog. *lib. 7. cap. 3. §. 3. num. 5.* Cabaſut. *lib. 3. cap. 28. num. 3.*

Pro Affirmativa verò eſt Navarrus in *ſumma* à Tambur. ibid. allegatus, ubi dixit, Adulterum amittere per leges jus exigendi debitum conjugale ab Uxore; & cum ipſo debent eſſe, qui dixerunt abſolutè ex Adulterio amitti jus debitum exigendi. Ex quibus videtur concludi, Adulterum, commiſſo adulterio, peccare, ſi ſuæ conjugi conjungatur, quia ſine jure conjungitur.

Prioris ſententiæ probabilitas authoritati DD. innititur. Verùm ſecundam etiam rationi magis conformem judicot cùm privatio juris effectus reputetur, non cognitionis, vel voluntatis Uxoris læſæ, ſed fractionis fidei conjugalis, ergo, poſita ab Adultero ipſa fidei fractione, illicò privatio oritur, & exigere non poteſt, ut ſibi Uxor fidem ſervet, non negando debitum.

Itaque Adulter, aſſentientibus etiam Gobat, & Felice *examen. tit. 1. nu. 429.* ſolùm poteſt ab Uxore innocente petere debitum rogando, non tamen cogere, & exigere, tamquam ex juſtitia ſibi debitum, vel intentione ipſam obligandi ex juſtitia ad copulam Matrimonialem, eaque, ipſa invita, uti, ſicut antèa poterat; ad differentiam de caſu affinitatis, & voti, quibus ſtantibus, nullo modo reus, vel voto ligatus, poteſt petere debitum ſine diſpenſatione: obtinenda juxta dicenda *lib. 2. cap. ult.*

## CAPUT XXX.

### *Prop. LI. ab Innoc. XI. &c.*

### *Famuli inſerviente Luxuria.*

1. PROP. 51. *Famulus, qui, ſubmiſſa humeris, ſcienter adjuvat herum ſuum aſcendere per feneſtras ad ſupprandam virginem, & multoties eidem ſubſervit deferendo ſcalam & aperiendo januam, aut quid ſimile cooperando, non peccat mortaliter, ſi id faciat metu notabilis detrimenti: puta, ne à Domino male*

*male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.*

Similes actiones sunt contra sextum præceptum decalogi, & castitatem: proximè cooperantes, & adjuvantes Dominum ad exequendam libidinem, actusque venereos; in qua re nec parvitas materiæ admittitur ad excusandum à mortali, ut alibi diximus; unde nec metus, etiam mortis, potest eas honestare, quin in illis circumstantiis, & scienter exercitæ, sint de se, & ab intrinseco illicitæ, ac sub mortali prohibitæ; de quo post Decretum Innoc. non est amplius dubitandum, vide Cardenas *dissert.* 31 *prop.* 51.

2. Sed quæritur, *quæ actiones comprehendantur sub illis verbis*, aut quid simile cooperando?

Resp. Omnes, quæ de facto proximè adjuvant, & conducunt, ac cooperantur ad exequendam luxuriam, quamvis abillis circumstantiis abstractæ essent indifferentes, ut sunt. I. Deferre scienter concubinam ad domum heri, ad effectum luxuriæ: sive famulus eam deferat in sella gestatoria, sive eam comitetur. II. Scienter ferre literas provocatorias Luxuriæ, & amorem impurum foventes, ab hero ad concubinam, vel ab ista ad illum, aut eas scribere. III. Vocare concubinam ad domum, vel cubile heri, aliumve locum ex commissione Domini. IV. Deferre munera Domini ad concubinam. V. Assistere januæ concubinæ, ne Dominus impediatur à copula. VI. Exercere lenocinium. VII. Pergere jussu Domini ad sequendam mulierem, ut sciat, ubi habitet, ut id Domino referat, ad effectum Luxuriæ, &c.

3. Quæritur, *an liceat famulis cooperari cum Domino peccatis Luxuriæ, si grave damnum eis verisimiliter imminеat?*

Resp. Negativè; nam, etiam in illis circumstantiis, sunt mortaliter illicitæ: cum proximè adjuvent, & cooperentur ad luxuriam Domini, quæ in nullo casu est licita; ideò nec metu mortis exerceri debent, cùm debeamus potius omnia mundi mala tolerare, quàm peccato mortali consentire, *cap. ita ne* 32. *qu.* 5.

4. Sed quid, *si affirment se non intendere Domino ad peccatum cooperari, vel ipsum adjuvare, sed solùm periculum mortis vitare?*

Resp. Non propterea excusandi sunt à mortali; nam protestatio est contraria facto; quia scienter faciunt actiones, ex operis natura ad pravum finem ordinatas; & ideò ab intrinseco illicitas, ut dixit etiam Ledesma apud De la Cruz 6. *præcpt. art.* 1. *dub.* 3. *in fine*, quod totum meo videri evidens est.

Sicut non excusatur à mortali procurans in se pollutionem, quamvis protestetur, se non delectationem veneream, sed sanitatem intendere, quia similis ab ea inseparabilis est, & ex natura operis ad eam sequitur. Sic mortaliter peccat, qui mulierem, data operâ, morosè osculatur, quamvis non intendat, immò protestetur se non velle delectationem illam sensibilem, quæ ex osculo sequitur, quia talis delectatio est ab osculis morosis inseparabilis, ut diximus *lib.* 1. *cap.* 29.

5. Quibus addas ex Felice *tot.* 1. *num.* 2202. oscula alia esse pressa, morosa, studiosa, ac ob delectationem: alia mode-

sta; instantanea, & superficialia, quæ ex urbanitate dantur, juxta moresn Patriæ, aut in signum puri, & honesti affectus, ac amicitiæ: ista possunt esse licita, & solùm mala ex fine operantis: ut, si non fine honesto, sed ob delectationem sensibilem fiant; vel ratione periculi delectationis sensualis, quam quis sæpè in eis experitur, & ideò tunc abstinendum.

Illa verò sunt ab intrinseco mala, quia ad ipsa sequitur connaturaliter delectatio sensibilis, quæ mala est, cum ex natura sua sit alterativa, & excitativa partium generationi inservientium; ex qua alteratione consurgit connaturaliter delectatio sensualis, per se, & ex natura sua proximè, & immediatè ordinata ad seminis emissionem. Nullus enim negabit, quin expresso, & firmo contactu labiorum viri ad labia, vel genas mulieris oriatur delectatio sensibilis, & ex ista non procedatur ad sensualem, & veneream, quæ percipitur: vel ipsa seminis decisione: vel ex per se ordinatis ad illam, ut ex pudendorum commotione; sive hæc contingat osculis, tactibus, amplexibus, & aspectibus, sive librorum lectura, & obscænorum auditu, sive cogitatione, aut delectatione morosa, & impuro desiderio. Vide dicta loco cit. & audi Augustum. *de amicitia tom. 6. cap. 4.* ubi: *ipsum osculum tanta turpitudine fadant, ut sic osculari nihil aliud sit, quam adulterari.*

## CAPUT XXXI.

*Prop. LII. & LIII. ab Innoc. XI. &c.*

*Præceptum servandi Festa, & audiendi Missam.*

1. PROP. 52. *Præceptum observandi festa non obligat sub mortali, sepposito scandalo, si absit contemptus.*

PROP. 53. *Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo sacro, qui duas ejus partes, immò quatuor simul à diversis celebrantibus audit.*

Quod præceptum de observandis festis sub mortali obliget, est communis DD. opinio, & Ecclesiæ sensus, de quo post decret. Innoc. nefas est dubitare; quamvis apud Cardenas *dissert. 32. cap. 1.* quibusdam scribere placuerit ipsa præcepta Ecclesiæ non obligare conscientias sub mortali; & esse dumtaxat pœnalia, solumque per accidens sub mortali obstringere: ratione nimirum scandali, vel inobedientiæ: & contemptus; prout in perniciem salutis animarum dixerunt primæ propositionis Authores.

2. Et quia in Ecclesiastico præcepto de Festorum observatione continetur præceptum affirmativum, seu præceptivum, *ut integra Missa in die festo audiatur, cap. omnes fideles, & cap. Missas de consecrat. dist. 1.* & negativum, seu prohibitivum, ut integro die festo servilia opera non exerceantur, *ex cap. licèt de feriis*, & B. Pio V. infra citando. De utroque agendum est, ut satis Confessarius instructus, in transgressio-

nis,

nis, vel observantiæ judicio, sine errore procedat, sed

I. Notetur, quòd præter Dominicam diem, sabbato Judæorum, in memoriam Resurrectionis Christi, *capit. quod die Dominico 75. dist.* ab Apostolis substitutum (quæ in Evangelio prima, & una Sabbati nominatur, ut expresè dixit August. *psal. 93. Una sabbati dies Dominicus est* etiam alia Festa in honorem Dei, & Sanctorum Ecclesia instituit; eaque celebrare præcepit *cit. cap. licèt.*

II. Quòd juxta consuetudinem in Ecclesia receptam, Festa, quantum ad abstinentiam à servilibus operibus, computantur à media nocte ad alteram mediam noctem Layman. *lib. 4. tract. 7. cap. 2, num. 1. Engel. jur. can. lib. 1. tit. 9. §. 2. num. 4.*

3. Quæritur, *quænam sint opera servilia, quorum exercitium est die Festo sub mortali prohibitum?*

Resp. Opera corporalia, ad quæ deputantur servi: & propterea dicta servilia. Quæ describi possent, ea esse, *quæ, quia, vel immediatè in utilitatem corporis, vel corporis potiùs, quam animi viribus efficiuntur, vulgaribus communiter hominibus committi solent.* Hujus generis reputantur arare, fodere, serere, ligna, lapidesve cædere, fabricare, fabrilia agere, & opera tonsoris, ac alia artis mechanicæ; quæ corporis laborem, vel solum vel principaliter requirunt: & sunt propria ancillarum, rusticorum, servorum, & artificum.

Ex opposito opera liberalia dicuntur, quæ ad artes liberales pertinent, & à liberis exercentur ut plurimum ad illuminandam, & instruendam mentem, oblectandumque animum: cujusmodi sunt, studere, concionari, docere, discere, cantare, organa musica pulsare, & similia: quæ diebus festis non censentur prohibita, pro ut DD. communiter. Layman. Engel. Tambur. *in decalog. lib. 3. cap. 3.* Etiamsi pro pretio exerceantur: quia pretium non facit opus esse servile, si ex se tale non sit; sicut è contra, non cessat esse servile opus, quod ex suo genere est tale, etiamsi gratis fiat, Duhamel *Theol. tom. 2. in decalog. dissert. 4. cap. 4. n. 3.*

Præter opera servilia, & liberalia, dantur alia, de quibus DD. dubitant, an liberalia, an verò servilia sint, adeòque an prohibita diebus festis: ut piscari, venari, transcribere libros, ordinare characteres typographicos &c. igitur.

4. Quæritur, *an diebus festis liceat pingere, piscari, vel venari?*

Resp. Quòad primum, affirmat Layman *cit. à num 2.* Ilsung Tambur. Sanchez, Anton. à Spirit. San. *direct. confess. in decalog. tract. 5. sect. 7. num. 56.* quia pingere ad exercendum magis ingenium (quod est, quid liberale) quàm ad laborandum, refertur; modò non cum magno apparatu fiat, hoc est, ut non conterantur, nec misceantur colores, gypso non aptentur telæ, & penicilli non efformentur, cum hæc sint famulorum ministeria.

Negat *Sum. Leandri ver. festorum observatio num. 20.* tam gratia lucri, quàm recreationis causa, quia probabilius est, quod pingere sit opus servile. Et hæc est tutior opinio. Quam posteà docuit Author mille *interrogat: interrogat. 705.*

non

non excusans à mortali Pictores, & Typographos, proprias artes in diebus Festis exercentes, nisi ratione modici temporis, & operis.

Idem videtur dicendum de piscatione, & venatione. Verùm quò ad piscari scias, *in alleg. cap. licèt* non permitti diebus festis, nisi quò ad quædam genera piscium, qui solent certo tempore piscari & illicò fugiunt; sed nec id in solemnioribus.

5. Quæritur, *an ex causa possint opera servilia diebus Festis absque mortali exerceri?*

Resp. Affirmativè, prout DD. communiter, & expressè S. Rituum Cong. quæ censuit: *licere diebus festis dare operam rebus ad vitam necessariis, ac tempore perituris, præsertim tempore vindemiarum, & messium, ac recollectionis fructuum, vel, si necessitas urgeat, ac suadeat pietas. Cæterum; quoniam verendum est, ne privatis affectibus, domesticarumque rerum studio aliqui eò perducantur, ut hac Sacrorum Canonum indulgentia in aliis, etiam casibus abutantur, idem Patres Eminent: adjiciunt ad Ordinarii cujusque judicium, ac censuram pertinere, ut dignoscat, num verè ulla ex causis supra scriptis subsit, propter quam liceat diebus Festis rebus servilibus vacare, ut, nec dierum festorum observantia ulla in re violetur, nec opera illis diebus summa cum ratione permissa impediantur.* Piasec. *prax. par. 2. cap. 3. art. 3. num. 33.* & ego ipse offic. Cur. *tom. 2. cap. 1. num. 4.* Unde præter causam rationabilem pietatis, & necessitatis debet quoque accedere consensus Episcopi, vel Parochi, ubi illius propter distantiam commodè haberi non potest, & periculum est in mora. Engel, num. 13.

Quare excusantur à peccato. I. Qui pro mortuis sepeliendis sepulchra diebus Festis effodiunt; qui Campanas pulsant, Templum ornant, dum ante non potuerunt.

II. Coquentes, & parantes cibos necessarios, ac Pharmacopolæ, necessarias medicinas.

III. Agricolæ, & laborantes, quando ratione pluviarum in messe, vino, oleo, & fœno probabile damnum timetur.

IV. Coquentes tegulas, vitrum, calcem, dum incæpta decoctio nequit sine notabili damno intermitti.

V. Ementes, & vendentes panem, vinum, carnes, fructus, & alia necessaria ad humanum victum.

VI. Reficientes vias publicas, & Pontes, dum differri non potest.

VII. Qui se, & suam familiam sufficienter alere non possunt: sed id faciunt, audita Missa, & secretò, ad vitandum scandalum, & laborem non protrahant ultra id, quod exigitur ad necessitatem, pro eo die sublevandam. Sed in hoc vitentur fraudes, & commodum ficto necessitatis titulo non pallietur.

Plures ex consuetudine excusant Barbitonsores, tametsi integro die, vel per notabile ejus tempus barbas, & capillos radant, quod in praxi, nec probabile, nec tutum apparet, cum potius abusus ipsa sit, & corruptela.

6. Quæritur, *an diebus Festis licite exerceantur mercatus, & nundinæ?*

Resp. Negativè, prout eadem Sacr. Cong.

Cong. in una Recanaten. apud alleg. Piasec. & Quaranta *Sum. Bull. verb. dies Festus*, ut infra: *Præceptum de Dominicis, & Festivis diebus sanctificandis, & observandis, sub prætextu mercatuum, nundinarum, & fertarum nullatenus esse violandum. Cæterum his diebus licere agasonibus, ac aliis jumentorum vectoribus, seu mercium conductoribus, bajulis, & aliis hujusmodi servientibus, ac ministris, sarcinas, & onera, nundinarum causa, exonerare, & deponere, incæptumque iter, Missa tamen prius audita, transeundo prosequi, & continuare. Non tamen debere sarcinas componere, & jumenta onerare, ad iter de novo incipiendum. Neque Mercatoribus, aut aliis civibus & viatoribus iis diebus, etiam clausis apothecis, merces vendere, emere, aut asportare licere, nisi tantum ad victum necessaria, aut alia minuscula, & modici momenti opera, jam confecta, & elaborata, pro transeuntium hospitum, advenarum, & exterorum urgenti, & præsentanea necessitate, & opportunitate &c.*

Idem dispositum fuerat B. Pius V. *Constit. cum primum Kal. April.* 1566. & infra. *Cum verò dierum Festorum observatio ad Dei cultum &c. mandamus &c. ut ab omni illicito, & servili opere abstineant. Mercatus non fiant, profanæ negotiationes, & Judiciorum strepitus conquiescant.*

7. Advertat itaque Confessarius, diebus Festis, non modò opera servilia, & nundinas prohiberi, verum etiam *placitum cap. omnes tit. sup. cit.* per quod intelligitur omnis actio, & strepitus judicialis, tam in civilibus, quam criminalibus: tam ad pœnam, quam ad mortem: tam pro foro civili, quàm Canonico: tum quoad initium, tum quoad terminum, & finem causæ.

8. Ad initium actionis judicialis spectat citatio rei, vel partis; hæc enim est basis; & fundamentum judicii; ad medium examinare testes, eorum depositiones, & juramenta recipere. Ad terminum tandem pertinet, sententiam pronunciare, vel ipsam exequi; quæ omnia, & singula *in cit. cap. Conquestus*, irrita, & nulla declarantur. Super quibus Judex à Confessario interrogandus est. In *alleg. cap. 1. & ult. tit. cit.* excipitur à prohibitione casus necessitatis, & pietatis, in quibus possunt omnia prædicta licitè, & validè fieri.

9. Non prohibentur tamen actus extra-judiciales, etiamsi sint actus jurisdictionis fori externi: ut, visitare Ecclesias, vel Clericos, modo Religioso, & sine strepitu Judicii. Item excommunicatio, & ab eadem absolutio potest die Festo dari, eo quod non necessariò requirant judicialem cognitionem causæ.

10. Quæritur, *an præceptum de abstinendo ab operibus servilibus in die Festo ex genere suo obliget sub mortali?*

Resp. Affirmativè; nam est obligatio instituta ad Dei cultum, & venerationem Sanctorum, adeòque pertinens ad virtutem Religionis: virtus autem Religionis ex alibi dictis ex genere obligat sub mortali: Sed ex parvitate materiæ erit veniale, juxta operis qualitatem, & moram temporis.

11. Sed quæritur, *quantum temporis requiratur, ut quis dicatur per notabile tempus, in die Festo opus servile exercuisse?*

Resp. DD. dividuntur. Marchant. *resolut. Pastor. cap. 2.* tres horas ad mortale requirit: alii quatuor: quidam o-

cto. Quibus omnibus, ut nimis laxè loquutis non assentimur.

Tambur. *cit.* §. 2. *num.* 1. Cum Diana, Sum. Leandr. ubi supra *num.* 36. & Ilsung. §. 1. 168. excusant à mortali laborantem eodem die per duas horas integras, dummodò illas non excedat; quia, cum hæc sit duodecima pars diei, parva quantitas reputatur respectu totius diei: sed hi etiam nimis laxè procedunt.

Layman. *cap.* 4. *num.* 1. ex Suarez, tradit laborem unius horæ, seclusò scandalo, & quod opus non sit nimis servile, defatigans corpus, ad culpam mortalem non pertingere: ex quo una hora, comparatione 24. horarum, exigua pars reputetur. Bonac. *de legibus disp.* 5. *qu. num. punct.* 3. *num.* 2. cum Reginaldo, & Azorio, censet spatium unius horæ esse tempus notabile. Quod confirmat Joan. De la Cruz 3. *præcept. dub.* 1. *conc.* 2. referens à viris doctis laborem unius horæ reputari gravem materiam. Et Facundez dixit excedere per quadrantem unam horam; esse excessum notabilem, & sic peccatum mortale. Sed, quia S. Cong. Conc. apud Fagnan. *in* 3. *decret. ad cap. nulli de rebus Eccles. non alienan. à num.* 26. aliàs respondit, non esse tutum in universali definire, quæ res sint exiguæ: ideò Confessarius sciens, quod parvus labor notabiliter non præjudicat observationi Festorum: & quod ex parvitate materiæ possit homo laborans excusari à mortali, in judicio non sit laxus, sed Bonaccinæ, & De la Cruz adhæreat.

An verò diebus festis teneamur ad actus virtutum Theologicarum. Vide *lib.* 1. *cap.* 1.

12. Quæritur 4. *Petrus in Confessione aperit.* Pater, duodecim conduxi operarios, quorum singuli successivè ad meum mandatum per modicam horam (audita Missa) laborarunt, ita ut totus dies fuerit ab ipsorum labore occupatus, peto, an peccaverim mortaliter?

Resp. Bonac. & Portellus apud Tambur *cit.* & Sum. Leandr. ibidem, Petrum à mortali excusant, quia unius opus cum illo alterius non connectitur; cum sint à diversis: qui habent diversas obligationes, quarum una ab alia est distincta; & aliunde nullus ex eis mortaliter peccat: quia supponitur, nullum horam excedere, ergo non adest caput colligendi, unde Petrus mortaliter peccet?

Quibus tamen non adhæremus: & Petrum peccare non dubitatur. Nam ei moraliter imputatur labor, ab operariis in ejus commodum factus; qui secundum se, & ut à Petro intentus, non modicæ horæ, sed integri diei opus servile est, in fraudem legis ordinatum. Nec excusantur operarii, si iniquæ commissionis sint conscii; ut *cap.* 21. diximus de simul conspirantibus ad vineam devastandam, licèt singuli racemium uvæ surripiant? In eo enim peccato Petri coperantur, & singulæ operæ moraliter connectuntur in unam; nam tunc, non, ut plures numero distincti laborant, sed, ut unus moraliter laboratos, legem transgrediuntur. Idque debent in confessione aperire; quemadmodum Petrus tenetur explicare ipsorum numerum, & modum, quo operarios ad operandum indu-

induxerit, & legem Eccleſiaſticam violaverit.

13. Sed quid, *ſi Hebræo, vel Turcæ, aut alii non baptizato, opus ſervile pro integro feſto committeret?*

Reſp. Illſung. ubi ſupra §. 1. *numer.* 166. eum mortaliter non peccare tradit, quia legibus Eccleſiaſticis ipſi non ſubduntur. Sed peccare reſolvitur cum Tamb. §. 1. *num.* 16. *& cit.* à Spiritu Sancto *ſect.* 7. *num.* 60. nam, tametſi non baptizatus ex ſe ſine peccato diebus feſtis laborare poſſit, quia non eſt legibus Eccleſiaſticis ſubditus, fidelis tamen nunquam ei poterit ſine culpa laborem injungere; ratio eſt, quia jam alterò homine laborante, ipſe moraliter laboraret; & conſequenter non modo humano, & morali feſtum ſanctificaret; in quo opera ſervilia, non modò immediatè per nos ipſos exercenda, ſed etiam mediatè, & per alios homines prohibentur.

14. Quæritur, *an peccet mortaliter, qui opera ſervilia, octo non continuatis vicibus, in eodem feſto exercet, ſi in ſingulis per ſemiquadrantem operetur.*

Reſp. Affirmativè; ratio eſt, quia licèt illa ſint diſcontinuata, quoad tempus, continuantur tamen in contrarietate ad præceptum, cujus una, & eadem eſt obligatio, quæ durat tota die. Sum. Leand.

15. Quæritur etiam, *an toties quis mortaliter peccet, quoties in eodem feſto per tempus notabile, pluribus interruptis vicibus, opus ſervile exercet?*

Reſp. Affirmativè: à ſimili de comedente in die jejunii pluries carnes juxta dicta *lib.* 1. *cap.* 16. *num.* 9. tam enim eſt negativum præceptum non comedendi carnes, quàm præceptum non laborandi; & ſicut comedens poſt primam manducationem, potens eſt ad iterum non manducandum, & obſervandum præceptum negativum, ſic laborans poſt primum laborem exercitum, potens eſt ad non laborandum in futurum.

16. Quæritur, *Cajus fuit apud Turcas decem annis captivus, quo tempore, Domino jubente, omnibus diebus feſtis in agro laboravit: petitur, an mortaliter peccaverit?*

Reſp. Interrogetur, an Dominus in contemptum Eccleſiæ, vel Feſtorum, laborem præceperit, & quatenus affirmet, non eſt dubium graviſſimè deliquiſſe: non modò contra legem Eccleſiaſticam, qua Feſta præcipiuntur, verum etiam contra jus divinum, & naturale, dum Chriſtum, & Eccleſiam contempſit; & ideò obedire non tenebatur. Quod ſi non in eum finem fuerit præceptus, & laboraverit ad evitandum damnum grave, quod in perſona, vel rebus timebat, à DD. à mortali excuſatur.

17. Quæritur, *quando quis cenſeatur cum contemptu transgredi præceptum obſervandi feſta?*

Reſp. Cum præceptum non implet, quia non vult ſubjici legi Eccleſiaſticæ id injungenti.

Unde notet Confeſſarius, quod quis poteſt peccare, vel cum contemptu materiali, vel cum formali ipſius Dei, & legis. Cum contemptu materiali Dei, & legis peccat, dum non facit opus præceptum, vel facit prohibitum (iſte extat in quolibet peccato mortali imbibitus, quatenus, dum quis peccat, legem transgreditur: & in eo videtur ipſam materialiter contemnere) Cum contemptu

verò formali peccat, cum non vult se præcepto, vel Deo, aut Legislatori subjicere: furatur Petrus centum, violat septimum præceptum Decalogi, committens peccatum furti, sed non contemnit formaliter præceptum, nec Deum aut Legislatorem. Furatur ipsa centum, quia non vult subjici Decalogo, vel Deo præcipienti, tunc formaliter Deum, & præceptum contemnit, duoque peccata committit, alterum furti, & alterum superbiæ. Ita, non jejuno ob gulam, pecco contra abstinentiam: frango jejunium, quia nolo subjici præcepto jejunii, pecco & contra obedientiam, & contra abstinentiam, de necessitate in confessione explicandum. Ita in casu, facio opus servile die Festo, pecco contrà Religionem; & contra ipsam legis obedientiam, si serviliter operor, quia repugno obedire, & nolo præcepto subjici. Vide Ilsung. *tract. 2. disp. 2. art. 3. num. 26.* Et in hoc formaliter contemno potestatem Ecclesiæ, quæ à Deo est: & in quo parvitas materiæ à mortali non excusat.

Et hæc satis, quantum ad præceptum, prohibens opus servile in festis. Nunc de præcepto audiendi Missam agendum est.

18. Et supponendum dari præceptum Ecclesiasticum de audienda Missa, non modò diebus Dominicis, sed etiam aliis festis, obstringens omnes fideles, postquam ad plenum rationis usum pervenerint, ita ut bonum à malo valeant sufficienter discernere, Deum Orationibus colere, ac mortaliter peccare. Quod regulariter solet accidere circa septennium, aut paulo post, juxta communem DD. quia post eum quisque fidelis capax est præcepti Ecclesiastici, ergo & præcepti audiendi Missam. Layman. *cit. cap. 3. num. 1.* Sum. Leandr. *verb. Missa audi-tio num. 115.* & per dicta *tib. 1. cap. 11.* Quod præceptum ex genere suo obligat sub mortali, sic communis sensum fidelium, & praxis Ecclesiæ.

19. Quæritur, *quid sit Missam audire?*

Resp. In hoc DD. concordant: quod non sit determinatè sensum verborum intelligere, cum rudes non possint: nec Sacerdotem celebrantem videre, cum cæci nequeant: neque sacrificantem audire, cum surdi non valeant: sed, quod fideles sint sacrificio præsentes, eique modo humano assistant, hoc est, animo, & corpore, ut possint Sacerdotem videre, vel audire, aut ad ministerium, & sacras actiones attendere, & percipere: animo sunt præsentes, qui voluntariè non distrahuntur ad alia objecta: corpore verò, qui sunt præsentes in loco, in quo Missa celebratur. Quod potest physicè, & moraliter accidere: physicè contingit, dum ex istis cum proprio corpore in eo loco: moraliter verò, dum es præsens ratione conjunctionis cum multitudine, cum qua constituit unum corpus morale, Sacro assistens; quod per DD. verificatur de eo, qui ob multitudinem fidelium, quos Ecclesia capere non potest, extra Ecclesiam Missam audit.

20. Sed quæritur, *an audiens Missam è fuæ domus fenestra, extra Ecclesiam constituta, satisfaciat præcepto?*

Resp. Affirmat Tambur. *citat. cap. 2. §. 1. num. 14.* & Gobat. *experien. Theol. tract. 5. cas. 6.* alios plures referens; apud

apud quem negat Suarez, & Portell. Filliuc. & Diana, & post eos Felix *cit. num.* 1790. Et istis adhærendum censeo: cum de eo dici non possit, esse physicè præsens, ut est certum; nec moraliter: quia in prudenti hominum existimatione non censetur pars multitudinis existentium in templo.

21. Quæritur, *an, si quis toto Missæ tempore confabularetur, vel litteras, aut librum profanum legeret, aut scriberet, & per intervalla adverteret, quid in Altari ageretur, satisfaceret præcepto audiendi Missam?*

Resp. Negativè, nam similis actio externa non reputatur compossibilis cum morali præsentia: cum animum abstrahat ab advertentia, sive attentione ad sacrificium. Ilsung.

22. Sed quæritur, *quænam attentio requiratur ad implendum præceptum?*

Resp. Sed nota: quod duplex est attentio, interna, & externa. Externa est privatio, seu exclusio actionum exteriorum impedientium attentionem internam ad Sacrum: ut est confabulatio, scriptio, pictatio, ludus &c. Interna verò est ipsamet animi, seu mentis, ac intellectus applicatio, & advertentia ad Sacrum; & hæc per Cabasut. *prax. lib. 2. cap. 32.* & Sum. Leand. *num* 160. vel est ad verba, & actiones, quas Sacerdos facit, & dicit: vel ad intelligentiam, & sensum verborum, vel ad Deum ipsum; cui sacrificium offertur: aut divina Mysteria, quæ in sacrificio significantur: vel ad divina beneficia, quæ per illud conferuntur.

Sufficere meram externam dicit Tambur. *num.* 20. & Ilsung, apud quos plures, resolventes Ecclesiam præcipere auditionem externam; & ideò, eum præceptò satisfacere, qui, licèt interius voluntariè, & liberè distrahatur, Missæ tamen assistit sine exteriori distractione, & non occupatus externo negocio, vel actione, moraliter incompossibili cum interna attentione. Contra quos dicimus cum Mastrio *disp. 12. art. 1. num. 36.* Sum. Leand. aliisque, quos ipsi referunt, ad satisfaciendum præcepto de audiendo sacro, esse necessariam attentionem internam; ratio est, quia, dum Ecclesia præcepit auditionem Missæ, non præcepit ipsam actionem materialiter tantum, sine intentione colendi Deum, sed ipsam, ut est institutа in cultum Dei, qui ei sine interna attentione non exhibetur. Immò Campion. *instruct. ad confess. audien. pag. 1. cap. 38. num. 16.* dixit, non posse nos obedire præcepto Ecclesiastico audiendi Missam in die festo, nisi credamus Christum verum Deum esse sub hostia ritè consecrata, quam audientes Missam adoramus; quamvis obligatio credendi in casu sit solum per accidens, ratione scilicet præcepti Ecclesiastici audiendi Sacrum.

23. Sed quæritur, *an attentio debeat esse actualis, vel virtualis.*

Resp. Actualis, qua quis in actu exercito advertit, est optima, & debet consuli, sed non est necessarium, ut semper duret, sed sufficit virtualis, quæ ex vi actualis, quæ præcessit, perseverat in actuali assistentia, & præsentia Sacro, licèt, propter involuntariam mentis distractionem, actu quis non advertat. Sed tenetur mentem ad actualem advertentiam revocare, dum suam distractionem

percipit, juxta dicta *lib. 1. cap. 25. num 7. 8. 9. & 10.*

Quod diximus de attentione, quæ est actus intellectus, dicendum est, proportione servata, de intentione, quæ est actus voluntatis, sed vide ibidem *num. 12. & 13.*

24. Quæritur, *an omittens partem notabilem Missæ peccet mortaliter?*

Resp. Affirmativè, prout DD. communiter, scribentes, fideles teneri Missam integram audire ex alleg. *cap. Missas.*

25. Sed difficultas est, *quænam dicenda sit pars notabilis?*

Resp. Est controversia inter DD. diverso modo sentientes. Sed communior est docentium, omissionem auditionis à principio usque ad Epistolam exclusivè, non esse partem notabilem, sed, si ipsa quoque omittatur Epistola, (neque ulla excuset necessitas) peccari mortaliter. Cabasut. *cit. num. 7.* allegans Tabienam, Navarrum, Suarez, Graffium, Henriquez: videndus Gobat ubi supra *cas. 4. num. 135.* Idem apud Sum. Leand. *num. 132.* dicitur, si, audita Missa usque ad communionem inclusivè, cætera omittantur? sed quidam volunt esse Evangelium S. Joannis audiendum. Verum semper pœnitentes monendi sunt, ut integram Missam audiant.

26. Sed quid, *si quis accedens ad Ecclesiam, inchoata jam Missa, cæteris quæ remanent, ut consecrationi, usque in finem interfit, & postea ab alio aliam Missam usque ad consecrationem audiat, & postea discedat?*

Resp. Præcepto non satisfacit, quia audiens duas, vel plures partes Missæ simul à diversis Sacerdotibus non satisfacit, ut dixit Innoc. contra 53. *prop.* Sed nec eidem satisfacit, quamvis non simul, sed successivè à diversis celebrantibus duas partes, vel plures audiat. Mast. *cit. num. 33.* Ilsung. §. 2. *num. 161.* Felix *num. 2799.* apud quos plures; ratio est, quia præceptum obligat ad audiendum unam Missam integram, sed illæ duæ medietates diversorum sacrificiorum, neque ex natura sua unum integrè sacrificium constituunt, cum sint partes independentes, quarum una ad aliam non ordinatur; nec constat de Privilegio, vel indulgentia Ecclesiæ, partes successivas disparatas pro integro sacrificio recipientis, ergo eas audiens, integram Missam non audit, sed plures partes plurium Missarum.

28. Quæritur, *an tempore auditionis Missæ recitans officium divinum, vel pœnitentiam à Confessario injunctam, satisfaciat obligationi de Missa audienda?*

Resp. Affirmativè, ex dictis *cap. cit. num. 26.* ratio est, quia hæ Orationes non impediunt præsentiam, & attentionem sufficientem ad utrumque: quinimmo Oratio reddit mentem magis attentam ad Deum, & impedit involuntarias distractiones, ac magis devotio excitatur. Cabasut. *cit. num. 3.* cum Toleto, Suarez, Bonac. &c.

29. Sed quid de eo, *qui tempore auditionis Missæ peccata sua Sacramentaliter Sacerdoti confitetur?*

Resp. Non satisfacit præcepto audiendi Missam; ratio est, quia colloquia, quæ fiunt inter Sacerdotem, & pœnitentem ad explorandas peccatorum circumstantias, aliam exigunt attentionem, quam quæ in Missa est necessaria; nam con-

confessio non est Oratio, sed accusatio, & actus judicii, exigentis discussionem causæ, quæ certè attentionem ad Sacrum impediunt. Felix *num.* 2803.

Ex supra resolutis Confessarius habet ad satisfaciendum præcepto audiendi Missam, quatuor esse necessaria. 1. Est auditio, seu actio, qua quis est animo, vel corpore physicè, aut moraliter præsens sacrificio. 2. Intentio, saltem virtualis audiendi Missam. 3. Attentio interna, ad minus virtualis, ad verba, vel actiones Sacerdotis. 4. Integritas, ut tota audiatur, & notabilis pars non omittatur.

30. Quæritur, *quid agendum pœnitenti dubitanti, an hodie detur præceptum audiendi Missam?*

Resp. Inquirat veritatem, vel Missam audiat, ne mortaliter peccet; cum non sit licitum absque peccato cum dubio in re gravi operari.

31. Quæritur, *an discedens à loco ubi festum particulare celebratur accessurus, ad alium, ubi non est festum, teneatur ante discessum Missam audire?*

Resp. Negavit Bonac. cum aliis, quia præceptum audiendi non est affixum determinatæ horæ, sed extenditur usque ad meridiem, & ideò non tenetur prævenire. Contra quos affirmamus peccare mortaliter, si non audiat; ratio est, quia tunc adest obligatio præcepti, & potest implere, ergo debet: aliàs præsumitur transgressionem velle. Est enim regula generalis apud Mastrium *disp.* 11. *quæst.* 4. *art.* 2. *num.* 80. quod dum quis prævidet aliquod impedimentum, vel periculum, propter quod non valeat præceptum existens adimplere, teneatur ad impletionem tempore habili prævenire. Tametsi enim præceptum audiendi Missam absolutè, & per se loquendo, non obliget pro brevi illa hora matutina, sed pro tempore matutino usque ad meridiem, tamen in casu, quo prævideatur impedimentum futurum adimpletionis præcepti, per accidens, & suppositâ illa prævisione, etiam illa hora obligat; & tenetur, quis adimpletionem prævenire, ne malitiosè, & cum dolo videatur prætermisisse.

Et idem dicendum est de accedente ad locum, in quo festum locale celebratur, ut tradit Joan. De la Cruz 3. *præcept. art.* 2. & Marchant. ubi supr. *cap.* 3. *quæst.* 7. si ibi moram, executioni præcepti proportionatam trahat: ut, si usque ad meridiem ibi manet; ratio est, quia Statutum illud locale videtur pro eo tempore ipsum obligare: similia namque statuta ad bonam gubernationem loci conducentia censentur, obligare omnes, qui ibi inveniuntur, & qui moraliter præceptum implere possunt. Quinimmò consuetudo legum interpres, ita recepta est, etiam inter doctos, ut si aliquandiù maneant in loco, ubi festum particulare celebratur, obligari se putent, licèt exteri sint: & hæc est sententia tutior.

32. Quæritur, *quot peccata committat, qui die Dominico, in quo venit Festum S. Joannis, Missam non audit:*

Resp. Vide *lib.* 1. *cap.* 18. *num* 22.

33. Sed quid, *si die Festo, omittat quis Missam, quam audire tenetur, etiam ex voto?*

Resp. Duo peccata committit; quia violatio voti est distinctæ speciei à violatione præcepti; nam prima est contra fidem,

dem, quam dedit Deo obſervandi votum, & altera eſt contra præceptum præcipiens cultum, Deo debitum in auditione Miſſæ; ideò debet in Confeſſione utrumque explicare; ſicut qui peccat contra votum, quod juramento ſe obſervaturum confirmavit, debet id exprimere, quia & facit contra fidem, quam Deo dedit obſervandi votum, & contra obligationem non adducendi Deum in teſtem falſitatis.

34. Quæritur, *an dentur cauſæ excuſantes ab auditione Miſſæ præceptæ?*

Reſp. Affirmativè: ſed cauſa debet eſſe juſta, & rationabilis; idque ex Clementia Eccleſiæ, quæ Miſſam audire non tanto rigore præcepit, ut voluerit, rationabili cauſa exiſtente, obligare. Sic DD. communiter, revocantes eas ad ſeptem, apud *ſum. Leandr. num.* 161. apud quos plura referuntur exempla.

35. Excuſantur itaque: I. Impotentes impotentia Phyſica: ut graviter infirmi, & detenti in carceribus.

II. Impotentes impotentia morali, ſeu cum gravi difficultate potentes audire: vel quia grave damnum timent, aut in ſalute, aut in bonis fortunæ, ſi è domo exeant, & ad Eccleſiam accedant: in dubio eſt conſulendus medicus, vel Parochus.

III. Qui ob notabilem diſtantiam non poteſt propter pluviam accedere ad Eccleſiam.

IV. Mulier honeſta, & nobilis carens veſtibus, quibus poſſit decenter juxta ſuum ſtatum in publico apparere. Verum debet curare accedere, valdè manè, quando populi concurſus eſſe non ſolet, ſi id ſine gravi ſuo incommodo, aut notabili confuſione facere poſſit.

V. Paſtores, qui non poſſunt gregem ſine damno relinquere. Verum, ſi ſint duæ Miſſæ, & duo Paſtores, unus audiat unam, & alter alteram; ſi verò ſit una tantum, alter eorum alternatim illam audiat.

VI. Miniſtrans graviter infirmo, dum prudenter periculum timetur, & non eſt, cui relinquatur.

VII. Puerperæ, per dies Purificationis abſtinentes ab ingreſſu Eccleſiæ, juxta *cap. volens, de Purif.*

VIII. Mater, quæ non habet, cui relinquat infantulum, cui, domi relicto, periculum imminet, & ſecum non poteſt ducere.

IX. Gravidæ, uterum ferentes ex crimine occulto, ex auditione Miſſæ aliàs manifeſtando.

X. Qui ſine peccato Sacro intereſſe non poſſunt, ut denunciati excommunicati, & interdicto Eccleſiaſtico ſubjecti.

XI. Ignorantes, vel invincibiliter non advertentes eſſe diem Feſtum &c.

36. Quæritur, *ſuper quibus interrogandi ſunt pœnitentes circa præceptum obſervandi Feſta?*

Reſp. I. An aliquod opus ſervile abſque neceſſitate & licentia in Feſtis exercuerint; quot Feſta inobſervaverint, & an cum ſcandalo?

II. An fuerint cauſa, cur alii ea opera exercuerint?

III. An Miſſam audierint à principio usque ad finem: vel, an partem notabilem omiſerint?

IV. An in majori parte Miſſæ voluntariè divagati fuerint?

V. An impedierint aliquem, ne Miſſam audiret &c.

CA-

## CAPUT XXXII.

*Prop. LIV. ab Innoc. XI. &c.*
*Excusati à recitatione Breviarii.*

1 PRop. 54. *Qui non potest recitare Matutinum, & Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.*

Author propositionis fuit Navarrus *in cap. quando de consecrat. dist.* 1. apud Cardenas *dissert.* 53. & Joan. De la Cruz *3. præcept. art.* 3. *dub.* 17. ex regula illa, quod major pars trahit ad se minorem: ergo, concludit, impotens recitare majorem partem Officii, non tenetur minorem. Verum allata regula nil Navarro favet, cum efformata sit *ex cap. Cum in cunctis, de his, quæ fiunt à major. par. cap.* ubi textus loquitur de majori parte personarum, in aliquod unum consentientium, & statuit standum esse pro majori parte. Et ita à majori parte personarum communi voluntate consentientium in aliquod, fit transitus ad majorem partem objectorum terminantium diversam obligationem; & ideò paritas non currit. Multa enim deducerentur absurda, si valeret: nam sequeretur, quod debens mille aureos non peccaret contra justitiam, non solvendo centum, vel quinquaginta, quæ posset, dum esset impotens ad majorem summam solvendam: & quod vovens dare in eleemosynam centum, non peccaret contra Religionem non dando decem, tametsi hæc posset, quia impotens foret ad nonaginta; & quod impotens ad jejunandos triginta dies in Quadragesima, non peccaret contra abstinentiam, non jejunando reliquos alios, quos posset: quas illationes credo nullum concessurum, secluso etiam decreto Innoc. damnantis propositionem. Quæ licèt, ut jacet, agat solum de recitatione Officii, ex ea tamen omnia illa, & alia plura incommoda colliguntur.

Ratio autem cur pars minor Capituli dissentiens majorem sequi debeat, est, quia hujus judicia, consilia, & resolutiones præsumuntur meliora, prudentiora, atque utiliora Republicæ, ut expressè indicatur in allegato *cap.*

2. De obligatione, aliisque necessariis spectantibus ad Horas Canonicas diximus *lib.* 1. *cap.* 25. ad quem locum Confessarium remitto, cum hic agendum sit dumtaxat de causis excusantibus à recitandis Horis Canonicis, vel à toto, vel in parte. Has DD. generaliter ad tres reducunt; I. Ad impotentiam physicam: ut, dum quis caret Breviario, vel est omninò cœcus, vel viribus destitutus. II. Ad impotentiam moralem: ut, cum quis sine magna difficultate, vel corporis periculo, Horas recitare non potest. III. Ad dispensationem justa causa, & urgente necessitate obtentam.

3. Nota, materiam præcepti aliam esse dividuam, seu divisibilem, & aliam individuam, seu indivisibilem: dividua dicitur, quæ habet plures partes, ad quarum singulas præceptum obligat: ut præceptum jejunandi in Quadragesima, quæ continet plures jejunii dies, in quotum singulis seorsim præceptum obligat divisibiliter; quemadmodum abstinentia à carnibus, & unica refectio constituentes jejunium, divisibiliter præcipiuntur sic, ut,

ut, qui repetita refectione egot, debeat à carnibus abstinere: & qui jejunium frangit, carnes in prima refectione comedendo, debeat posteà ab alia refectione, & esu carnium abstinere per dicta *lib. 1. cap. 16.*

Individua verò illa est, quæ vel non habet plures partes, ut Communicatio in Paschate; vel si habet, præceptum non obligat ad singulas seosim, sed ad omnes conjunctim: sic Confessio annua, quam Ecclesia præcipit, continet tres partes, cordis contritionem, oris Confessionem, & operis satisfactionem, sed Ecclesia non præcipit unam seorsim ab aliis, sed omnes tres conjunctim, ad unum Sacramentum conficiendum.

4. Quæritur, *an præceptum recitandi Officium Canonicum respiciat materiam dividuam, & divisibilem, ita ut obliget, etiam ad recitandas singulas Horas seorsim ab aliis?*

Resp. Affirmativè, prout expressè Innoc. Qui in decreto dixit, obligationem præcepti recitandi Horas Canonicas extendi ad recitandas reliquas Horas, ab eo, qui non potest recitare Matutinum, & Laudes, potest autem reliquas; sed hoc est, materiam præcepti de recitandis Horis esse dividuam, ut supra diximus, ergo est dividua, & divisibilis. Ideò, qui non potest recitare omnes Horas, tenetur vi præcepti eam recitare, quam potest: nam quævis Hora per se est Canonica Oratio, & præcipitur divisibiliter. Laym. *lib. 1. tract. 4. cap. 19. num. 7. & lib. 4. tract. 1. cap. 6. num. 2.* Ilsung. *tract. 5. disp. 1. quæst. 1. art. 6. à num. 41.*

5. Quæritur, *an carens Breviario teneatur recitare eam partem Breviarii, quam teneat memoria?*

Resp. Affirmativè; quia, qui tenet memoria totum, vel partem Breviarii, is amplius non habet impotentiam physicam, vel moralem, ergo non excusatur: est communior sententia. Layman. *citat. num. 6.* Gobat. *experient. Theol. tract. 5. num. 717.* Ilsung. ibidem & Cardenas *dissert. 33. cap. 5. num. 26.*

6. Sed quid, *si carens Breviario, memoriter sciret omnes psalmos nocturni sine lectionibus?*

Resp. Suarez apud Cardenas negat eum obligari ad recitandos Psalmos, cum non potest, & Lectiones; quia, ut sic, Psalmi illi non sunt Matutinum nec integra Hora, cum hæc constet Psalmis, Antiphonis, Versiculis, Lectionibus, & Responsoriis, quæ videntur indivisibiliter præcipi, ita ut præceptum respiciat omnia illa per modum unius.

Affirmat *cit.* Layman. Ilsung. & Cardenas *cap. 4. num. 30.* Ratio est, quia licèt Psalmi non possint integra Hora nominari, tamen sunt pars notabilis unius magnæ Horæ; ergo, sicut impotens recitare Matutinum, & aliàs Horas, non deobligatur à recitando v. g. Completorio, quod potest, nec major pars trahit ad se minorem; ita, impotens recitare Lectiones non excusatur à recitandis Psalmis, quos vel memoriter scit, vel commodè potest in Libro, diurnali nuncupato: nec pars minor debet ad se majorem trahere. Istis assentior. Observat Cardenas ibidem præceptum recitandi singulas Horas terminari ad illas divisibiliter ita, ut quis obligatus maneat ad recitandam Horam taliter, quod si non possit totam recitare, teneatur ad ipsius partem notabilem. Quod est

est cultui Dei, & Religioni favorabilius: in cujus favorem, semper est pronunciandum, cum ex opinionum varietate dubium oritur.

Et id maximè procedit, quando quis potest tantum Horæ recitare, quantum sufficeret ad peccatum mortale, si omitteretur, ut optimè Layman. & Ilsung. Quænam autem dicenda sit pars notabilis in omissione recitationis. Vide *lib. cit. num.* 4.

7. Sed quæritur, *an qui non potest recitare secundum, & tertium Nocturnum ex Matutino, possit autem primum, teneatur ad istum.*

Resp. Affirmativè; ratio est, quia præceptum Ecclesiæ, ut terminatur ad Nocturnos, continet materiam dividuam. Olim enim tres Nocturni dicebantur separatim in tribus vigiliis noctis, ut refert Durantus *de ritib. Eccles. lib.* 3. *cap.* 3. *sub. num.* 1. *& cap.* 5. ergo præceptum obligat ad quemlibet Nocturnum per se, etiam independenter ab alio: certè omittens Nocturnum Paschatis, & Pentecostes à mortali non excusatur; ergo Nocturnus cadit per se sub præcepto.

8. Sed quid, *si quis foret impotens ad recitandum Matutinum, & potens ad Laudes?*

Resp. Teneretur Laudes recitare, quia Laudes sunt pars notabilis divini Officii, per se sub præcepto; quæ olim separatim à Nocturnis dicebantur, ut idem Durantus ubi supra testatur, in quarta scilicet vigilia Noctis. Recitatis Nocturnis, primo, in prima: secundo, in secunda: tertio, in tertia: in quarta Vigilia Laudes dicebantur, ut ibid. *cap.* 5. ostendit (modo, etiam in nocte Nativitatis separantur à Matutino) ergo, quod conjunctim cum Nocturnis recitentur, non facit, quin secundum se sub præcepto cadant; ergo impotens recitare Nocturnos, debet Laudes, dum potest.

Hæc, servata proportione, possunt applicari laborantibus cæcitate.

9. Quæritur, *quid agendum ægroto, habente certitudinem de impotentia recitandi integrum Officium, & dubitante, & possit sine læsione unam parvam Horam recitare?*

Resp. Tenetur recurrere ad consilium timorati Medici, vel Confessarii, aut alterius prudentis viri, & prudenti consilio parere; vel rogare Prælatum habentem facultatem pro commutatione. Vide Cardenas *cap.* 3. *num.* 22. Layman. etiam *lib.* 4. *tract.* 1. *cap.* 4. *num.* 22. & Felic. *tom.* 1. *exam. num.* 456. Quod si dubium non deponat, debet recitare: quia cum dubio practico nunquam licèt operari.

Circa occupationem, propter quam excusatur quis à recitatione Officii illud notandum est; quod debet esse gravis moraliter, necessaria, & talis, ut sine scandalo, vel notabili detrimento, proprio, vel alieno omitti, aut differri non possit, & cum recitatione moraliter consistere nequeat, ut, si alias quis non posset se sufficienter parare ad concionem, coram frequenti populo habendam, vel in Hebdomada sancta audire pœnitentes ad Confessionale confluentes, & alia Parochiæ ministeria exequi. Verum, quando potest recitatio intra eumdem diem naturalem anteponi, vel postponi, debet, ut scripsit Layman.

man. *cit. num.* 1. Nec ſtudium literarum eſt ſufficiens excuſatio, ut quis per ſe ipſum non recitet: vel ſatisfaciat, ſi recitet per alium: obligatio enim eſt perſonalis vide *prop.* 21. *ab Alex. VII. damnatam lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 16.

Circa diſpenſationem verò etiam ſciendum eſt. Quòd diſpenſatio non tenet, niſi juſta accedat cauſa, vel neceſſitas ad diſpenſationem ſufficiens; ideò Beneficiatus, qui à Papa diſpenſationem obtinet ſuper recitatione Officii, ſi cauſa expoſita in ſupplici Libello non ſit ſubſiſtens, nulla eſt: quia diſpenſatio non dátur, niſi propter cauſam; & tenetur reſtituere fructus beneficii.

10. An verò *Prælati Regulares poſſint cum ſuis ſubditis diſpenſare?* Videant ipſi quid poteſtatis ex conſuetudine, vel ex privilegio ad diſpenſandum cum ipſis habeant. Hoc unum obſervo ex Illſung. *ab Julio III. ſub* 22. *Octob.* 1582. fuiſſe conceſſum Præpoſitis Generalibus Societatis Jeſu, ut ii, quibus ipſi communicaſſent ſuam authoritatem, poſſent cum infirmis, qui propter infirmitatem viderentur excuſandi à recitatione Officii, infirmitate durante, in aliud opus pium, ſeu leviorem Orationem commutare. Quod privilegium per communicationem ad alios Regularium Prælatos videtur extendi.

11. Quæritur, *an Moniales excuſentur à privata recitatione Horarum, dum Choro deſunt?*

Reſp. Vide *lib.* 1. *cap.* 25. *num.* 2. & ex ibi dictis nega.

12. Quidam volunt excuſari Clariſſas propter diſpoſita ab *Eugenio IV. Non. Febr.* 1456. *conſt. incipit. Ordinis tui*, apud *Confect. de privileg. Mend.* In qua, præmiſſo, quod in Regula prima B. Clarę continerentur *centum, & tria præcepta Regularia*; infra ſubdit: *Declaramus, & volumus, quod in nullius prædictorum tranſgreſſione, præterquam eorum quatuor, quæ concernunt principalia vota, obedientiæ ſcilicet, paupertatis, caſtitatis, & clauſuræ, & ſuper electione Abbatiſſæ, & depoſitione, peccatum mortale incurrant.* Et cum unum ex illis præceptis ſit divinum recitare Officium, ideò Clariſſæ non videntur ſub mortali ad illud obligari privatim.

Propter quæ tamen non debent Clariſſæ deobligari à debito recitandi privatim Horas Canonicas, nec excuſari à mortali, ſi non recitent; nam declaratio Eugenii ſolum tangit præcepta, conſuetudines, & obligationes Clariſſis proprias quibus ultra vires erant gravatæ, ut innuunt illa verba, *præcepta regularia*, non verò conſuetudinem cunctis Religioſis utriusque ſexus, Choro addictis communem, ut eſt illa de recitandis Horis privatim, ex dictis ubi ſupra.

## CAPUT XXXIII.

### *Prop. LV. & LVI. ab Innoc. XI. &c.*

### *Præceptum Communionis.*

1 PRop. 55. *Præcepto Communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam Dominam adducationem.*

Prop. 56. *Frequens Confeſſio, & Communio, etiam in his, qui gentiliter vivunt, eſt nota prædeſtinationis.*

2. Præceptum annuæ Communionis habetur *cap. Omnis utriusque, ſ. xxi. de pœnit. & remiſſ.* ubi hæc ſunt: *Suſcipiens reverenter, ad minus in Paſcha Euchariſtiæ Sacramentum:* & in Trid. *ſeſſ.* 13. *can.* 9. ut

ut infra: *Si quis negaverit omnes, & singulos Christi fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad Communicandum juxta præceptum S. Matris Ecclesiæ, Anathema sit.* Ubi ponderandum illud *reverenter*, per quod ostenditur obligatio recipiendi Eucharistiam, ad minus in Pascha, imposita ab Ecclesia, esse de illa recipienda dignè, & cum debita interna dispositione. Quod etiam præcipitur a Trid. *cit. cap.* 7. illis verbis: *Cavere ille debet, ne absque magna reverentia, & sanctitate ad id percipiendum accedat.* Ubi immediatè declarat, quam probationem adhibere debeat susceperus Eucharistiam, ne accedat extra statum gratiæ, & conscius peccati mortalis: ergo cum substantia Communionis, præcipit etiam internam animæ dispositionem; cum non præcipiat solummodò physicam, & materialem manducationem, sed moralem, includentem physicam: moralis autem manducatio, physicam includens, est sumptio Corporis Christi per modum cibi, non autem per modum veneni: hunc autem modum continet sacrilega manducatio, ut constat ex verbis Pauli 1. *Cor.* 11. *probet autem se ipsum homo &c. & sic de pane illo edat, & de Calice bibat: qui enim manducat, & bibit indignè, judicium sibi manducat* (quo mortis damnationem incurrit) *non dijudicans Corpus Domini*: hoc est, non discernens, quod caro Christi est cibus, & vita animæ, non mors, non venenum.

Hinc notandum, duo copulativè Ecclesiam præcipere, & quod fidelis accipiat Eucharistiam ad minus in Pascha, & quod illam non accipiat indignè, & sine debita dispositione: ergo, qui Eucharistiam accipit in Paschate sine dispositione debita, non implet præceptum Ecclesiæ, sed peccat gravissimo sacrilegio; & tenetur iterum satisfacere præcepto, iterumque dignè Eucharistiam suscipere, ut ex Innoc. patet, qui prætactam 55. affirmativam propositionem damnavit.

De præcepto Confessionis egimus *lib.* 1. *cap.* 10. ibi videas. Et hîc alia plura occurrentia circa illud Communionis Paschalis animadvertas.

3. Quæritur, *an Petrus omittens Communicare in Paschate, teneatur postea, ex vi præcepti Ecclesiastici Communicare ante alterum Pascha?*

Resp. Negant multi: & à simili probant, quod reliqua præcepta affirmativa, elapso tempore, non amplius obligant: ut sunt præcepta audiendi Missam, jejunandi, & Horas Canonicas recitandi. Si hodie Breviarium non lego, non teneor postea alio die legere ad satisfaciendum pro hodierno Officio omisso: si in Quadragesima non jejuno, non teneor postea supplere; ratio est, quia sunt obligationes tali tempore affixæ.

Communior tamen, & tutior sententia est, ut teneatur, quàm primùm potest, communicare. Layman. *lib.* 5. *tract.* 4. *cap.* 5. *num.* 8. Mastr. *disp.* 12. *art.* 2. *num.* 45. *& art.* 3. *num.* 54. Illsung. Marchant. Felix, De la Cruz, Antonius à Spiritu Sancto, aliique. Ratio est, quia præceptum affirmativum communicandi singulis annis, saltem in Paschate, includit hoc negativum, ne differatur Communio ultra tempus Paschale (vel, ut alii volunt, ultra annum) sed qui impeditus in Paschate non communi-

cavit, præcepto de non differenda Communione ultra Paſcha obſtringitur, donec ſatisfaciat, ergo. Nam non deſinit obligari, qui præſcripto tempore, quod debet, non ſolvit, ſed potius, cum ſolvendi dies exierit, ad ſolvendum arctius obligatur; ut patet in contractibus diem ſolutionis præfinientibus: *text. in cap. cum dilecti Filii, de dolo, & contum.*

4. Communio itaque Paſchalis non eſt onus illi dumtaxat tempori alligatum, ſicut recitatio Breviarii, jejunium Vigiliæ, vel auditio Miſſæ certæ diei, & in cultum talis Sancti; ſed determinatur tempus, in quo debitum Communionis ſolvendum eſt: quo tempore ſine ſolutione exeunte, ſolvendi debiti obligatio magis urget: legendus *text. citat.*

Hujusmodi eſt uſus, & conſuetudo Eccleſiæ, quæ cenſura adſtringit non Communicantes, ad ſtatim debitum ſolvendum, quin aliud expectent Paſcha.

5. Quantum temporis comprehendat tempus Paſchale, habes *lib. & cap. cit. num.* 12. & ibid. videas annum, in quo Eccleſia Communionem præcipit, eſſe Eccleſiaſticum, & computari à Pachate in Paſcha, & non ab Januario, in Januarium. *Maſtr. cit. art* 2. *num.* 42.

6. Sed cur ſtatim, *poſt Paſcha eſt præceptum implendum?*

Reſp. Quia in omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præſenti die debetur, *ff de regul. jur. lib.* 14. hic autem non ponitur ullus dies poſt tempus Paſchale, ergo in quolibet eſt debitum implendi, dum poteſt *Gobat. tract.* 4. *caſ.* 3. *num.* 6. Ex his patet, tempus Paſchale non eſſe impoſitum ad finiendam obligationem, ſed, ne differatur impletio præcepti.

7. Sed quæritur, *an Confeſſarius poſſit ob cauſam differre ad tempus Communionem Paſchalem?*

Reſp. Affirmativè, ut expreſsè textus in *alleg. cap. omnis*, ubi hæc ſunt: *niſi forte de proprii Sacerdotis* (hoc eſt Confeſſarii) *ob aliquam rationabilem cauſam, ad tempus ab hujusmodi præcepto duxerit abſtinendum.* Vid. Fagn. *in* 5. *Decretal. ad alleg. cap. num.* 46.

Cauſa rationabilis eſſe poteſt, quia pœnitens propter occaſionem proximam abſolvi non poteſt, & experiendus eſt in ſuo propoſito. Cæterum Confeſſarii, non Parochi, deberent Pœnitentes dirigere ad ſuos reſpectivè Parochos, ut poſſent iſti ſcire, à quibus deberent in Paſchate exigere teſtimonium factæ Communionis, & à quibus deberent id ad tempus limitatum expectare.

8. Quæritur, *an prævidens impedimentum futurum Communicandi in Paſchate, teneatur Communicare ante Paſcha?*

Reſp. Negant Poncius *diſp.* 44 *queſt.* 11. *num.* 102. Layman. *num.* 8. & Maſt. *art.* 3. *num.* 5. ratio eſt, quia præcepta limitata ad tempus non obligant ante tempus; patet in præcepto audiendi Miſſam die craſtino, quod ad audiendum hodiè non obligat, etiamſi hodiè prævideatur impedimentum cras audiendi; & maximè, quia ea Communione anticipata non ſatisfaceret præcepto, quia, ſi ceſſaret impedimentum, teneretur adhuc Communicare in Paſchate.

Affirmat Contenſon. *Theol. lib.* 11. *par.* 2. *diſſert.* 4. *cap.* 1. *ſpeculat.* 1. & Suarez apud Tambur. Method. *Com. cap.* 4. §. 4. *num.* 38. Quibus adhærendum eſt; ratio

tio est, quia intentio Concilii, verbis illis expressa; *Saltem in Paschate: ad minus in Pascha*: est, Communionem non esse differendam ultra tempus Pachale; qui autem prævidens impedimentum, Communionem non anticipat, eam ultra tempus Paschale, sciens, & volens differt; ergo tenetur anticipare; quemadmodum prævidens eodem die festo non posse ultimum sacrum audire, tenetur audire unum ex antecedentibus.

9. Sed quid, *si tempore Paschali prævisum impedimentum communicandi cesset?*

Resp. Tenetur communicare, ut per se præceptum Paschalis Communionis impleat; juxta receptam praxim Ecclesiæ: quam videmus exigere Communionem in Paschate ab illo quoque, qui infra annum, etiam pluries, communicavit. Tambur. ubi supra.

10. Sed quæritur, *an ad satisfaciendum præcepto Ecclesiastico sufficiat communicare in Ecclesiis Regularium, vel sit exequendum in Parochia?*

Resp. In Parochia exequendum est, aut alibi de licentia Parochi, & non in Regularium Ecclesiis, prout censuit Sac. Cong. Conc. in una Mechlinen. 31. *Januarii* 1682. Vide *cap. cit. num.* 21.

11. Quæritur, *Confessarius audit confessionem mulieris, quam in capacem absolutionis ob proximam occasionem reperit, & propterea in absolutam dimittit, interim accedit ad celebrandum, & ipsa cum ceteris ad recipiendum Christi Corpus se accomodat, petitur, an debeat, & possit Eucharistiam negare?*

Resp. Sed præmitto communes regulas apud Authores, Cabasut. *prax. jur. canon. lib.* 3. *cap.* 7. Layman. *citat. cap.* 6. *num.* 10. Joan. De la Cruz. *quæst.* 5. *de sumpt. Eucharist. dub.* 2. *num.* 4.

Prima est, quod publico peccatori, sive publicè, sive privatim petat, est denegandum Corpus Christi; ratio est, quia jus non habet ad illud, quousque publicè pæniteat; & Sacerdos, cum sit mysteriorum Dei dispensator, totus esse debet, ne bona, quæ dispensanda, recepit, in immeritos, & indignos dissipet.

Secunda, quod peccatori occulto non est deneganda Communio, si publicè petat. Sumitur ex *cap. si Sacerdos de Offic. Jud. ord.* Ubi legitur, Christum Judæ, tunc occulto peccatori, suum dedisse in ultima cœna Corpus, & Sanguinem: & ex *cap. non prohibeat de consecr. dist.* 2. Decet enim, ut actus publicæ gubernationis, & dispensationis exerceatur secundum publicam notitiam, & non secundum privatam scientiam Gubernantis, & Dispensantis; ratio est, quia, aliàs gravia nascerentur scandala, odia, rixæ, & jurgia, cum infamia illius, qui probus ab adstantibus reputaretur.

Tertia, quod Sacerdos, qui scit intra Confessionem Sacramentalem occultum alicujus delictum, tenetur eidem petenti concedere, quantumvis occultissimè petat; ratio desumitur ex illa indispensabili, & stricta obligatione observandi secretum, & sigillum de auditis in confessione. De quo loquitur *c. Sacerdos de pœnit. dist.* 6. *& c. omnis utriusque*; ubi supra; & ibi: *caveat autem omnino, ne verbo, vel signo, vel alio quovis modo prodat aliquatenus peccatorem.* Sacerdos autem negando Communionem virtualiter, & indirectè delictum proderet, atq; exprobraret auditū in confessione illius peccatum, quod

est

est omni jure interdictum, semperque pœnitens adverteret causam repulsæ esse peccatum in confessione expositum.

Ex quibus facilis est responsio. Vel peccatum mulieris est publicum, vel occultum: si publicum, ei denegare tenetur juxta primam regulam; si verò occultum, procedere debet secundum notata in 2. & 3. regula.

12. Sed quæritur, *unde Confessarius publicos peccatores ab occultis discernet?*

Resp. Ex notorietate peccati, eosque publicos, & manifestos dixerit, qui cum scandalo peccant; vel quorum peccata innotuerunt, vel per evidentiam facti: ut sunt publici usurarii, publici concubinarii, publicæ meretrices; vel per publicum, sive Ecclesiasticum, sive Seculare judicium: modò emandati non fuerint; vel, si ipse peccator de suo crimine jactet, & passim, ac manifestè illud coram sibi occurrentibus cum publico scandalo confiteatur.

13. Sed quid, *si excipiat confessionem meretricis, quam à multo tempore non peccasse reperit?*

Resp. Lib. 1. *cap. cit. num.* 18. diximus Meretrices absolvendas non esse, nisi prius removeant pericula, & occasiones iterum relabendi: nisi habitum meretricium deponant, & alium ædificationis assumant: nisi domum peccati relinquant, & ad aliam honestam accedant: ac, nisi bono exemplo ædificent existentes in vicinia, & de nova ipsarum vita constet. Propterea, neque ad Communionem sunt admittendæ, nisi ipsarum conversio publica sit, & vita exemplaris; quin ex Coninch. apud *citat.* Cabasut. *num.* 7. ut publico peccatori prudenter Communio regulariter dari possit, necesse est, ut publicè constet ipsum esse emendatum.

14. Sed quid: *accedit Hebræus occultus, & in confessione aperit duo peccata contra legem naturæ, v. g. furtum, & homicidium: deinde aperit se esse Hebræum, & solum extrinsecè Christianam Religionem profiteri, eamque simulare, & velle in Paschate communicare, ne Hebræus deprehendatur: quid Confessario agendum?*

Resp. Ei nullo modo debet Eucharistiam præbere: sed est monendus, ne accedat ad Mensam Angelorum, quia ei omnino negabitur Communio; & si pertinax erit, & accesserit, manifestabitur ut Hebræus.

15. Sed quid, *si Hebræus instet: Pater, tu non potes revelare confessionem, & tenetur non infamare proximum?*

Resp. Utique teneor ad sigillum confessionis Sacramentalis, nec ipsum, etiam ad evadendum evidens mortis periculum frangere possum. Sed nego te esse Sacramentaliter confessum: duo mihi aperuisti, 1. Furtum, & homicidium, quæ sunt contra bonum privatum. 2. Simulationem Christianæ Religionis, & Hebraismum, quæ sunt contra bonum publicum. Primum, teneor celare ex obligatione secreti naturalis; neutrum autem ex sigillo confessionis. Istud oritur ex sola confessione Sacramentali, qualis tua non est, cum Baptismo careas, qui est janua Sacramentorum. Deinde, sigillum obligat, quando quis Confessionem non simulat, & peccata exponit in ordine ad absolutionem, quamvis confessio ob indispositionem pœnitentis, vel sit sacrilega, vel absolutio non detur: quod tu non feciti.

Quan-

Quantum ad alterum, quod opponis: scias bonum publicum fidei, & Christianæ Religionis, contra quod est delictum tuum, prævalere bono privato tuæ famæ. Immò teneor te Sancto Officio revelare, & quamprimum exequar, ut commeritas tuæ fraudis, & erroris pœnas recipias.

16. Sed quid dicendum, *dum Parochus vocatus ab infirmo Hæretico, qui confitetur unum, vel alterum peccatum, & statim subdit*: Ego non credo Sacramentum pœnitentiæ esse in Ecclesia Christi. *Et monitus, ut respiscat, resistit; petitque communicare, ne apud adstantes bonum nomen amittat?*

Resp. Eum non posse communicare; nec negando Communionem sequitur revelatio confessionis; quia in casu nulla habetur obligatio sigilli; cum hæc ex dictis oriatur ex sola Confessione Sacramentali, quæ per eum non fit, cum accusatio non sit in ordine ad absolutionem Sacramentalem; quandoquidem non credat Sacramenti pœnitentiæ virtutem, & existentiam.

17. Sed quid, *si pœnitens Confessario verè in ordine ad absolutionem Sacramentalem confiteatur cum dolore peccatorum, sed non credens Sacramentum Eucharistiæ continere verum Corpus, & Sanguinem Jesu Christi?*

Resp. Apud neminem casum reperi. Sed, ut mihi videtur, negare Communionem non potest, dum petat; ratio est, quia cum hic habeatur confessio Sacramentalis, & accusatio in ordine ad absolutionem, adest vera obligatio sigilli: quod negando Communionem frangeretur. Legas Carenam *Tribunal. S. Offic. pag.* 2. *cap.* 9. §. 5. *num.* 20. asserentem cum communi, Confessarium non posse revelare hæreticum, quem talem scit ex confessione ipsius Sacramentali. Et *num.* 21. ubi ex Genuen. in praxi tradit, quod, si Hæreticus accederet ad Confessarium, non animo confitendi peccata, sed pervertendi Confessarium, & inducendi ad hæresim, tunc Confessarius teneretur illum denunciare: quia talis non est Sacramentalis Confessio, sed modus occultè dogmatizandi, vide *lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 7.

18. Quæritur, *quot peccata committit, qui tempore Paschali sacrilegè communicat?*

Resp. Duo, unum commissionis contra reverentiam Sacramento debitam, & alterum omissionis contra adimpletionem præcepti Ecclesiæ; ac alia duo, si sacrilegè confiteatur.

19. Quæritur, *quænam dispositiones requirantur, ut quis sacrilegè non communicet?*

Resp. Duplex, una ex parte animæ, alia ex parte corporis. *Ex parte corporis* dispositio necessaria est, ut communicaturus sit perfectè jejunus jejunio naturali, hoc est, ut à media nocte nihil cibi, potus, aut medicinæ, vel aliud, etiam minimum, aut inadvertenter, & casualiter sumat, & in stomachum actione vitali demittat: habetur *cap. nihil* 7. *qu.* 1.

20. Nota generalem regulam ex Layman. cit. Jejunium naturale ab Ecclesia ante sumptionem Eucharistiæ præceptum, *cap. Sacramenta Altaris, de consecrat. dist.* 1. institutum non esse ob temperantiæ virtutem, sed ob Sacramenti reverentiam, ut sacra Hostia ante omnia ab extrinseco in stomachum deveniat. Unde communicare non potest,

qui comedit, vel deglutit aliquid, etiam minimum (quamvis nec per se, nec per accidens nutrire, vel habere rationem medicinæ possit) ut chartam, ceram, frustum ligni, ossiculum, fructum, monetam auream, globulum plumbeum, filum ex serico, lana, vel lino, paleam, fœnum, terram, carbones, tabachum, &c.

*Dixi ab extrinseco.* Quia non censetur jejunium violari, si immixtus salivæ in stomachum sanguis ex gingivis, vel cerebro proveniens, descendat, quia per modum salivæ in stomachum defluit. Ilsung. *tract. 6. disp. 4. art. 5. §. 5. à num.* 121. Cabasut. *lib. 3. cap. 5. num. 7.* Lege Rubricas Missalis *tit. 9. de defectib. dispos. in corp.*

21. Quæritur, *an non jejuno liceat unquam communicare?*

Resp. Affirmativè. DD. plures casus assignant. I. In mortis articulo, si commodè sumi Eucharistia non possit à jejuno; sive mors immineat ex morbo, sive ex Judicis sententia; ratio est: quia quilibet tenetur in periculo mortis ex divino præcepto communicare; ut communiter DD. ex illo Joan. *6. nisi manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis.* Quod est fortius, & gravioris momenti, quàm lex Ecclesiæ, prohibens non jejunis communicare.

II. Ob perficiendum sacrificium; ut, si Sacerdos loco vini consecrati, aquam sumpsit, debet consecrare vinum, & sumere.

III. Si Sacerdos post consecrationem recordetur se jejunum non esse; tunc debet progredi in sacrificio. Quamvis, si recordetur ante, tutius sit omittere, si possit absque scandalo.

IV. Si Sacerdos post consecrationem deficiat, ut non possit sumere, & sacrificium prosequi. Nam tunc debet alius Sacerdos substitui, etiam non jejunus, quando alius non sit, qui Eucharistiam sumat, & sacrificium perficiat. Quorum omnium una est ratio, quia præceptum non relinquendi sacrificium imperfectum, fortius est, utpotè divinum, quam sumendi Eucharistiam jejunè, quia Ecclesiasticum. Vide DD. *de defectific.* Miss. & rubricas Missal. *tit. de defectibus in ministr.*

V. Si pœnitens stet ad locum recipiendæ Communionis, & recordetur se non esse jejunum: modò absque gravi ignominia, & scandalo recedere non possit. Tambur. *cit. §. 8. num. 33.* & Layman. *cap. 6. num. 22.* quia leges positivæ non tam severe obligant. Sed casus rarus est, ideò cautè procedendum, & irreverentia vitanda.

*Ex parte animæ*, necessaria est talis præparatio, & dispositio, ut communicaturus, indignè non communicet. Ad quod necesse est, ut tres sequentes regulas servet. 1. Ut diligenter se examinet, an aliquod peccatum mortale commiserit, de quo ritè confessus non fuerit. 2. Ut, advertens in se aliquam culpam mortalem, non accedat ad Communionem, quantumvis se contritum existimet, nisi præmissa confessione Sacramentali. 3. Ut, qui officio celebrandi urgetur, & Confessarii copiam non habet, præmittat contritionem: & post celebrationem, quam primum poterit, confiteatur. Quod per DD. à

Trid.

Trid. *sess.* 13. *cap.* 7. præcipitur speciatim celebrantibus ex officio, necessitate urgente; nam alii possunt à celebratione cessare. Vide *lib.* 1. *cap.* 28.

22. Quæritur, *quid facere debet is, qui, dum flexit genua ad Altare recepturus Eucharistiam, recordatur alicujus peccati lethalis oblitì in confessione?*

Resp. Si sine gravi scandalo recedere potest, & confiteri, tenetur hoc facere; si autem immineat scandalum (ut solet contingere in publicis Communionibus, quæ fiunt cum frequentia populi) debet dolere, quantum potest, procurando se disponere per actum contritionis, cum proposito confitendi quamprimum. Sed videat, ne periculum scandali, & infamiæ fingat. Gobat. *cit. cas.* 16. *num.* 256. & 257.

23. Sed quæritur, *an sufficiat attritio cognita?*

Resp. Negativè; quia confessio est dispositio per se requisita, ergo, cum ista deest, ponendus est dolor, qui in casu Confessionem suppleat, consequenter contritio. De la Cruz, & ex dicendis *cap.* 35.

24. Sed quæritur, *Petrus existens in oppido rurali, ubi cum Parocho est alius Sacerdos, non Confessarius, expectat implere præceptum Paschale in Dominica in Albis, in qua in aurora, repentino casu, Parochus moritur, à superstite Sacerdote potest Eucharistiam accipere, sed non ipsi confiteri; petitur, an possit sine Confessione Eucharistiam sumere, ut satisfaciat præcepto Communionis Paschalis, tunc obliganti?*

Resp. Negativè; quia præceptum præmittendi Confessionem ante Communionem, utpotè divinum, fortius est præcepto communicandi in Paschate. De la Cruz ubi supra *dub.* 1. *conc.* 2. & Suarez apud Tambur. ib. §. 6. *num.* 32. Nec pro tunc videtur adesse necessitas communicandi, non præmissa Confessione; quia adstantes intelligent, quod non communicat, quia ex defectu Parochi non potuit confiteri; & ideò scandalum cessat. Quinimmò, per accidens loquendo, pro tunc censetur, quod lex Communionis non obliget, tum ratione defectus Confessarii, tum, ex quo non possit debito, & legitimo modo, ac juxta praxim Ecclesiæ impleri; ideò debet alio die præcepto satisfieri. Licentia communicandi, non præmissa Confessione, non est tam facilè extendenda, ut optimè notavit Bonaccina.

25. Dubitatur, *quæ ætate pueri, & puellæ admittendi sint ad Sacram Eucharistiam recipiendam?*

Resp. Certum est ex Trid. *sess.* 21. *can.* 4. parvulis, antequam ad annos discretionis perveniant, non esse necessariam Eucharistiæ Communionem; & quod expectandus sit annus discretionis, antequam panis Angelicus eis detur: habetur *ex alleg. cap. omnis*, & Trid. locis supra *cit.* In quo DD. concordant; ratio est, quia ad sumendum SS. Christi Corpus, & Sanguinem in Eucharistia debet homo se ipsum probare, an dignus, vel indignus sit; sed pueri, & puellæ ante annum discretionis nequeunt hujusmodi probationem præmittere, neque dignitatem, vel indignitatem cognoscere. Siquidem annus discretionis dicitur ex eo, quod in ipso discernatur, quodnam sit bonum, vel malum; maximè etiam, quia, ut dignè recipiatur Sacramentum,

requiritur magna reverentia, & devotio, quæ ante discretionis annum in parvulis non præsumitur: in quo nulla est dissensio.

Sed discordes sunt in assignando, & taxando discretionis anno, in quo admittendi sint ad Communionem. Alii volunt admittendos esse anno sexto, vel septimo: alii octavo: alii nono: alii decimo; alii undecimo: & quidam quartodecimo; verùm non potest certa mensura pro omnibus definiri; sed cujusque pueri indoles est consideranda; quia alii tardius, alii citus perfectionem, & maturitatem judicii assequuntur, quo habiles sunt, & possunt actum fidei, & devotum aliquem affectum circa hoc Sacramentum elicere.

26. Eorum habilitas, & discretio quoad hunc effectum in eo consistit: I. Ut sciant discernere, & distinguere hunc cibum Sacramentalem ab aliis: II. Ut credant, quod sub hostia à Sacerdote ritè consecrata, illi porrigenda, verè, & realiter est totus, & integer Christus, secundùm Corpus, Sanguinem, animam, & divinitatem, ex Trident. *sess.* 13. *cap.* 3. & quod jam non sit amplius ipsius panis substantia. III. Ut intelligant, devotè, & reverenter esse suscipiendam Eucharistiam, ut loquitur Lateranense *in cit. cap. Omnis*: prævio jejunio naturali, & Confessione Sacramentali, si peccati mortalis culpa conscientiam gravet. IV. Ut mente retineant, post Communionem gratias Deo esse agendas pro tanto munere, & seipsos offerendos ad obedientiam divinorum mandatorum. Quæ omnia diligenter iisdem pueris, & puellis debent declarari, ut super illis instructi, acquirant discretionem, habilitatem, & dispositionem necessariam accedendi cum fructu ad mensam. Videndus Mastrius *disp.* 118. *num.* 65. referens aliquando graviter peccare Parentes, Parochos, & Confessarios, qui ex incuria, instructione omissa, primam Communionem puerorum nimis differunt; idem dixit Clericatus.

27. Circa propositionem 56 id observandum est, quod Authores ipsius contradicunt testimonio Petri 2 *cap.* 1. *Sagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis*, ergo opera bona, & diuturna observantia mandatorum Dei sunt nota prædestinationis, seu signum, ex quo conjecturaliter colligi potest aliquem esse electum ad æternam beatitudinem; non verò frequens Confessio, & Communio, nisi cum simili observantia jungantur; sed certum est, frequentem Confessionem, & Communionem eorum, qui gentiliter vivunt, cum ea observantia non conjungi; nam, ut notat Cardenas *dissert.* 35. *num.* 5. qui gentiliter vivit, depravatis moribus vitam continuat; ergo ejusdem frequens Confessio, & Communio non associatur cum diuturna observantia divinorum mandatorum. Quinimmò videntur Authores ipsi pertinaciter propugnare, præbendam esse Communionem quotidianam omnibus indistinctè, dummodò non habeant conscientiam peccati mortalis.

Contra quos S. Cong. Concilii de mandato Innoc. XI. *sub die* 12. *Febr.* 1679. Decretum edidit, incip. *Cum ad aures* ab eodem SS. approbatum, quod inter alia

alia exhibet : *ad Sacram alimoniam percipiendam accessus, Confessariorum secreta cordis explorantium, judicio est relinquendus : qui ex conscientiarum, puritate, & frequentia fructu, & ad pietatem processu, Laicis negociatoribus, & conjugatis, quod prospicient eorum saluti profuturum, id illis præscribere debebunt :* & infra.

Moniales *quotidiè sacram Communionem petentes, admonendæ erunt, ut in diebus ex earum Ordinis instituto præstitutis communicent ; si quæ verò puritate mentis enitent* ( nota ) *& fervore Spiritus ita incaluerint, ut dignæ frequentiori, aut quotidianæ Sanctissimi Sacramenti perceptione videri possint, id illis à Superioribus permittatur.*

28. Quæritur, *an Communio quotidiana sit de jure divino ?*

Resp. Negativè, ut ibidem decretum: *Episcopi, & Parochi, seu Confessarii redarguant asserentes Communionem quotidianam esse de jure divino.*

29. Quæritur, *etiam an plures particulæ possint in Communione communicaturo tradi ?*

Resp. Negativè, alleg. Decretum ; *Insuper admoneant nulli tradendas plures Eucharistiæ formas, seu particulas, neque grandiores, sed consuetas.*

30. Quæritur, *cui virtuti opponitur violatio præcepti communionis ?*

Resp. Virtuti Religionis, per quam tenèmur exhibere cultum debitum Deo per dignam susceptionem Sacramenti Eucharistiæ : sive violemus præceptum, peccato commissionis, sive omissionis. Peccatum commissionis est, cum, præcepto obligante communicare dignè, indignè suscipimus : peccatum verò omissionis, cum, obligante communicare, non communicamus : per omissionem violamus præceptum affirmativum, *communices :* per commissionem violamus præceptum negativum, *ne indignè communices.* Dum communionem omittimus, peccatum irreligiositatis patramus ; dum verò indignè communicamus, sacrilegium propriè committimus.

## CAPUT XXXIV.

*Prop. LVII. ab Innoc. XI. &c.*
*Contritio, & Attritio.*

1 PRop. 57. *Probabile est, sufficere attritionem naturalem, modò honestam.*

Sacramentum pœnitentiæ fuit à Christo Domino institutum ad remissionem peccatorum, post baptismum commissorum, ut fideles in ea lapsi ipsi Deo reconcilientur, ex Trid. *sess.* 14. *cap.* 1. *& 3. & can.* 1. Quod describi potest: *est Sacramentum novæ legis à Christo Domino institutum, reconcilians cum Deo hominem baptizatum, pœnitentem, virtute absolutionis à peccatis, ab eo post baptismum commissis, prolatæ à Sacerdote jurisdictionem habente, cum debita intentione, de quo lib.* 4. *cap.* 5.

2. Ejus forma sunt ipsa verba, *ego te absolvo, &c.* ex Trident. *cit. cap.* 3. *de quo cap. sequen.* Sed materia est duplex, proxima, & remota : remota sunt peccata post baptismum commissa. Quæ item duplex est, necessaria, & sufficiens, seu libera : necessaria sunt peccata mortalia post baptismum ( vel in ipsa receptione baptismi ) commissa, nunquam ritè confessa, nec directè absoluta ; dicuntur

materia necessaria, quia de necessitate sunt confitenda.

3. Nota, per contritionem perfectam extra Sacramentum non dimitti peccata, nisi sub onere, & obligatione subjiciendi ea clavibus, cum primum potest, seu cum voto, & proposito confitendi, quod in ipsa contritione includitur, adeoque cum ordine ad claves, & absolutionem. Vide Trid. *sess. 6. cap. 14. de justif.* Sufficiens, seu libera, sunt venialia, & etiam mortalia, alias ritè confessa dicuntur materia sufficiens: quia sufficiunt pro materia absolutionis: & libera, quia non tenetur fidelis ad ipsorum Confessionem.

4. Materia necessaria subdividitur: ut alia sit necessaria sufficiens, alia necessaria, sed non sufficiens; necessaria sufficiens sunt mortalia certò post baptismum commissa, nunquam ritè confessa; necessaria non sufficiens, sunt mortalia dubia, post baptismum patrata: dicuntur necessaria, quia sunt de necessitate in Confessione aperienda: at non sufficiens, quia, nisi, cum mortali dubio exponatur etiam aliquod mortale, vel veniale certò commissum, non possumus ab illo absolvi, & Sacramentum exponitur periculo nullitatis, ob defectum materiæ certæ.

5. Peccata non dicuntur materia *ex qua*, cum ex eis hoc Sacramentum non componatur; nec materia *in quam* introducatur forma; sed materia *circa quam* destruendam, versatur dolor, & absolutio. De peccatis diximus *lib. 1. cap. 17.* & de peccato philosophico dicendum *lib. 3. cap. 2.*

6. Materia proxima sunt tres actus pœnitentis, oris confessio, cordis contritio, & operis satisfactio, ex Trident. *sess. 14. cap. 3.* De duabus posterioribus egimus *lib. 1. cit.* de Confessione *cap. 7. & 10.* de satisfactione *cap. 11.* ideò in præsenti dumtaxat agendum est de contritione, itaque

7. Quæritur, *quid sit contritio?*

Resp. *Est animi dolor, ac detestatio de peccato, cum proposito non peccandi de cætero.* Trident. ibidem *cap. 4.* Ad veram contritionem requiritur ordium, seu complicentia peccati, ut est offensa Dei, propositum confitendi, propositum satisfaciendi, & propositum emendandi vitam. Ex Trid. *sess. 6. cap. cit.*

8. Sed quæritur, *quotuplex sit contritio?*

Resp. Duplex, perfecta, & imperfecta: perfecta, quæ absolutè contritionis nomen retinet, *est dolor, seu detestatio peccati, ut est offensa Dei super omnia summè dilecti, seu, ut est summum, & infinitum bonum super omnia dilectum, cum proposito emendandi vitam*; de isto infra *cap. 37.* Imperfecta verò, quæ attritio dicitur: *est dolor, & detestatio peccati, ut est offensa Dei, propter timorem Gehennæ, vel amissionis beatitudinis, aut turpitudinem, & fœditatem peccati*; involvens propositum, saltem implicitum, non peccandi cum spe veniæ.

9. Advertendum est, quod dolor contritionis, ut sit dispositio sufficiens ad justificationem, debet esse super omnia alia mala, quæ non sunt peccata mortalia; quatenus est dolendum de offensa Dei magis, quam de quocumque alio malo, quod non est Dei offensa.

10. Sed

10. Sed quæritur, *an debeat esse super omnia appretiativè, vel intensivè?*

Resp. Non intensivè, sed appretiativè quatenus magis detestandum, & fugiendum est peccatum, & malum culpæ, quam malum pœnæ. Ita, qui se disponit ad justificationem, & de peccatis dolet, debet esse in tali animi dispositione, & præparatione, ut si occurreret occasio iterùm peccandi mortaliter, potius eligeret quamlibet pœnam, quam mortaliter delinquere; alias, si potius vellet, & paratus foret Deum offendere læthaliter, quam pœnam aliquam subire, jam haberet affectum ad peccatum mortale, & sic non doleret de offensa Dei super omnia; quandoquidem hujusmodi dolor talis non sit, nisi omnem talem affectum excludat.

Dixi *non intensivè*, quia quamvis monendi sint pœnitens, ut intensè doleant, quantum possunt, de peccatis, tamen intensio doloris in tali, vel tanto gradu non videtur absolutè necessaria, & esse in præcepto; quinimmò videtur res plena scrupulis, quia anxii semper pœnitentes forent, an dolorem de peccatis elicerent in eo gradu intensionis, in quo sit sufficiens dispositio ad justificationem, vel, an magis intensè dolerent de amissione boni temporalis, quàm de offensa Dei. Debent itaque dolere super omnia, sic, ut excludatur affectus ad quodcumque mortale, & parati sint, quodcumque aliud malum pœnæ & incommodum subire, quam mortaliter peccare, vide supra *cap. 5. num. 5.*

11. Quæritur, *in quo contritio perfecta, & attritio, quæ sunt dispositiones ad justificationem, conveniant, & differant?*

Resp. In hoc conveniunt: I. Quod utraque versetur circa peccatum detestando illud, ut est offensa Dei. II. Quod utraque excludit voluntatem peccandi. III. Quod utraque sit supernaturalis, non elicita ex solis viribus naturæ, sed cum auxilio divinæ gratiæ, ut definitur in Trid. *sess. 6. can. 3. de justific.* IV. Quod utraque sit regulata per fidem divinam, & ex motivo à Deo revelato Ecclesiæ Catholicæ.

In hoc verò differunt: I. Quod contritio est dolor de peccato procedens ex sua natura ex motivo charitatis: ut, quia Deus est infinitum bonum, summè dilectum; attritio verò est dolor de peccato procedens, ex imperfectiori motivo, v. g. ex timore pœnarum Inferni, vel amissionis beatitudinis, aut ex turpitudine peccati. II. Quod contritio est dispositio sufficiens ad justificationem extra Sacramentum pœnitentiæ, in voto tamen Sacramenti, cum proposito nimirum subjiciendi peccata clavibus. Attritio verò se sola non sufficit extra Sacramentum, in re susceptum, cum sit dispositio solùm ad justificationem in Sacramento obtinendam, de qua Trid. *sess. 14. cap. 4.* ubi: *& quamvis sine Sacramento pœnitentiæ, per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit.* DD. communiter.

12. Formula actus contritionis: *Mi Deus, & Domine Jesu Christe, quia summum & infinitum bonum es, & te super omnia diligo, super omnia doleo, & me pœnitet, quod te offenderim; veniam à te spero, & amplius non peccare cum tuo divino auxilio in futurum propono.*

13. For-

13. Formula verò attritionis: *Mi Deus, & Domine Jesu Christe, quia timeo à te æterna beatitudine privari, vel pœnis inferni puniri, ex corde doleo, & mihi super omnia displicet, quod te offenderim: veniam à te spero, & in futurum te auxiliante emendationem propono.* Vide Tambur. *Method. Confess. lib. 2. cap. 2. §. 6.*

14. Nota, quod, cum de attritione dicitur, ut sit dolor de peccatis ob pœnas inferni, sensus non est, quod quis taliter doleat ob tales pœnas, ut, si non essent pœnæ, non doleret, nec detestaretur peccata; nam iste dolor esset malus, quia in eo duraret affectus ad culpam. Sed dicitur esse ob pœnas inferni, in quantum timor pœnarum inferni, per fidem cognitarum, est occasio detestandi culpam. Et ita eo attritionis actu principaliter culpa detestatur: etsi ista detestatio fiat ex motivo pœnarum.

15. Quæritur, *in quo perfecta contritio formalis, & formalis dilectio Dei super omnia differant?*

Resp. In hoc, quod dilectio habet pro objecto *quod* immediato, & directo Deum ipsum, in quem formaliter, & explicitè tendit. Contritio verò pro objecto *quod* directò habet peccatum detestandum; nam, qui verè contritus est, culpam ipsam expressè odio habet, ut est offensa Dei: qui verò actum dilectionis Dei elicit, ipsum expressè diligit in objecto tamen formali motivo, & *quo* conveniunt; nam Deum super omnia amamus, quia est summum bonum propter se amabile, & de peccato dolemus, quia est offensa Dei summi boni. Du-hamel *tom. 3. dissert. 2. de pœnit. cap. 1. num. 5.*

16. Quæritur, *an dolor de peccatis in pœnitente, ut sit dispositio sufficiens ad justificationem, debeat esse formalis, & explicitus?*

Resp. Dixerunt quidam sufficere amorem Dei super omnia, qui est virtualis detestatio peccatorum, eminenter continens perfectionem doloris: qui enim Deum super omnia diligit, implicitè, & virtualiter detestatur omnia, quæ ipsi displicent. Sed nos id negamus cum Florentino, & Trident. ac communi Theologorum. Florentinum in decreto unionis ait: *primam partem, quasi materialem Sacramenti pœnitentiæ, esse veram contritionem*, ad quam pertinet, ut doleat de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero; & Triden. *sess. 14. cap. 3. sunt, quasi materia hujus Sacramenti, ipsius pœnitentis actus, contritio, confessio, & satisfactio.* Quæ verba sine ullo fundamento non intelligerentur in sensu proprio, & formali: ergo per se ad valorem, & essentiam Sacramenti pro parte materiali ipsius, in eo, cui post examen, occurrunt memoriæ peccata commissa, requirunt dolorem formalem; ergo iste determinatè per se exigitur. Quemadmodum ad essentiam, & valorem baptismi, aqua formalis requiritur, etiamsi alius liquor haberi posset, qui esset eminentialiter aqua, vel, qui eminenter serviret ad abluendum corpus, ut vinum. Dixi *per se, & in post examen occurrunt memoriæ peccata commissa*: quia, si peccata alicui non occurrant, & statim rapiatur ad martyrium, & pro Christi fide mortem sustineat, sat esset virtualis displicentia, contenta in actu dilectionis Dei super omnia. De la Cruz *de pœnit.*

17. Quæritur, *an sufficiat una contritio pro*

*pro omnibus peccatis, ad memoriam per examen conſcientiæ revocatis, an verò ſint neceſſaria tot contritiones numero diſtinctæ, quot ſunt peccata, adeòut, ſi hæc ſint centum, centum contritiones ſint neciſſariæ?*

Reſp. Quamvis optimum ſit dolere particulariter de ſingulis, unica tamen formalis ſufficit reſpectu omnium; ſed debet eſſe dolor univerſalis de omnibus, hoc eſt, dolor de illis propter motivum formale, quod ſit omnibus univerſale, & ſub quo omnia comprehendantur. Sic, cùm doleo, quod Deum offenderim, quia eſt ſummum bonum: vel, quia Deum offendens infernum, & privari cæleſti beatitudine promerui, doleo ſub motivo, omnibus peccatis communi: quia omnia peccata ſunt offenſa Dei ſummè boni, & omnia mortalia cæleſti beatitudine privant, & infernum peccanti acquirunt. DD. communiter.

18. Sed quæritur, *accedit Cajus, hæc aperiens Confeſſario.* Pater: in Confeſſione præterita oblitus ſum confiteri duo peccata, ſed inculpabiliter; nam diligentiam adhibui, ut omnium recordarer, ſed ex decem, quæ commiſi, octo dumtaxat memoriæ occurrerunt, de quibus dolorem particularem habui, de his ſolùm dolendo: peto, an ab omnibus decem fuerim abſolutus?

Reſp. Negativè, à nullis abſolutionem obtinuiſti: non à duobus invincibiliter oblitis, quia de illis nullum dolorem habuiſti; nec potes à peccatis abſolvi, quæ non retractas, & deteſtaris; quia circa ea, quæ non deteſtaris, affectum retines. Nec ab octo confeſſis, quia Deum veniam non dimidiat; ſed mortalia omnia dimittuntur, vel nulla; nam unum ſine alio non dimittitur. Si de illis octo ſub iſto formali motivo doluiſſes: doleo, quod his Deum ſummum bonum offenderim: vel, quia per illa gehennam promerui: ab omnibus, etiam oblitis, abſolutionem obtinuiſſes: quia, etſi materialiter explices ſolùm octo peccata in particulari, dolor tamen formaliter eſt univerſalis, quia ratio formalis, ſub qua doles, eſt communis ad omnia peccata mortalia. Verum ſi de illis octo doleres, cum expreſſa intentione non dolendi de oblitis, ſi quæ eſſent, nec de illis octo doleres ſuper omnia, quamvis ex illo motivo doleres.

10. Sed quid, *Petrus commiſit duo peccata, unum homicidii, alterum fornicationis, poſtea, præmiſſo examine ſufficienti, obliviſcitur fornicationis, & propterea confitetur ſolum homicidium, de quo etiam dolet ob turpitudinem particularem ipſius, nimirum, quia eſt contra pulchritudinem juſtitiæ, à Deo revelatæ, petitur an ab utroque abſolvatur?*

Reſp. Hoc argumento utuntur plures ad probandum poſſe Sacramentum Pœnitentiæ eſſe validum, & informe. Nam, ut ajunt, Petrus de homicidio expreſsè, & formaliter dolet, & aliunde alterius inculpabiliter obliviſcitur, ergo validè confitetur, & abſolvitur: ergo Sacramentum eſt validum, ſed gratiam non recipit, quia habet obicem peccati, cujus eſt oblitus, de quo non habet dolorem virtualem, aut formalem: non formalem, ut certum eſt, quia de illo non cogitat: nec virtualem, quia nullum habet dolorem, niſi illum, quem habet de homicidio ob malitiam particularem ipſius: nullum autem peccatum dimittitur

absque aliquo dolore, vel formali, vel virtuali de ipso, ergo Sacramentum est informe, & sine fructu.

20. Sed negamus validè confiteri; quia, ut validè confiteatur, debet dolere de omnibus peccatis commissis aliquo modo, nullo autem modo dolet de peccato fornicationis, cum ratio particularis, propter quam dolet de homicidio, non sit communis fornicationi, quæ non est contra justitiam, ut homicidium, sed contra castitatem. Itaque, quia dolor, etiam ex motivo formali, est particularis, non destruens omnia mortalia, sed solùm ea, quæ sunt contra justitiam, ad oblitum nec virtualiter extenditur, & ideò indirectè ab eo non absolvitur. Nec dolor, quo dolet, est contritio, de quâ Trident. loquitur *cap. 4. sess. 14.* ubi de contritione, quæ est actus pœnitentis, hæc habet: *hanc contritionem, non solum cessationem à peccato, & vitæ novæ propositum, & inchoationem, sed veteris etiam odium continere*: veteris autem odium non continet, si etiam de oblitis non dolet in universali.

21. Hinc Confessarius totus esse debet in inducendis pœnitentibus, ut doleant de omnibus peccatis vitæ suæ, specificando, quod etiam doleant de oblitis, & curare, quod doleant ex motivo universali, communi omni peccato.

22. Quæritur, *Petrus non habet, nisi duo venialia, ambo confitetur, sed de uno tantum dolet, petitur, an validè absolvatur, & gratiam recipiat?*

Resp. Affirmativè; ratio est, quia dum de uno dolet, jam ponit materiam remotam, & proximam, & totum quod ex parte materiæ sufficit ad valorem Sacramenti, & nil habet, ut suppono, quod obstet receptioni gratiæ; alterum veniale, non obstat, quia, sicut poterat ipsum non confiteri, ita non tenetur de eo dolere, dum confitetur illud, de quo dolet.

23. Sed quid, *si tantum unum veniale confiteretur, & de ipso non doleret?*

Resp. Tunc committeret Sacrilegium, ob gravem injuriam Sacramenti, quod esset invalidum ex defectu partis essentialis, nempè materiæ proximæ. Ideò quoties quis unicum tantum veniale confitetur, de ipso dolere debet, ne materiam insufficientem apponat ad Sacramentum conficiendum.

24. Quæritur, *an dolor de peccatis, qui in pœnitente est dispositio ad justificationem, debeat esse naturalis, vel supernaturalis?*

Resp. Supernaturalis: naturalis non sufficit, ut patet ex Decreto Innoc. & habetur ex Trid. *sess. 6. canon. 3. & sess. 14. cap. 4.* ubi definit, *Attritionem, quæ ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandum disponit, donum Dei esse, & Spiritus Sancti impulsum*: sed dolor naturalis de peccatis non est donum Dei, neque Spiritus Sancti impulsus, ergo hujusmodi dolor naturalis non disponit ad Dei gratiam in Sacramento impetrandam: Minor patet, quia donum Dei, & impulsus Spiritûs Sancti est quid supernaturale: dolor autem naturalis supernaturalis non est, ut ex terminis patet. Ratio etiam esse potest, quia juxta commune dictum; dispositio ad formam debet esse in eodem genere, & ordine cum forma, ergo dolor, qui est dispositio ad gratiam sanctificantem, quæ est supernaturalis, supernaturalis & ipse esse debet, alias quæ

quæ proportio esset, ut ad ipsam disponeret?

25. Sed *unde poterit Confessarius cognoscere, quod dolor in pœnitente sit supernaturalis?*

Resp. Ex eo poterit moraliter colligere, si erit regulatus lumine fidei divinæ, vel conceptus ex motivis, quæ docet fides; quia fides est principium supernaturalitatis, sine qua impossibile est placere Deo, & ad consortium filiorum ejus pervenire, estque humanæ salutis initium: fundamentum, & radix omnis justificationis; ut loquitur Trid. *sess. 6. cap. 8. de justif.* & D. Thomas 2.2 *q. 16. art. 1. in corp.* dixit: *prima subjectio Hominis ad Deum est per fidem, secundum illud ad Hebr. 11. sine fide &c.* Vid. dicta *cap. 14. à num. 9. & cap. 15. num. 4.*

26. Sed, *unde colliget, quod dolor in pœnitente sit regulatus lumine fidei?*

Resp. Ex eo, quod sit dolor de peccatis ex motivo aliquo supernaturali à Deo Ecclesiæ Catholicæ revelato. Cui Deus revelavit peccatum esse *offensam Dei summi boni super omnia dilecti: propter peccata Homines cœlesti beatitudine privari: & pœnis Inferni puniri.* Ideò, qui dolet se offendisse Deum, quia est summum bonum propter se infinitè amabile, & summè dilectum: vel, quia timet ab ipso pœnis inferni puniri, aut cœlesti beatitudine privari, dolet dolore fide Divina regulato, quatenus dolet ex motivo, non humano, sed supernaturali, hoc est, ad Deo revelato Ecclesiæ, & fide divina cognito.

27. Sed quæritur, *an sufficiat si doleam, me offendisse Deum, quia timeo puniri ab ipso malis temporalibus, ut infirmitate, peste, fame, bello, &c.*

Resp. Plures apud Cardenas *disser. 2. cap. 5. art. 2.* dixerunt, attritionem, seu dolorem de peccatis, conceptum ex timore pœnarum temporalium, quæ à Deo, tamquam à delictorum vindice, infliguntur in pœnam peccati, sufficienter disponere ad impetrandam Dei gratiam in Pœnitentiæ Sacramento. Apud quem alii negant. Et cum istis dicendum, dolorem de peccatis ob timorem pœnæ temporalis non sufficere; ratio est, quia non est regulatus lumine fidei, nec ex motivo supernaturali; nam fides divina non docet peccatoribus imminere mala temporalia, sed æterna, & pœnas inferni. Quas nobis sæpissimè proposuit Deus in Scriptura, ut earum consideratione illas timeremus, & illo timore concussi applicaremus media, quibus eas vitaremus, dolendo de peccatis commissis, & abstinendo ab eis in futurum.

28. Opinionem oppositam non esse practicè probabilem, &, dum asserit esse licitum confiteri advertenter cum ea attritione, contineri sub damnatione ab Innoc. edita contra primam propositionem, ibid. Cardenas tradit: quod ex his concluditur. Illa opinio subjacet illi damnationi, quæ versatur circa valorem Sacramenti, & est minus tuta, sed opinio, quod talis attritio sufficiat, versatur circa valorem Sacramenti, & est minus tuta; nam, si coram Deo non est vera, Sacramentum frustratur, ergo.

Contritio itaque, sive attritio, supernaturalis esse debet, non modò ex parte principii effectivi, auxilii nimirum divini, juxta Trid. *sess. 6. can. 3. de justif.* Verum etiam ex parte objecti, seu motivi

formalis supernaturaliter, seu per fidem divinam cogniti.

29. Sed quæritur, *an attritio, concepta ex consideratione turpitudinis peccati, sit sufficiens dispositio ad justificationem in Sacramento?*

Resp. Distinguas duplicem turpitudinem in peccato, unam naturaliter cognitam: ut est turpitudo vilitatis, & indignitatis apud homines, quæ est in furto: & turpitudo immunditiei in peccato carnis, & inhumanitatis in homicidio, &c. & aliam supernaturaliter cognitam, seu per fidem, & à Deo Ecclesiæ revelatam: ut est turpitudo peccati oppositæ alicui divinæ perfectioni (quæ non sit bonitas, quia hæc est motivum contritionis perfectæ) ut turpitudo inobedientiæ, ingratitudinis, irreverentiæ, & offensæ, contra Deum, finem supernaturalem; vel alicui virtuti morali per legem divinam, & à Deo Legislatore supernaturali præceptæ, & revelatæ: ut turpitudo contra justitiam in furto, & contra castitatem in fornicatione, &c. Dolor, ob turpitudinem peccati, primo modo consideratam, insufficiens est, quia naturalis; ille verò conceptus ex consideratione turpitudinis, secundo modo inspectæ, optimè sufficit, quia supernaturalis, ex motivo, per fidem noto, à Deo Ecclesiæ Catholicæ revelato. Hinc, si doleas te Deum offendisse, quia tuis peccatis inobediens fuisti ejus mandatis; quia eum Legislatorem offendisti, cum proposito cavendi in posterum à peccatis omnibus, cum spe veniæ, dispositus es, per attritionem supernaturalem, si cætera non desint, ut in Sacramento Pœnitentiæ justificeris. Mastr. *disp.* 21. *art.* 2. *quæst.* 2. *num.* 41. Felix *examen tom.* 1. *num.* 3068. cum Brancato, & aliis. Sed dolorem de peccatis sub motivo universali concipere debes.

30. Quæritur, *Pœnitens bona fide confitetur, existimans se habere dolorem de peccatis, quem revera non habet; petitur, an valide, & effectum Sacramenti recipiat?*

Resp. Negativè, & Confessio est nulla; nam Sacramentum non fit sine dolore peccatorum. Si Confessarius loco verborum *ego te absolvo*, proferret ista, *ego te judico*, putans per ea à peccatis absolvere, revera non absolveret; sicut Sacerdos consecrans aquam, putans esse vinum, non consecraret: non alia ratione, nisi, quia materia, & forma Sacramentorum non dependent à nostro judicio, sed à Christi determinatione, ergo, qui aliis utitur, quàm à Christo institutis, Sacramenta non conficit; ergo, quia dolor ex Trid. est pars materialis Sacramenti Pœnitentiæ, si ipse revera non ponatur, nec Sacramentum fit. Quòd bona fide accesserit, probat tantùm, quod accedendo non peccaverit: sed Confessionem debet repetere.

31. Sed quid, *si cognoscat se esse duntaxat attritum?*

Resp. Si cætera non desint, & in re confiteatur, justificatur; ratio est, quia Trid. *cit.* non distinguit inter attritionem *cognitam*, & non *cognitam*, sed statuit attritionem esse dispositionem ad impetrandam gratiam in Sacramento. Gobat. *tract.* 6. *cas.* 4. *num.* 50. Intellige semper de attritione ex motivo supernaturali.

32. Sed quid censendum *de illo, qui dicit, doleo ex animo, quod non dolcam, sive deberem?*

Resp.

Resp. Vel talis vult indicare se carere vera detestatione, & displicentia peccatorum, vel solum se de quibusdam criminibus dolere, sed non cum vehementi affectu, ut vellet; in primo sensu loquens, veniam delictorum non obtinet, quamvis confiteatur: quoniam hæc non acquiritur per dolorem optatum, nec per negationem doloris, sed per re ipsa existentem dolorem de criminibus: loquens verò in secundo sensu veniam obtinere potest; nam ille revera dolet, & sufficienter dispositus ad justificationem censetur, si ita de omnibus peccatis efficaciter doleat, ut excludat affectum ad omne peccatum.

33. Nota, quòd, ut contritio sit materia Sacramenti Pœnitentiæ, debet esse sensibilis, quia quodlibet Sacramentum est signum sensibile quoad materiam, & quoad formam: sensibilis autem dicitur contritiò, consistens in actu interno voluntatis, si conjungatur cum aliquo actu externo virtutis pœnitentiæ, ut sunt *gemitus, lachrymæ, percussio pectoris, Confessio vocalis, &c.* Per aliquem ex his actibus contritio reddita sensui subjecta, fit materia Sacramenti.

34. Quæritur, *an dolor de peccatis, ut sit dispositio ad justificationem in Sacramento debeat elici ex intentione confitendi, & Confessio fieri in virtute illius doloris?*

Resp. Affirmativè; nam tutior opinio est, quòd dolor antecedens Confessionem, ad Confessionem referatur, aliàs non apparet, quomodo dolor, & Confessio in ordine ad Sacramentum, etiam moraliter, conjungantur. Opinio id negans exponit Sacramentum fustrationi; nam, si coram Deo vera non esset, Sacramentum esset nullum, juxta dicta *cap.* 1.

35. Sed quæritur, *quando censeatur Confessio fieri in virtute doloris antecedentis?*

Resp. Regulariter id contingit, cum quis recogitat peccata sua, in ordine ad confitendum illa, & de illis dolet.

36. Sed quæritur, *an qui uno, vel duobus diebus ante Confessionem recogitat peccata sua, & de iis dolet in ordine ad confitendum, si postea non eliciat actum doloris, validè confiteatur?*

Resp. Tamburinus dixit, dolorem per quatuor, aut quinque dies anteà conceptum, sufficere ad valorem, & fructum Confessionis. Leander validam esse Confessionem, etiam si longissimo tempore dolor antecedat: dummodò, postquam semel habitus est, nec expresè, nec implicitè retractetur; quia tunc virtualiter perseverat, & moraliter conjungitur cum sequenti Confessione.

Sed eos nimis laxè loqui, non est dubium, nam non apparet, in quo dolor ille virtualiter permaneat. Virtualis permanentia alicujus actus tunc præsumitur durare, cùm dantur aliqui effectus, qui processerunt ab illo actu; patet exemplo: insendo dignitatem consequi à Pontifice: hæc intentio perseverat virtualiter in itinere, quod ad Curiam suscipio, in allocutione cum Ministris Papæ, & in præparatione aliorum, ad eum finem conducentium; quia hi omnes sunt effectus illius intentionis. Nullus autem datur effectus, qui, intermedio illo tempore, procedat ab eo dolore, cum tali intentione habito, & in quo virtualiter dicatur permanere; quinimmò propter diuturnam temporis

distantiam, videtur quòd dolor non possit influere in Confessionem faciendam, & quòd hæc potius sit historica narratio, quàm accusatio dolorosa, & Sacramentalis. Ideò præfatorum opiniones, admittentium dolorem cum ea temporis distantia, videntur exponere Sacramentum periculo nullitatis, & comprehendi sub damnatione primæ propositionis ab Innoc. reprobare, propterea sunt relinquendæ; & dicendum quòd dolor habitus vel immediatè ante Confessionem, vel ad summum die antecedenti, cum relatione ad Confessionem (si hæc in virtute illius procedat) vel in ipso actu Confessionis, sit dispositio sufficiens ad justificationem; teneas semper tutiora: Vide Campion *p. part. cap.* 13. *à num.* 3.

37. Quæritur, *an dum quis de novo confitetur peccata, jam ritè confessa, debeat de his iterum dolere?*

Resp. Affirmativè, quidquid alii dixerint; nam alias validè non absolveretur, ex defectu partis essentialis, requisitæ ad valorem Sacramenti, & exponeret Sacramentum periculo frustrationis, & nullitatis, in casu, nimirum, quòd opinio negans requiri novum dolorem, non esset vera apud Deum. Quare nostra, utpotè tutior, est sequenda: & instruendi sunt pœnitentes, ut novum dolorem eliciant; & quod damnatio Innoc. de qua *cap.* 1. non solum comprehendit opinionem, quæ dicit, dum agitur de valore Sacramentorum, licere in administratione sequi minus probabilem, relicta probabiliori, & tutiori, sed eam etiam, quæ asserit, id licere in receptione; ratio est, quia tota ratio damnationis in eo stat, quod dicatur licitum esse exponere Sacramentum nullitati, sed hæc nullitas æquè haberi potest ex parte recipientis invalidè, ac invalidè ministrantis, ergo, &c. Cardenas *cit. cap.* 4.

38. Quæritur etiam, *an dolor debeat præcedere confessionem, an sufficiat, quod præcedat absolutionem?*

Resp. Lis est sub Judice: hinc inde sunt DD. Sed in praxi consulendum, dolorem debere præcedere confessionem; id enim est tutius, & semper tutiora in essentialibus Sacramentorum sunt sequenda. Quilici *Confess. manud. fundamen. oper. num.* 12. Et sequitur, ex quo inter conditiones bonæ confessionis una sit quod sit lachrymabilis, hoc est, dolorosa, & non pura historica narratio: non videtur autem, quod possit dolorosa esse, nisi à dolore informetur, vel fiat in virtute doloris prahabiti.

39. Quæritur, *an præceptum contritionis perfectæ obliget per se in articulo mortis?*

Resp. Affirmativè; quamvis etiam habeatur copia Confessarii, & quis confiteatur: non, quod attritio non sit sufficiens cum Sacramento, etiam pro tunc ad gratiam recipiendam, sed, ut Deus super omnia ametur, dolendo, etiam de offensa ipsi facta, ut est summum bonum: & alii possibiles defectus, potentes Sacramentum reddere invalidum, si forte tales inadvertenter, vel occultè intervenissent, suppleantur per contritionem, & ita quis suam salutem assecuret. Gobat. *tract. 6. num.* 138. *cas.* 7. Ilsung. *tract.* 3. *num.* 72. vide supra *cap.* 1. *num.* 12.

Ca-

## CAPUT XXXV.

*Prop. LVIII. ab Innoc. XI. &c.*
*Absolutio Sacramentalis.*

1. PRop. 58. *Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.*

Author propositionis fuit Joannes Sancius *in select. disp. 9.* contra quem est decretum Innoc. & DD. communiter affirmantes non posse Confessarium absolutionem indispositis impendere. Super quo ipse se certiorare non potest, nisi sibi interroganti pœnitentes teneantur respondere.

De absolutione itaque Sacramentali licitè, & validè à Confessariis pœnitentibus impendenda, occasione thesis prætactæ agenduni est, ut ipsi eam, quibus neganda est, non impendant, quibus concedenda, non negent, & quibus differenda, videant.

2. Nota 1. quod Confessarius in Tribunali pœnitentiæ triplex munus exercet, *Judicis, Medici, & Doctoris*; Officium Doctoris exercet instruendo pœnitentes de necessariis ad suscipiendum Sacramentum, & salutem. Illud Judicis, cognoscendo in causa, interrogando reum, & ferendo sententiam absolutionis. Et illud Medici, dum pœnitentias medicinales, & præservativas imponit, datque remedia pro tollenda occasione proxima, &c. & consilia præbet, quæ conducunt ad emendationem vitæ in futurum. Legas textum in *cap. omnis de pœnitent. & remiss.* Ideò jus habet interrogandi pœnitentem, ut videat, quorum ignorantia laboret, quorum instructione egeat, & an aliquid desit ex necessariis ad validè in causa pronunciandum, ac sibi satisfaciat de dispositione pœnitentis, an sit absolutionis capax, ergo pœnitens tenetur respondere, & sine injuria Confessarii non potest negare, nec debet interrogationem eludere, ac, dum Confessarius petit, an habet consuetudinem peccandi, v. g. fornicandi, pejurandi, &c. respondere. *Pater, hoc non spectat ad rem, quidquid sit de hoc, jam spero cum gratia Dei cavere lapsum in posterum*; ut malè dixit Poncius *curs. Theol. disp. 45. qu. 3. conc. 4. num. 32.*

3. Item, quòd forma Sacramenti pœnitentiæ sunt verba, quæ Confessarius profert, ex definitione Trid. *sess. 14. cap. 3.* ubi hæc sunt; docet *præterea S. Synodus Sacramenti pœnitentiæ formam, in qua præcipuè ipsius vis sita est, in illis Ministri verbis posita esse*, ego te absolvo, &c. *quibus quidem de Ecclesiæ Sanctæ more preces quædam laudabiliter adjunguntur: ad ipsius tamen formæ essentiam nequaquam spectant, neque ad ipsius Sacramenti administrationem sunt necessariæ.*

4. Sed quæritur, *quænam ex his*, ego te absolvo à peccatis tuis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen, *pertineant ad essentiam formæ, & sint necessaria ad valorem Sacramenti?*

Resp. Quamvis Doctores inter se pugnent, & alii scripserint, hæc *à peccatis tuis*, esse solùm necessaria necessitate præcepti, & ad essentiam formæ non spectare, ac sufficere tradant ista *absolvo te*; tamen negari non potest major probabilitas sententiæ dicentium, verba illa *à peccatis tuis* spectare quoque ad essentiam

ſentiam formæ. Nam ea eſt plurium opinio; & colligi videtur ex Trid. cit. per clauſulam, *& cætera*, quam non apponeret, niſi ad ſubſtantiam formæ exigeret, etiam à peccatis tuis. Maximè, quia illa verba *abſolvo te*, etiam, quando proferuntur in confeſſionali, ſunt indifferentia ad abſolutionem à peccatis, & cenſuris: ergo, ut ſignificent determinatè abſolutionem à peccatis, debent determinari per hæc, *à peccatis tuis*. Tutiór itaque eſt ſententia, quod iſta etiam ſint neceſſaria. Qui ea omittit, exponit Sacramentum probabili periculo nullitatis, ergo nunquam omitti debent, quia, dum agitur de valore Sacramentorum, ſemper ſunt tutiora ſequenda, juxta dicta *capit.* 1. Gobat. *experien. Theol. tract.* 7. *caſ.* 4. *num.* 149.

5. Sed quid, *ſi Confeſſarius hæc relinquat; in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen?*

Reſp. Sacramentum conficit, quia non ſunt eſſentialia, ex Marchant. *Hort. Paſt. Candelabr. myſt. tract.* 5. *lect.* 10. Ubi tradit eſſe eſſentialia in baptismo, quia in baptismo fit profeſſio peculiaris fidei, SS. Trinitatis. Sed ſi extra neceſſitatem omitteret, mortaliter peccaret. Idem dixit Felix examen *Confeſs.* Quemadmodum mortaliter delinqueret, ſi ex contemptu, vel cum ſcandalo pœnitentium, omitterentur preces, *miſereatur, &c. Dominus, &c. Paſſio, &c.* quæ ex conſuetudine Eccleſiæ adjunguntur. Sum. Leandr. *verb. abſolut. num.* 1.

6. Quæritur, *an ſit de eſſentia abſolutionis, ut detur per verba formalia, voce, & ore prolata?*

Reſp. Affirmativè, habetur ex Florent. *in decret. union.* ubi dicitur: *forma hujus Sacramenti ſunt verba abſolutionis, quæ Sacerdos profert, cum dicit, ego te abſolvo, &c.* Quæ ad ſenſum improprium non debent extorqueri, ſed de verbis propriè dictis intelligenda.

7. Sed quæritur, *an ſi quis eſſet in extremæ vitæ periculo conſtitutus, nec adeſſet alius Sacerdos, niſi, qui loqui non valeret, poſſet ab iſto validè abſolutionem recipere in ſcripto, vel nutibus, aut verbis ſolùm mente prolatis?*

Reſp. Negativè, contra Poncium *cit. diſp.* 46. *quæſt.* 2. *num.* 9. & Felicem *tom.* 1. *num.* 3111. Sententia enim abſolutionis per verba, propriè dicta, ore prolata, juxta Chriſti inſtitutionem, & definitiones Conciliorum conferri debet: maximè etiam, quia forma Sacramenti debet eſſe ſenſibilis.

8. Sed quæritur, *an abſolutio à peccatis poſſit conferri abſenti, qui per epiſtolam, vel Nuncium confiteretur?*

Reſp. Negativè, cum communi Theologorum, ut expreſsè Clemens VIII. *in ſuo decreto edito* 16. *Junii* 1602. in quo damnavit opinionem aſſerentium, *licere per literas, ſeu internuncium Confeſſario abſenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente abſolutionem obtinere.* Et ſub excommunicatione ipſo facto incurrenda, Romano Pontifici reſervata, prohibuit, ne ullus deinceps talem propoſitionem, tamquam in aliquo caſu probabilem, defenderet, doceret, impugnaret, aut ad praxim aliquo modo deduceret.

9. Quæritur, *quid requiratur, ex parte Miniſtri, ut validè abſolvat?*

Reſp. Neceſſe eſt: 1. Ut ſit Sacerdos, ſeu habeat poteſtatem Ordinis. 2. Ut habeat

habeat potestatem jurisdictionis, seu jus in subditos ad exercendam potestatem absolvendi, quam ex vi Ordinis habet. 3. Ut sciat formam, & eam ore proferat, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia. Quolibet ex his deficiente, absolutio est invalida; & ubi pœnitens noverit defectum, tenebitur eadem peccata confiteri alteri Sacerdoti, qui habeat omnia, & singula enunciata.

10. Sed quæritur, *an validè absolvat Sacerdos ab Episcopo approbatus, sed nondum habens jurisdictionem?*

Resp. Negativè; vide dicta *lib. 1. cap. 9. num. 2. & nu. 11.* discrimen inter jurisdictionem ordinariam, & delegatam. Ut ordinaria illa sit, quæ competit ei, qui ex suo officio habet administrare Sacramentum pœnitentiæ, ut Pontifex in toto orbe, Episcopus in sua Diœcesi, Parochus in sua Parochia, Generalis in sua Religione, & Provincialis in sua Provincia, quoad suos subditos. Delegata verò illa, quæ obtinetur ab habente potestatem concedendi licentiam audiendi confessiones. Et est in Regularibus, & aliis Confessariis, non Parochis, approbatis.

11. Sed quæritur, *Episcopus ordinat Petrum in Sacerdotem, sed statim post consecrationem Calicis apoplexia deficit, interim Petrus cum aliis discedit; in via invenit hominem in extremæ vitæ periculo constitutum, qui Confessarium petit, alius non est, Petrus eum audit, & absolvit, petitur, an validè?*

Resp. Putarent aliqui posse, quia est Sacerdos, & in eo articulo quilibet, etiam non approbatus, in approbati defectum absolvere potest. Trid. *sess. 14. cap. 7. de cas. reservat. & cit. lib. & num. 14.*

Sed negandum est. Et observandum, quod ordinatus in Presbyterum, duplicem potestatem Ordinis recipit; primam in Corpus Christi physicum, in ordine ad consecrandum panem, & vinum, in Corpus, & Sanguinem Christi: secundam, in Corpus Christi mysticum, hoc est, erga Fideles, ad ipsos absolvendum; in casu autem Petrus, propter subitam Episcopi mortem, secundam potestatem Ordinis non recipit; ideò in nullo casu potest absolvere. Vide Poncium *disp. 48. q. 3. n. 18.* Felicem *exam. ordinand. to. 3. num. 170. & lib. 4. cap. 7.*

12. Quæritur, *quid in Sacerdote necessarium sit, ut licitè absolvat?*

Resp. Ad absolvendum licitè (necessariis ad validè in eo suppositis) requiritur, ut sit in gratia. Trid. *sess. 14. c. 7. & can. 10.* ut minimum antequam absolvat, ne sacrilegium absolvendo committat. Quilici *Confess. manud. q. 2. art. unic. n. 2.*

13. Sed quæritur, *an administrans in mortali, tot mortalia committat, quot pœnitentes absolvit?*

Resp. Affirmativè, quia tot Sacramenta conficit, quot sunt pœnitentes, quos absolvit.

14. Sed quæritur, *an præter statum gratiæ, ut licitè absolvat exigatur in Confessario, etiam scientia?*

Resp. Affirmativè, debet habere scientiam, quam vocant discretionis, ut sciat discernere inter lepram, & lepram, Præcipuè hæc scire tenetur, ut sit idoneus Minister: 1. Differentiam mortalis, & venialis in singulis peccatis, saltem quæ communiter reputantur mortalia, &

venialia. 2. Species, numerum, & circumstantias peccatorum. 3. Quænam peccata habeant annexam reservationem, & censuram. 4. Quænam habeant annexum debitum restituendi rem, vel famam. 5. Quæ spectant ad materiam, & formam hujus Sacramenti. 6. Quæ dispositio sit necessaria in pœnitente, tam ex parte doloris, quam propositi, ac examinis. 7. Quæ sit occasio proxima peccandi. 8. Quænam credenda necessitate medii, & præcepti. In difficilioribus sufficit, ut sciat dubitare; &, si sit periculum errandi, libros & doctiores consulat.

Quorum ratio est, quia in hoc tribunali Confessarius est Judex, Doctor, & Medicus: ut Medicus tenetur scire infirmitates, ut eis remedia apta adhibeat: ut Doctor ea, super quibus debet ignorantes instruere: & ut Judex alia, quæ necessaria sunt, ne in ferenda sententia erret.

Hinc sequitur, Sacerdotem cognoscentem, vel debentem cognoscere, suæ scientiæ insufficientiam, peccare mortaliter, si extra casum necessitatis Confessiones excipiat, quia exponit se periculo faciendi Sacramentum nullum. Quod validè ministret, est per accidens. Unde peccat toties, quoties confessiones audit, committens tot sacrilegia, quot pœnitentes absolvit; &, si propter ignorantiam eos à debito restitutionis deobliget, tenetur ipse restituere, & ad damna, quæ sequuntur, quia est causa injusta damni in proximo. Ponc. *disp. 46. quæst. 11. num. 151.*

Propterea Confessarii propter obligationem, quam habent, non otio vacent, sed moralis Theologiæ studio incumbant, sæpè Bullam Cœnæ, constit. Clementis X. *Superna*, in ea parte, quæ tangit Sacramenti pœnitentiæ administrationem, edictum S. Officii, propositiones in materia morum damnatas legant, ponderent, & memoriæ retineant.

15. Sed quæritur, *an pœnitens, qui, data opera, ad Confessarium ignarum in rebus ad Confessionem spectantibus accedit, rudis confiteatur, & absolvatur?*

Resp. Negativè; non quia scientia in Confessario sit necessaria ad validitatem absolutionis: sed quia ipse, sic accedens, peccat mortaliter, cum præsumatur accedere, ne Confessarius ob ignorantiam peccata intelligat: & non intelligens, non præscribat, quæ necessariò præscribenda essent; & ita indispositus est, ac peccato, etiam Confessarii cooperatur. DD. communiter.

Dixi *data opera*, quia, si bona fide accedat, & ex parte sua nil ad validitatem omittat, remanet absolutus. Campion. *p. 1. instr. ad Conf. c. 3. num. 16.* Anton. *à Sp. Sancto tr. 5. disp. 7. sect. 2. n. 1413.*

16. Quæritur, *an Confessarius excommunicatus validè absolvat?*

Resp. Sed prius nota: quòd alii sunt excommunicati vitandi, & non tolerati, & alii non vitandi, ac tolerati. Illi dicuntur omnes, qui publicè, & nominatim fuerunt denunciati excommunicati: nec non ille, qui est publicus, & notorius Clerici percussor, sic, ut nulla possit tergiversatione celari: isti omni jurisdictione privantur, & vitari debent, juxta Const. *Constantien. Canonem ad evitanda* apud Piasec. *prax. par. 2. cap. 4. art. 13. num. 22.* à Martino V. approbatum, teste Cabalut. *prax. jur. can. lib. 5. cap. 11. num. 3.*

Ad

„ Ad evitanda, *inquit*, scandala, & „ multa pericula, quæ conscientiis ti- „ moratis contingere possunt, Christi „ fidelibus, tenore præsentium, mise- „ ricorditer indulgemus, quòd nemo „ deinceps à Communione alicujus, Sa- „ cramentorum administratione, vel „ receptione, aut aliis quibuscumque „ divinis, intus & extra, prætextu cujus- „ cumque sententiæ, tenetur abstinere, „ vel aliquem vitare, &c. nisi censura, „ vel sententia hujusmodi fuerit illata „ contra personam, Collegium, &c. „ vel locum certum, aut certam, à Ju- „ dice publicata, vel denunciata, specia- „ liter, & expresè, &c. salvo, si quem „ pro sacrilega manuum injectione in „ Clericum, sententiam latam in Cano- „ ne, adeò notoriè constiterit incidisse, „ quod factum nulla possit tergiversa- „ tione celari, nec aliquo suffragio ex- „ cusari; nam à communione illius, „ licèt denunciatus non fuerit, volumus „ abstinere, juxta Canonicas Sanctio- „ nes, &c.

Juxta quæ dicimus, quod, si excommunicatus fuerit denunciatus, vel publicus Clerici percussor, invalidè absolvit, utpotè jurisdictione privatus, juxta dicenda *lib. 4. cap. 5.*

17. Sed quid, *si pœnitens id invincibiliter ignoraret?*

Resp. Etiam invalidè absolvitur, ratio est; quia non ignorantia pœnitentis, sed Superioris Authoritas jurisdictionem tribuit.

Nec mea videri hìc potest applicari doctrina, quod error communis cum titulo colorato, vel putativo à legitimo Superiore collato, dat jurisdictionem, de qua diximus *lib. 1. cap. 9. n. 16.* quia quamvis in isto possit esse titulus à legitimo Superiore collatus, ut, vel Parochia, vel licentia audiendi Confessiones: tamen communis error non habetur, quia apud multos est manifestum, ipsum esse excommunicatum.

18. Sed quid, *si sit excommunicatus, non denunciatus, & toleratus?*

Resp. Si pœnitens excommunicationem ignoravit, validè absolvitur: quia, ex quo ignoret excommunicationem, accedendo non ponit obicem pro absolutione, (si cætera non desint,) & Confessarius, ex quo non sit excommunicatus denunciatus, vel Clerici percussor, non privatur jurisdictione, juxta alleg. const.

19. Sed quid, *si excommunicationem Confessarii non ignoret?*

Resp. Si cum causa, necessitate, vel utilitate ab ipso petat absolutionem, validè absolvitur: invalidè verò, si sine causa; ratio est, quia excommunicatis toleratis non conceditur ad cujuslibet requisitionem administratio Sacramentorum, sed solùm, dum justa causa fuerint requisiti; aliàs illud idem possent post incursam excommunicationem, quod poterant ante? quod indecens apparet, cum id cedat in contemptum censuræ.

Itaque, ut non peccet mortaliter pœnitens, requirens talem Confessarium excommunicatum, toleratum, pro absolutione, ejusque sacrilegio non cooperetur, necesse est, ut ex justa causa ipsum requirat; & ut Confessarius mortaliter non delinquat, exigitur, ut, nisi requisitus, se ingerat Sacro Ministerio; immò, nec etiam requisitus, absque justa causa, uti-

litate, aut neceſſitate : quæ non debet eſſe extrema, ſed ſufficit communis. Engel. colleg. *jur. canon. lib. 5. tit. 39. §. 2. num. 64. & 68.* Vide etiam Campion. *cit. cap. 12. num. 9.*

20. Nota, denunciationem non eſſe de ſubſtantia excommunicationis ; quia excōmunicatio ſecum trahit executionem, *cap. Paſtoralis §. verum de appellat.* Hinc ſequitur, excommunicatum, etiam non denunciatum, teneri ſe divinis non ingereſe re, niſi, & quatenus juſta de cauſa fuerit requiſitus : etiamſi de excommunicatione dubitet, ex *cap. Illud de excommunic. miniſt.* quia in dubiis via tutior eligenda eſt : tutiùs autem eſt abſtinere, etiamſi quis de excommunicatione dubitet, ut ibi Text. expreſsè.

21. Quæritur, *an Confeſſarius proferens formam abſolutionis poſſit conditionem addere ?*

Reſp. Videas dicta *cap. 18. num. 16.* & nota ibi dicta.

22. Quæritur, *Petrus obtinuit literas patentes, cum facultate excipiendi confeſſionem ad annum : petitur, an expleto anno, priusquam literæ prorogentur, validè abſolvat ?*

Reſp. Negativè, quia, dum taxatur tempus, quo debet durare collata jurisdictio per clauſulam *præſentibus ad annum valituris* : eo elapſo & ipſa ceſſat : ideò ex defectu jurisdictionis invalidè abſolvit.

Felix in caſu *num. 3269* tradit, Sacerdotem graviter peccare abſolvendo, validam tamen eſſe abſolutionem daram, etiam anno elapſo ; & movetur, quia concurrunt neceſſaria, ut Eccleſia ſuppleat, conferendo jurisdictionem : ut, bonum commune ad favorem Fidelium, nè innumeri pereant ; & titulus putativus, vel coloratus, quia Sacerdos ad annum jurisdictionem accepit ; ac communis error, cum communiter ignoretur, quod annus ſit completus. Verum falſum ſupponit, titulum nimirum, quem in caſu non invenio ; nam jurisdictionem accepit pro anno, non ultra, ergo poſt annum jurisdictio non eſt. Quemadmodum, ſi Sacerdos communiter crederetur Confeſſarius, & nunquam jurisdictionem accepiſſet, invalidè abſolveret, quia à legitimo Superiore titulum nunquam habuiſſet, ergo, qui ad annum accipit, & non ultra, poſt annum titulum non habet, quamtumvis ignoretur, quod annus expletus ſit : ergo poſt annum invalidè abſolvit.

23. Quæritur, *in litteris patentibus, quibus Eminen. Urbis Vicarius facultatem impertitur Regulari Sacerdoti audiendi confeſſiones, apponitur clauſula* : ut, quoties ad Confeſſiones infirmorum, in eorum propriis domibus audiendas accederis, ſtatim ibi fidem auditæ Confeſſionis, proprio Parocho, & Medico ſupervenientibus, ſub pœna ſuſpenſionis ab audiendis Confeſſionibus, donec iterum examinatus, novam à nobis in ſcriptis licentiam obtinueris, dimittere teneatis ; *petitur, an, ſi quis oblivi ſceretur fidem relinquere, ſuſpenſionem incurreret ?*

Reſp. Crederem eſſe negandum, ſi inculpabiliter, propter inadvertentiam, vel diſtractionem naturalem id teſtari omitteret. Ratio eadem videtur, ac probans ignorantiam excuſare à Cenſuris, per DD. communiter juxta text. *in cap. Animarum de conſt. in 6.* ubi hæc legi-

legimus : *ut animarum periculis obvietur, sententiis per statuta quorumcumque Ordinariorum prolatis, ligari nolumus ignorantes : dum tamen rerum ignorantia crassa non fuerit, & supina. Et in cap. si verò in 2. de sent. excom.* ubi hæc sunt : *si verò aliquis in Clericum nutrientem comam manus injecerit violentas, propter hoc non debet Apostolico præsentari conspectui : nec etiam excommunicatione notari, dummodo ipsum esse Clericum ignoraverit. Et in c. Apostolicæ de Cler. excom. ministr.* Sed inadvertentia, & distractio naturalis, qua quis nunc non recordatur, aut mens ejus abstracta non advertit, æquivalet ignorantiæ inculpabili ; & de sic omittente non potest dici, quod voluntariè omittat, vel, quòd sit contumax formaliter, & legi inobediens, ergo. Et hæc verisimiliter præsumitur esse mens Legislatoris. Vide Cabasut. *lib. 5. cap. 13.* Felicem *num. 4332. aliosque.*

24. Quæritur, *an in foro Sacramentali prius à censuris, quam à peccatis pœnitens absolvendus sit ?*

Resp. Sed pro responsione advertendum est ex communi DD. Confessarium, qui caret potestate ordinaria, vel delegata absolvendi ab excommunicatione reservata, etiam in casu necessitatis, non posse ab ea absolvere, nisi necessitas sit extrema, propter periculum mortis ; in quo quivis Sacerdos potest absolvere, non modò à peccato, verùm etiam ab excommunicatione reservata, juxta *lib. 1. c. 8. num. 15. & cap. 33. n. 46.*

Quibus suppositis, ad quæsitum dicimus I. Quod, si excommunicatio sit publica, absolutio ab ipsa debet præcedere absolutionem à peccatis : nam scandalum non esset, si pœnitens non confiteretur, aut non communicaret, sed potius si communicaret, & confiteretur.

II. Quod, si excommunicatio sit occulta, regulariter, & per se loquendo, absolutio ab ipsa debet præmitti absolutioni à peccatis, ut pœnitens capax sit recipiendæ absolutionis ab istis.

25. Dixi *regulariter, & per se loquendo*, quia per accidens potest obtineri valida absolutio à peccatis, non obtenta illa à censuris : ut, si censura ignoretur : vel, si sit reservata, & non sit Confessarius cum facultate super illa, atque necessitas sit communicandi, & confitendi, ita ut sine scandalo, & nota infamiæ non possit Confessio, & Communio omitti. Ratio est : lex jejunii, & audiendi Missam non obligat, cum jejunari, & Missa audiri non potest sine gravi damno ; ergo, nec lex, quod absolutio excommunicationis occultæ præmittatur absolutioni à peccatis, obligat, dum vel cum scandalo, & nota infamæ omittenda esset perceptio Eucharistiæ, vel ista percipienda foret sine absolutione Sacramentali. Omnes enim, & quod jejunetur in vigilia S. Matthæi, & audiatur Missa die Festo, ac, absolutioni à peccatis præmittatur absolutio à censuris, sunt leges Ecclesiasticæ.

Confirmatur. Lex Divina de Confessione materialiter, & formaliter integra, non obligat in circumstantia, in qua quis propter grave damnum imminens, est impotens physicè, vel moraliter ad Confessionem integram materialiter, sed tunc sufficit, ut Confessio sit formaliter integra juxta communem DD. & per dicenda *cap. sequen.* ergo etiam lex, quod

absolutioni à peccatis præmittatur illa ab excommunicatione reservata, occulta, non obligat in circumstantia, in qua non adest Confessarius facultate præditus, & Confessio sine nota infamiæ, & scandalo omitti non potest. Consequentia sequitur, quia est præmittenda solum ex obligatione legis humanæ, ergo in aliquo casu, non ficto, sed reali necessitatis, non libertatis, licitè accipitur absolutio à peccatis, non recepta ill. à censuris occultis. Vide Ilsung. *tract. 6. disp. 6. quæst. 4. art. 8. §. 1. num. 137.* Joan. De la Cruz, *de excom. art. 2. num. 6.* Gobat. *tract. 7. cas. 3. num. 168.* aliosque allegatos *lib. 1. cap. 33. num. 45.* & infra *cap. sequen.*

26. Quæritur, *an possit absolvi moribundus, qui quædam signa doloris peccatorum dedit, vel Confessarium petiit, super quo homines fide digni testantur, sed ob defectum loquelæ, præsente Confessario, nullum peccatum in particulari potest confiteri?*

Resp. Affirmativè, *ex cap. Is qui in infirmitate 26. quæst. 6.* Immò debet, ut habet Rituale *Rom. titul. de ordin. ministrandi Sacrament. Pœnit.* verba sunt:

„ Si inter confitendum, vel etiam, antequam incipiat confiteri, vox, & loquela ægro deficiat, nutibus, & signis quoad fieri poterit, peccata pœnitentis conetur cognoscere: quibus, utcumque, vel in genere, vel in specie cognitis: vel etiam, si confitendi desiderium, sivè per se, sivè per alios ostenderit, absolvendus. Idem dixit Arausic. *pri. can. 12. apud Bail. sum. Conc.* ubi: „ subitò obmutescens, prout statutum est, baptizari, aut pœnitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habet, aut presentis in suo nutu. Ratio est. Quia tunc salvatur materia proxima, & remota Sacramenti, prout necessitas permittit; cum pœnitens illis sensibiliter declaret, & accuset in genere se peccasse, & simul ostendat peccatorum dolorem in ordine ad absolutionem. Quæ est sententia magis pia, & utilis præfatis moribundis, ut DD. communiter. Quinimmò Confessarius ex lege charitatis, ut observat Suarez, obligatur in tanto de ægroti salute periculo absolutionem conferre, saltem sub conditione, *si es dispositus*: sub qua etiam danda esset, si dubitaret, an signa procederent ab acerbitate morbi, an verò data essent ad exprimendum dolorem de peccatis, & in ordine ad absolutionem; quia conditio vitat irreverentiam Sacramenti: & aliunde in ea necessitate adhibetur egenti remedium, institutum in remissionem peccatorum, eo modo, quo tunc est possibile.

Nota, Confessarium totum in eo debere esse, ut taliter infirmi signa doloris adhibeant in ordine ad absolutionem. Propterea interrogare debet, an de peccatis, & se Deum summum bonum offendisse doleant: an proponant non peccare ampliùs: an velint à peccatis absolvi, &c. Et dum, vel manum ipsius stringunt, vel capite, aut oculis annuunt, vel Crucem osculantur &c. censere debet dari in ordine ad Confessionem.

27. Dices, Confessio debet esse coram Confessario, sed Confessio facta ab infirmo vocante Confessarium, vel optante Confessionem (super quo adstantes testantur) non est facta coram Confessario, sed in absentia Confessarii:

rii : consequenter contra decretum Clement. VIII. qui damnavit : *licere per literas, vel internuncium Confessario absenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente, absolutionem obtinere.*

Resp. Negando Confessionem eo modo ab infirmo factam comprehendi sub decreto Clement. Nam non fit in absentia Sacerdotis, cùm adstantes sint, veluti interpres moribundi : quos ille, ut tales eligit, ut ejus voluntatem, accedenti Confessario exponant, & per eos officium Judicis implorat.

Nec moribundus debet à Confessario absente absolvi, sed dum absolvit, præsens esse debet. Forma enim absolutionis : *ego te absolvo*, denotat, tam Sacerdotem, quam Pœnitentem debere esse præsentes. Immò in præsentia pœnitentis, & Confessarii testes debent deponere. Quod non est confiteri per nuncium, aut literas, absenti Confessario directas.

28. Sed quæritur, *an Confessio debeat esse vocalis?*

Resp. Affirmativè, per se loquendo, sed per accidens esse potest non vocalis : sed per literas nunquam. Vide infra *num.* 32.

29. Sed quid, *si nulla signa præcesserint petitæ Confessionis, aut doloris, nec in præsentia testium infirmus Confessorem vocaverit, nec in ea Sacerdotis possit illa edere?*

Resp. Homobonus, Tambur. cum Felice *num.* 3108. absolutionem, saltem sub conditione, dandam esse tradunt ; maximè, si Christiano more vixerit, quia vita, more boni Christiani acta, habet rationem signi, manifestantis desiderium absolutionis ; cum verisimile sit, eum, qui in vita bene usus est Sacramentis, ea in articulo mortis petere, & recipere velle. Cui ex lege charitatis in eo extremo periculo succurrere debemus modo possibili, & tutiorem viam sequi.

Du-hamel verò *dissert. 3. cap. 5. à n. 4.* Ilsung, *cit. n.* 144. Cabasut. *lib. 3. cap.* 11. *num.* 10. & alii plures negant ; ratio est, quia forma absolutionis applicari nequit nisi, ubi materia clavibus sensibiliter exponitur, sed tunc nulla, nec explicitè, neque implicitè clavibus exponitur ; nam, nec contritionis signum sensibile, nec Sacerdotis postulatio præcessit. Et eo, vel maximè, quod nullus Judex potest, vel contra, aut in favorem rei sententiam pronunciare, nisi accusatio aliqua explicita, vel per signa sensibilia præcedat, ergo &c. Propter posteriorem sententiam, ut probabiliorem, & tutiorem sequimur, & magis conformem dictis supra *capit. primo.*

30. Nec rationes pro altera adductæ urgent. Periculum hominis moribundi non dat Sacerdoti jus, ut Sacramentum præter Christi institutionem administret : aliàs omnia essent licita : & posset, etiam baptismus in vino ministrari, si necessitas aliqua urgeret, & aqua naturalis deesset : quod nullus Catholicus dixerit.

Neque vita præterita ritè & optimè instituta est sufficiens pro valida absolutione, cum ad istam exigatur signum externum, sensibile, quo pœnitens activè manifestet, saltem in genere, sua peccata, & desiderium, ac intentionem absolutionis : aliàs non se ipsum accusat de peccatis ; sed vita præterita illius non est signum, quo id activè manifestat : quia in eo solùm passivè se habet, & patitur,

ut

ut homines ex illa in cognitionem desiderii conjecturaliter veniant, & discurrant. Quo modo sæpè contra nostram voluntatem ex actionibus nostris externis patimur judicia hominum de internis. Præsertim quia, si sufficiens signum ab Ecclesia præsumeretur, frustra pro absolutione Sacramentali moribundi Rituale exigeret aliud: ut, vel, quod ipse Sacerdos viderit, vel quod alii testentur.

31. Quæritur, *quibus sit peganda, & quibus differenda absolutio?*

Resp. Judicium super hoc relinquitur prudentiæ Confessarii juxta occurrentes circumstantias. Sed neganda est indispositis: & accedentibus, non præmisso examine conscientiæ, & cum obice peccati: cum ignorantia mysteriorum, quæ sunt necessaria necessitate medii, juxta dicta supra *cap.* 14. & dicenda *infra cap. ult.* cum voluntate non parata, & negligentia addiscendi necessaria necessitate præcepti: cum debito restituendi, & non restituentibus, dum restituere valent. Item, existentibus in occasione proxima peccandi juxta dicenda *cap.* 38. non habentibus propositum non peccandi, nec contritionem, vel attritionem de peccatis; nec volentibus obedire Confessario præscribenti remedia, ne relabantur. Item, casu aliquo, vel excommunicatione reservata ligatis, dum facultate Confessarius caret. Item, cum nulla est spes emendationis, & similibus: in quibus nulla fit injuria pœnitenti.

Differenda verò est iis, qui, licèt cum proposito, dolore, & cæteris necessariis ad validam absolutionem accedant, habent tamen consuetudinem peccandi lathaliter. Cum consuetudo, & frequentia lapsus sit argumentum, ex quo Confessarius possit prudenter dubitare de vero proposito Pœnitentis; ideò ei est assignandum aliquod tempus pro experimento veri propositi emendationis, ut sic Confessarius judicium moraliter certum de certa illius dispositione efformare possit; & maximè procedit, si aliàs emendationem promiserit, & nulla sit, nec appareat, de qua re *cap. sequen.*

Ponderent Confessarii, sciantque absolutiones inconsideratè, & nimia facilitate indignis collatas, nutrire Pœnitentes in peccatis. Qui, si interrogantibus Confessariis ad effectum videndi, an eis neganda, vel differenda sit absolutio, respondere recusent; absolvendi non sunt.

32. Quæritur, *an sit valida absolutio data pœnitenti, qui extra casum necessitatis, & potens ore sua peccata singulatim in confessione aperire, tradit Confessario præsenti in scriptis suam Confessionem, ab eo legendam?*

Resp Affirmat Poncius *cit. nu.* 48. cum Leandro, modò, vel immediatè ante lecturam pœnitens dicat: *accuso me de peccatis, quæ legis in illa charta*; vel immediatè post lecturam, subdat; *accuso me de omnibus illis peccatis, quæ legisti in ea scriptura.* Idem Arsdekin. *tom.* 2. *pag.* 232. affirmat in casu, quo puella pudore nequeat confiteri peccatum; ratio eorum est, quia tunc implent præceptum Confessionis vocalis, dum voce fatentur peccata scripta esse sua.

Sed graviter esse illicitam, adeòque invalidam extra necessitatis casum, decimus cum Mastrio *disp.* 21. *quæst.* 7. *num.*

*num.* 168. allegante Fabrum, & Brancatum, quos sequitur Felix *num.* 3157. asserentes adesse præceptum divinum Confessionis vocalis, nec excusare erubescentiam, sed solam impotentiam, ut in mutis, aut moribundis, usu linguæ privatis. Habetur ex *cap. quem pœnitet. de pœnit. dist.* 1. ubi hæc sunt: *præcipit Dominus mundandis, ut ostenderent ora Sacerdotibus, docens corporali præsentia confitenda peccata, non per Nuntium, non per scriptum manifestanda. Dixit enim (ora monstrate)* Et ex Florent. in Decreto union. annumerante inter partes materiales Sacramenti. Pœnitentiæ oris Confessionem. Quæ regulariter, per se loquendo, semper debet esse vocalis, nisi impotentia aliqua naturalis loquendi excuset.

Maximè, quia affirmativa sententia occasionem affert non paucis, ut nunquam, aut rarò vocaliter confiteantur; nam semper possent præsumere suam verecundiam esse tantam, ad se reputandos excusatos à Confessione vocali.

33. Sed quid, *an valeat Confessio illius, qui Confessario scienti pœnitentis peccatum, dicit, me accuso de peccato illo, quod tu scis me heri commisisse?*

Resp. Negativè, quia ex Trid. *sess. & cap. cit.* ad integritatem Confessionis necesse est confiteri omnia, & singula peccata, quæ, examine præmisso, memoriæ occurrunt, secundum speciem, numerum, & circumstantias; unde cum quis potest aperire speciem peccati, debet; Felix *cit. num.* 3158.

34. Quæritur, *an sicut non est valida absolutio à peccatis data absenti, sic nec valida sit ibi data à censuris?*

Resp. Negativè, nam absolutio à censuris potest etiam dari absenti, & per literas, Nuncium, aut alio facto, quo exprimeretur intentio absolvendi; prout patet ex rescriptis, & Bullis Pontificum ad aliquos directis; in quibus formula est eos absolvere à censuris, *quoad effectum &c.* ratio est, quia excommunicatio est pœna Ecclesiastica, quæ etiam absenti infligi potest, ergo etiam remitti. Hinc sequitur Confessarium, qui pœnitentem absolvit à peccatis, quibus est conjuncta censura, à qua absolvere non poterat, deinceps poterit, obtenta de novo facultate, eundem, etiam absentem, ab illa excommunicatione relaxare. Layman. *lib.* 1. *cit. cap.* 6. *num.* 9. Cabasut. *prax. lib.* 5. *cap.* 14. *num.* 7. Du-hamel *tom.* 3. *disert.* 3. *de conf. num.* 10.

35. Quæritur, *an Confessarius Ordinarius possit absolvere recipientes munera à Regularibus contra decreta Clement. VIII.*

Resp. Vide dicta *lib.* 1. *cap.* 33. *in fine.*

36. Sed quæritur, *an possit absolvere vendentem terram pro sepultura?*

Resp. Negativè, si terra illa sit Sacra, & Religiosa, existens vel in Cæmeterio, vel Ecclesia, aut in ea aliàs quis sepultus sit: id enim, prohibetur *c. Abolendæ de Simonia* tamquam Simoniacum: ut optimè ibi *Gloss. in verb. Sepultura*, & D. Thom. 2. 2. *quæst.* 100. *art.* 4 *ad* 3. Nulli igitur vendendæ sunt Sepulturæ, nec alteri tradendæ, aut in pactum deducendæ, per quod transferatur dominium, & concedantur in jus, & proprietatem; sed solum concedi in eis debet jus fabricandi & sepeliendi, salvis juribus Parochialibus. Nil potest exigi: verum, si aliq. id sponte, vel juxta consuetudinem laudabilem detur, potest

recipi, quia multa inhonestè petuntur, quæ honestè recipiuntur, juxta *allegat. Glos. & cap. de Eulogiis dist.* 18. Idem dicitur, dum conceduntur Cappellæ, in quas conceditur non jus proprietatis, sed solum jus fabricandi, & ornandi. Quod non est alienare bona Ecclesiæ, prohibitum *cap. Ambitiosæ de reb. Eccles. non alienan. inter com.* sed potiùs Ecclesiæ acquirere. De qua re dixi *Official. Cur. tom.* 1. *cap.* 11. *num.* 16. Neque hìc potest applicari distinctio ponderata supra *cap.* 26. *num.* 24. de rebus annexis spiritualibus antecedenter, quia lex Canonica resistit, sicut resistit, ne vendantur, & emantur Ecclesiæ, *cap. Querelam de Simonia.*

37. Quæritur, *an Confessarius Ordinarius possit absolvere Pœnitentem Beneficiatum qui Beneficium acquisivit per Simoniam, ab ejus Consanguineis, ipso ignorante, commissam?*

Resp. Negativè, nisi post notitiam ipsum dimiserit, vel à Sacra Pœnitentiaria dispensationem ad retinendum obtinuerit. Lege *const. Innoc. XII. Incipit. Romanus Pontifex: edita super facult. Majoris Pœnitentiarii:* ubi hæc sunt, *at si illa* (Simonia) *contracta fuisset ignoranter, etiam ignorantia juris inculpata, possit major Pœnitentiarius in occultis, & in Foro conscientiæ tantum dispensare, & Beneficiorum post Simoniam obtentorum titulos convalidare. Modò Orator de eadem Simonia certior factus, quam primum commodè potuerit, petierit dispensationem.* Vide *cap. cit.*

38. Quæritur, *Pœnitens petit à Confessario, an licitus sit usus medicamenti seu pulveris Sympathetici, cujus auctor fuit Paracelsus: quid à Confessario dicendum?*

Resp. Debet ipsum instruere non posse eo pulvere tuta conscientia ad curationem uti, ab eoque ut superstitioso debere abstinere, ita Fraslen. *Philosoph. tom.* 2. *de caus. efficien. art.* 3. *qu.* 2. *conc.* 1. *obj.* 1. Cum sanatio, non virtute naturali pulveris, sed arte Dæmonis contingat, ut dixerunt Doctores medici Lovanienses, & Duarenses apud Garciam *tom.* 2. *cur. Philosoph. dist.* 2. *q.* 7 *art.* 3. § 3. *num.* 61. Ratio est apud Diuam. *coord. to.* 5. *tract.* 10. *resolut.* 109. *num.* 3. quia, dato etiam spirituum, & corpusculorum effluxu, & influxu, cum aër sit plenus corpusculis omninò diversis, non potest intelligi quomodò spiritus sanguinis recreati, & vegerati spiritibus vitrioli redeant liberè ad hominem vulneratum distantem, nec ab aliis spiritibus occurrentibus extinguntur, & impediantur; aut non impediatur sphæra activitatis ejusdem pulveris panno lineo applicati, & contactus virtualis ejusdem per varia objecta interpositа, & per multos parietes, in quibus panni linei, quibus remedium applicatur, clausi detinentur; sicut per medium interpositum impeditur magnes, ne attrahat ferrum, & sol, ne liquefaciat ceram. Tum quia Torpedo non stupefacit manum piscatoris, nisi reti conjunctam. Atque ita sanatio non est ab unguento, ut causa, sed ut signo, quo posito, ex vi pacti taciti cum Dæmone initi sanitas sequitur. Unde vir probatæ vitæ, cui pulvis ille offerebatur ad medelam, respondit: *malle se, Deo jubente, mori, quam, Diabolo juvante, vivere.*

Nonnulli excusant utentes eo pulvere, si sincera voluntate protestationem aliquam præmittant, nolle se effectum con-

consequi, si ex aliquo pacto cum Dæmone virtus, & sanatio proveniat. Cæterum, ut ait Mayol. *sym. tom. 1. expos. prim. præcepti quæst. unic. art. 2. §. 8.* hoc non procedit, quando certò constat, aut probabilissimum est actum esse superstitiosum, seu rem esse prorsus vanam, & inutilem, ad talem effectum, ut in casu nostro videtur certum; tunc enim malitia superstitionis intervenit; & protestatio non prodest, cum sit contraria facto. Quinimmò quando applicaretur, ad experiendum effectum, & adhiberetur, ut habens vim ad talem effectum interveniret superstitio, & factum protestationi contrarium esset. Proinde ea etiam protestatione præmissa abstinendum est ab applicatione eorum, de quibus dubitatur, an virtutem naturalem habeant, ut ibidem allegatus Mayol. & diximus *lib. 1. cap. 4. num. 11.*

## CAPUT XXXVI.

### *Prop. LIX. ab Innoc. XI. &c. Confessio dimidiata.*

1. PRop 59. *Licet Sacramentaliter absolvere dimidiatè tantùm Confessos, ratione magni concursus pœnitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnæ alicujus festivitatis, aut Indulgentiæ.*

Propositio tribuitur Marchantio *Tribun. Sacram. tom. 1. tract. 2. tit. 7. quæst. 2.* ut refert Cardenas, *disert. 38. cap. 1. n. 5.* Contra quam emanavit decretum Innoc. Nobis, ejusdem occasione, agendum hic erit de causis excusantibus ab integritate materiali Confessionis. Quam dupliciter integram esse posse diximus *lib. 1. cap. 7. num. 3.* materialiter scilicet, & formaliter. Materialiter integra censetur, cum, præmisso examine, omnia peccata in Confessione Sacramentali exprimuntur, quæ quis ex præcepto Christi exprimere tenetur: Est verò formaliter integra, cum pœnitens, præmissa discussione conscientiæ, ob aliquod impedimentum, vel inculpabilem oblivionem, aliquod peccatum omittit: vel omnia dicit, quæ hìc, & nunc potest, cum animo dicendi aliqua suo tempore, & cum dolore universali de omnibus, de illis etiam, quæ omittit.

2. Quæritur, *an Confessio materialiter integra sit sub præcepto?*

Resp. Affirmativè, per se loquendo. Ita, qui post discussionem conscientiæ, omnium peccatorum recordatur, tenetur per se loquendo, omnia, & singula, sivè diversa secundùm speciem, & circumstantias, sivè plura secundum numerum, quæ nunquam confessus est, aperire Confessario. Dixi *per se loquendo*, quia per accidens, vel propter inculpatam oblivionem, aut impedimentum physicum, vel morale contingere potest, quod hic, & nunc omnia non narret, nec narrare possit; quo casu Confessio est solum integra formaliter, & non materialiter. Utroque autem modo integra est, dum post discussionem conscientiæ, & cum dolore formali, & universali omnium peccatorum, pœnitens in Confessione exponit omnia, & singula peccata, tam quoad speciem, & numerum, quam quoad circumstantias, speciem mutantes, & aggravantes notabiliter. Lege Trid. *sess. 14. cap. 5.*

3. Quæritur, *an dentur causæ excusantes ab integritate materiali Confessionis, sic, ut ad validitatem absolutionis sufficiat sola integritas formalis?*

Resp. Affirmativè, sic DD. communiter, asserentes per accidens, aliquando licitè dimidiari Confessionem, cum nimirum datur justa, gravis, & rationabilis causa.

4. Sed quæritur, *quænam sint causæ seu casus, in quibus quis excusatur ab integritate materiali Confessionis?*

Resp. Plures DD. assignant, alios propter impotentiam physicam pœnitentis, & alios propter impotentiam moralem: ex quibus aliquos subnectimus.

I. Propter impotentiam physicam, excusatur infirmus in mortis articulo constitutus, qui ob infirmitatem, qua usu linguæ privatur, non potest ore confiteri, sed solùm, vel expressè Sacramentum pœnitentiæ petiit, vel implicitè, per signa doloris de peccatis exhibita.

II. Qui incœptam Confessionem propter gravitatem morbi perficere non potest, & nisi, uno, vel altero peccato narrato, absolvatur, periculum est, ne morte prævertus sine absolutione decedat.

III. In mortis imminente periculo, aut incendio, naufragio, periculoso conflictu, ruina, &c. Et tunc potest Sacerdos, audito à singulis uno peccato, omnes simul absolvere, dicendo: *Ego absolvo vos, &c.* Layman. *lib. 5. tract. 6. cap. 3. num. 10.* Cabassut. *lib. 3. cap. 11.* Du-hamel, Felix, Antonius à Spiritu Sancto, & alii.

IV. Dum mutus, vel vir valdè balbutientis linguæ, signis confitentur eo modò, quo possunt.

V. Dum, qui, morali adhibita diligentia, & debito examine præmisso, inculpabiliter alicujus peccati oblivisci tur.

5. Propter impotentiam moralem excusantur:

I. Puella, quæ rationabiliter, & non levi fundamento timet à Confessario sollicitari, si peccatum carnis ei in Confessione aperiat. Fundamentum judicandi esset nota malitia, & proclivitas Confessarii ad Venerem.

II. Si certò prævideretur, Confessarius violaturus sigillum, propter quod grave malum in bonis vitæ, honoris, & fortunæ immineret. Sed hæc duo pericula non debent ita facilè fingi. Quilicius. 9. *art. 1. num. 15.*

III. Necessitas servandi sigillum Confessionis alienæ: ut, si Confessarius, qui audivit Confessionem alterius, non possit sine violatione peccatum suum confiteri.

6. In his casibus licet dimidiare Confessionem, sed tria debent concurrere.

I. Ut alius Confessarius haberi non possit, nec Confessio differri.

II. Si malum, quod prudenter timetur, certum sit, & indebitum, ac extrinsecum Confessioni. Propterea non est satis timor, quod Confessarius teneat pœnitentem pro peccatore; nec damnum, quod pœnitens timet subire ex sibi imponenda à Confessario obligatione restituendi, famam, vel rem furto ablatam: quia primum non est extrinsecum Confessioni: nec secundum, inde

indebitum, sed obligationi integritatis annexum.

III. Quod Pœnitens proponat omissa confiteri, cessante periculo.

7. Sed quæritur, *urget necessitas, ut Sacerdos celebret, vel Laicus communicet, non adest alius Confessarius, quam cum ordinaria jurisdictione sine facultate super reservata; petitur, an possint licitè dimidiare Confessionem, & confiteri solùm non reservata, omissis reservatis, quorum etiam sunt rei?*

Resp. Negativè, sed debent eidem, tam reservata, quam non reservata confiteri: præceptum enim de integra Confessione per se obligat, non modò ad eam formaliter, verum etiam ad materialiter integram. Omitto, quod confiteri omnia, pertinet ad dignitatem Sacramenti Eucharistiæ. Dixi *per se*, quia per accidens propter impotentiam physicam vel moralem, à materiali quis excusari potest ex dictis.

Verùm damnum, aut infamia, quæ certò imminet, debet prudenter timeri ex Confessione: ex Confessione autem reservati, infamia, aut scandalum non timetur, sed ex omissione celebrationis, aut Communionis, ergo non habetur causa excusans ab integritate materiali Confessionis, sed debent aperiri tam non reservata, quam reservata. Et ita ab omnibus absolvuntur: directè à non reservatis: indirectè à reservatis: & ita non dimidiatur Confessio.

8. Sed quæritur, *de quo peccato verificatur esse directè absolutum, & de quo indirectè?*

Resp. Illud dicitur directè absolutum esse, quod cum dolore, &c. exponitur Confessario, habenti legitimam facultatem in illud: illud verò indirectè, quatenus absolvitur ratione concomitantiæ cum peccato directè absoluto. Quod solet contingere.

I. In peccatis inculpabiliter oblitis: habet Petrus tria peccata, confitetur duo, obliviscitur tertii: non, quia examen sufficiens non præmiserit, sed, quia non recordatur: absolvitur à tertio indirectè, ex vi absolutionis, directè cadentis super duo explicitè Confessa, cum non possit unum peccatum sine alio remitti; nam gratia sanctificans omnia expellit: habetur ex Trid. *sess. & cap. cit. constat enim nihil aliud in Ecclesia à pœnitentibus exigi, quam, ut postquam quisque diligentius se excusserit, & conscientiæ suæ sinus omnes, & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum, & Deum suum mortaliter offendisse meminerit: reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum, eadem Confessione inclusa esse intelliguntur.* Sed onus habet confitendi oblita, cum ipsorum recordatur, ut ab eis directè absolvatur; aliàs novum peccatum committit.

II. Cùm, urgente necessitate celebrandi, vel communicandi, quis confitetur Confessario ordinario, tam non reservata, quàm reservata, nam tunc à reservatis absolvitur, non directè, quia ea non cadunt sub jurisdictione Confessarii, cum ad ea facultatem non habeat, sed indirectè, ex vi absolutionis datæ à non reservatis, cum onere, ut posteà accedat ad habentem facultatem super reservata, ut ab eis directè absolvatur; cui solum sufficit, ut confiteatur ipsa re-

servata, non verò alia: à quibus fuit directè absolutus.

9. Sed quid, *si casui sit annexa excommunicatio reservata, & non est tempus obtinendi facultatem, nec differri potest Confessio propter grave scandalum, & infamiam?*

Resp. Pariter tunc Confessarius potest absolvere directè à peccatis non reservatis, & indirectè à reservatis, sed à censura absolvere nullo modo potest (excipio articulum mortis) quia absolutio à peccatis est diversa ab absolutione à censuris, exigens diversam jurisdictionem: ideò in casu pœnitens remanet à peccatis absolutus, à non reservatis directè, & indirectè à reservatis, sed censura ligatus.

Et ita à peccatis absolutus potest in circumstantia scandali, & infamiæ licitè celebrare, aut communicare, quia est ex isto capite rectè dispositus; nam absolutio à peccatis, & infusio gratiæ potest per accidens haberi, remanente censura: cum gratia non sit incompossibilis cum censura: ut, si ex inculpabili ignorantia pœnitens censuram non confiteatur: vel Confessarius ex oblivione, aut aliter, solum à peccatis absolvat. Ergo etiam, si in casu urgentis necessitatis celebrandi, aut communicandi, pœnitens confiteatur Sacerdoti impotenti absolvere à censura reservata: quia lex Ecclesiastica censuram imponens, non præsumitur obligare cum tanto detrimento. Quo casu celebrans non fit irregularis. Felix *tom. 3. nu. 291. lib. primo cap. 33. num. 44.*

10. Sed dices, ergo excommunicatio non privat usu, & perceptione Sacramentorum.

Resp. Negando consequentiam, per se loquendo; illis privat ex *cap. cum illorum & cap. Si quem de sent. excom.* Per accidens autem potest non privare, ut, cum fine scandalo, & infamia non potest celebratio, & communio omitti. Ecclesia enim per excommunicationem (si sit occulta) non intendit privare peccatorem bonis famæ, vitæ, & honoris, ut dixit Illsung. *tract. 6. disp. 6. quæst. 4. art. 8. §. 1. num.* 137. Sed, si, cum urget necessitas celebrandi, & communicandi, & hæc non possunt sine infamia, & scandalo omitti, non posset pœnitens confiteri, ut communicaret, propter defectum Sacerdotis potentis solum à peccatis absolvere, non verò ab excommunicatione reservata, privaret bonis, famæ, & honoris, quandoquidem pœnitens non confitendo, & non communicando incurreret jacturam famæ, & optimæ existimationis apud adstantes. Propterea De la Cruz *de excom. art. 2. num. 6.* dixit, quod excommunicatus occultus, in Confessione integrè, & cum dolore se accusans, in illis casibus reciperet Sacramentum, & gratiam, sed non perciperet de Indulgentiis: extra verò necessitatis casum nec communicare, aut celebrare posset, sed remaneret sacris privatus, sicut antea.

Sed advertas: 1. Hæc non verificari, si censura sit publica, quia potius foret scandalum, si celebraret, vel communicaret juxta dicta *cap. præc. num.* 25.

II. Debere Confessarium, absolventem à peccatis pœnitentem, censura reservata ligatum, priusquam absolvat, ab eo exigere promissionem, vel juramentum juxta dicta *cit. lib. c. 2. n.* 15. de compar-

do

do per se, vel per alium, coram Superiore, quam primum potest, de stando mandatis Ecclesiæ, & satisfacienda parte, si censura lata est ob casum, quo fuerit pars læsa: ut ab ipso recipiat absolutionem directè à casu, à quo fuit indirectè absolutus, & à censura, à qua absolutus nullo modo fuit.

11. Quæritur, *pœnitens habet casum ignorans esse reservatum, confitetur ipsum Confessario ordinario, tamquam si non foret reservatus, deinde intelligit esse reservatum, quid post notitiam agendum est?*

Resp. Si pœnitens aliud peccatum non exposuit, sed solùm ignoratum reservatum, ab eo nec directè, nec indirectè absolvitur ex defectu jurisdictionis, & materiæ, super quam cadat absolutio directa: bona fides ipsum excusat à sacrilegio, non verò, quin, adepta notitia reservationis, debeat ipsum iterùm exponere coram Confessario habente facultatem. Vide dicta *lib. 1. c. 8. n. 11.*

12. Quæritur, *die Dominico ad lucrandam Indulgentiam frequens pœnitentium copia adit Templum S. Francisci, in quo non est nisi unicus Confessarius, qui, si velit omnium confessiones materialiter integras audire, plures erunt in necessitate discedendi inconfessi, & quin Indulgentiam lucrentur, immò cum periculo non redeundi ad confessionem per multum tempus: petitur, an Confessarius possit ad satisfaciendum singulis, eorum Confessiones dimidiatas audire, imposito onere, quod postea redeant reliqua confessuri?*

Resp. Negativè; nec circumstantia adjuncta de periculo non redeundi est causa sufficiens ad dimidiandam Confessionem, quia semper verificatur, quod dimidiatur Confessio propter concursum, & multitudinem pœnitentium, & ne cæteris desit occasio confitendi, quod non licere dixit Innoc. in suo decreto. Maximè, quia periculum non redeundi ad confessionem, oritur à prava ipsius pœnitentis voluntate, nullus autem dixit, quod quis possit confessionem dimidiare propter suam depravatam voluntatem; aliàs plurimæ confessiones dimidiarentur, & sacrilegè, ac invalidè fierent: quia plures, & præsertim illi, quibus durum est occasiones peccandi relinquere, capta occasione, illis diebus ad Confessiones accederent, in quibus Confessarii non possent eos interrogare, & cognoscere, quomodo à tempore ultimæ confessionis se gesserint, an meliores, an deteriores facti fuerint, an peccandi occasiones effugerint, quandiu in peccato perstiterint, an propositum non peccandi habeant, &c.

13. Quæritur, *an causa dimidiandi confessionem reputetur manifestatio complicis, cum scilicet non potest Pœnitens suum peccatum explicare, quin complicem manifestet; casus est: mulier peccat cum Sacerdote in loco, in quo alius Sacerdos non est, quam is, cum quo peccavit, & Parochus, qui, si illa significet se cum Sacerdote peccasse, in cognitionem complicis devenit?*

Resp. Vide *lib. 1. cap. 18. nu. 25.* Ubi diximus teneri pœnitentem ad confitendum tale peccatum, dum præceptum Confessionis, vel Communionis instat, & non adest alius Sacerdos, cui complex ignotus sit, (nam si adesset, teneretur illum Confessarium adire, atque ita consulere æstimationi complicis, & simul integritati materiali confessionis)

Est

Est sententia communior cum D. Bernardo *cap. ult. de formul. honestæ vitæ : de nullo prorsus*, ait, *siniſtrè loquaris, quantumcumque sit verum, vel honestum, nisi in confessione : & hoc, ubi aliter non potes manifestare peccatum tuum.* Et Durandus scripsit : *homo in confessione debet famam alterius custodire, quantum potest, suam tamen conscientiam tenetur purgare, quantum debet.* Ideò, si nullum aliud grave damnum complici immineat, quàm sola notitia, & infamia apud Confessarium, peccatum taceri non potest. Cabasut. *lib. 3. cap. 11. num. 3.* Du-hamel *de pœnit. disert. 3. cap. 5.* Felix *tom. 1. num. 3110.* Mastr. *disput. 11. num. 185.* Maximè, quia majoris momenti bonum est conservare integritatem Confessionis, à Christo Domino præceptam, & necessariam ad valorem Sacramenti, quam non infamare proximum apud solùm Confessarium, sigillo confessionis obstrictum ; si tamen infametur, quod negamus per dicta *loco cit.*

## CAPUT XXXVII.

### *Prop. LX. ab Innoc. XI. &c. Propositum emendationis.*

1. PRop. 60. *Pœnitenti, habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodò ore proferat, se dolere, & proponere emendationem.*

Quod habenti consuetudinem peccandi, ubi nulla spes emendationis appareat, non sufficiat, ut ei non negetur, aut non differatur absolutio à peccatis, quod ore dicat, doleo, & propono in futurum à peccatis abstinere, est certum ex decreto Innoc. Juxta quod pro praxi non pauci sunt resolvenda, respicientia peccati consuetudinariis patrata, dolorem ab eis exhibitum, & propositum non peccandi verbis expressum.

2. Quæritur, *quid sit propositum, quid promissio?*

Resp. Propositum est voluntas faciendi, aut non faciendi aliquid pro futuro: promissio autem est voluntas se obligandi alteri ad aliquid faciendum, vel omittendum. Prout latè DD. ubi agunt de voto. De quo *lib. 3. cap. ult.*

Hinc observa: 1. Quod promissio involvit propositum : quia nunquam fit promissio vera, quin sit voluntas faciendi, vel non faciendi, quod promittitur; aliàs, si promitteres sine animo faciendi, mendax esses, & peccares contra veracitatem : voluntas autem faciendi aliquid non includit promissionem, seu voluntatem se obligandi.

2. Quod, qui promittit aliquid facere, & simul habet animum faciendi, non mentitur, quia contra mentem non loquitur; sed, si posteà non implet, peccat contra fidelitatem, & datam fidem.

Ex dictis sequitur, pœnitentem, qui ore dicit se habere propositum, & voluntatem amplius non peccandi, si voluntatem illam non habet, falsum dicere, & mentiri ; nam verba menti non respondent, cum ipse cognoscat se ea voluntate carere, quàm verbis habere affirmat; consequenter mortaliter peccat, & facit confessionem sacrilegam : de quo se accusare debet in sequenti.

3. Qui-

3. Quæritur, *in quo consistat consuetudo peccandi?*

Resp. DD. non concordant. Anton. à Sp. Sancto *tr. 5. de pœnit. disp. 3. sect. 5. n.* 129. duplicem consuetudinem distinxit, proximam, & remotam; hanc dixit illam esse, quæ fundatur in habitu ex actibus pravis acquisito, ad actus consimiles inclinante; illam verò, in intrinseca fragilitate hominis. Cardenas *disert. 37. cap. 2. num.* 8. tradit ad consuetudinem concurrere multitudinem actuum, & habitum per consuetudinem acquisitum, ipsamque peccatorum multitudinem esse consuetudinem peccandi: post quem id docuit. Felix *tom. 1. exam. num. 3665.* Frequens itaque reincidentia in idem peccatum, seu repetitio præteritorum peccatorum est peccandi consuetudo. Idque ex eo patet, quod de eo dicatur habere peccandi consuetudinem, qui in idem frequenter relabitur, non verò de habente præcisè habitum ex pravis actibus genitum; nam justificatus potest talem habitum habere, & de ipso non verificari, quod habeat consuetudinem peccandi, nisi eadem peccata repetat, & frequentet.

Unde consuetudinarii illi reputantur, qui in eadem peccata frequenter relabuntur, & ipsa frequentant. Quod si in ipsa relabuntur ex habitu acquisito, quem non velint actibus contrariis extenuare: vel, quia nolunt occasionem proximam relinquere, cum possint, dicuntur peccare ex malitia; & ex passione, dum ex propria infirmitate, & fragilitate eadem peccata repetunt: sed non contendas de nomine.

4. Sed quæritur, *quot actus requiruntur, ut quis dicatur assuetus, vel ex consuetudine peccare?*

Resp. Alii duos exigunt, alii tres, & quidam quinque requirunt, ut Carena *de offic. Inquisit. p. 2. tit. 7. §. num.* 20. Sed tu in praxi pondera frequentiam lapsus, tempus, à quo pœnitens non est confessus, quoties eadem Confessario exposuerit: & juxta occurrentes circumstantias prudenter resolvas.

5. Quæritur, *an consuetudo, & occasio proxima peccandi sint diversa?*

Resp. Affirmandum videtur. Nam occasio proxima dicit circumstantiam extrinsecam, vel impulsum ab extrinseco provenientem, ex dicendis cap. sequen. Consuetudo autem peccandi sive in habitu radicata, sive ex fragilitate oriatur, ab extrinseco non provenit, quia, tam habitus, quam fragilitas sunt peccanti intrinseca. Verum possunt in eodem conjungi, & idem existens in occasione proxima peccandi, potest eadem peccata repetere, de quo sequen. cap.

6. Quæritur, *an ad validam absolutionem requiratur in pœnitente propositum, seu voluntas non peccandi?*

Resp. Affirmativè, prout expressè Trid. *sess. 14. cap. 4.* ubi hæc sunt. *Contritio, quæ primum locum inter dictos pœnitentis actus habet, animi dolor, ac detestatio est de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero*; & infra: *declarat igitur Sancta Synodus hanc contritionem non solum cessationem à peccato, & vitæ novæ propositum, & inchoationem, sed veteris etiam odium continere.*

7. Sed quæritur, *an propositum non peccandi*

*candi debeat esse formale, & expressum, an sufficiat virtuale, & implicitum?*

Resp. Formale, & expressum optimum est. Hinc rectè agunt Confessarii exigendo illud à pœnitentibus, & quatenus renuant expressè proponere vitam emendare, & peccata vitare, absolvi non possunt. Verum per se, & necessariò non requiritur expressum, sed sufficit virtuale, & implicitum; quod virtualiter continetur in vera detestatione, & dolore peccatorum ex motivo supernaturali, & universali: sic, qui verè dolet de peccatis ad effectum justificationis, & non cogitat actu, propter inadvertentiam, de emendatione vitæ, & peccatis vitandis, censetur virtualiter, & implicitè proponere peccata vitare, & emendare vitam; quod expressè proponeret, si ad id reflecteret: aliàs non verè, & ex animo doleret de peccatis commissis: cum impossibile sit, ut quis sincero animo doleat efficaciter de peccatis, ut sunt offensa Dei, quin implicitum saltem, habeat non peccandi propositum; aliàs per unum actum nollet offensam gravem Dei, & per alium illam vellet, quæ sunt contradictoria, DD. communiter. Layman. *lib. 5. tract. 6. cap. 4. num. 6.* Du-hamel *tom. 3. de pœnit. disert. 2. cap. 1. num. 4.*

Et deducitur ex verbis Trid. ubi supra describentis contritionem, in quibus dolor in recto importatur, *est animi dolor &c.* propositum verò in obliquo, & tamquam dolori annexum *cum proposito &c.* per quæ satis insinuat magis requiri dolorem, & detestationem formalem, quam formale propositum.

8. Sed quæritur, *an propositum debeat esse ita efficax, ut extendatur non modo ad ipsa peccata, verum etiam ad vitandos occasiones proximas, & consuetudines peccandi?*

Resp. Affirmativè, ratio est, quia, qui efficaciter vult vitare peccata, vult etiam removere omnia, quæ sunt peccatorum occasiones, & adhibere omnem diligentiam, quæ necessaria est ad evitanda media, & illicita, quæ ad peccandum conducunt.

9. Quæritur, *an Confessarius teneatur credere pœnitenti asserenti se habere verum propositum non peccandi?*

Resp. Negativè, nisi circumstantiæ sint tales, ut possit illi prudenter assentiri: sæpe enim concurrunt conjecturæ, & præsumptiones, in quibus Confessarius prudenter dubitat de vero pœnitentis proposito, & dolore, quo casu certè non potest ipsum absolvere, sed debet absolutionem differre, ipsumque per aliquod tempus experiri, an verè eo peccandi propositum habeat, ne se exponat periculo peccandi, faciendo irritum Sacramentum, absolvens cum dubio de dispositione pœnitentis, quod extra casum necessitatis non licet: & nec tunc, nisi sub conditione: *si es dispositus.* Hinc advertas, tunc solum standum esse confessioni pœnitentis pro se, & contra se, cum in contrarium aliquid rationabiliter non occurrit. Quilici *quæst. 12. art. 2. à num. 3.*

10. Sed quæritur, *quænam sint circumstantiæ, ex quibus Confessarius possit prudenter colligere infirmum, & non sincerum propositum pœnitentis?*

Resp. Variæ possunt occurrere, quarum judicium in praxi relinquitur prudentiæ Confessoris: exemplum ponam in Casu,

Cajo, habente consuetudinem luxuriandi, & assueto ad se frequenter polluendum: sæpe is confitetur, & in eadem peccata frequenter relabitur: quis ei, asserenti se habere verum non peccandi, & emendationis propositum, fidem prudenter dabit: cum impossibile sit, moraliter loquendo, hominem sæpè confiteri, & ex animo, ac sincerè proponere non peccare, & semper in eadem relabi, nullumque afferre emendationis signum? Præsumptio est in oppositum.

Præsumendum itaque est, eum, qui ita confitetur, & post repetitas confessiones, sic relabitur, non habere efficax propositum non peccandi, propterea est differenda absolutio, & per aliquod tempus experiendus, nec absolvendus quoad usque in totum, vel competenter emendatus redeat.

Idem practicandum cum otiosis, profitentibus quotidie ludum, ebrietatem, crapulam, amorem inhonestum, blasphemias, verba inhonesta, murmurationes, detractiones, &c. quia, quamvis emendam proponant, Confessarius tamen verisimiliter putat eos in eadem peccata relapsuros.

11. Quæritur, *an differenda etiam sit mulieribus, superflue, & vane se ornantibus?*

Resp. Affirmativè, dum ornatus est mortaliter peccaminosus: nec eis promittentibus illum deponere, credenduni.

12. Sed quæritur, *quando talis reputetur?*

Resp. Quando se ornant ob finem mortaliter peccaminosum; cum scilicet assumitur intentione, ut videntes provocentur ad libidinem, & inhonestum amorem, aliisque placeant, quam suis viris.

II. Quando ornatus ex fine operis, seu ex se, vel ex hominum acceptione ad libidinem provocat.

III. Quando in se ornando violant, vel sunt causa, ut alii violent præcepta Dei, vel Ecclesiæ: ut, si laborent, vel laborare faciant diebus festis, vel in eis omittant, aut omittere faciant audire Sacrum.

IV. Si causent marito sumptus supra vires, propter ornatum excedentem honestam conditionem sui status.

V. Si verisimiliter præsumant, ornatum præbere familiæ occasionem blasphemiarum, & lucrorum illicitorum.

VI. Si propterea, legata pia, vel debita non solvantur.

VII. Si operarii fraudentur debita mercede. In his circumstantiis usus pomparum, & vanus ornatus est peccatum mortale, nec absolvendæ sunt mulieres, nisi se corrigant: aliàs erit veniale, si nimirum ex vanitate, vel levitate assumatur. Campion. 2. *p. instruct. cap. 56. num.* 31.

VIII. Regula pro praxi generalis sit. Et Confessarius ponderet: 1. Quod, ut statim pœnitens absolvi possit, non sufficit ipsum esse rectè dispositum coram Deo, sed necessarium etiam, ut ipse Confessarius, qui absolvere debet, sibi satisfaciat de recta dispositione pœnitentis, per judicium moraliter certum, prudenter judicando de vero ipsius proposito, & dolore, ad conferendam absolutionem necessariis.

2. Item: Quod, dum ex aliquo capite, aut circumstantia constat, aut pru-

denter timetur pœnitentem non esse sufficienter dispositum, & in eadem peccata relapsurum, nec ex animo, sed ore dumtaxat dolere, & emendationem proponere, quantumvis dicat se dolere, & propositum habere, non est ei credendum, nec absolvendus est statim, sed in aliquod tempus est absolutio differenda, ut Confessarius ita melius de futura emendatione, & præsenti ipsius proposito se certificet, juxta communem Doctorum sententiam cum Carena, ubi supra §. 19. *num.* 104. contra Joannem Sancium.

13. Quæritur, *quomodo se gerere debeat Confessarius cum pœnitente, qui repetita juramenta in confessione affert, & de præteritis dolere, ac propositum abstinendi in futurum dixerit habere?*

Resp. Ex eo deducere debet eum habere consuetudinem jurandi. Quo casu inspiciendum est, an sit assuetus jurare indifferenter, tam verum, quàm falsum: & tunc est certum peccare, quoties jurat, quia quamvis juret verum, id tamen est per accidens, cum se exponat periculo pejerandi; & se accusare debet de ipsa consuetudine cognita, hoc est, quod advertens se habere consuetudinem jurandi, quidquid in buccam venit, & sine examine veritatis jurat, nec diligentiam adhibuit, ut eam à se tolleret; quod est distinctum peccatum ab juramentis. Et quamvis pro prima vice posset absolvi, dum proponeret illam à se tollere, & spes emendationis appareret, tamen tutissimum esset, eum per aliquos dies de veritate propositi experiri.

14. Sed quid, *si propter consuetudinem non adverteret, quando juraret?*

Resp. Tunc juramenta sunt peccata, non in se, quia, dum jurat, non advertit se jurare (quamvis debeat advertere) sed in causa, in ipsa nimirum consuetudine jurandi sine advertentia: quam retinendo peccat, sicut concubinarius retinendo concubinam; teneturque confiteri ipsam, dicendo: laboro tam inveterata consuetudine pejerandi inadvertenter, ut, si offerretur in die festo, vel vicies occasio, ea consuetudine abuteter: nec absolvi debet, nisi post experimentum de veritate propositi.

Cæterum, dum proponit eam extirpare, & totus in eo est, ac diligentiam revera adhibet, ut à se eam tollat, si postea inadvertenter rursum pejerat, non videtur in hoc formaliter delinquere: quia perjurium in casu, in se formaliter non est peccatum, quia sine advertentia prolatum: nec in causa, quia consuetudinem in pœnitentia retractavit, & cum effectu fecit, quod potuit, ut eam à se tolleret: & periculum vitaret, Gobat. *tract. 7. cas. 8. num. 586.* Summa Leandr. *verb. consuetudo num. 6.*

15. Sed quid, *si consuetudinem haberet jurandi scienter verum, ita ut nunquam juraret, nisi prius examinaret, an res esset vera, & justa, an falsa?*

Resp. In casu videtur non peccare. Sed cum communi nota, & pro praxi observa, quod consuetudo jurandi, quæ incipit cum advertentia jurandi semper verum, paulatim, laxata conscientia, solet crescere sic, ut exponat hominem periculo pejerandi. Quemadmodum discurritur de consuetudine maledicendi, seu dicendi verba execratoria (quæ communis solet esse fœminis iracundis)

Hæc

Hæc solet incipere repetitione eorum verborum sine desiderio damni ore prolati, sed paulatim solet crescere ex laxitate conscientiæ, ita ut constituat peccatorem in periculo proximo mœledicendi ex animo. Et de consuetudine detrahendi, quæ licèt incipiat circa levia, crescere solet usque ad periculum detractionum gravium. Propterea Confessarius totus esse debet in eis evellendis, & quatenus pœnitentes nolint acceptare media in remedium adhibenda, vel recepta non impleant, incapaces absolutionis reputantur.

16. Quæritur, *an qui confitetur aliquod veniale, debeat habere propositum illud iterum non committendi?*

Resp. Affirmativè; ratio est, ut remittatur veniale, requiritur, ut quis efficaciter de illo doleat, sed in dolore efficaci virtualiter includitur propositum, ergo debet habere propositum vitandi venialia, quæ confitetur: aliàs nec de illis doleret.

17. Sed quæritur, *quænam sit differentia inter propositum requisitum ad remissionem peccati mortalis, & necessarium ad remissionem venialis?*

Resp. Hæc est. I. Quod, sicut homo non potest justificari cum affectu actuali, aut habituali non retractato, ad peccatum mortale, si nec, nisi habeat voluntatem excludentem èfficaciter omnem talem affectum; sed non excluditur omnis affectus ad mortale, nisi cum proposito non admittendi ea in futurum, ergo. E contra verò, potest homo justificari, uno peccato veniali remisso, & non remisso altero, quia gratia sanctificans cum peccato veniali non est incompossibilis, ergo dolor, & propositum circa unum veniale, ad aliud non est necesse, ut extendatur.

II. Quod ad remissionem mortalium requiritur propositum vitandi omnia, non tantum in sensu diviso, verum etiam in sensu collectivo, ita ut voluntas sit, non tantum singula, verum etiam omnia simul cum Dei gratia vitare; ad remissionem verò omnium venialium, sufficit propositum vitandi singula in sensu diviso (nam nullum determinatè designari potest, quod voluntas cum Dei gratia vitare non valeat) quod si potest in sensu diviso vitare, potest habere propositum vitandi: non verò requiritur propositum vitandi omnia collectivè, itaut omnia sit vitatura, hoc enim sine specialissimo auxilio Dei est moraliter impossibile, ut communiter docent Theologi. Vide Layman. *cit. num.* 19. & 20. & lege Trid. *sess.* 6. *cap.* 11. *de justificat.*

III. Sed nota venialia esse triplicis generis. Quædam sunt venialia ex genere, quorum materia non sufficit ad mortale, etiamsi deliberatè cum plena advertentia, seu judicio de malitia objecti, & expedito interiorum sensuum usu committantur, ut mendacia jocosa, &c. Alia venialia ex defectu, & parvitate materiæ, ut furtum unius quadrantis. Licèt enim materia furti secundùm speciem sufficeret ad mortale, parvitas tamen in illa specie â mortali excusat. Alia tandem sunt venialia ex imperfecta deliberatione, & non plena advertentia de malitia objecti, vel existentia legis, & præcepti: quæ solent dici venialia ex subreptione, & in omni materia possunt contingere. Ad ista collectivè vitanda,

specialissima Dei gratia est opus, sed cætera possunt cum auxiliis ordinariis gratiæ vitari.

18. Sed quæritur, *an, qui unico actu vellet omnia venialia committere, peccaret mortaliter?*

Resp. Negativè, per se loquendo, bene verò per accidens, ratione nimirum periculi, cui se exponeret peccandi mortaliter; quia venialia, præsertim commissa ex voluntate determinata, nimis disponunt ad mortale. Quilici ex Sanchez *qu. 5. art. unic. num. 9.* Facit illud *Eccles. 10. qui spernit modica, paulatim decidet.* Mastrius *disput. 15. num. 50.* & Felix *tom. 1. num. 3725.*

19. Hæc distinctio *per se, & per accidens*, est à Confessario ponderanda. Nam plura, quæ per se, & ex genere suo non sunt mortalia, fiunt talia per accidens, & ratione alterius. Exemplum: avaritia per se non est mortale ex dictis supra *cap. 28. num. 44.* sed per se est veniale, cum sit volitio inordinata habendi divitias, & fit mortale per accidens, si ad eas acquirendas applicentur media illicita, vel omittantur ea, ad quæ quis tenetur ex præcepto, justitia, vel charitate. Prodigalitas etiam, quæ excedit in dando, & deficit in retinendo, per se est veniale, & fit mortale per accidens, si nimirum prodigendo quis se in tali statu ponat, ut non possit alere familiam sibi commissam, solvere debita, &c. Item, ambitio, quæ est inordinatus appetitus honoris, de se est veniale, & fit mortale per accidens: ut, dum appetitur cum damno proximi, vel ad consequendum applicantur media illicita. Item vana gloria, quæ est immoderatus appetitus laudis, de se est veniale, & fit mortale per accidens: ut, dum quis vult laudari de opere mortaliter malo. Ira tandem, quæ est inordinata volitio vindictæ: ex parte modi irascendi (etiam dum appetitur justa castigatio) est veniale, si quis interius nimis exardescat, & exterius plura signa ira præfaciat; & fit mortale per accidens, addendo blasphemias, maledictiones, aut ob scandalum. Vide loco *cit. & lib. 1. cap. 17. num. 3. 13. & ult.* doctrinam satis utilem.

## CAPUT XXXVIII.

### *Prop. LXI. LXII. LXIII. ab Innoc. XI. &c. Occasio proxima peccandi.*

2. PRop. 61. *Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere; quamvis directè, aut ex proposito quærit, aut eam fingat.*

Prop. 62. *proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit.*

Prop. 63. *Licitum est quærere directè occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi.*

Propter connexionem, & identitatem materiæ, quam allatæ propositiones inter se habent, ipsas sub uno comprehendimus titulo, & sub ea plura Confessariis utilia discutimus, ad effectum, ut, quid in Tribunali Sacramentali agendum sit cum existentibus in occasione proxima peccandi, non ignorent.

2. Quæritur, *quotuplex est occasio peccandi?*

Resp. Duplex remota, & proxima; remo-

remota est illa, *quæ proximè non inducit ad peccatum: seu, quæ, attentis circumstantiis, non est frequenter coniuncta cum peccato*; proxima verò illa est, *in quæ quis positus, sæpè sæpius, & frequenter experitur se peccare.* Poncius *disp.* 45. *quæst.* 4. Cardenas *dissert.* 40. *cap.* 2.

Sed nota I. Quòd eadem occasio, v.g. conversatio cum muliere, quæ juveni ad venerem proclivi est occasio proxima, seni, vel juveni timorato, qui peccata carnis abhorret, erit remota.

II. Quod frequentia peccati est intelligenda, etiam relativè: v.g. Petrus semel in anno accedit Viterbium ad nundinas, semper cum domina hospitii peccat, est occasio proxima relativa ad tale tempus, & locum, absolutè tollenda.

III. Quod occasio proxima, licet sit frequentior in peccatis carnis, in aliis etiam materiis potest contingere, ut in materia ludi, detractionis, &c.

IV. Quod occasio proxima peccandi duo dicit, circumstantiam extrinsecam, & periculum formale proximum peccandi: non sola circumstantia extrinseca, nec solum periculum proximum est occasio proxima peccandi: non circumstantia extrinseca sola, quia, quod homo habitet in eadem domo, vel conversetur cum fœmina, non sufficit, ut sit occasio proxima peccandi; cum multi homines, & fœminæ ita habitent, & conversentur sine tali occasione; nec solum periculum proximum peccandi: patet in eo, qui ex propria fragilitate intrinseca habet diuturnam consuetudinem se polluendi: in quo sine extrinseca occasione est periculum proximum peccandi, ortum, vel à propria fragilitate, vel habitu per consuetudinem acquisito, inclinante ad continuanda ea peccata: utrumque itaque est necessarium, & circumstantia extrinseca, & periculum proximum peccandi.

3. Sed quæritur, *quid sit periculum proximum peccandi?*

Resp. Est *motivum inclinans ad futuritionem peccati.* Quod aliquando est certum, certitudine morali inferens peccati futuritionem: ut, cum vir prudens certò sibi persuadet peccatum esse eventurum: expertus est Petrus, quod ingrediens domum talis fœminæ, peccatum committit, & ex hoc certò sibi persuadet se lapsurum in peccatum luxuriæ, si illius domum adierit: tunc periculum est certum. Aliquando verò est probabile, ut, quando sunt rationes probabiles, quæ suadeant lapsum futurum: ut, cum quis timoratus, fragilis tamen, probabiliter censent in occasione exercendæ luxuriæ, se esse a sua fragilitate vincendum contra timorem Dei. Sed, ut Doctores notant, est ponderandum, atque advertendum, quod ubi fragilitas, & occasio absque timore Dei possent esse motivum persuadendi sibi certò futuritionem lapsus, adjuncto timore Dei, mediocriter sibi insito, qui ad virandum peccatum inclinat, reddunt motivum illud solùm probabile.

Periculum peccandi dividitur in materiale, & formale, materiale, seu remotum, est ipsa occasio, aut circumstantia extrinseca, quæ provocat, & inclinat ad peccatum; formale verò, & proximum est illud, quod, consideratis circumstantiis intrinsecis, & extrinsecis, ita inclinat, & movet ad peccandum, ut in persona

simi-

similis conditionis soleat esse frequenter cum peccato conjunctum.

Periculum denique formale: aliud est extrinsecum, ortum ex extrinseca occasione: & aliud intrinsecum, quod oritur ex prava conditione ipsius hominis, ut propria fragilitate, aut habitu vitioso; & aliud mixtum, quod oritur ex utroque.

4. Quæritur, *quotuplex sit occasio proxima?*

Resp. Duplex voluntaria, & involuntaria: voluntaria est, quam quis potest repellere sine scandalo, & infamia dimittere, & deserere: involuntaria verò illa, quam quis absque infamia, & scandalo, vel aliàs, deserere non potest.

Pariter alia est occasio proxima, quæ secundùm se inducit ad peccatum, ut est profiteri ludum alearum, ad hujusmodi ludos, vel meretricium habere domum conductam, tenere ad suam dispositionem personam, cum quæ peccatur, perseverare in colloquiis, aspectu, & familiaritate inhonestis, cum fœminis, viris, &c.

Alia verò, quæ per se ad peccatum non inducit, sed sqlùm ratione talis personæ, quæ in illis taliter assuevit peccare, ita ut Confessarius prudenter animadvertat ex malo habitu non derelicturum peccatum, si perseveret in tali occasione. Hujusmodi sunt mercatura, militia, Chirurgia, medicina, &c. Officium Judicis, Advocati, Procuratoris &c. Per plures similia rectissimè exercentur; sed, aliis in peccato habituatis, sunt occasio furtorum, injustitiarum, odiorum, fraudum, mendaciorum, perjuriorum, & similium criminum.

5. Quæritur, *an absolvi possit, qui est in occasione proxima voluntaria peccandi mortaliter, antequam eam deserat, dum potest eam deserere?*

Resp. Negativè, contra Joann. Sanctium asserentem posse absolvi ter, aut quater, antequam realiter occasionem deserat, vg. concubinam expellat, dummodò habeat dolorem de peccatis, & firmum propositum expellendi; tutius est, quia indispositus est, propter defectum veri doloris, & propositi; cum impossibile sit, aliquem verè dolere, & habere voluntatem non peccandi & peccatum velle; sed qui non deserit occasionem proximam peccandi, quam potest deserere, peccatum vult, quia cum velit periculum proximum peccandi, peccat, juxta illud, *qui amat periculum, peribit in illo*; ideò nec semel absolvi debet, antequam occasionem deserat. Vide dicta *lib. 1. cap. 30. num. 4.*

6. Quæritur, *quomodò se gerere debeat Confessarius cum pœnitente, qui est in occasione proxima involuntaria peccandi, quam deserere non potest?*

Resp. Debet differre absolutionem, quoadusque videat certa signa veræ emendationis. Vide *lib. 1. cap. cit.*

7. Sed quid, *si absolutio differri nequeat absque periculo notabilis infamiæ, & scandali?*

Resp. Si periculum verum sit, reale, & non fictum, & cognoscatur pœnitens verè contritus, dispositus, & paratus acceptare remedia proponenda à Confessario, & diligentiam adhibere ad superandum periculum proximum formale peccandi: debet ei ad hunc finem aptiora proponere, ex dicendis infra, & absolvere.

Hinc

Hinc revocandum memoriæ ex dictis, occasionem proximam peccandi per hæc duo constitui, circumstantiam extrinsecam, & periculum formale proximum peccandi, ortum ab extrinseco, vel ab intrinseco, ut à propria fragilitate, vel ab habitu vitioso, quibus resistere cum Dei gratia homo potest; & idcò in potestate libera ipsius est facere, quòd occasio non sit proxima, nimirum, si periculo proximo resistit, ipsumque conetur evertere; cui, si non resistit, occasio, quamvis ei voluntaria non sit, quoad circumstantiam extrinsecam: quia v. g. non potest è domo ancillam eiicere, est tamen voluntaria, quoad periculum proximum peccandi.

Hinc regula generalis est, quòd quotiescumque homo advertit in aliqua occasione esse periculum formale peccandi mortaliter, & transgrediendi præceptum, tenetur fugere periculum uno è duobus modis; vel deserendo occasionem externam, cùm id est in sua potestate: vel, si non sit, dissolvendo periculum formale peccandi per actus à se cum Dei gratia elicitos, & media à Confessario imposita.

8. Sed quæritur, *quænam sunt remedia à Confessario præscribenda pœnitenti, existenti in occasione proxima involuntaria peccandi, quibus possit periculum formale peccandi extenuare, evertere, & superare?*

Resp. Regulariter assignatur: ut non reperiatur solus cum sola in loco ullo, in quo haberet occasionem proximam tactuum illicitorum: ut non ostendat ei reciprocantiam amoris: ut maximè detestetur peccatum: ut à Deo orationibus gratiam postulet pro victoria periculi: ut firmiter proponat periculum peccandi vitare, & occasionem deserere, cùm poterit, & cessabit impotentia moralis: ut frequentet Conciones, & sæpius confiteatur eidem Confessario. Optimum est, cum aliqua pœnitentia præservativa adversùs lapsum munire, ut optimè Quilici *Confess. manud. q. 9. art. 1. num. 4.* & Cardenas loco *cit.* & nos diximus *lib. cit. n. 8.*

Et ex his constat filiumfamilias, qui non potest ex domo expellere concubinam, debere extenuare periculum formale peccandi per media à Confessario injuncta. Quod, si hæc media non apponat, vel apponere nolit, ipse se exponit periculo formali peccandi, sicut se exponit, qui, cùm possit, non vult occasionem externam deserere; nec debet absolvi, nisi ea remedia acceptet, & diligentiam adhibeat per ipsorum executionem ad extenuandum periculum formale.

9. Sed quid, *Petrus acceptavit remedia à Confessario proposita, sed sine fructu, nam semper in eadem peccata relabitur, & nulla in eo sequitur emendatio, petitur, an absolvi debeat, dum ad Confessionem redit?*

Resp. Negativè: nisi actu occasionem tollat, vel emendatus accedat; ratio est, quia illa peccatorum frequentia sine ulla emendatione sufficienter demonstrat dolorem, & propositum non fuisse efficax, sed fictitium, & non reale. Rotarius *app. Theol. part. 1. cap. 10. sect. 2. n. 6.* Campion. *instr. ad Confess. part. 1. cap. 11. nu. 30.* Contra Ant. à Sp. San. *tract. 5. de pœnit. disp. 12. & 13.* ubi legendus cautè, quia nimis laxè loquitur.

10. Sed quid, *si pœnitens repetat: Pater, si me non absolvas, scandalum imminet,*

*nisi communicem : casus potest præsertim contingere in Moniali, quæ est in occasione proxima peccandi, vel cum devoto, aut cum amica religiosa ?*

Resp. Lugo apud Rotarium censet absolvendam esse, durante eodem periculo damni, infamiæ, & scandali. Sed hæc sententia in praxi satis periculosa reputatur, & apta ad fovenda peccata.

Alii dixerunt, posse pœnitentem in eo casu elicere actum contritionis perfectæ, & cum ea communicare, quasi non haberet copiam Confessoris. Campionus *par. 2. cap. 67. num. 58.* Et quamvis prudenter loquatur cum restrictione, si cognoscat coram Deo habere propositum efficax vitandi peccatum, vel relinquendo occasionem proximam extrinsecam, vel extenuando periculum proximum peccandi per executionem receptorum remediorum. Tamen istud etiam pœnitentibus significare periculosum existimo; nam occasionem præbet existentibus in occasionibus proximis peccandi, sæpè sacrilegè accedendi ad Sacram Communionem : sic discurrere possent : *scio me dolere de peccatis commissis, & propositum habere non peccandi, ac posse cum isto dolore, & proposito ad scandalum vitandum communicare* ( nam reputor, quasi sim destitutus copia Confessoris ) *ideò, si me non absolvas, adhuc communicabo.* Quis non videat periculum semel, & iterum communicandi sacrilegè, & quòd plures fingentes propositum habere, semper inconfessi communicent, & nunquam occasionem dimittant. Verùm huic copiæ Confessoris deesse non præsumitur : nam tunc deesse dicitur, cum vel nullus est præsens, vel est solùm Sacerdos non approbatus, vel, qui non vult absolvere : non verò, cum approbatus propter pœnitentis indispositionem absolvere nequit. Si sequatur scandalum, si non communicet, sibi imputet : excusationes familiares volentibus peccare.

Ideò, si nulla in eo emendatio appareat, absolvi non debet, sed differenda absolutio, quoadusque emendationem competentem afferat per executionem remediorum, habilium ad vincendum periculum proximum peccandi.

Curet ergo Confessarius Monialem instruere : nullum damnum æquiparari posse damno animæ, & nihil magis infame, quam esse turpe coram Deo : & se alia vice non esse concessurum, etiam in ea circumstantia scandali, absolutionem ( suppono, quod aliàs non sit confessa, & non promiserit occasionem tollere ) nisi se corrigat, ut hinc animetur, postp. sto quocumque humano respectu, ad rescindendam occasionem.

Quæ diximus practicanda esse cum constituto in occasione proxima peccandi, extendi debent ad consuetudinarium, qui absolvi non debet, nisi curet tollere habitum ; & cum obligato ad restitutionem, cui beneficium absolutionis impendendum non est, nisi restituat.

11. Sed quæritur, *an absolvi possit semel, aut bis is, qui retinet rem alienam, dum habet propositum restituendi ?*

Resp. Si potest restituere, & ex avaritia, vehementivè sibi pecuniæ non restituit, absolvi non potest ante actualem restitutionem, quia in tali casu illa retentio, cum illo inordinato appetitu pecuniarum, stat loco occasionis proximæ ; & quamvis ostendat propositum, est

est tamen in periculo formali illud infringendi. Quilici *qu. un. Miscell. num.* 8. Idem practicandum cum eo, qui semel, & iterum, promisit restituere, & semper neglexit exequi, quia & is reputatur non habere propositum efficax restituendi. Si verò potens restituere, ex quadam negligentia restituere omisit, potest semel, aut bis absolvi. Quilici *cit.* Quod intelligo, si res sit minima, & facilis restitutionis, ac pœnitens fide dignus: non verò, si res sit notabilis, & summa gravis, quia semper erit pœnitenti solutio difficilis, ac grave, se illa re, & commodo privare.

12. Sed quæritur, *an absolvendus sit moribundus, qui potest statim restituere, & illam faciendam vult hæredibus demandare?*

Resp. Negativè; nam differenda non est restitutio, sed statim ac possumus, tenemur, quia nec uno momento possumus voluntariè aliena retinere, invito domino. Quilici *quæst.* 1. *art.* 2. *num.* 15. Præceptum enim restituendi continet istud negativum, *ne retineas*, quod obligat pro semper per dicta *cap.* 22. *num.* 4.

13. Quæritur, *accedit Monialis existens in occasione proxima peccandi cum suo devoto per tactus inhonestos, quam Confessarius non vult absolvere, nisi occasionem dimittat, respondit eam deserere non posse? ne in ejus dimissione omittat aliquod notabile commodum, & lucrum temporale: petitur, an hæc sit causa sufficiens ad retinendam eam occasionem, & absolvi possit?*

Resp. Negativè: deciditur manifestè in Decreto Innoc. damnantis prop. 62. quæ dixit: *proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit.*

Hinc observa. I. Quod sola impotentia physica, vel moralis deserendi occasionem proximam extrinsecam, est sufficiens causa excusans ab ea repellenda, quia hæc facit eam involuntariam: & non sufficit sola causa utilis, ut ex damnatione patet.

II. Quòd impossibilitas physica est in iis, qui non sunt sui juris: peccat Frater cum propria Sorore, & cum ancilla Patris, dicitur habere impotentiam physicam ad deserendam occasionem proximam, quia in ejus potestate non est Sororem, vel ancillam è Domo depellere. Impossibilitas verò moralis habetur, cum occasio extrinseca dimitti non potest sine gravi, & reali scandalo, atque infamia.

III. Quòd nulla omninò causa est sufficiens ad excusandum, ut quis non teneatur avertere periculum proximum peccandi lethaliter, quia in potestate Hominis, Deo auxiliante, semper est adhibere media, per quæ extenuetur tale periculum, ergo quamvis filius familias v. g. non possit occasionem proximam extrinsecam depellere, tenetur ad ea media, quibus extenuet periculum proximum peccandi, juxta dicta supra: semper enim tenemur hujusmodi periculum fugere.

14. Sed quæritur, *Petrus occasionem proximam v. g. concubinam deserens, amissurus est mille aureos, petitur, an ista reputetur causa sufficiens ad illam non dimittendam?*

Resp. Post Joannem Sancium, Leandrum à Santissimo Sacramento, apud Cardenas *cit. cap.* 7. *art.* 2. *num.* 1. 6. &

Palaum affirmavit Antonius à Spiritu Sancto *sect.* 11. *n.* 159. Contra quos sanè clamat Decretum Innocentii; nam prætacta causa est utilis; & quemadmodùm non licet ad recuperandos mille aureos se exponere Leoni sævienti, & periculo mortis, ita nec propter eos recuperandos licèt se exponere periculo proximo peccandi, cùm major in nobis sit obligatio fugiendi periculum proximum peccandi mortaliter, quàm illud incurrendi mortem corporalem; ex quo pejus, & infeliciùs sit incidere in mortem spiritualem animæ, quàm in mortem temporalem corporis.

15. Quæritur, *an Confessarius possit permittere Pœnitenti, qui Concubinam dimisit, ut ejus Domum accedat ad visitandos filios, quos ex ea genuit?*

Resp. Negativè, propter periculum peccandi facto, verbo, vel delectatione, ex Clericato Felix *tom.* 1. *examen n.* 3664. Cui tamen in casu necessitatis, & cum viris probis accessum permittunt: sed, vide ne sis laxus.

16. Quæritur, *an possit absolvi pœnitens, qui ex rationabili causa domi retinet mulierem, cum qua solùm quater in anno peccat?*

Resp. Affirmant Navarrus, Graffius, & Bonac. *de Matrim. quæst.* 4. *punct.* 14. *num.* 12. & 17. Et probant, ex quo non dicatur esse in occasione proximâ peccandi; cùm occasio proxima illa sit, quæ semper, vel ferè semper ad peccatum inducit; modò habeat firmum propositum non peccandi in futurum, & fiduciam, auxilio Dei nixam, non relabendi, & causam justam ipsam retinendi.

17. Sed crediderim videndum esse, an aliàs super eo fuerit confessus; & dum affirmat, absolvendus non est, quia fructus propositi non apparet. Maximè, quia non potest Confessarius absolvere pœnitentem, dum prudenter timet de veritate, & efficacia propositi; sed in casu debet prudenter timere, quia, si verum, & firmum propositum haberet, mulierem illam depelleret, cum qua à pluribus annis experitur peccasse. Nec causa adducta eum excusat ad non dimittendum: obstat enim damnatio prop. 61. & urget periculum, quod occasio, quæ est remota, in proximam, propter circumstantiam simultaneæ cohabitationis transeat. Quod est à Confessario verisimiliter præsumendum, & proponendum pœnitenti illud vulgatum: *mulier pera, ignis in sinu, serpens in gremio, malè suos remunerant Hospites. Cap. Si Judæi de Judæ. & Saracen.*

18. Quæritur, *an possit absolvi pœnitens, qui exercet artem per se licitam, ut negotiationem, militiam, & similes, quæ est illi occasio peccati, furti nimirum, injustitiæ, odii, calumniæ, detractionis, fraudum, mendaciorum, perjuriorum, & similium?*

Resp. Affirmat Antonius à Spiritu Sancto *sect.* 10. *n.* 143. Sum. Leander. *tr. occasio num.* 18. ratio est, quia, quòd ei sit occasio proxima peccandi, est per accidens, non ratione artis, quæ ex se non inducit ad peccatum, cùm à pluribus exerceatur rectissimè, sed ratione talis personæ, & in peccatis habituata, juxta dicta supra à *n.* 4. Sed propter hoc ipsum absolvi non potest; nam dum Confessarius considerat, quod exercens artem, vel Officium, propter habitum pravum,

pravum, non sit peccatum derelicturus, sed in idem relapsurus, si in Officio perseveret, & exercitium non deserat, nequit prudenter judicare eum habere firmum propositum non peccandi in futurum (quod ad validam, & licitam absolutionem est necessarium) ergo nec debet absolvere, antequam exercitium deserat, vel debet absolutionem differre, quoad usque ipsum experiatur notabiliter, aut competenter emendatum.

Ex his manifestum est, quomodo Confessarius se gerere debeat, etiam cum Medico, & Chirurgo, quibus propria ars est occasio peccati, quatenus in medendis partibus occultis fœminarum experiuntur voluntarias pollutiones; & cum Sacerdote, qui in audiendis Confessionibus mulierem frequenter experitur delectationes morosas, & voluntarias mollities; quibus omnibus est differenda absolutio, & experiendi in proposito. Et quasdo dilatio non proficiat: absolvendi non sunt, nisi realiter, & cum effectu propria ministeria deserant. Quod extenditur, etiam ad famulos mulierum pulchrarum, experientes propter familiaritatem cum eis frequenter consentire in delectationes morosas, impura desideria, & voluntarias impuritates.

19. Quæritur, *an absolvi possit, qui conduxit, & tenet domum ad ludum?*

Resp. Vel Domus est talis conditionis, ut in ea ludis prohibitis non ludatur, & ad ludendum recipiantur sulùm viri honesti, prudentes, habiles ad ludendum, & qui ludunt causa recreationis, ad vitandum otium, & sine periculo, ut prorumpant in blasphemias, juramenta, & rixas, & quin fraudes, & furta in ludendo committant; vel talis, ut in ea indifferenter admittantur omnes, tam illi, quàm viri perditi, vagabundi, pauperes, infimæ plebis, & qui ludere solent, cum irreverentia Dei, blasphemando, pejerando, omittendo Missam, solutionem debitorum, sustentationem familiæ, exponendo se, Uxorem, & Filios periculo peccandi mortaliter: si hujus generis sit, certè absolvendus non est, nisi domum dimittat, vel ipsam cesset aperire, cùm sit in malo statu, concurrendo ad peccata ludentium, quorum ipse causa moralis reputatur.

Idem dicitur de subministrante chartas, Mensam, &c. ludis prohibitis, & de ludentibus, qui vel ludis prohibitis ludunt, vel nonnisi cum periculo enunciatorum malorum, qui absolvendi non sunt, nisi cessent: sed opus est experimento per aliquod dies. Tambur. *in Decalog. lib. 8. tract. 2. cap. 9. n. 31.* De la Cruz *7. præcept.*

20 Quæritur, *quare illicitum sit quærere directè occasionem proximam peccandi?*

Resp. Quia id ab Innoc. cum *prop. 63.* proscribitur. Ratio autem esse potest, quia quærere directè occasionem proximam peccandi, est velle directè peccandi periculum: velle autem periculum proximum peccandi, est velle peccatum, quia in *moralibus idem est, se exponere periculo proximo peccandi, ac peccare.* Peccatum autem nullus potest velle; nam eligibile non est propter ullum bonum temporale, proprium, sive spirituale alterius; nam rectus rerum ordo exposcit, & recta ratio dictat, ac ordo charitatis exigit, ut bonum spiri-

tuale animæ propriæ præferatur cuicumque bono temporali proprio, & etiam spirituali alterius.

21. Sed quæritur, *an exponens se voluntariè occasioni proximæ peccandi id aperire debeat in Confessione, quando in ea constitutus, nec cogitatione, nec opere, aut verbo peccat?*

Resp. Affirmativè, quia exponere se voluntariè occasioni proximæ peccandi, peccatum est, & intrinsecè malum; nam est velle peccatum; cum necesse sit, quod velit effectum, qui vult causam, ad quam ille sequitur, quamvis hìc, & tunc per accidens non sequatur: & propterea peccat peccato ejusdem speciei cum peccato, cujus occasioni se exponit, quod est in Confessione explicandum. Qui se exponit occasioni proximæ perdendi fidem, peccat contra fidem; & contra castitatem, qui exponit se occasioni proximæ violandi castitatem, sive per actum externum pollutionis, fornicationis, &c. sive per internum delectationis morosæ, & desiderii impuri, quamvis in ea constitutus, nil desideraverit, sibi non complacuerit, & nihegerit.

Quod est à Confessariis ponderandum, ut interrogent, maximè rudes, qui in rebus venereis solent solum se accusare de actu consummato peccati, interno, vel externo; quinimmò plures, nec de interno se accusant, putantes consensum non præbere, nisi, dum in externum prorumpunt. Vide *cit. cap. 20. lib. 1.*

## CAPUT XXXIX.

### *Prop. LXIV. & LXV. ab Innoc. XI. &c. Mysteria Fide Divina credenda.*

1. PRop. 64. *Absolutionis capax est Homo quantumvis laboret ignorantia Mysteriorum Fidei, & etiam si per negligentiam, etiam culpabilem, nesciat Mysterium Trinitatis, & Incarnationis Domini Nostri Jesu Christi.*

Prop. 65. *Sufficit illa Mysteria semel credidisse.*

De hac materia egimus, etiam *cap. 14.* quibus hìc alia plura ad uberiorem Confessarii instructionem addimus. Sed

2. Notetur, quod duplex est ignorantia: una *invincibilis*, quæ etiam inculpata dicitur; & *vincibilis* alia, quæ culpabilis nominatur. Prima, est negatio cognitionis, quæ moraliter vinci, & expelli non potest. Hæc contingit, cum nulla præcessit cognitio, aut dubietas de obligatione, vel existentia legis, & præcepti, qua possit quis excitari, & moveri ad inquirendam legis, & obligationis notitiam; vel, si dubium oritur, adhibet moralem diligentiam, & facit, quod potest, ut notitiam acquirat, sed non adipiscitur. Exempli gratia: lego Librum Hæretici, sed ipsum esse Hæretici non cognovi, nec audivi; & dum dubito, interrogo virum doctum & fide dignum, ut sciam, & accipio non esse, cum sit.

Secunda, est negatio cognitionis, quæ vinci, & expelli moraliter potest. Hæc habetur, cum dubitans de obligatione legis

ad inquirendum de veritate moralem diligentiam, quam hìc, & nunc potest, & debet, non adhibet: quæ propterea dicitur etiam voluntaria, & libera.

3. Hæc item est duplex, *crassa, seu supina, & affectata: crassa* in eo est, qui negligens est ad eam repellendam: v. g. dubito, an liber sit Hæretici, & non interrogo peritos, quia mihi laboriosum videtur. Hæc dicitur voluntaria indirectè, in negligentia inquirendi. *Affectata* est, cum quis data opera, & ex proposito non vult veritatem indagare, ut liberius operetur, & peccet: dubito librum esse Hæretici, ex proposito non interrogo doctos, ne de veritate instruar, ut liberius illum legam. Hæc est directè voluntaria, quia directè est in se volita; nam, ut liberius legam, volo ignorantiam.

4. Item, ignorantia alia est *antecedens*, alia *concomitans*, & alia *consequens*. *Antecedens* est negatio cognitionis, ob quam fit actio, quæ, si adesset cognitio, non fieret. Hanc habeo, dum lego Librum, quem non legerem, si scirem esse Hæretici; vel, non legerem, si scirem pœnam excommunicationis impositam esse legenti Hæreticorum Libros. Et propterea hæc ignorantia dicitur causa actus.

5. *Concomitans*, est negatio cognitionis, quæ licèt non adesset, sed cognitio haberetur, adhuc fieret actio. Habetur, dum lego Librum, ignorans esse prohibitum, quem adhuc legerem, quamvis id scirem.

6. Consequens, est illa, quam quis intendit, & vult, quam posset non habere, si vellet: coincidit cum crassa, & affectata.

Authores primæ propositionis censent esse capacem absolutionis eum, in quo est ignorantia Mysteriorum fidei, sive invincibilis, sive vincibilis, prout prima ipsius pars significat: *quantumvis Homo laboret ignorantia Mysteriorum fidei.* Ubi videtur abstrahere ab ignorantia invincibili, & vincibili. Sed in secunda parte per clausulam, *& etiam si per negligentiam, &c.* specificatur magis ignorantia vincibilis, & culpabilis, horum duorum Mysteriorum, Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis. Sed quoad utramque ab Innoc. reprobatur.

Capite *cit. num.* 3. diximus, quid sit credere explicitè, & implicitè: *num.* 4. quid sit aliquod esse necessarium necessitate medii, & necessitate præcepti; & *num.* 5. videas, necessitate medii esse explicitè credenda hæc mysteria. I. *Deum existere.* II. *Esse remuneratorem supernaturalem*, conferentem præmia cælestis gloriæ decedentibus in gratia, & supplicia æternæ pœnæ morientibus in mortali. III. *Mysterium Trinitatis*, quod consistit in unitate Naturæ Divinæ, & Trinitate personarum. Quarum prima est Pater, secunda Filius, tertia Spiritus Sanctus: & omnes tres sunt unus Deus. IV. *Mysterium Incarnationis*, hoc est, solum Filium Dei esse Incarnatum in utero B. M. Virginis. V. *Mysterium Redemptionis*, hoc est, Christum natum ex Maria Virgine, passum, & mortuum esse pro nobis, ac resurrexisse, sed videatur *loc. cit.*

8. Sed quæritur, *an ad justificationem necesse sit necessitate medii explicitè cre-*

credere Christum esse verum Deum, & hominem?

Resp. Affirmativè, juxta dicta alleg. cap. num. 5. & Poncium disput. 29. qu. 2. num. 15. asserentem commune esse, fidem explicitam Christi sub eo conceptu, post ipsum natum, & promulgatum Evangelium, esse necessariam necessitate medii ad justificationem. De quo certè Apostoli instruebant homines, dum prædicabant Christum: ut nimirum crederent ipsum esse verum Deum, & hominem, & quòd genus humanum sua passione, & morte redemerit, ac posteà resurrexerit, &c.

9. Quæritur, *quid agendum Confessario, qui vocatus ad excipiendam confessionem hominis rustici moribundi, præsumit eum esse ignarum horum Mysteriorum, & quia summè gravatus infirmitate, non potest se certificare, an notitia talium mysteriorum habeat, & infirmus non potest habere attentionem sufficientem, ut instruatur?*

Resp. Quia in casu non est certus illum esse indispositum, sed solùm dubitat, an ea mysteria ignoret, debet ipsum absolvere sub conditione, *si es capax*; ratio est, quia in dubio tutior pars pro salute æterna moribundi eligenda est; maximè, quia ex adjecta conditione vitatur irreverentia Sacramenti, quod institutum est ad salutem hominis viatoris. Cardenas *dissert. 41. cap. 3. num. 15.*

10. Sed quid, *si certus esset rusticum moribundum, qui contritionis signa edidit, & Confessionem postulavit, ignorare mysteria Trinitatis, vel Incarnationis, quem propter angustias morbi non potest instruere?*

Resp. Cardenas ibid. *num. 18.* dixit debere absolvere, saltem sub conditione; & ex eo movetur, quia non est certum illum esse indispositum; cùm sit probabile apud Suarez, & alios, quos allegat *cap. 1. num. 6.* fidem explicitam eorum mysteriorum, quæ per se, & in re, necessaria est necessitate medii ad justificationem, per accidens, in casu nimirum ignorantiæ invincibilis, posse sufficere in voto: ergo est dubium: ergo absolvendus est: quia in incertitudine tutior pars est eligenda, favens moribundo.

Resolutionem tamen non approbamus, & credimus comprehendi sub damnatione Innocentii; quia Innocentius damnat propositionem asserentem esse absolutionis capacem, qui ignorat mysteria fidei, sed id asserit data responsio, ergo, &c.

11. Quare dicimus, nullum adultum posse justificari, & salvari sine actuali fide explicita existentiæ Dei: & Dei remuneratoris: ac Mysterii Trinitatis, & Incarnationis, credendo solùm Filium Dei incarnatum fuisse: & Redemptionis, credendo Christum esse verum Deum, & hominem, ipsius Passionem, Mortem, & Resurrectionem juxta dicta *loc. cit.* Quibus, ad necessitatem credendi explicitè in Christum magis firmandam, addo testimonium Actor. 16. *Quid me oportet facere, ut salvus fiam: & illi dixerunt, crede in Dominum Jesum, & salvus eris*; ad Galat. 2. *scientes, quod non justificatur homo, nisi per fidem Jesu Christi, & nos in Christo Jesu credimus, ut justificemur ex fide Christi.*

Hinc

Hinc est certum, quòd ignorans, etiam invincibiliter, mysteria, vel omnia, vel unum ex necessariis necessitate medii ad justificationem, est incapax absolutionis; atque adeò mortaliter peccat pœnitens, sic ignarus petens absolutionem, dum suam ignorantiam advertit (licèt, cum id cognoscit, non sit invincibiliter ignarus) & Confessarius scienter eum absolvens.

12. Propterea Parochi, & Confessarii toti sint in instruendis rudibus pœnitentibus, quòd sine actuali fide explicita præfatorum mysteriorum salvari, nec justificari possunt; & quod præterea necessitate præcepti tenentur, saltem quoad substantiam, credere, & scire ea, de quibus diximus *cap. cit. num.* 11.

13. Doceant pariter eos teneri scire Orationem Dominicam, & quinque præcepta Ecclesiæ. Super quo observabis decretum editum in Prætorio SS. Inquisitionis de anno 1636. Quæ interrogata; *utrum Missionarii, novis Christianis Sinensibus, quamprimùm baptizantur, debeant intimare jus positivum, tamquam obligatorium, sub mortali, quantum ad jejunia, festa servare, & confiteri semel in anno, ac communicare?* Respondit; *jus positivum Ecclesiasticum, quoad jejunia, observationem festorum, Sacramentalem Confessionem, & Communionem semel in anno, esse à Missionariis notificandum Sinensibus Christianis, ut obligatorium sub peccato mortali: posse tamen simul explicare causas, propter quas excusantur.*

14. Quantum *ad prop.* 65. possunt *Matthæuccci Cautela Confess.* videri dicta *lib.* 1. *cap.* 1. & hic *cap.* 11. *num.* 3. & ea Confessarius cum pœnitentibus ad praxim deducat, totusque sit in eis monendis ad eliciendum actum explicitum circa hæc mysteria Incarnationis, & Trinitatis, ac alia necessaria necessitate medii: si non frequentius, ad minus semel in mense: vel, ut minimum, sexies in anno. Nam, cum sint omnia suo ordine credenda, & ista sint principalia nostræ fidei mysteria, sine quorum explicita fide actuali non possunt adulti fideles justificari, & salvari, necesse est, ut explicitè credantur, quando & pro tempore, pro quo per se obligat præceptum fidei, ad actum fidei eliciendum.

Et pro iisdem temporibus, pro quibus tenentur præfata mysteria credere, tenentur per se, etiam ex præcepto Ecclesiæ, credere, & recitare Symbolum Apostolorum, in quo nostræ fidei mysteria continentur. Campion. *p.* 2. *cap.* 1. *num.* 19.

15. Quoniam verò ad eliciendum actum fidei non sufficit credere mysteria à Deo revelata, juxta notata supra *cap.* 15. per totum, sed necesse est, ut ea credantur ex motivo formali fidei divinæ, sub ista nimirum ratione, & causali, *quia Deus summè verax revelavit, Ecclesia Catholica.* Ideò curabit Confessor rudem pœnitentem monere de modo eliciendi actum fidei ex illo motivo, vel cum illa causali: tradendo formulam: *firmissimè credo, Deum esse Trinum, & unum, quia Deus summè verax revelavit, Ecclesia Catholica, & hæc nobis id proponit credendum.*

16. Attendant itaque Confessarii onus, quod in excipiendis confessionibus assumunt. Intelligantque unumquemque teneri ea scire, quæ ad proprium Officium exequendum sunt necessaria; adeòut peccent gravissimè propter omissionem, vel negligentiam addiscendi. Et maximè, dum ex non recta muneris administratione notabile damnum imminet iis apud quos tale officium exercent.

Proprio itaque satisfaciant debito. Et in difficillimis, dum, vel ignorant, vel dubitant, consulant Doctos, & ne in reddendis responsis errent, utantur cautela, qua ipse Bartholus est usus. *Qui consultus in manè, respondebat in vesperi: & consultus in vesperi, respondebat in manè.*

17. Pœnitentes quoque de rebus fidei erudiant, & de spectantibus ad Christianam Doctrinam interrogent; ut pœnitentes Confessiones cum fructu frequentent, & ipsi cum merito audiant. Quibus proindè propono statuta in Conc. V. *Mediolanen. part. 1. Actor. Eccles. Mediolanen. tit. quo ad prædicat. verbi Dei:* ubi hæc sunt. *Ad salutem, cum omnibus fidelibus necessarium sit christianæ fidei rudimenta scire, omnibus, singulisque animarum Curatoribus, & cæteris Confessariis, sive Sæcularibus, sive Regularibus in virtute sanctæ obedientiæ id præcipimus, ut faciant, antequam confessiones audiant, Orationem Dominicam, Angelicam salutationem, Symbolum fidei, & decem præcepta Dei, quæ in Decalogo continentur, ut pœnitentes recitent, ac ipsis audientibus referant.*

*Quarum rerum, si quos ignaros, tudesque offenderint; hanc eorum spiritualem socordiam acriter reprehendant, ostendantque, quàm gravis esse debeat illorum conscientiæ ignoratio rerum ad salutem, quæ tantoperè necessariæ sunt.*

*Cùm autem eos absolvant præter alias pœnitentias, id etiam imponant, ut quatuor hæc saltem potissima doctrinæ christianæ capita in posterum accuratè discant, certò illis pro arbitratu suo præfinito congruo tempore.*

*Quòd tamen, ob necessariam aliquam causam, semel, aut ad summum iterùm, prorogari liceat. Eo tamen temporis spatio confecto, si eadem adhuc illos ignaros viderint, tunc ne illorum confessiones audiant.* Alia videas *supra capit. decimo quarto.* Et de secundo libro sint satis dicta.

LIBER

# LIBER TERTIUS
## CONTINENS PROPOSITIONES AB ALEXANDRO VIII. PROSCRIPTAS.

Relatis ab Alex. VII. & Innoc. XI. circumscriptis propositionibus, alias duas ab Alex. VIII. *sub die 24. Augusti de Anno* 1690. aboletas, doctrinam morum tangentes, subnectimus; quarum notitiam pro praxi, Confessario necessariam, hic reddimus.

### CAPUT I.

*Prop. I. ab Alex. VIII. &c.*
*Amor Dei.*

1. PROP. 1. *Bonitas objectiva consistit in convenientia cum natura rationali; formalis verò in conformitate actus cum regula morum. Ad hoc sufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretativè.* HUNC HOMO *non tenetur amare neque in principio, neque in decursu vitæ suæ moralis.*

Videtur esse commune inter DD. bonitatem objectivam actus moralis consistere in convenientia objecti cum natura rationali; & formalem, in conformitate actus cum regula morum: adeòut actus ille sit moraliter bonus ex objecto, qui tendit in objectum, qua honestum est, & rectæ rationi conforme, ut est: *parentibus obedire, non occidere, non mentiri, temperatè vivere, &c.* Verùm, quia objectum non transfundit in actum bonitatem, vel malitiam, nisi cognoscatur, & bonitas voluntati proponatur, ideò.

3. Nota. I. duplicem regulam morum statui, aliam proximam, remotam alteram: Remota est ipsa lex, sive naturalis, sive positiva divina, vel humana, Ecclesiastica, seu civilis. Proxima verò

est conscientia, seu judicium intellectus dictans hic, & nunc hoc esse bonum, vel malum; cui, si voluntas se conformat, actus est moraliter bonus, & si deflectat, est malus.

4. Nota II. Quòd, ut actus sit moraliter bonus non debet objectum, aliàs in se bonum, affici circumstantia mala, propter quod subventio pauperis ex re aliena, non est bona, sed mala.

5. Nota. III. Posse contingere objectum esse in se malum, & actum esse bonum: ut, si quis ignorantia invincibili putaret licitum esse die festo sacrum omittere, omittendo, non peccaret: licèt omissio in se esset mala; quemadmodum, si quis, inculpata ignorantia, credat peccatum esse audire Sacrum die Festo, audiendo peccat, licèt objectum in se sit bonum. Ratio est, quia actus non specificatur ab objecto, ut est in se, sed, ut à dictamine conscientiæ voluntati proponitur. Et hinc semper debet esse conformis suæ regulæ proximæ. Vide *lib. 1. cap. 20.*

6. Nota IV. De necessitate ad actum, ut sit bonus moraliter, dignus nimirum laude, vel præmio, requiri, ut sit conformis regulæ proximæ, & ab ea regulatus.

Propositio quoad istam partem. *Hunc homo non tenetur amare, neque in principio, neque in decursu vitæ suæ mortalis,* est hæretica, utpotè contra expressa testimonia Scripturæ, quæ obligationem amandi Deum ostendunt.

Quamvis *lib. 2. cap. 5.* plura dixerimus, quæ Dei dilectionem tangunt; & *lib. 1. cap 1.* tempus notaverimus implendæ obligationis per se amandi Deum, nihilominus alia quædam, quæ ad idem spectant, hic non inutiliter putamus esse tangenda.

7. Quæritur, *pœnitens, lecto decreto Alex. intelligit propositionem, quoad eam partem.* Hunc, &c. *ut hæreticam, esse damnatam, petit proindè instrui, in quanam Scripturæ textu obligatio diligendi Deum contineatur?*

Resp. Si loquamur de obligatione diligendi Deum amore charitatis. Matth. 22. *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, in tota anima tua, & in tota mente tua: hoc est maximum, & primum mandatum.* Joan. 15. Christus Dominus dixit: *manete in dilectione mea.* Ecclesiast. 7. *in omni virtute tua dilige eum, qui te fecit.* Deuter. 11. *ama itaque Dominum Deum tuum & observa præcepta ejus.* Si verò sermo sit de obligatione diligendi ipsum amore Spei: Ecclesiast 2. *crede Deo, & recuperabit te, & dirige viam tuam, & spera in illum, qui timetis Dominum, sperate in illum;* vide Lauræam t. 4. *de spe, & charit. disput. 4. art. 4. num.* 184. Est communis sensus Ecclesiæ, & de fide, dari præceptum credendi, sperandi, & diligendi Deum super omnia.

8. Sed quæritur, *quomodo differant amor charitatis & spei.*

Resp. Quamvis ambo Deum respiciant, quia uterque est amor Dei; tamen differunt ex hoc, quod ille Charitatis Deum respicit, quia in se bonum, seu quia est summum bonum, propter seipsum diligendum: & ideò dicitur amicitiæ; ille verò Spei, in Deum tendit quia Omnipotens, & Misericors est, à quo beatitudinem expectamus juxta dicta *lib. 1. cap. 16.*

Beatis-

Beatitudinem per spem concupiscimus nobis, non ut fini, sed ut subjecto, ipsa perficiendo: & hinc amor Spei dicitur concupiscentiæ. Duas rationes cognoscit fides supernaturalis in Deo, easque voluntati proponit; unam, quòd Deus sit in se infinitè bonus, propter se diligendus; & aliam, quod sit bonus nobis, per æternam beatitudinem, visionis, & fruitionis: utraque debet relucere in intellectu amantis: sed prima movet ad actum Charitatis, secunda, ad actum Spei.

9. Nec Deus potest amore Charitatis supernaturalis amari, quin prius per fidem supernaturalem cognoscatur, quod sit in se infinitè bonus, propter se amandus: nec amore Spei, quin fides ipsa voluntati ostendat, ipsum esse bonum nobis per beatitudinem æternam; quia fides est supernaturalitatis initium, fundamentum humanæ salutis, ac omnis justificationis radix, ut loquitur Trid. *sess. 6. cap. 8. de justificat.* Et nos diximus *lib. 2. cap. 34. num. 10.* Lege Const. Innoc. XII. *Cum alias* editam contra errores Archiepiscopi Cameracensis; cujus notitia satis est utilis, pro praxi à Directoribus tenenda cum profitentibus vitam spiritualem.

10. An autem Deus sit amandus super omnia intensivè, vel appretiativè? recutras ad *cap. 5. cit. nu. 5.* Et addas, Deum esse omnibus rebus anteponendum, non sola mentis æstimatione, sed etiam voluntatis affectu, vincendo cujuslibet rei creatæ amorem, qui illum Dei impediret, juxta illud *diliges Dominum Deum tuum, &c.*

## CAPUT II.

### *Prop. 11. ab Alex. VIII. &c. Peccatum philosophicum.*

1. PROP. 2. *Peccatum philosophicum, seu morale, est actus humanus disconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi. Theologicum verò, & mortale, est transgressio libera divinæ legis; philosophicum, quantumvis grave in illo, qui Deum, vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale, dissolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum.*

Libro 1. *cap. 17. num. 2. & 3.* definitionem, & divisionem peccati dedimus, & alia plura fuerunt pro praxi Confessarii proposita, quem propterea ea legere non pigeat.

2. Authores propositionis, quicumque sint, videntur loqui de peccato philosophico, & Theologico, ac, si essent duo peccata practicè divisa, sic, ut illud ipsum peccatum, quod est philosophicum, non sit etiam Theologicum; & quod Deum non offendat, qui de ipso actu non cogitat, vel ipsum ignorat (quod ipsi supponunt contingere posse) quamvis grave peccatum philosophicum committat. Contra quos plura dabimus adnotata, & resoluta.

Interim observa, quod lex æterna Dei, quam *loc. cit. c. 21. nu. 2. & 3.* descripsimus, nobis innotescit, & intimatur independenter à divina revelatione, & extrinseca libera promulgatione, sed per lumen naturale, &, dum usum

rationis accipimus, nobis notificatur; cùm statim cognoscamus, quæ habent convenientiam, aut disconvenientiam cum ratione, & natura rationali; ad quæ ex natura rei obligamur independenter à lege positiva. A quo tempore lex naturalis nos incipit obligare, quia tunc eam legem discernimus, adeòque inter bonum, & malum. Et inde fit, quod si non supervenisset lex positiva externa Dei per revelationem, & locutionem liberam, in tempore factam Moysi in revelatione Decalogi, prohibentis homicidium, furtum, &c. & præcipientis Dei cultum, &c. adhuc obligati essemus ad non occidendum, non furandum, &c. & Deum colendum, diligendum, &c. Quia hujusmodi locutio, & revelatio in tempore, aliud non operatur, quàm facere externam legem illam æternam.

3. Quòd ea lex sit naturaliter nobis per lumen rationis promulgata, independenter ab omni promulgatione libera externa, patet. Tum ratione: ex quo nimirum lex naturalis sic dicatur, quia vim obligandi habet independenter à lege omni externa positiva: tum authoritate Scripturæ: maximè ex illis Psalmi 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine:* & ex aliis Pauli ad Rom. 2. Ubi: *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt: ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.* Et August. *lib. 2. Confess. cap. 4. Furtum certè*, inquit, *punit lex tua, Domine, & lex scripta in cordibus hominum, quam, ne ipsa quidem delet iniquitas.*

4. Pondera etiam, non posse in praxi dari ignorantiam invincibilem Dei; nam Dei existentia est naturaliter ex effectibus cognoscibilis, juxta illud Apostoli ad Rom. 1. *Invisibilia enim ipsius à creatura mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus, & divinitas; ita ut sint inexcusabiles.* Est res apud DD. certa. D. August. in Psalm. 74. ait: *Deus ubique secretus est, ubique publicus, quem nulli licet, ut est, cognoscere, & quem nemo permittitur ignorare.* Et D. Greg. exponens illud Job. *omnes homines vident Deum, lib. 2. moral. cap. 3.* addit: *omnis homo, ex hoc ipso, quod rationalis est conditus, debet ex ratione colligere eum, qui se condidit.* Ignorantibus Deum maledictionem regius psaltes *psal. 38.* imprecatur illis verbis: *effunde iram tuam in Gentes, quæ te non noverunt, & in regna, quæ nomen tuum non invocaverunt.* Quod sanè non faceret, si illa ignorantia foret inculpabilis.

5. Quòd confirmatur, ex quo Deus omnibus Hominibus det media conducentia ad sui cognitionem, teste Joan. *cap. 1. Illuminat omnem Hominem venientem in hunc mundum.* Et 1. ad Timoth. 2. dicitur; *Deus vult omnes Homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire:* ergo nullus potest Dei ignorantiam habere.

6. Tandem animadvertas, quædam esse mala non ab intrinseco, sed mala, quia prohibita, ut est esus carnium die veneris, omissio auditionis Missæ die festo, &c. Et alia ab intrinseco mala, seù prohibita, quia mala, ut sunt men-

dacium,

dacium, blasphemia, odium Dei, &c. Quæ sunt mala, quia prohibita, poterant à Legislatore non prohiberi; & sic poterat fieri, ut mala non essent: ita esus carnium die veneris, malus non fuisset, si Ecclesia sua lege eum non interdixisset. Quæ verò sunt prohibita, quia mala, non poterant non prohiberi. Unde lex naturalis immutabilis dicitur, & quod non potuit non præcipere amorem Dei, non prohibere mendacium, odium, &c.

7. Quæritur, *pœnitens Confessarium sic alloquitur*; Pater, audivi ab Alex. VIII. esse damnatam propositionem agentem de peccato philosophico, & Theologico, vellem scire, quomodo hæc peccata distinguantur, & quare sic nominentur?

Resp. Dicas distinguì secundùm diversas considerationes. Exemplum ponas in homicidio Hominis. Quod consideratum, prout est disconveniens dictamini rationis proponentis voluntati, hoc generale principium legis naturalis: *quod tibi non vis, alteri ne feceris: damnum proximo contra virtutem justitiæ non est inferendum* (ad quod, præcisa etiam lege positiva externa, tenemur) dicitur peccatum philosophicum: quia ad Philosophum spectat Legem, & virtutes morales considerare. Inspectum verò, prout est contra legem æternam, &, ut offensa Dei, dicitur Theologicum, juxta definitionem ab August. datam: *peccatum, est dictum, factum, vel concupitum contra legem æternam*: considerare enim Deum, & legem æternam ipsius ad Theologum spectat.

8. Sed quæritur, *an idem peccatum, quod est philosophicum, sit etiam Theologicum?*

Resp. Affirmativè, nam à parte rei non datur peccatum philosophicum, quod non sit etiam Theologicum; cùm non detur peccatum philosophicum, quod non sit contra rationem, & legem naturalem; sed peccatum, quod est contra rationem, & legem naturalem, est etiam Theologicum; quia omne, quod est contra rationem, & legem naturalem, est contra Deum, & legem æternam ipsius: cùm lex naturalis non sit, nisi lex æterna Dei, scripta in cordibus nostris, & omnibus naturaliter insita: vel, ut aliis placet, impressio quædam, & participatio legis æternæ; qua ratione Deus dicitur, etiam Author legis naturalis, prout loquitur Du-hamel. Ergo, qui operatur contra rationem, & legem naturalem, operatur, saltem virtualiter, & implicitè contra legem æternam, consequenter contra Deum; atque ideò peccat peccato Theologico.

9. Sed quæritur, *an peccatum philosophicum sit offensa Dei?*

Resp. Affirmativè; ex Decreto Alex. Est enim, prout DD communiter, ut notat Lamazares qq. *Theol. qu.* 16. *nu.* 16. Contenson. *Theol. ment. & cord. tom.* 1. *lib.* 6. *dissert.* 2. *cap.* 1. *speculat.* 3. §. *Hinc fit*, peccato essentiale, esse injuriam, & offensam Dei primi, & Supremi Legislatoris. Omnis quippe peccator scienter, & voluntariè violans legem, qua obligatur, offendit, & injuriat Legislatorem; ergo, qui scienter violat legem naturalem, quæ est participatio legis æternæ, implicitè, & virtualiter violat legem

legem æternâm, atque adeò Legislatorem offendit.

10. Quòd violans legem naturalem Deum offendat, ostendit Paulus ad Rom. 2. *quicumque enim sine lege peccaverunt, sine lege peribunt*; hoc est, Gentiles, quibus lex scripta data non fuit, perierunt, quia violarunt legem naturalem, ostendentem eis bonum, & malum juxta commentum Lirani ibid. Et confirmat ad Ephes. 5. *propter hæc* (scilicèt fornicationem, immunditiam, & avaritiam, quæ lege naturali prohibentur, & naturali lumine mala esse noscuntur) *venit ira Dei in Filios diffidentiæ*: in eos, scilicet, qui in diluvio perierunt, ut ibid. *cit.* Liranus. Ergo transgressio legis naturalis est peccatum, & Dei offensa. Propter quam ipse ante legem scriptam, aquis diluvii universam carnem delevit, & igne Sodomiticas Urbes incendit.

11. Propterea ad Rom. ibid. Apostolus subdit. *Gentes, quæ legem non habent* (id est Mosaicam) *naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt* (ex naturali scilicet dictamine rationis) *ejusmodi legem non habentes* (videlicet Mosaicam;) *sibi ipsi sunt lex*: hoc est, lumine naturali cognoscunt, quid facere debeant, quidve omittere teneantur; pro ut dixit August. *in psalm. 57. quandoquidem manu Formatoris nostri, in ipsis cordibus nostris veritas scripsit*: quod tibi fieri non vis, ne facias alteri: *hoc antequam lex daretur, nemo ignorare permissus est, ut esset, & unde judicaretur, quibus lex non esset data.*

12. Sed dubitatur, *apud omnes commune est de ratione offensæ esse, ut cognoscatur persona, quæ offenditur, sed, qui Deum, vel ignorat, vel de eo actu non cogitat, tametsi furtum, vel fornicationem committat, Deum non cognoscit: vel, si cognoscit, ignorat fornicationem v. g. esse offensam Dei, ergo Deum non offendit?*

Resp. Utique, ut quis offendatur, requiritur, ut cognoscatur, sed necesse non est, ut de ipso habeatur semper cognitio expressa, formalis, & distincta sub propria particulari ratione, sed sit est, ut implicitè virtualiter, & in confuso cognitus sit. Exemplum est in filii expositis, incertis patentibus natis, qui peccato impietatis peccant, dum parentibus suis maledicunt; quia, quamvis non distinctè, eos tamen in confuso cognoscunt, quatenus intelligunt se naturam ab aliis accepisse, quicumque illi sint. Et in eo, qui in corde suo proponens occidere quemvis Hominem, hîc obvium, non excusatur à sacrilegio, vel parricidio, dum Clericum, vel Patrem occidit, quamvis in actu occisionis non distinguat, an sit Clericus, vel Pater. Itaquoque, cùm Homo, quantumvis Gentilis, de Deo actu non cogitans, propter naturalem distractionem, & inadvertentiam, dum peccat contra legem naturalem, & dictamen rationis, fornicando, mentiendo, &c. peccat contra Deum, virtualiter, & implicitè cognitum sub ratione Superioris, & Legislatoris. Nam, cùm evidenter cognoscat, se non habere esse à se, sed ab alio accepisse, necesse est, ut item percipiat, quod dictamen suæ rationis non sit prima regula, & prima lex, nec ipse Auctor legis naturalis; sed cognoscendo hoc, debet necel-

necessariò, saltem implicitè, cognoscere, quod sit alteri subordinata, & alius sit legis naturalis Author; ac proindè Deum implicitè cognoscit, saltem sub ratione Superioris, & Legislatoris. Quod satis est, ut peccatum in se, & ut ab isto committitur, sit voluntarium, & offensa Dei.

13. Advertat Confessarius, ad peccatum Theologicum non requiri, quod fiat ex intentione expressa repugnandi Deo, seù ipsimet legi, quia id peccato: *verbi gratia* fornicationis, adderet distinctam malitiam, contemptus formalis, juxta dicta *lib.2.cap.31.num.17.* Sed sufficere, ut actu cognoscatur esse contrarium Deo, seù contra legem. Et hinc fit, ut peccatum philosophicum, seù actus ab intrinseco malus, si sit voluntarius, productus, nimirum cum advertentia, quod sit contra rationem, & legi repugnans, est volitus, & elicitus, ut est offensa Dei; cùm sit contra legem æternam: & ex eo, contra Legislatorem, qui est Deus.

14. Et propterea in propositione est manifesta contradictio: *peccatum philosophicum, quantumvis grave in illo, qui Deum, vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale, dissolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum*; Nam repugnat esse grave peccatum, & non esse offensam Dei; etenim, si est grave peccatum, est contra legem naturalem, ergo contra Auctorem, & Legislatorem istius legis; sed Deus est Author, & Legislator legis naturalis, quatenus hæc est participatio, & impressio legis æternæ: ergo, si est grave peccatum, est contra Deum, & Dei offensa.

15. Implicat pariter aliquem formaliter peccare, & Deum vel ignorare, vel de ipso actu non cogitare; quia, dum formaliter peccat, cognoscit se facere contra legem, ergo & contra Legislatorem: sed Deus est Legislator legis naturalis ex dictis, ergo, qui peccat contra legem naturalem, Deum non ignorat, & actu ipsum, saltem implicitè, cognoscit sub conceptu Legislatoris.

16. Quæritur, *an peccato philosophico correspondeat pœna æterna: & sic peccantes puniendi sint in inferno, si, peccato non remisso, decesserint?*

Resp. Affirmativè, quia peccatum tale, est Dei offensa, ergo dissolvit amicitiam cum Deo, & relinquit in peccatore reatum pœnæ æternæ, & obligationem ad ipsam subeundam, nisi remittatur. Decretum Alexand. clarè loquitur.

17. Sed dices. Gentiles ignorant peccato fornicationis, odii Dei, blasphemiæ, &c. deberi pœnam æternam, ergo ab ea excusantur: quia ignorantia excusat à pœna.

Resp. Negando consequentiam. Ignorantia solùm excusat à censura per DD. communiter, Fagnan. *in 5. Decretal. ad cap. nobis il 1. de sent. excom. num. 40.* Du-hamel *tom.3. lib.5. differt.3. cap. 3. à num.10.* Ratio est, quia censura, est pœna extraordinaria, & regulariter non ligat, nisi contumaces, & ex contemptu operantes. Sed qui ignorat, non dicitur contumax, nec contemnere. At non excusat à pœna æterna, peccatis mortalibus correspondens,

quia est pœna ordinaria ipsis infallibiliter annexa. Hinc est, quod, qui liberè, & advertenter in peccatum grave contra legem naturalem consentit, tacitè consentire præsumitur in pœnam æternam, eidem peccato correspondentem; cùm non modo philosophicè, verùm etiam Theologicè, peccet, Deum offendendo.

## CAPUT III.

### *Una supra XXX. Propositiones ab Alexandro VIII damnatas. Instructio Miscellanea.*

PRÆSENTI hoc capite unam supra triginta propositiones ab eodem Alexandro alio suo decreto circumscriptas, edito 7. *Decembr. ejusdem anni*, sub titulo referimus, ut in his etiam aliqualiter instructus reddatur Confessor.

1. Propositio I. damnata. *In statu naturæ lapsæ ad peccatum formale, & demeritum, sufficit illa libertas, qua voluntarium, ac liberum fuit in causa sua, peccato originali, & libertate Adami peccantis.*

2. Status naturæ lapsæ, aut corruptæ is dicitur, in quo justitia originali exuti, & peccato contaminati nascimur, in isto nulla est in Homine necessitas ad peccandum, in eum ab Adamo, liberè peccante, transmissa, ut putarunt aliqui; nam Adæ peccato nostra libertas, nec amissa, nec extincta fuit, sed in nostra potestate est tentationi consentire, vel eidem, Divina auxiliante gratia, resistere, & præcepta implere. Legas Trid. *sess. 6. can. 5. & 6. & const. Ex omnibus B. Pii V.* in qua reprobantur plures propositiones Baii, & inter eas 39. & 64. Ac aliam Innoc. X. editam contra quinque propositiones Cornelii Jansenii, Episcopi Ipren. in qua, ut Hæretica, hæc quarta propositio circumscribitur: *Ad merendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in Homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.*

3. Audias item August. *de lib. Arbitr. cap. 17. quis peccat in eo, quod nullo modo caveri potest? peccatur autem, caveri igitur potest. Et lib. de Spir. & lit. cap. 3. Unde hoc quisque in potestate habere dicitur, quod, si vult, facit: si non vult, non facit.* Ergo, ut Homo fornicando peccet, eique fornicatio imputetur ad culpam, debet posse fornicationi resistere, si velit, ad quod si divinum non denegatur auxilium; aliàs, dum impotens foret, ei, nec ad pœnam, vel præmium, nec vituperium, aut laudem, tribueretur, quod fornicaretur, vel non; sicut, nec mihi, quod non ambulem, dum liber ad ambulandum non sum, quamvis ligatus me catenis, & funibus, liberè liget; ergo quamvis Adam liberè peccaverit, tamen mihi ad culpam, fornicati per. gi non imputatur, si hìc, & nunc non possum fornicationem vitare.

4. Addo. Si Homo non habet propriam libertatem ad non peccandum, non est unquam capax absolutionis; nam capax absolutionis non est, qui non dolet de peccatis de præterito commissis, & non proponit non peccare in futurum; sed, qui non est liber ad non peccandum, non

non potest dolere de peccatis de præterito commissis: quia, qui non potest non facere aliquid, nonnisi stultè dolet se fecisse: nec proponere non peccare in futurum, quia, qui non potest non facere aliquid, nonnisi stultè proponit, & vult non facere illud; ergo asserta propositio tollit Sacramentum pœnitentiæ, à Christo institutum in remissionem peccatorum actualium, quæ post Baptismum committuntur.

5. Prop. II. *Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ, operantem ex ipsa, non excusat à peccato formali.*

Definitionem, & divisionem ignorantiæ videas *lib. 2. cap. 39. nu. 2.*

6. Quæritur, *quid intelligatur per peccatum formale, quidve per materiale?*

Resp. Per formale intelligitur opus, seù actio, quæ formaliter hìc, & nunc imputatur ad culpam, quatenus formaliter opponitur regulæ proximæ actus moralis, dictamini nimirum rationis, dictantis hìc, & nunc aliquid non licere; per materiale verò, opus, quod hìc, & nunc tali regulæ non opponitur, quia intellectus non judicat tale opus esse aliqua lege prohibitum. Explico: judicat intellectus hodie non licere transgredi legem jejunii: si non jejunes, omissio jejunii, est formaliter peccaminosa, & tibi ad culpam formaliter imputatur; quòd, si præceptum jejunii revera existens, inculpatè non agnoscis, & non jejunas, omissio est solùm materialiter peccaminosa; quatenus secundùm se est contra legem jejunii, & materia, ut in aliis circumstantiis, & suppositia notitia de existentia præcepti jejunii, esset peccaminosa formaliter, & tibi formaliter imputaretur; sed non est nunc formaliter peccaminosa, quia non est contra regulam proximam, & dictamen conscientiæ, ostendentis tibi, hodie urgere legem jejunii.

7. Quòd ignorantia invincibilis à peccato formali excuset, est commune, & expressa sententia D. August. *lib. 3. de liber. arbitr. cap. 19. Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quòd negligis quærere, quod ignoras:* & alibi passim apud Authores, quibus addo textum D. Thomæ *1. 2. q. 76. art. 3.* ubi ait; *si sit talis ignorantia, quæ omninò sit involuntaria, sive quia est invincibilis, sive quia est ejus, quod quis scire non tenetur, talis ignorantia omninò excusat à peccato.* Ratio est, quia ignorantia invincibilis est omninò antecedens consensum voluntatis; nam, nec est directè, neque indirectè volita: non directè, quia erga ipsam non habetur hìc expressus, & explicitus actus, *volo ignorare*; nec indirectè, quia non est implicitè volita in negligentia sciendi, quod scire tenemur, & addiscere possumus, cùm nobis non innotescat, quid hìc, & nunc debeamus scire; & quamvis voluntas actu non repugnet iis, quæ ex ignorantia fiunt, repugnat tamen habitu, & virtualiter, quatenus, si adesset cognitio, actionem impediret, per dicta *cap. cit. num. 4.*

8. Deinde, si ideò ignorantia invincibilis non excusat (per Authores propositionis) à peccato, quia est peccati originalis pœna, & ab ipso est orta: actus, etiam indeliberati, & non perfectè li-

beri, qui ex concupiscentia oriuntur, essent peccata, quia non minus concupiscentia est peccati originalis pœna, quàm ignorantia; sed falsum est, tales actus esse peccata: quia concupiscentia non consentientibus nocere non potest, ut expressè Trid. *de pec. origin. can. 5.*

9. An autem possit dari ignorantia invincibilis juris naturalis non est hujus loci solvere. Vide Contenson. Theolog. *ment. & cord. lib. 6. dissert. 3. cap. 1. spec. 1. quær. 5.* Du hamel Theol. moral. *tom. 2. tract. de peccat. dissert. 1. cap. 4.* Hoc unum observo, quod nullus tam rudis esse potest, qui non cognoscat mendacium, furtum, adulterium, &c. quæ erga alios meditatur, esse mala. Nam, si interrogaretur: an vellet per mendacium falli: an libenter ferret bona propria, vel uxorem ab alieno rapi: utique responderet illa mala se nolle pati: quis potest ignorare hoc generale principium, *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.*

10. PROP. 3. *Non licet sequi opinionem, vel inter probabiles, probabilissimam.*

De opinione probabili diximus plura *lib. 1 cap. 20. & lib. 2. cap. 2.* Hic contra propositionem, tota, quod dum aliqua opinio attingit ad gradum probabilissimæ, jam talem certitudinem habet, quæ excludit omnem imprudentiam in operando, ergo licitè quis juxta ipsam operatur. Tum quia, ut notavit Bonucci Vindiciæ ad prop. ab Alex. VIII. *sect. 3. num. 22.* opinio probabilissima idem est, ac communis, sed licet operari juxta opinionem communem, ergo & juxta probabilissimam.

11. PROP. 4. *Dedit semetipsum pro nobis oblationem Deo, non pro solis electis, sed pro omnibus, & solis fidelibus.*

12. Quæritur, *an Christus mortuus sit pro omnibus hominibus?*

Resp. Affirmativè, est de fide; habetur. 1. ad Timoth. 2. *coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Et *vers. 6. dedit redemptionem semetipsum pro omnibus:* & 1. Joann. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi.* Pro omnibus itaque, tam parvulis, quàm adultis, tam fidelibus, quàm Infidelibus, Judæis, & Gentilibus, Christus mortuus est.

13. Nec obstat, quod Christus apud Matth. *cap. 26.* & Marc. *cap. 14.* dixerit: *hic est sanguis, qui pro multis effundetur*, & non dixerit pro omnibus; quia particula *multis* non est prolata in sensu exclusivo aliquorum, sed per eam vocem significatur tota multitudo hominum. Verùm licèt Sanguis Christi sit effusus, quoad sufficientiam auxiliorum gratiæ pro omnibus hominibus, quoad efficaciam tamen non est sortitus suum fructum ab omnibus hominibus, unde dixit Trid. *sess. 6. cap. 3. Et si ille pro omnibus mortuus sit, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt* &c. Intelligè, quia nolunt. Vide *alleg. const.* Innoc. X. in qua circumscribitur 5. prop. Jansenii negantis, Christum esse pro omnibus mortuum.

14. PROP. 5. *Pagani, Judæi, & Hæretici, aliique hujus generis, nullum omninò accipiunt à Jesu Christo influxum; adeoque hinc rectè inferes, nul-*

lùm

*lis esse voluntatem nudam, & inermem, sine omni gratia sufficienti?*

15. Quæritur, *an omnibus hominibus dentur auxilia sufficientia?*

Resp. Affirmativè. Idque probatur ex illo Joan. 1. *Deus illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Paulus 2. ad Corinth. 5. dixit: *& pro omnibus mortuus est Christus, ut, & qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit:* unde August. *in psal.* 18. ad illa verba: *non est, qui se abscondat à calore ejus*, dixit: *calorem Verbi Incarnati ad omnes penetrasse.* Et in 58. ait: *ille* (Christus) *sic voluit mori, ut sanguine suo effusores ejusdem Sanguinis redimeret.* Hinc fit, quòd cum Deus sincerè velit omnium salutem, ac omnes ad se vocet, atque illuminet, & Sacramenta pro omnibus Christus instituerit, nulla sit hominum conditio, sive parvulorum, & adultorum, sive fidelium, & Infidelium, sive Gentilium, & Atheorum, qui influxum à Christo Jesu non accipiant, qui pro omnibus est mortuus, & pro omnibus meruit.

16. Prop. 6. *Gratia sufficiens statui nostro, non tam utilis, quàm perniciosa est, ut proindè meritò possimus petere, à gratia sufficienti libera nos, domine.*

17. Præter gratiam habitualem, quæ sanctificans dicitur, qua homo amicus Dei formaliter constituitur, cum peccato mortali incompossibilis, dantur contra Pelagium, etiam auxilia necessaria, ad bene supernaturaliter operandum, & resistendum tentationibus: quæ solent dici gratia actualis. Hæc dividitur in prævenientem, & subsequentem, in excitantem, & adjuvantem, in operantem, & cooperantem, & in sufficientem, & efficacem.

18. Sed quæritur, *quid sit gratia efficax, quidve sufficiens?*

Resp. Efficax per Theologos, illa dicitur, quæ cum effectu, ad quem datur, semper conjungitur. Sufficiens verò illa, quæ cum effectu conjungi potest, seu, cum qua voluntas potest operari.

19. Sed adverte cum Macedo *in 2. senten. collat. 7. difficult. 3. sect. 9. §. Igitur hic duo,* & Du-hamel Theol. *tom. 1. dissert. 4. cap. 7. de grat. salvat. conc. 9.* Quod gratia verè sufficiens non semper frustratur effectu: quia intelligi non potest, quomodo verè sufficiat, & numquam habeat effectum; nam si sufficit, & datur, ut sufficit, effectum habebit, si voluntas ea utatur pro eo, ad quod ipsa sufficit, juxta illud Apostoli 1. ad Corinth. *sufficit tibi gratia mea.*

Et hinc sequitur, quòd gratia sit habenti utilis, si ipsa utatur, quemadmodum potest; quod si ea non utatur, à non usu debet se liberare, respondendo gratiæ, ac majora, & efficaciora auxilia à Deo petere.

20. Duplex autem genus auxilii sufficientis distinguit Macedo *cit.* §. *Igitur* ex Suarez. *Unum remotè, & Alterum proximè* sufficiens; *proximè* sufficiens dicitur illud, cum quo homo potest immediatè aliquam operationem efficere, sine ope alterius operationis, qua impetret majus auxilium: *remotè* verò, cum homo habet auxilium, quod ad unum actum proximè sufficit, & ad alium remotè. Explicatur: Trid. *sess. 6. c.* 11. hæc habet: *Deus impossibilia non jubet,*

*bet, sed jubendo monet, & facere, quod possis, & petere, quod non possis, & adjuvat, ut possis*; in his verbis: *facere, ut possis:* significat eum, cui aliquid jubetur, habere auxilium proximè sufficiens ad id faciendum; nam ab illo immediatè postulatur, ut faciat; in his verò, *& petere, quod non possis*, insinuat auxilium remotè sufficiens; nam, qui nondum potest, nondum habet auxilium proximè sufficiens: si tamen oret, recipiet illud, ut his aliis, *adjuvat, ut possis*, innuit. Itaque auxilium remotè sufficiens ad victoriam v. g. tentationis, est proximè sufficiens ad alium actum v. g. orationis, qua majus auxilium impetratur, quod proximè sufficit ad tentationem vincendam; quare auxilium remotum respectu unius actus revocatur ad proximum respectu alterius. Legas August. *lib. de bono viduitatis capit.* 17. ubi dixit. *Ad hoc enim, quod non dum habemus, jubet, ut habeamus: ut admoneat, quid petamus.*

Quæ sufficere possunt ordinario Confessori ad respondendum quibusdam, qui volunt plus sapere, quàm oportet.

21. Concludas contra Authores propositionis, ineptè dici liberum arbitrium homini non esse utile, & hominem rectè petere. *à libero arbitrio libera me, Domine.* Nam, quia homo potest, auxilio divinæ gratiæ adiutus, bene, & meritoriè operari, liberum arbitrium est ipsi utile, etiamsi illo non utatur, & aliquando abutatur: ergo, quia homo potest cum gratia sufficiente tentationi resistere, & præcepta implere, gratia sufficiens est ei utilis, quamvis aliquando ex sua malitia ipsa non utatur: bonus est cibus, & non propterea inutilis homini reputatur, si, vel ipse eo non utitur, vel excedendo abutitur.

22. Prop. 7. *Omnis humana actio deliberata, est Dei dilectio, vel mundi: si Dei, charitas Patris est: si mundi, concupiscentia carnis, hoc est mala est.*

23 Contra propositionem est Trident. *sess. 6. can. 7.* ubi definit fidem, spem, timorem, quæ præcedunt justificationem, non esse peccata: sed actus boni sunt, eliciti ex divina gratia, disponentes ad remissionem peccatorum, & gratiam justificationis; at non sunt charitas Patris: quia fides, & timor formaliter non sunt dilectio actualis, nec à charitate procedunt, quia ipsis peccator ad charitatem Patris disponitur. Nec sunt concupiscentia carnis, aliàs ad justificationem non disponerent; ergo falsum est, omnem humanam operationem, quæ non est dilectio Dei, malam esse; & consequenter falsum, quod non possit elici opus bonum sine charitate, & gratia justificante.

24. Prop. 8. *Necesse est infidelem in omni opere peccare.*

Ergo peccabit, dum voluntariè correspondet inspirationibus, quibus ipsum Deus ad fidem vocat, & Catechismum quærit, ut de rebus Catholicæ fidei instruatur, ac externæ Evangelii prædicationi attendit; sed falsum est in similibus ipsum peccare: nisi Authores propositionis, contra fidem blasphemantes, velint peccatum esse, correspondere divinæ gratiæ.

25. Prop. 9. *Revera peccat, qui odio habet peccatum, merè ob ejus turpitudinem,*

*nem, & disconvenientiam cum natura rationali sine ullo ad Deum respectu.*

Ex terminis apparet, illicitum non esse nolle mentiri, fornicari, &c. ex hoc motivo, quia hæc vitia sunt indigna creatura rationali; quinimmò juxta dictamen rationis, & legem naturalem operatur, qui non mentitur, nec fornicatur: ergo nec illicitum est, ex eo motivo mendacium, & fornicationem detestari: consequentia sequitur à non dabili disparitate.

26. Addo, quòd propositio se ipsam destruit; quia in odio peccati propter ejus turpitudinem, & disconvenientiam includitur, saltem implicitè respectu ad Deum offensum; nam, ut diximus *cap. 2. num. 7.* peccatum, quod est contra legem naturalem, est etiam implicitè contra legem æternam, & Deum; consequenter Dei offensa: ergo, qui detestatur peccatum, quia est contra rationem, & naturæ non consentaneum, implicitè detestatur ipsum, ut est offensa Dei, ut discurrit Ilsung. Theol. Moral. *tract. 6. disp. 6. à num. 29.* vid. *Nib. 2. cap. 34. num. 4.*

27. Prop. 10. *Intentio, qua quis detestatur malum, & prosequitur bonum meræ, ut cælestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens,* vide *ad 13.*

28. Prop. 11. *Omne, quod non est ex fide Christiana supernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum est.*

Putant Authores propositionis, operationes, quæ procedunt à fideli sine charitate, esse peccata; sed vide dicta *ad 7. & 8.*

29. Tum quia, peccator fidelis non peccat, quando credit, bonum esse, & utile ad consequendam veniam peccatorum, Deum orare, jejunare, &c. Et ad eum finem orat, & jejunat, &c. Sed tunc operatur secundùm dictamen fidei, & non habet charitatem, ergo falsum est, omne id esse peccatum, quod non est ex fide supernaturali, quæ per dilectionem operatur.

30. Prop. 12. *Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides, & etiamsi videantur credere, non est fides divina, sed humana?*

Assertum errorem jam proscripserat Trid. *sess. 6. can. 28. si quis dixerit, amissa per peccatum gratia, simul & fidem semper amitti; aut fidem, quæ remanet, non esse veram fidem, licèt non sit viva, &c. aut eum, qui fidem sine charitate habet, non esse Christianum, anathema sit.* Ergo licèt habitus fidei supernaturalis amittatur per hæresim (quæ oppositionem habet cum fide) non perditur tamen per actum, v. g. furti, quo demeritoriè amittitur charitas: quia furtum cum Charitate, & non cum fide oppositionem habet.

31. Prop. 13. *Quisquis, etiam æternæ mercedis intuitu, Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licèt beatitudinis operatur.*

Hoc ipsum, ut hæreticum damnavit Trid. *sess. cit. can. 31. si quis dixerit, justificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis benè operatur, anathema sit.* Nam sine dubio licitum est operari propter id, quod Deus proponit, & promittit, sed Deus proponit, & promittit vitam æternam, præmium reddendum bene operantibus usque in finem, ex Trid. *sess.*

*sess. cit. cap.* 16. ergo propter ipsam obtinendam licet operari, & observare præcepta: ad quod facit illud *psal:* 118. *inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum propter retributionem.*

32. Prop. 14. *Timor Gehennæ non est supernaturalis.*

Sed falsum est, non esse supernaturalem, si reguletur, & procedat ex fide divina: quæ est principium supernaturalitatis, quatenus nullus actus supernaturalis potest haberi, nisi ipsa objectum proponat; & propterea à Trid. *sess.* 6. *cap.* 8. dicitur humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis. Advertas, ad quemlibet actum supernaturalem cum actu fidei requiri etiam auxilium divinæ gratiæ, vide *cit. capit.* 34.

33. Quæritur, *quotuplex sit timor?*

Resp. Quadruplex: *Mundanus, Servilis, Filialis, & Initialis: Mundanus est*, cum quis ad fugienda mala hujus mundi, mortem, paupertatem, &c. quæ timet sibi obventura, Deum offendit; times confitendo fidem Christi à Tyranno occidi, coram ipso eum negas; times infirmitatem, nisi te polluas, voluntariam mollitiem in te provocas: semper mortaliter peccas, & timor malus, & nefarius est; quia malum est timere, & fugere malum corporis cum detrimento animæ, & offensa Summi Dei; nam pejus est illam committere, quàm pœnas quascumque pati: ideò Matth. X. dicitur; *nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius timete eum, qui potest, & animam, & corpus perdere in Gehennam.*

Hujusmodi timor procedit ex inordinato amore rerum temporalium, & sui; nam, quia inordinatè te amas, culpam non fugis, nec Deum times.

*Servilis* est, quo quis timens pœnam, cognitam per fidem ex divina revelatione, facta Ecclesiæ Catholicæ, imminere peccato, legem Dei observat, & ne in eam incidat, peccata vitat. Hujusmodi est omninò bonus; nam Deus minatur pœnas inferni peccantibus, ut eos à peccatis revocet, & moveat ad fugienda crimina, quod certè non faceret, nisi licitum esset eo motivo abstinere à peccatis, & de commissis dolere; ergo, qui peccata vitat timore pœnarum inferni, & de commissis dolet, honestè & bene operatur.

Verùm necesse est, ut excludat voluntatem peccandi: quam non excluderet, si dicerem: *doleo de peccatis, & ab ipsis abstineo, quia timeo pœnas inferni, sed si non esset infernus, non abstinerem.*

Dolosem ex eo timore conceptum, & ortum, vocat Trid. *sess.* 14. *cap.* 4. Donum Dei, ut sequitur: *illam vero contritionem, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex Gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur si voluntatem peccandi excludat, non solum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verùm etiam, donum Dei esse, & Spiritus Sancti impulsum.*

*Filialis est*, quo quis omittit peccare, & bene operatur, non propter pœnam, sed, ne offendat Deum: hic optimus est, procedens ex amore Dei; quatenus,

tenus, quia Deum amas, refugis à malo culpæ, quod times, ne Deum offendas.

*Initialis* verò, est mixtus ex filiali, & servili: eo jue quis fugit peccatum, & quia timet Deum offendere, & ab ipso separari, & quia timet pœnas Gehennæ: quarum timore sæpè pertrahuntur homines ad Dei dilectionem. Duo enim illi timores simul conjuncti, virtutem habent perducendi hominem ad Dei amorem, & conservandi in ipso charitatem, & perfectam subjectionem ad ipsum Deum. Vide Trid. *sess. 6. cap. 6.*

34. Prop. 34. *Attritio, quæ Gehennæ, & pœnarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus, ac supernaturalis.*

Falsitas deducitur ex dictis ad præcedentem, & ex Trid. *cit. sess.* 14. *cap.* 4. ubi, dolorem conceptum ex timore Gehennæ declarans esse impulsum *Spiritus Sancti, & donum Dei, disponens ad gratiam Dei*, in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam, non addit debere esse annexum cum amore benevolentiæ; ergo sine isto ea attritio est honesta, & utilis, ac supernaturalis, si à fide reguletur. Maximè, quia non dilectio, est principium supernaturalitatis, sed fides, ut supra ex Trid. diximus, ipsum videas, *sess. 6. cap. 6.* ubi præmittitur actus fidei cæteris actibus, ad justificationem disponentibus; ergo dolor de peccatis ex timore Gehennæ est supernaturalis sine conjunctione cum dilectione Dei: modò ex fide, & divino auxilio procedat. Vide *lib. 2. cap. cit.*

35. Dices, dolens de peccatis ob timorem Gehennæ vult suum bonum: quia enim suam utilitatem amat, & non vult pati tam grande malum pœnæ, ideò de peccatis dolet, & à peccatis abstinet; quod bonum esse non potest; nam videtur esse ita constitutus, ut, si fuga inferni posset dari sine fuga peccati, nec de peccatis doleret, nec ipsa recusaret.

Resp. Utique vult suum bonum, sed per medium licitum, per fugam nimirùm peccati, quæ est medium ad evitandas pœnas inferni; quemadmodum ejusdem commissio ad eas incurrendas. Et licet suum bonum velit, se tamen non statuit pro fine, *cui* ultimato principalitatis cum exclusione Dei, quia tunc certè peccaret (nam Deus solus est ultimus noster finis) nec eo dolore à Deo avertitur, sed potius ad ipsum adducitur, quia dolet se Deum offendisse, ex quo timeat ab eo pœnis inferni puniri.

Equidem, si foret ita constitutus, ut peccare vellet, si non esset infernus, dolor talis malus, & vitiosus esset; sed negamus id inferri; nam tunc posset propter alia motiva dolere, & fugere peccata; vel quia peccatum repugnat rationi: vel quia est offensa Dei, Quis enim dixerit puerum, qui hic, & nunc præcisè propter ostensum pomum accedit ad Matrem, sine pomo vocatus, non accessurum?

36. Prop. 16. *Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit, non politia, aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex, & præscriptio, natura rei id ipsum quodammodo dictante.*

37. Hæc propositio ad valorem Sacramenti, & absolutionis à peccatis plus exigit, quàm Sacerdotem cum debita intentione, & legitima jurisdictione, proferentem formam absolutionis in pœniten-

nitentem, sua peccata cum vero dolore, & proposito integrè omninò confitentem; ut nimirum à Confessario prius imponatur, & à pœnitente exequatur satisfactio: quod sanè evidenter infertur ex propositione. Nam, si Christus instituit, ut absolutioni præmittatur satisfactio, ut propositio loquitur, sequitur necessariò, quòd absolutio valida non sit, nisi prius satisfactio sit imposita, atque adeò, quòd hæc sit pars essentialis Sacramenti Pœnitentiæ, necessariò requisita ad valorem ipsius, & remissionem peccatorum, quoad culpam, & pœnam æternam, quæ fit per gratiam collatam à Sacramento; sed est falsum, impositionem, vel executionem satisfactionis esse partem essentialem Sacramenti, ut diximus *lib. 1. cap. 11. num. 4.*

38. Essentia itaque Sacramenti pœnitentiæ consistit in contritione, & confessione, tamquam materia proxima, & absolutione, tamquam forma: quia, istis positis, ponitur remissio peccatorum, & non positis, non ponitur. Integraliter verò dicit etiam impositionem, & executionem satisfactionis, non quidem necessariæ ad remissionem culpæ, per gratiam Sacramentalem, sed tantùm ad remissionem pœnæ temporalis, quæ remanet, ex dictis *loco citat. num. 4.* Quemadmodum homo essentialiter consideratus dicit animam, & corpus, integraliter verò importat manum etiam, pedes, &c. Lege Trid. *sess. 14. cap. 3.*

39. Addo, quòd Sacramentum pœnitentiæ est institutum ad formam judicii, proferentis sententiam, sed hæc ab Judice validè profertur ante executionem pœnæ decretæ, ergo & Sacerdos validè absolvit ante executionem satisfactionis.

40. Prop. 17. *Per illam praxim modo absolvendi ordo pœnitentiæ est inversus.*

Hæc etiam censet executionem satisfactionis per pœnitentem, esse necessariam ad remissionem peccatorum, quoad culpam & pœnam æternam; & propterea requirit ante absolutionem esse de necessitate imponendam, & exequendam satisfactionem, adeò ut aliàs illa valida non sit, quamvis integrè confesso, cum sincero dolore, proposito, & ritè disposito conferatur. Quòd esse falsum est sensus omnium Theologorum, & Fidelium. Patet ex Trid. *sess. 6. cap. 6.* ubi agens de dispositionibus prærequisitis ad remissionem peccatorum in Sacramento, inter eas satisfactionem non accensit. Quam nec exigit *sess. 14. cap. 4.* Et *cap. 8.* declarans necessitatem imponendæ, & præstandæ satisfactionis, eam per modum dispositionis ad gratiam necessariam non statuit; ergò ante præstitam satisfactionem validè remittuntur peccata: ergò, cùm cætera necessaria non desunt: & ex parte pœnitentis est confessio materialiter, vel formaliter integra, sincerus peccatorum dolor, & firmum, ac efficax propositum non peccandi, inchoandi novam vitam, & satisfaciendi: & ex illa Sacerdotis, jurisdictio, cum intentione debita verba absolutionis proferentis, valida est absolutio.

41. Prop. 18. *Consuetudo moderna, quòad administrationem Sacramenti pœnitentiæ, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet authoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihil-*

*hilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed abusu.*

Ad istam, sicut ad duas præcedentes. Abusum vocat consuetudinem absolvendi pœnitentes, etsi aliàs ritè dispositos, priusquam pœnitentiam impleant; quia putat peccata per absolutionem non remitti, nisi prius pœnitens impositam pœnitentiam expleat. Sed necesse est, ut ostendat, contra quam legem sit ea praxis, ut consuetudo, abusus, & corruptela possit nominari; cùm solùm illa consuetudo corruptela dicatur, quæ est Sacris inimica Canonibus, *cap. consuetudinem de consuetud. in 6.* Nullam autem hujusmodi legem allegabit, cui repugnet, ergo, &c.

42. Prop. 19. *Homo debet agere tota vita pœnitentiam pro peccato originali.*

Propositio enervat efficaciam baptismi, per quem plenè, & integrè remittitur, tùm peccatum originale, tùm actualia, & personalia commissa ante baptismum, quia per Baptismum Christianus fit novus homo in Christo Jesu, purus, innoxius, & innocens: in quo nihil Deus odit, quia nihil damnationis in eo remanet, aut aliquid, quod eum ab ingressu Cœli remoretur, ut loquitur. Trid. *sess. 5. can. 5. in decret. de peccat. original. & sess. 14. cap. 2.*

43. Per quem, etiam remittitur omnis pœna *cap. per baptismum de consecrat. dist. 4.* & expressè Florent. in decreto Eugenii. *Propterea baptizatis, nulla pro peccatis præteritis injungenda est satisfactio, sed morientes, antequam culpam aliquam committant, statim ad Regnum Cœlorum, & Dei visionem pervenient.* Trid. *sess. 6. cap. 14.* definit *in Baptismo totam pœnam semper remitti.* Ratio est, quia per baptismum sic nobis applicatur passio Christi, ac si cum Christo mortui fuissemus, & consepulti, ut DD. ponderant, ergo opera pœnalia non sunt imponenda pro originali, & aliis actualibus in baptismo plenè remissis, quoad culpam, & omnem pœnam.

44. Nec refert, quòd post baptismum non tollantur calamitates hujus vitæ, concupiscentia, mors, fames, sitis, morbi, & aliæ pœnalitates; quia istas ad pugnam, agonem, & meritum manere tradit Trid. *sess. 5. cit.* & DD. omnes. Unde praxis Ecclesiæ est, baptizatis, etiam adultis, licèt ante baptismum fuerint magni peccatores, nullam imponere pro originali, vel aliis actualibus per baptismum remissis, satisfactionem.

45. Sed quæritur, *an quando adultus baptizatur, debeat de peccatis dolere?*

Resp. Affirmativè: dolere itaque debet de peccatis personalibus à se commissis: est communis sententia Theologorum, requirentium in baptizando adulto, si anteà personaliter deliquit, dolorem de peccatis actualibus, tamquam dispositionem juxta Trid. *sess. 6. cap. 6.* adeò ut, si eam dispositionem omittat, ponat obicem ad gratiam, & remissionem, etiam originalis, (quia unum peccatum sine alio non remittitur) quamvis characterem recipiat, si cum animo recipiendi baptismum baptizetur.

Dixi, *de peccatis personalibus*; nam de originali nequit esse dolor contritionis, vel attritionis, & hoc est extra controversiam; quia originale, nec est materia pœnitentiæ, ut est *Sacramentum*, nec pœnitentiæ, ut est *virtus*, quia ori-

ginale non est propria voluntate commissum: ergo non potest propria voluntate retractari.

De actualibus dolor pœnitentiæ requiritur; sed sat est attritio; quia hæc ad recipiendam gratiam in Sacramento disponit per Trident. *sess.* 14. *cap.* 4. sed non debet esse naturalis, habita ex viribus naturæ, & ex motivo naturali, ex metu nimirum pœnæ temporalis, aut ex turpitudine peccati, lumine naturæ cognita, sed supernaturalis exigitur, habita ex speciali auxilio Dei, & motivo supernaturali, per fidem supernaturalem cognita, & regulata. Vide De la Cruz *de baptis. qu.* 4. *dub.* 3. *& est. lib.* 2. *cap.* 34.

46. Prop. 20. *Confessiones apud Religiosos factæ, pleraque, vel sacrilegæ sunt, vel invalidæ.*

47. Prop. 21. *Parochianus potest suspicari de Mendicantibus, qui eleemosynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi, & incongrua pœnitentia, seu satisfactione ob quæstum, seu lucrum subsidii temporalis.*

Neutra ex his propositionibus potest sustineri sine gravissimo peccato, judicii temerarii in illo, qui attribuit hominibus piis, & sanctis tàm grande scelus, & gravem culpam; semper enim est benè præsumendum de proximo, nisi oppositum constet.

48. Quæritur, *quid sit judicium temerarium?*

Resp. Est *firma adhæsio intellectus de delicto, & infamia proximi, ex levibus indiciis, & frivolis conjecturis.* Est peccatum contra justitiam. Cujus malitia in hoc consistit, quod, cum unusquisque habeat jus suæ famæ apud alios, usque dum hanc non amittit per publicum delictum, vel per graves, & rationabiles ejusdem conjecturas, temerè judicans ex levi fundamento, illum injuste privat hoc jure respectu sui: & proindè injuriam facit.

49. Ex genere suo est mortale; & solùm potest esse veniale ex parvitate, & levitate materiæ, de qua quis judicat: si gravis est materia, gravem injuriam proximo facit, malè judicando de ipso sine sufficienti fundamento: levem, si levis. Unde quis tenetur proximum compensare retractando judicium, & bonam illius famam denuò concipiendo.

50. Quæritur, *quid sit suspicio?*

Resp. Est *opinio de delicto proximi, ex levibus indiciis cum formidine de opposito.* Regulariter, & de se, est peccatum veniale, ex defectu nimirum indeliberationis voluntatis, & injuriæ tantum levis, quæ fit proximo, suspicando cum dubio aliquod crimen de ipso. Sed est mortale, si vestiatur talibus circumstantiis, ut gravis injuria sit, etiam suspicari malum de aliquo; sic mortaliter peccat, qui de viro prudenti, pio, & venerabili ex levi fundamento grave delictum suspicatur.

51. Prop. 22. *Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad Communionem percipiendam, prætendunt, antequam de delictis suis pœnitentiam egerint.*

Authores propositionis id asserunt, quia putant sine satisfactione præstita, nosidum esse pœnitentibus, esse rité, & cum seriò dolore, & firmo proposito confessis, remissa peccata, licèt prius Confessarius legitimus formam absolutionis

tionis pronunciaverit. Nam, si sacrilegè communicant, ideò est, quia communicant cum conscientia peccati mortalis: & ideò cum ista conscientia communicant, quia quamvis absoluti, & ritè confessi, eis remissa non sunt peccata, ex quo absolutioni non præmiserint executionem satisfactionis: Ergo satisfactio præstita est pars essentialis Sacramenti, sine qua remissio peccatorum non contingit. Sed falsum est satisfactionem esse partem essentialem Sacramenti pœnitentiæ, ut supra diximus *num.* 37. & alienum est à verbo Dei, ac Patrum sensu, culpam non remitti, quin pœna omnis semper per Sacramentum pœnitentiæ condonetur. Legas Trid. *sess.* 14. *de pœnitent.* ubi contra Hæreticos, Lutheranos, & Calvinistas, asserentes culpam dimitti non posse, quin pœna omnis condonetur, canon. 12. edidit, *si quis dixerit, totam pœnam simul cum culpa remitti semper à Deo, &c. anathema sit.*

52. Prop. 23. *Similiter arcendi sunt à Communione, quibus nondum inest amor purissimus, & omnis mixtionis expers.*

In propositione supponitur non posse hominem disponi ad gratiam sanctificantem, recipiendam in Sacramento pœnitentiæ, per dolorem de peccatis, conceptum ob timorem amissionis beatitudinis, vel pœnarum inferni, quasi Deus per hujusmodi dolorem graviter offendatur, & magis peccator per eum homo constituatur; prout non est veritus Lutherus blasphemare, contra quem est Trid. *sess.* 14. *cap.* 4. *& can.* 5.

53. Deinde idem Trid. *sess.* 13. *cap.* 7. agens de præparatione adhibenda, ut dignè quis sacram Eucharistiam percipiat, hæc habet: *Quare communicare volenti revocandum est in memoriam ejus* (scilicet Domini) *præceptum; probet se ipsum homo: Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque prævia Sacramentali Confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat.* Ergo, qui ritè confessus est, & validè absolutus, communicat cum præparatione necessaria, ut non recipiat indignè Corpus Christi, quamvis ad Sacramentum pœnitentiæ accesserit cum solo attritionis dolore, quem Trid. *sess.* 14. *c.* 4. statuit disponere ad Dei gratiam recipiendam in Sacramento.

54. Prop. 24. *oblatio in Templo, quæ fiebat à B. V. Maria in die Purificationis suæ per duos pullos columbarum, unum in holocaustum, & alterum pro peccatis, sufficienter testantur, quod indiguerit purificatione, & quod Filius, qui offerebatur, etiam macula Matris, maculatus esset, secundùm verba legis.*

55. Hæreticum est dicere B. V. Mariam indiguisse purificatione; nam hoc est negare ipsius virginitatem, & dicere cum impuritate, immunditia, & fractione claustri Virginalis peperisse Christum Dominum, sicut cæteræ mulieres prorios filios pariunt. Lex illa Levitici 12. Virginem Mariam non comprehendebat: Nam ibi textus loquitur de muliere, quæ, suscepto semine, peperit masculum. Maria autem, nec semine viri concepit, nec viri opera genuit, ut fides docet, per illud Symboli, *qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus de Maria Virgine,*

*ne*, ergo B. Virgo non eguit purificatione. Quæ sine sorde Filium peperit sanctissimè, & purissimè: & in cujus partu nihil est purgandum, nihil impurum, cùm Proles sit fons puritatis, & ipsa mundissima.

56. Nec id est inferendum, ex quo se legi purificationis subdere voluerit; aliàs ex Circumcisione Christi deberet inferri in ipso macula peccati originalis: & ex tributo, subjectio Christi ad Cæsarem colligeretur. Quæ omnia hæresim manifestam continent, & errorem omnium maximum.

57. Causas, propter quas B. Virgo voluit legem purificationis observare, varias adducunt Authores, videndas apud Marchant. *rationale Evangelic. seù conciones tr. 4. de fest. Purif. B. M. V.* Quarum una fuit, quia voluit tollere omnem occasionem scandali, vel murmuris: Notum enim non erat, eam sine impuritate, & Virginem, ante partum, in partu, & post partum peperisse.

58. Prop. 25. *Dei Patris sedentis simulacrum, nefas est Christiano, in templo collocare.*

Hæc propositio renovans errorem, & hæresim Iconomachorum, & Sacrarum Imaginum inimica. Quarum usum semper Ecclesia Catholica retinuit: & licitus, utilisque fuit apud Christifideles. Ex quo pingantur Deus Pater, Christus, & Sancti, ac fidelibus proponantur, nil mali oritur, sed multum boni, cum conducant ad renovandam memoriam Dei, Christi, & Sanctorum, & excitanda in fidelibus vel receptorum beneficiorum memoriam, vel devotionis affectum, aut propositum sequendi Sanctorum vestigia, & exempla. Propterea Trid. *sess. 25. in decr. de invoc. Sanct.* dixit. *Imagines porrò Christi, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum, in templis præsertim habendas, & retinendas, eisque debitum honorem, & venerationem impertiendam; non quòd credatur ineſſe aliqua in iis divinitas, vel virtus, propter quam sint colendæ; vel, quod ab eis sit aliquid petendum, vel quod fiducia in Imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat à Gentibus, quæ in Idolis spem suam collocabant; sed, quia honor, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant: Itaut per Imagines, quas osculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Christum adoremus, & Sanctos, quorum illa similitudinem gerunt, veneremur.* Id quod *Conciliorum, præsertim verò secundæ Nicænæ Synodi, decretis, contra Imaginum oppugnatores est sancitum.*

59. Ex quibus patet, Imagines sacras adorandas esse adoratione relativa, ita ut honor ille non sistat in Imaginibus, sed referatur ad exemplar, quod repræsentant; de quo redibit sermo ad propositionem sequentem.

60. Quæritur, *an negans licitum esse Sacrarum Imaginum usum, & asserens eas adorandas non esse, sit hereticus?*

Resp. Affirmativè. Est ita definitum in Conc. Nicæno 2. & Trid. *in decr. cit.*

61. Prop. 26. *Laus, quæ defertur Mariæ ut Mariæ, vana est.*

De fide est, Beatissimam Virginem, & alios Sanctos esse adorandos, & colendos, quos etiam non vanè, sed utiliter invocemus. Hoc perpetua Ecclesiæ traditio, hoc Concilia, & SS. PP. declarant, & expræsè

presse confirmat Trid. *sess. 25. in cit. Decreto*: Ubi: *Sanctos unà cum Christo regnantes, orationes suas pro hominibus Deo offerre; bonum, atque utile esse suppliciter eos invocare; & ob beneficia impetranda à Deo, per Filium ejus Jesum Christum, Dominum nostrum, qui solus noster Redemtor, & Salvator est, ad eorum orationes, opem, auxilium confugere.*

62. Quæritur, *quid sit adoratio?*

Resp. Est *voluntaria submissio qua alteri nos subjicimus propter excellentiam, & dignitatem in ipso præcognitam*; seù *est exhibitio reverentiæ, qua alium reveremur, ipsi nos submittendo, tamquam Superiori, in recognitionem suæ excellentiæ.*

63. Quæritur, *quotuplex sit adorationis species?*

Resp. Multiplex. 1. Alia est interior, exterior alteria; Interior, *est cordis, ac mentis humilis, & sincera submissio, propter excellentiam in adorato*; Exterior, *est externa reverentia alteri exhibita, ut genuflexione, inclinatione, & aperitione capitis, tunsione pectoris, junctione manuum, &c. manifestans adorationem internam.*

64. Alia est absoluta, alia respectiva, Absoluta est, *qua adoratur res propter excellentiam propriam, quam habet.* Respectiva verò, *qua adoratur res propter excellentiam alterius, quem repræsentat, vel ad quem respectum habet, conjunctionem, & habitudinem.* Hujus generis ex Trid. ubi supra, est adoratio, quæ exhibetur Sacris Imaginibus.

65. Alia est Latriæ, Duliæ, & Hyperduliæ; Latria, *est cultus, qui Deo exhibetur, ob infinitam ipsius excellentiam.* Dulia, *est cultus, & reverentia, qui Sanctis exhibetur ob excellentiam sanctitatis, quam habent.* Hyperdulia tandem, *cultus, qui exhibetur B. V. M. ob particularem excellentiam, quam habet præ cæteris Sanctis propter dignitatem Maternitatis Filii Dei.*

67. Hinc negare Mariæ, ut Mariæ, cultum, & dicere reverentiam non esse exhibendam, est impio, & nefario dogmate asserere B.V. non esse Dei Matrem, propter quod Nestorius damnatur in Conc. Ephes.

68. Quæritur, *an blasphemia in Deum, Sanctos, & Virginem distinguantur specie, adeò ut in Confessione explicandum sit, contra quos fuerit blasphemia pronunciata?*

Resp. Affirmativè, juxta dicta *l. 1. c. 18. n. 28.* Nam licèt adoratio sit actus Religionis, tamen Latria, Dulia, & Hyperdulia sub illo genere specie distinguuntur.

69. Quæritur, *an etiam Sanctorum Reliquiæ sint adorandæ*

Resp. Affirmativè. Definitur in Trid. *cit. decret.* ubi: *Sanctorum quoque Martyrum, & aliorum cum Christo viventium sancta corpora, quæ viva membra fuerunt Christi, & Templum Spiritus Sancti, ab ipso, ad æternam vitam suscitanda, & glorificanda, à fidelibus veneranda esse: Per quæ multa beneficia à DEO hominibus præstantur: Ita ut affirmantes Sanctorum Reliquiis venerationem, atque honorem non deberi, vel eas, aliaque Sacra Monumenta à fidelibus inutiliter honorari; atque eorum opis impetrandæ causa Sanctorum memorias frustra frequentari;*

*earis; omninò damnandos esse, prout jam pridem eos damnavit, & nunc etiam damnat Ecclesia.*

70. Sed quæritur, *an, ut licitè publico cultu adorentur Sacræ Reliquiæ, debeant esse Sancti Canonizati, aut beatificati?*

Resp. Affirmativè; nullus enim potest, ut Sanctus, publico cultu adorari, erectione Altaris, celebratione Missæ, Thurificatione, appensione tabellarum, lampadarum, & cæreorum accensione, &c. nisi sit à Papa canonizatus, vel beatificatus, *cap. Audivimus de Reliq. & venerat. Sanct.* & Const. *Cælestis Hierusalem ab Urb. VIII.* edita 5. *Julii* 1634. apud Matta de Canoniz. *Sanct. p. 5. c. 2. num.* 12.

71. Notat Durandus de ritib. Eccles. *lib. 1. cap. 1. num.* 12. Referens D. August. *lib. 8. de Civit. Dei cap.* 27. *& lib.* 20. *contra Faustum cap.* 21. Templa, etsi in honorem, & memoriam Sanctorum, soli Deo verè, & propriè erigi, & dicari. Quæ quatenus ad sacrificandum DEO eriguntur, *Templa solent dici: Oratoria*, in quantum ad orandum sunt destinata: *Martyria*, seù *Memoriæ*, vel *Basilicæ* appellantur, quod Martyrum Reliquiis conservandis inserviant: & tandem *Ecclesiæ* nominantur, quatenus eò convenit populus verbo Dei, & Sacramentis pascendus.

Altaria item ad sacrificandum DEO consecrantur, ut innuit ibidem *cap. 15. num. 4. & 5.*

72. Sed quæritur, *an Sanctis Sacrificium Missæ offeratur?*

Resp. Habes ex Trid. *sess. 22. cap. 3. de sacrif.* ut infrà: *& quamvis in honorem, & memoriam Sanctorum nonnullas interdum Missas Ecclesia celebrare consueverit: Non tamen illis Sacrificium offerri docet, sed soli Deo, qui illos coronavit; unde nec Sacerdos dicere solet: offero tibi sacrificium, Petre, vel Paule, sed Deo de illorum victoriis gratias agens, eorum Patrocinia implorat.*

73. Quæritur, *an Papa licitè adoretur genuflexione, & pedum osculo?*

Resp. Affirmativè. Nam est Caput Ecclesiæ, Petri Successor, Christi Vicarius, Summus Magister, & Optimus Legislator: Ergo propter istam, adeò Excellentem Ecclesiasticam Dignitatem, Sacram, & Spiritualem: Majorem quilibet alia humana, & terrestri, licitè Catholici ipsi se submittunt, & reverentiam illis signis exhibent. Quæ nonnisi per est Dulia spiritualis.

74. Sed quid, *agendum Confessario cum pœnitente negante Papam licitè adorari.*

Resp. Id cæteroquin, an credat Papam esse Christi Vicarium, Petri successorem, & Caput Ecclesiæ; & quatenus teneat non esse, non potest eum absolvere juxta dicta *lib. 1. cap. 3. num. 7.* quia est Hæreticus formaliter. Nam est de fide Papam esse Christi Vicarium, Petri Successorem, & Caput Ecclesiæ. Si verò istud credat: Vel acquiescit Confessario nomen, vel non: Si non, dimittendus est, ut potè indispositus; si acquiescat, & se corrigat: Videat, an aliàs promiserit, vel alios in per tali errore deceperit: &, dum hic reperiat, necesse est, ut se retractet, & experiatur per aliquot dies.

74. Prop. 27. *Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus. In nomine*

*ne Patris, &c. pratermissis illis, ego te Baptizo.*

Forma Baptismi in Ecclesia Latina est, *ego te Baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen:* Ex Florent. *in Decret.* Eugenii, & Trid. *sess. 7. can. 4.* In qua exprimuntur, actio baptizandi, baptizans, baptizatus, & Personæ Sanctissimæ Trinitatis. In Baptismo duplex intervenit causa: Una principalis, ex quâ baptismus virtutem habet: Quæ est Sanctissima Trinitas; & alia instrumentalis: & hæc est Minister baptizans: Ut *ibid.* dixit Eugenius; & ideò utraque exprimi debet. Hinc fit, quod proferens ista abluendo puerum: *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*; si non dixerit: *Ego te Baptizo*, nil efficit; casus expressus *c. si quis puerum de Baptismo.*

75. Sed quæritur, *an validè Baptizet, qui omitteret* ego?

Resp. Affirmativè; quia ly *ego* non est de necessitate Sacramenti; & per verbum *baptizo* implicitè exprimitur Minister. Unde ex Florentino *cit.* validè baptizant Græci dicendo: *Baptizetur talis Servus Christi, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Peccaret tamen mortaliter, si cum advertentia illud omitteret. Quemadmodum non baptizaret, si Personam Ministri excluderet dicendo: *Baptizet te Christus, non ego, in nomine Patris, &c.* Nec si taceret ly *te*; nam Florent. in utraque forma, & pro Latinis, & Græcis, Personam baptizatam nominat. Lege De la Cruz *de Baptis. dub.* 3. & Gobat. *experient. Theolog. tract. 2. num.* 69.

76. Quæritur, *an valeat Baptismus Matthæuccii Cautela Confess. collatus in nomine Sanctissimæ Trinitatis?*

Resp. Negativè, sed est necessaria explicita expressio, & invocatio personarum *Patris, & Filii, & Spiritus Sancti:* Marchant, *Hortus Pastor. de Baptismo.*

77. Quæritur, *an validè Baptizet, qui utitur hac forma, ego te Baptizo in nomine Christi?*

Resp. Negativè, propter eandem rationem.

Si dicatur, Apostolos hanc formam servasse, juxta illud Actorum 2. *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine ✠Esu Christi. Et cap.* 10. *✠Jussit eos Petrus Baptizare in nomine Domini ✠Esu.*

Resp. Formam tunc per Apostolos adhibitam, fuisse: *Ego te Baptizo in nomine, Patris, & ✠Esu Christi ejus Filii, & Spiritus Sancti*; sic enim exprimebantur tres ipsæ Personæ Sanctissimæ Trinitatis: & Unitas ipsarum in ly *in nomine:* & Christus invocabatur. *Clericat. dec. Cleri Patavin. de Anno* 1688. *quæsit.* 2. *in Martio.*

78. Quæritur, *an validè baptizet, qui mente profert formam baptismi?*

Resp. Negativè. Habetur ex Florent. in Decret. *cit.* ubi deciditur: *Omnia Sacramenta tribus perficiuntur: Videlicet, rebus, tamquam materia; verbis, tamquam forma; & persona Ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia; quorum, si aliquod desit, non perficitur Sacramentum.*

79. Quæritur, *quænam sit materia Sacramenti Baptismi?*

Resp. Duplex est materia: Proxima, &

remota : *Proxima* est ablutio Hominis, per quam materia remota applicatur : Aqua nimirum naturalis, seù elementaris, tam calida, quàm frigida, Fluminis, Maris, Fontis, Pluvialis, Paludis, resoluta ex nive, glacie, gelu, seù grandine : In casu necessitatis etiam non benedicta ; sed extra illum est adhibenda benedicta in die Sabbati Sancti, juxta ritum Missalis Romani.

Nota, quòd cùm habetur materia certa, nunquam est utendum materia dubia, juxta dicta *lib. 2. cap. 1.* sed vide Gobat *cit. num. 8.* Ilsung. Theol. *moral. tr. 6. disp. 2. art. 3.* & Clericatum *ad dec. de Anno 1687. in M. rt. quæst. 1.*

80. Quæritur, *quinam sit Minister Sacramenti Baptismi?*

Resp. Sacerdos, cui ex Officio competit baptizare. In casu autem necessitatis non solùm Sacerdos, vel Diaconus, sed etiam Laicus, vel Mulier : Immò etiam Paganus, & Hæreticus, baptizare potest : Dummodò formam servet Ecclesiæ, & facere intendat, quod facit Ecclesia. Florent. *in alleg. Decret.* Hoc idem legitur *cap. Diacones dist. 93. & cap. constat. dist. 4. de consecrat.* ubi deciditur, baptismum à solis Sacerdotibus esse tractandum, nec Diaconis esse licitum baptizare, extra casum necessitatis, absque Episcopi, vel Presbyteri (Parochi nimirum) licentia.

Notandum tamen est : Ex Du-hamel *tom. 3. Theol. Cleric. differt. 2. de baptis. cap. 1.* quòd licet, cùm urget necessitas, possit quilibet baptizare, est tamen servandus ordo. Sacerdos (cui ex vi ordinationis convenit baptizare) est omnibus præferendus : Diaconus Subdiacono : Clericus Laico : Catholicus Hæretico : vir Mulieri. Et esse gravem culpam, excludere habentes Ordines Sacros : Venialem verò, habentes ordines Minores dixit Mastrius *disp. 17. num. 33.* & Laym. *lib. 5. tr. 2. cap. 7. n. 3. & 4.*

81. Quæritur : Parochus existens in *mortali, Laicum Sacramentaliter absolvit, eique Eucharistiam ministrat, Missam celebrat, & puerum baptizat, peccatur, quot peccata committit?*

Resp. Quinque. I. In absolvendo, qua debet esse in gratia, ut licitè administret Sacramenta. II. In communicando ; quia est probabilior opinio, juxta dicenda *lib. sequen. de Eucharistia*, quòd Sacerdos in mortali existens, communicans Laicum peccet mortaliter ; nam in eum finem gratiam ordinationi accepit, ut ex officio sanctè Sacramenta ministret, & irreverentiam erga Sanctissimam Eucharistiam vitet. Laym. *lib. 5. tract. 1. cap. 5. num. 7.* Marchant *Hort. Past. de Eucharist. resolut. pastoral. cap. 3. quæst. 2.* III. Missam celebrando, dum consecrat. IV. Dum se ipsum communicat. Tambur. Method. Confess. *cap. 1. §. 7. num. 57.* V. Baptizando puerum.

82. Sed difficultas est, *si Sacerdos peccat communicando Laicum, ergo dum duos communicat, duorum peccatorum reus erit : & si decem, decies Deum graviter offenderet : & sic de cæteris ; quod nimis durum, & rigorosum videtur?*

Resp. Marchant. *cit.* refert, aliquorum sententiam esse, toties peccare, quoties ministrat, quia tot sunt actus ministrandi ; sicut toties peccat, quot personas absolvit. Sed ipse putat, moraliter loquendo, unum esse peccatum, quamvis plura-

pluribus ministret, quia moraliter censetur una distributio, pluribus, facta, accedentibus ad idem Convivium: Qua eis hic, & nunc accedentibus Sacramentum ministrat; sicut tradit, unum peccatum à Sacerdote committi, si in peccato decem Hostias consecret, vel consecratas in peccato sumat. Non negat tamen peccatum aggravari, dum multis simul ministrat: Ac pluries peccare, si ob interruptionem administratio, etiam moraliter, discontinuetur. Quod tenendum censeo.

Discrimen ponit inter absolventem, & communionem ministrantem: Quia toties variatur judicium, & novum conficitur Sacramentum, quoties pœnitentes absolvuntur: & ideò hic toties peccat, quoties, & quot absolvit, ut alibi diximus.

Circa Patrinos, admittendos in baptismate solemni. Vide Trid. *sess.* 24. *cap.* 2. *de reform. Matrimon. & lib.* 4. *cap.* 2.

83. Quæritur, *Maritus, & Uxor tenent in Baptismo infantem Francisci, petitur, an priventur jure petendi debitum?*

Resp. Negativè, quia inter ipsos susceptores nulla contrahitur cognatio Spiritualis, ex Trid. *loc. cit.* Verùm, Parochi non debent esse faciles in admittendis Marito, & Uxore pro Patrinis in eodem baptismate ob reverentiam Sacramenti, consideratam *cap.* quod autem 30. *qu.* 4.

84. Prop. 28. Valet *baptismus collatus à Ministro, qui omnem ritum externum formamque baptizandi observat, intus autem in corde suo apud se resolvit, non intendo facere, quod facit Ecclesia.*

Forma baptismi indifferens est, ut assumatur ad baptizandum ad ludum, jocum &c. ergo debet determinari ad baptizandum verè per intentionem Ministri: Qui certè intentionem baptizandi non habet, dum contrarium intendit.

In Ministris itaque, qui Sacramenta conficiunt, necessaria est intentio, saltem *faciendi, quod facit Ecclesia.* Est res definita in Florent. in decret. Eugen. & Trid. *sess.* 7. *can.* 11. *de Sacram. in gen.* Nam non censetur esse Christi, & Ecclesiæ Minister, qui non vult facere, nec intendit, quod Christus instituit, & Ecclesia observat.

85. Sed difficultas est, *quanam sit intentio Ecclesiæ, seu quodnam sit objectum intentionis Ecclesiæ in actu conferendi Sacramenta?*

Resp. Est facere id, quod, & sicut Christus Dominus instituit. Quare intentio conficiendi Sacramentum est voluntas, qua quis vult facere, quod Christus instituit; quàm voluntatem censetur implicitè habere, qui baptizando vult facere, quod facit Ecclesia.

86. Sed quæritur, *Turca videns Sacerdotem Catholicum baptizare; qui veram intentionem baptizandi habet, eadem verba, abluendo filium, profert, intendendo, & volendo facere, quod ipse Sacerdos agit, petitur, an validè baptizet?*

Resp. Affirmativè; ratio est, quia Sacerdos ille baptizando facit, quod facit Ecclesia, ergo Turca intendendo per baptismum facere, quod facit Sacerdos, implicitè intendit facere, quod facit Ecclesia. Gobat, & Poncius. Et ibi Gobat observat eum, censeri velle baptizare, ut baptizat Ecclesia, si verba proferat, & abluat eo ritu, quo Ecclesia utitur, vel quo utuntur

Sacerdotes, dum baptizant. Lege Trid. *sess. 7. canon. 4. de baptis.* definiens Baptismum, *qui datur ab Hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, esse verum baptismum.* Unde Sacra Congregatio Concilii decrevit baptizatos à Calvinistis, esse verè baptizatos, ita ut non sint denuò baptizandi, etiam sub conditione, *si non sint baptizati*, apud Fagnan. *in 1. Decretal. ad cap. quoniam de const. num. 24.* Nam supponitur, Calvinistas habere intentionem faciendi per baptismum, quod Christus instituit, vel quod Christi Ecclesia facit.

87. Sed quæritur, *an intentio debeat esse actualis, an virtualis, vel habitualis?*

Resp. Sed priùs pondera, intentionem esse actum voluntatis, qua te determinas ad aliquod faciendum, v. gr. volo baptizare, celebrare, Confessiones audire, &c. Hujus species sunt, actualis, virtualis, & habitualis. Actualis est, *qua quis actu vult facere aliquid, elicito voluntatis actu, tendente in illud*; ut, volo baptizare, recitare Officium, &c. Virtualis est, *quæ actu seeundùm se non existit, quando conficitur Sacramentum, sed existit in effectu aliquo, ab illa immediatè, vel mediatè proveniente, dum actualiter existit.* V. gr. vocaris ad baptizandum puerum: Ad eum finem, ad Ecclesiam vadis, sumis Rituale: Aperis Fontem, &c. Dum verba profers, & abluis propter mentis distractionem, non cogitas de baptismo: Diceris baptizare cum intentione virtuali: Quatenus iter ad Ecclesiam assumptum, aperitio fontis, orationum lectio, & similia, sunt effectus intentionis actualis præteritæ: & sic baptismus validus confertur.

Habitualis resultat, non ex præcedenti actu voluntatis aliquid agendi, sed ex frequentatis actibus, ex quibus habitus agendi acquiritur: Qui etiam in dormientibus, & ebriis manet.

Ad dubium itaque. Actualis optima est, & consulenda: Sed non est necessarium, ut semper in se duret, quia id propter evagationem mentis est moraliter impossibile. Virtualis sufficit: Et habitualis est inepta; quia habitus ille non influit in velle actionem illam; ut constat in operantibus ex habitu, & usu, non præmissa volitione operandi.

Virtualis ita que sufficit; alias esset moraliter impossibile conficere Sacramenta, quoties conficiuntur. Nam impossibile moraliter est, quòd semper habeatur intentio actualis, in quo DD. conveniunt: ponderantes ad intentionem virtualem requiri, ut actualis præcedat, & non fuerit retractata, vel moraliter interrupta, per exercitium negocii impertinentis, & non ad breve tempus. Habes in Cella intentionem celebrandi: Statim discedis ex Conventu ad litigium absolvendum, emendos libros, invisendum amicum, &c. redis, & celebras, non removans intentionem. Non diceris celebrare ex vi intentionis præteritæ, virtualiter durantis.

88. Ad tollendos scrupulos considera, quòd intentio actualis, alia est directa, (quæ ab aliquibus vocatur non cognita) & alia reflexa (quæ ab iisdem cognita dicitur) Directa est, qua quis advertens, & volens, aliquid operatur, sed per alium actum reflexum non advertit se

se advertere, & habere talem volitionem. Reflexa est, qua quis advertens, & volens, aliquid operatur, & per alium actum reflectit, & cognoscit, se advertere, & velle, quod agit. Multi existimant se intentionem actualem non habuisse, quia non habuerunt actualem reflexionem, cognoscendo se velle, quòd operantur: sed non rectè. Nam licet, propter distractionem intellectus non advertant ad id, quod operantur, non sequitur, ut notat Poncius, & Felix *tom. 1. examen ordinan. num.* 213. quin actu velint operari, & operentur, quia volunt. Exemplum est; intendo celebrare, propterea vado ad Sacristiam, vestes assumo, lego Missam, verba consecrationis profero, sed propter distractionem non adverto ad id, quod lego, quod operor. Fortè non habeo volitiones actuales, quæ imperent illas actiones? De necessitate debeo eas habere: aliàs illæ actiones non possent continuari. Nam prima volitio nequit esse causa sequentium actionum: quia jam defit. Quare, vestes sumo, quia volo: lego, quia volo: profero, quia volo; quamvis non advertam me velle, me legere, &c. Sed pondera, quòd ista intentio actualis directa, non cognita, non sufficit, nisi præcesserit intentio actualis cognita, ad quam aliæ volitiones non cognitæ sequantur.

89. Prop. 29. *Futilis, & toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium Oecumenicum auctoritate; atque in fidei quæstionibus infallibilitate.*

Per Concilium Oecumenicum DD. intelligunt Concilium Generale, seu Universale, auctoritate Romani Pontificis congregatum. Cui ipse, vel per se immediatè, vel per suos Legatos præsidet: & ad quod possunt, & debent convenire omnes Episcopi totius Orbis, nisi legitimè impediantur. Hujusmodi Concilia non esse supra Papam, sed Papam supra ipsa, & independenter ab eis, esse in definiendis fidei, & morum quæstionibus infallibilem, est constans omnium Theologorum, & Canonistarum sensus; propter manifesta testimonia Scripturæ, Pontificum Decreta, & Conciliorum Definitiones, ad evidentiam, Romani Pontificis potestatem, auctoritatemque supra omne Generale, & Universale Concilium ostendentia; ex quibus aliqua meo Confessori propono.

90. Primatus Papæ supra Concilium Generale probatur. I. Matth. 16. ubi Christus in præsentia aliorum Discipulorum, soli Petro, Vicariam, supremam, absolutam, & universalem potestatem supra universam Ecclesiam promisit, dicens: *& ego dico tibi* (non vobis, non vestro Collegio, sive Concilio) *quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & portæ inferi non prævalebunt adversus eam; & tibi* (non vobis, non Concilio) *dabo claves* (quæ supremam potestatem denotant,) *Regni Cœlorum, & quodcumque ligaveris, &c.*

91. Implevit autem promissa, cùm post Resurrectionem eidem Petro dicit: *Pasce agnos meos, pasce oves meas,* Joan. 21. hoc est, Ecclesiam meam; ut bene explicavit ipsa Ecclesia, à Spiritu Sancto illuminata, dum in Oratione pro Pontifice Romano ait. *Deus omnium fidelium Pastor, & Rector, qui famu-*

*lum tuum N. Ecclesiæ tuæ præesse voluisti, &c.* Et proinde idem est dicere: *Pasce oves meas, ac pasce Ecclesiam meam*; quibus propterea verbis eum Papam, & Vicarium suum creavit, ut teste Fagnano *in* 1. *Decretal. ad capit. significasti de elect.* DD. ponderant.

92. Accedit. Pro Pontificis Romani authoritate, Pius II. *constit. In minoribus la* 10. *Bullar. to.* 1. retractans, quæ ipse, cùm esset junior, in oppositum scripserat, habet: *hæc nos de Romani Pontificis auctoritate, & potestate sentimus: cui & congregare generalia Concilia, & dissolvere datum est*: & infra: *inter quæ nullum invenimus unquam fuisse ratum, quod, stante Romano indubitato Præsule, absque ipsius auctoritate convenerit: quia non est corpus Ecclesiæ sine Capite: & omnis ex capite defluit in membra potestas.*

93. Confirmat Florentinum in literis unionis. *Item diffinimus, Sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem, in universum Orbem tenere primatum: & ipsum Pontificem Romanum, Successorem esse B. Petri, Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ Caput, & omnium Christianorum Patrem, ac Doctorem existere: & ipsi in B. Petro pascendi, regendi, & gubernandi universalem Ecclesiam à Domino nostro Jesu Christo, plenam potestatem traditam esse.*

94. Respondent, ex adductis solùm probari Romanum Pontificem esse, & potestatem habere supra singulos fideles, & super singulas Ecclesias particulares, ipsarumque Prælatos, ita ut nullus sit fidelis, nulla excipiatur Ecclesia, & Prælatus, qui à Romani Pontificis potestate, & jurisdictione eximatur: non verò probari Romanum Pontificem esse supra universalem Ecclesiam, in unum congregatam: exemplum adducunt de Duce Veneto, qui potestatem habet, & jurisdictionem supra singulos Venetos Cives, sed non supra totum Senatum collectivè sumptum. Ratio est, quia à divisis ad collecta non tenet illatio.

95. Verùm futilis, levis, & nullius momenti est objectio: ad evidentiam non semel depulsa, & rejecta. Est Pontifex Romanus ex Florent. totius Ecclesiæ Caput, & omnium Christianorum Pater, & Doctor, ergo & Concilii; nisi Authores propositionis sentiant Concilium esse extra Ecclesiam, & PP. in Concilio congregatos desinere esse Christianos, ad Gregem, & Christi oves pertinere; quod non sine manifesto errore assererent: ergò est veritas omninò infallibilis, Papam esse supra omne Concilium Generale; prout reprobato errore Basilienſium, asserentium Concilii authoritatem esse supra Papam, dixit Concilium Lateranense 5. *sub Leone X.* ut infra: *solum Romanum Pontificem super omnia Concilia authoritatem habentem, Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac dissolvendorum plenum jus, & potestatem habere: ne dum ex Sacra Scriptura testimonio, dictis Sanctorum Patrum, ac aliorum Romanorum Pontificum, sed propria eorundem Confessione manifestè constat.*

96. Accedit authoritas Conc. Constantien. In quo. *sess.* 8. ut Hæreticus damnatur Joann. Wiclef. ex quo inter alia dixerit: *Papa non est immediatus Vi-*

*cari-*

*carius Christi:* sed id sequitur, si non Papa supra Concilium, sed Concilium in Papam authoritatem habeat; nam tunc Concilium immediatus Vicarius foret, & Papa mediatus; ergo, ne innovetur proscripta hæresis, firmissimè fatendum est, Papam esse supra omne Concilium, & Caput Ecclesiæ, quod negabat Joan. Huz: cujus errores fuerunt in eodem Concilio *sess.* 14. proscripti.

97. Ex quibus patet, exemplum adductum de Duce, nil concludere; nam manifestum discrimen est inter eum, & Pontificem: etenim Dux Venetus potestatem accipit à Republica cum limitatione, ut non extendatur ad Senatum, simul collectum, sed solùm ad singulos Cives divisim, Pontifex autem Romanus jurisdictionem non accipit ab Ecclesia, sed illam unicè habet à Christo, ex supra allegatis: sed Christus ei potestatem concessit supra Ecclesiam universalem, cujus est caput; juxta *const. Conc. Lugdunen. sub Gregor. X. relatam in cap.* ubi *periculum de elect. in 6.* ubi § *Cæterum: Romanus Pontifex dicitur, Doctor universalis Ecclesiæ, & Gregis Dominici director*; ergo est supra Concilium Generale; quod est repræsentativè Ecclesiæ universalis, cujus Papa est Director, & Caput.

98. Et hinc constat in nostro casu valere argumentum à divisis ad simul collecta; nam hujusmodi arguendi modus tunc tenet, quando eadem omninò ratio est in divisis, & in simul collectis: ubi enim eadem est ratio, eadem debet dari juris dispositio. Exemplum satis aptum, ad id probandum sunt creaturæ, quarum quælibet subjicitur Deo, quia ab ipso dependet: ergo & omnium creaturarum collectio Deo subjicitur: quia creaturæ, etiam simul collectæ, sunt à Deo dependentes: ergo & Pontifici Romano subjiciuntur, non modò singuli fideles divisim, sed etiam omnes simul collectivè: quia tam singuli, quàm omnes collectivè, sunt oves Christi: quarum cura à Christo Romano Pontifici commissa fuit; ergo & omne Concilium Generale, quod non potest sine authoritate Papæ legitimè congregari, & post congregationem continuari, ut expressè *text. in cap. Multis dist.* 17. ubi: *Multis denuò Apostolicis, & Canonicis, atque Ecclesiasticis instruimur regulis, non debere absque sententia Romani Pontificis Concilia celebrari; quapropter, ut jam dictum est, rectè, non Concilium, sed vestrum conventiculum, vel conciliabolum cassatur, & quidquid in eo actum est, irritum habetur, & vacuum.*

99. Addo, Patres in Conciliis congregati consueverunt petere, & obtinere Concilii confirmationem à Summo Pontifice, prout, aliis omissis, fecit Trid. videndum in fine *sess.* 25.

100. Agunt de Prærogativa Pontificis supra Concilium, ejusque infallibilitate, independente à Concilio Fagnan. in 1. *Decretal ad alleg. cap. significasti, & ad cap. Antigonus de pactis num.* 5. *ibidem.* Bail. *sum. Concilior. tom.* 1. *Concil. Basilien.* §. *de authoritate Concil. & Papæ.* Leytan. *Clypeus dignit. Pontif. discept.* 1. *sess.* 1. Du-hamel *Theol. Cleric. tom.* 5. *lib.* 2. *de Concil. dissert.* 1. *cap.* 3. Guarnieri *de Eccles. militan. lib.* 2. *cap.* 26. & apud istos alii.

101. Prop. 30. *Ubi, quis invenerit doctri-*

*doctrinam in Augustino clarè fundatam, illam absolutè potest tenere, & docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam.*

Soli Summo Pontifici est à Christo data infallibilitas in definiendis, & decidendis quæstionibus fidei, & morum: ut aliis omissis, concludit illud Lucæ 20. *Simon, Simon, ecce Sathanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum: ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* In quo est ponderandus modus loquendi Christi: *Sathanas expetivit vos,* (non te) *ego rogavi pro te,* (non pro vobis) ut *non deficiat fides tua* (non vestra) *& tu aliquando conversus confirma fratres tuos:* & non dixit: vos confirmate. Et ex isto omnes DD. probant, Pontificem Romanum esse supremum Judicem, controversiarum fidei: ac, dum de rebus fidei, & morum ex Cathedra, etiam extra Concilium, loquitur, non posse falsum definire, aut errare. Ergo contra fidem loquuntur Authores propositionis, quatenus Pontificis infallibilitatem in rebus fidei, & morum negant; dum censent ad ipsum non esse respiciendum, tametsi declaret mentem S. Augustini in hac, vel illa propositione expressam, esse intelligendam in contrario sensu ab eo, quàm, in quo privato Doctori videtur esse clara.

102. Sed quæritur, *quando Pontifex censeatur ex Cathedra loqui, & definire?*

Resp. Cùm loquitur, & definit formaliter, *ut Pontifex Maximus, Supremus totius Ecclesiæ Pastor, & Rector, Doctor, ac Universalis Magister, à Deo constitutus pro docenda, dirigenda, instruenda, conservanda, ac confirmanda Ecclesia, & pro ea liberanda ab omni perversæ doctrinæ macula, & nævo: ut sit Christi Sponsa, pulchra sine macula, & ruga hæreticalis, & corruptæ doctrinæ.* Vel brevius: *quando definit, decernit universam Ecclesiam, ei proponens, quid credendum, quidve sequendum sit, intendens omnes ad observantiam obligare, ut credant, & operentur juxta suam definitionem, & propositionem.* Nam sic agens operatur, ut Summus Pontifex, & Doctor Ecclesiæ, habens supremum Magisterium fidei. Sic DD. communiter. Leytan. *cit. discept. 6. sect. 11.* & Guarnieri *lib. 2. cap. 22.*

103. Apud quos est commune, eum esse in Ecclesia Catholica habendum ut Hæreticum, easque propositiones esse scandalosas, temerarias, novas, hæreticas, &c. quem Romanus Pontifex ex Cathedra loquens, ut Hæreticum damnat, quasque sub ea respectivè censura proscribit: quamvis loquatur extra Concilium. Nam Christus Dominus soli Petro, & non Petro cum Concilio promisit, & dedit claves: super Petrum Ecclesiam fundavit; pro eo rogavit, ut fides ejus non deficeret: eique præcepit, ut fratres suos confirmaret, pasceret, atque doceret. Et hæc simplici Confessori sint satis: interea videat, quæ dixi *cap. 29. §. 2. & 4. offic. Cur. Ecclesiast.*

104. Prop. 31. *Bulla Urbani VIII. in* emittenti *est subreptitia.*

Nota I. Constitutionem illam subreptitiam reputari, quæ obtinetur, seu potius dolosè extorquetur, per expositio-

tionem falsitatis; quemadmodum obreptitia illa præsumitur, quæ per fraudem impetratur, tacendo verum: quòd, si fuisset expressum, non emanasset.

105. Nota 2. Prætactam Bullam Urb. fuisse editam sub anno 1641. in qua confirmatur Const. *B. Pii V. incipit, ex omnibus*, & alia *Greg. XIII.* damnantium 79. propositiones, à Michaele Bajo assertas; & proscribitur liber, cui titulus *Augustinus Cornelii* Jansenii, olim Ipren. Episcopi, aliosque errores, ut in Bulla Urbani *la* 289. *Bull. to.* 5.

106. Nota 3. Ipsam Bullam ab Urbano prodiisse, loquente ex Cathedra, seu, ut Capite, & Magistro Ecclesiæ, ipsam docente, & instruente; ut per hæc in Constitutione exprimitur: ut, *quæ ad fidei Catholicæ conservationem à Prædecessoribus nostris provide statuta, & ordinata sunt, firmiter perpetuò observentur, & cum opus sit, nostræ Auctoritatis munimine confirmentur.* Quam ab omnibus observari voluit, prout hæc significant: *inhibentes insuper sub omnibus pœnis, & censuris in prædicta constitutione Pii Prædecessoris contentis (à quibus nullus Romano Pontifici inferior, excepto mortis articulo, absolvere contrafacientes possit) ne quis cujuscunque conditionis & qualitatis, etiam specialis, & specialissimæ nota, & expressione dignus, de prædictis, ut supra damnatis, & in præsenti libro contentis, aliisque &c. quoquo pacto loqui, scribere, & disputare audeat, librumque, & alia prædicta penes se retinere, vel legere præsumat:* & infra. *Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis &c. infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & BB. Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.*

107. Ex quibus fit evidens, Authores propositionis, dum asserunt Bullam esse supreptitiam, profiteri, & eam esse falsam, & sententias per eam prohibitas, veras; consequenter Romanum Pontificem, ex Cathedra loquentem in materia morum, & iis, quæ ad rectè vivendum pertinent non esse Regulam infallibilem, & posse falsum, ac turpia docere, & honesta damnare. Quod affirmari nequit, nisi ab existente extra Ecclesiam, & pertinaciter asserente, Romanum Pontificem in formandis decretis, quibus noxia, & pernicioſa doctrinarum pascua ab innoxiis, & salubribus segregat, ex certa, & infallibili Spiritus Sancti assistentia non operari. Quos redarguit constans, & perpetuæ Ecclesiæ, ac fidelium consuetudo, consultandi Romanum Pontificem, in quibuscumque dubiis, & controversiis, quæ oriuntur circa fidem, & mores: ut, quæ credenda, & agenda sunt, sine periculo errandi: Ipso proponente, & docente, credantur, & agantur.

108. Dices. Urbanum non esse ex Cathedra loquutum, quia ad locutionem formalem ex Cathedra requiritur, ut Pontifex dicat, *definimus, decidimus*, vel aliquid simile, qua formula non est usus Urbanus.

Resp. Verbum *damnamus, prohibemus, mandamus pro vetitis, & prohibitis haberi*, in materia doctrinæ (in qua Pontifex errare non potest) est verbum simile, vel illis æquivalens. Nam hoc,

quod est *damnare*, seu *prohibere* doctrinam aliquam, tamquam hæreticam, scandalosam, periculosam, &c. idem est, *ac declarare, decidere, & definire*, eam esse hæreticam, scandalosam, &c. ut optimè notavit Cardenas Cris. *Theol. dissert. 1. Proœmial. c. 7. n. 124. ad prop. damn. ab Innoc. XI.* Urbanus autem utitur verbo, *prohibemus*, quod est idem, ac dicere; tamquam omninò certum declaramus, & definimus doctrinas (in constitutione prohibitas) vergere in scandalum totius Reipublicæ Christianæ, & fidei Catholicæ perniciem.

109. Teneas itaque constantissimè, fidelissimèque doceas Romani Pontificis infallibilitatem in decidendis quæstionibus in materia fidei, & doctrinæ, ad mores spectantis: considerans, quod securitas non errandi in credendo, & operando, in corpus Ecclesiæ descendit à securitate non errandi, quæ est in suo Capite. Quoniam, ne erraret Ecclesia, promissio facta est suo Magistro, illis verbis: *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*: eique infallibilitas data: *ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua.*

110. Quæritur, *an decreta ab Alex. VII. Innoc. XI. & Alex. VIII. respectivè formata sint definitiones ipsorum Pontificum loquentium ex Cathedra?*

Resp. Affirmativè. Ratio est, quia tunc Romanus Pontifex loquitur ex Cathedra, quando loquitur ut Caput, & Magister Ecclesiæ: tunc autem ut Caput, & Magister Ecclesiæ loquitur, cum decretum edit pro universa Ecclesia, docens quid credendum, & quid agendum sit, illudque vult ab omnibus indubitanter admitti, & observari. Sed omnes tres præfati Pontifices loquuti sunt ut Caput Ecclesiæ, & decreta ediderunt pro universa Ecclesia, segregantes noxia doctrinarum pascua, in perniciem animarum inventa, ab innoxiis, & salubribus. Quorum observantiam stricto præcepto in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna excommunicationis (reservata Romanis Pontificibus absolutione, præterquam in mortis articulo) omnibus, & singulis fidelibus injunxerunt; prout in decretis expressè.

111. Sed quæritur, *an, cum quis in articulo mortis absolvitur ab excommunicatione incursa, ex quo decretis contrafecerit, aliquam ex aboletis propositionibus ad praxim deducendo, aut defendendo, vel de ipsa, nisi forsan ad impugnationis effectum, disputando, seu prædicando, teneatur, cessante periculo, se coram Sanctissimo præsentare.*

Resp. Affirmativè, juxta text. *in cap. eos qui de sent. excomm. in 6.* vide dicta *lib. 1. cap. 2 nu. 14. & cap. 33. num. 49.* & ex ibi dictis collige praxim. Et Deo gratias age, si in tui commodum, hucusque scripta aliquid utilitatis attulerint.

## CAPUT IV.

### *Votum.*

APPENDICEM de voto sub uno capite comprehendimus, in quo, si non singula, ad minus principaliora inter Moralistas disculsa, & frequentiora, quæ ad Tribunal Sacramentale Pœnitentes deferunt, Confessario exhibentur, ut nil ei in hoc opere desiderandum

randum sit pro ordinaria ministerii instructione.

1. Circa vota erravit Michael de Molinos, qui tertia propositione, inter cæteras ab Innoc. XI. proscriptas, dixit: *i voti di far qualche cosa sono impeditivi della perfettione:* & prop. 65. *Alli Superiori si deve obedire nell' esteriore: e la latitudine del voto dell' obedienza de Religiosi, arriva solamente all' esteriore: nell' interiore è altra cosa, ove solo Dio, e la Guida entrano.*

2. Votum itaque *est promissio libera facta Deo, de meliori bono.* Ex qua definitione constat, ad votum quatuor requiri.

1. Requiritur, *ut sit promissio, non propositum*; nam, cum propositum sit voluntas dumtaxat faciendi aliquid, votum non constituit, ut dicitur *cap. Literaturam de voto.* Sed cum ea voluntate est necessaria voluntas se ex fidelitate obligandi Deo ad faciendum id, quod quis dicit se facturum; quæ voluntas solet promissio nominari. Ubi advertendum, veram promissionem includere æquivalenter has duas voluntates, & faciendi rem, & se obligandi alteri; nam, ut optimè Poncius *Theol. disp. 60. qu. 5. nu. 28.* dixit, non stat promissionem esse veram, ac menti conformem, & non esse cum animo faciendi, & se obligandi. Et sufficit promissio, sive interior, & mentis, sive exterior, verbis, aut scriptis expressa. Vid. *lib. 2. cap. 37. num. 2.*

3. Sed quæritur, *an, quando pœnitens monitus à Confessario, ut à furto v. g. cesset, respondet: promitto me illud amplius non committurum, votum emittat?*

Resp. Negativè, regulariter loquendo. Illud enim *promitto*, confunditur cum *propono*; nam pœnitens intendit solùm manifestare suum firmum animum, & voluntatem non furandi: non verò in casu transgressionis se obligare ad novum peccatum præter id, quod furando committit contra præceptum non furando.

Dixi *regulariter*, quia si promittens intenderet se nova obligatione voti obligare, votum emitteret, & furando peccaret, non modò contra præceptum de non furando, sed etiam contra Religionem, non stando fidelitati voti; nam Deo voveret implere, quod Confessario promitteret.

II. *Requiritur libertas*; nam votum sine libertate non subsistit. Quia, cum votum sit lex, quam sibi vovens imponit, rationabile est, ut liber sit, dum ad eam se obligat. Debet etiam ad vovendum procedere cum deliberatione, hoc est, cum advertentia ad materiam, quam vovet, sciens obligationem voti: & non inconsideratè, & præcipitanter: deliberatio enim est judicium, seu actus rationis, quo quis ponderat, & decernit an sibi expediat vovere. Sum. Leand. *ver. votum. nu. 3. & 6.*

4. Sed quæritur, *quanta libertas sit necessaria ad valorem voti?*

Resp. Quando sufficit ad peccandum mortaliter. Sufficit itaque ut quis sciens, & prudens, & cum advertentia ad id, quod agit, operetur, ut expressè dixit Gloss. ad *cap. Mulier 32. qu. 2. verb. Mulier*; *nam libertas sufficiens, ut Diabolo devincti simus, sufficiens etiam est, ut Deo obligemur.* Qui majorem circum-

stantiarum ponderationem exigit, loquitur cum præjudicio valoris votorum, & fidelitatis Deo debitæ, quia ferè semper posset quis prætendere quasdam circumstantias non sufficienter prævidisse, ut bene discurrit, ubi supra cit. Illsung. & De la Cruz *direct. conf. ar.2.* de voto *n.3.*

5. Quæritur, *an vota facta tempore tempestatis, aut mortis imminente periculo, seu metu alicujus mali vitandi, sint valida?*

Resp. Sed prius distinguas, duplicem metum; unum ab intrinseco, à causa naturali provenientem, ut est metus gravis infirmitatis, mortis, imminentis naufragii, aut ferorum animalium; & alium provenientem ab extrinseco, à causa animirum libera, ut homine. In isto, etiam oportet distinguere, an sit levis, vel cadens in virum constantem. Metus nimirum gravis damni, nempè vitæ, mutilationis, gravis infamiæ, jacturæ bonorum, nobilitatis, &c. Quod damnum non temerè, sed prudenter timendum est, quia videlicet is, qui minatur, solet minas exequi, nec ei facilè resisti potest. In isto pariter opus est distinctione: quia, vel justè, vel injustè incutitur: si injustè: vel ad finem extorquendi votum, vel non: modò.

Doctores conveniunt. I. Quòd votum emissum ab eo, qui ad vovendum movetur timore periculi, provenientis à causa naturali, validum est, ex *cap. sicut nobis de regul.* Ratio est, quia votum spontaneè emittitur; nam existens in eo periculo poterat non vovere, & votum eligit, ut remedium ad vitandum malum imminens, quod metuit. Quilici *Confess. manud. qu.15. art.2. num.16.* Tambur. *lib. 1. in decalog. cap.2. §.8.*

II. Quòd votum emissum ob metum justè, sive injustè ab extrinseco incussum, sed non ad finem extorquendi votum, est validum, & obligat. Ratio est, quia tunc à nemine impellitur vovens, sed sponte sua illud eligit, tamquam remedium imminentis mali.

III. Quòd validum est votum, emissum ob metum justè incussum in ordine ad ipsum votum emittendum: v.g. damnatur mulier fortilega ad perpetuum carcerem, à quo tamen liberatur ea conditione, ut fiat Monialis: quod ipsa exequitur: cujus professio est valida per DD. Gobat. Tambur. Felicem, & Cabassut. *prax. lib.3. cap.24. num.6.* Ratio est, quia tunc ei sine injuria, immò cum beneficio votum proponitur, non sub coactione, sed sub conditione evitandæ carcerationis, ut scilicet voveat, si malum, cui liberè caveam dedit, fugere velit. Qua etiam propositione stante, posset non vovere.

IV. Quod invalidum est votum emissum ex metu gravi, ab extrinseco injustè incusso ad finem illud extorquendi, ut deciditur in *cap. Perlatum de iis quæ vi, metu, &c.* ubi Pontifex mulierem metu injusto mortis coactam ad vota Religiosa, ab eis liberam pronunciat; ratio est, quia Deus non acceptat, quod non est omninò spontaneum: ne injustas coactiones videatur approbare: prout notavit Quilici, ubi supra.

6. Sed hic ponderandum, quod Pontifex *in alleg. cap.* firmat professionem, metu mortis emissam non obligare ad observantiam, modò professus ex post fa-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

cto liberè non consentiat, & ratum habeat: quod videtur moraliter impossibile, ut non contingat in iis Religiosis allegantibus contra validitatem professionis vim, & metum à parentibus, vel aliis, ad eum finem incussum; dum ad plures annos, etiam post quinquennium à Trid. *sess.25.cap.19. de regul.* statutum ad allegandum contra professionem, in Religione vivunt, & in actionibus, solis professis propriis, communicant; ac ad Ordines promoventur ad titulum paupertatis: scientes, quod aliter non promoverentur, nec ea munera obirent, nisi essent Religiosi.

7. Sed quæritur, *an in dubio, quod professio sit emissa per vim, & metum, præsumendum sit pro validitate professionis?*

Resp. Affirmativè; ratio est, quia possessio stat pro professione, quæ est certa; nam solùm dubitatur de modo. Idem resolvens Gobat. *tom.3. num.338.* in dubio, an metus fuerit levis, vel gravis, dixit, præsumendum fuisse levem, ex quo in dubio sit favendum valori actui.

8. Sed quid de eo, *qui dubitat, an votum emiserit?*

Resp. Plures negant teneri votum implere, quia in casu possessio stat pro libertate; quemadmodùm stat pro voto, cùm quis est certus se vovisse, & dubius, an illud impleverit: sed tutius est, ut impleat: vide omninò *lib.1.cap.16.num.21. & cap.20.*

9. III. Requiritur, *ut sit promissio facta Deo*, quia vota soli Deo fiunt; nam votum differt à promissione humana per hoc, quod illud sit promissio tendens ad obsequium, cultum, & attestationem excellentiæ Dei, à quo, ut ab Authore omnium bonorum aliquid impetrare intendimus.

10. Sed dices in quibusdam formulis professionis Religiosorum exprimitur, etiam nomen B.M.V. & aliorum Sanctorum; prout in formula professionis, quam emittunt Fr. Min. ut infra, *ego N. voveo, & promitto Deo omnipotenti, B. M. semper Virgini, B. Francisco, & omnibus Sanctis, & tibi, Pater, toto tempore vitæ meæ, &c.* ergo potest quis Sanctis vovere.

Resp. Negando consequentiam; nam propriè soli Deo vovemus: vota enim continent adorationem Latriæ, quam exhibemus in attestationem divinæ excellentiæ; Sanctis autem non debetur cultus Latriæ ex dictis *lib.3.cap.3.nu.46.* ergo eis non vovemus. Illa additione nominum SS. Virginis, & Sanctorum in formulis professionum contenta, solùm significatur, quod Deo vovens Sanctos adhibeat, & advocet, in mediatores, testes, & patronos suæ promissionis, ut Deo offerant, testentur, & impetrent fidelem emissionem, & executionem voti Nomen autem suscipientis votum in alleg. formulis exprimitur, etiam ut testis, quod vovens implebit id, quod promittit. Summa Leandr. *citat. num.52.*

11. Hinc colligitur, quorundam modum loquendi, dicentium: *vovi D. Antonio jejunare: S. P. Dominici Ecclesiam visitare:* istum sensum facere, quòd votum sit Deo factum in honorem S.P. Dominici, & D. Antonii.

Et observandum, quòd licèt, etiam ad B. Virginem, & Sanctos sæpissimè

orationes noſtræ dirigantur, diverſo tamen modo Deum, & Sanctos invocamus; nam ut obſervat Catechiſmus Conc. Trid. *p. 4. §. quis orandus n. 3. Deum precamur, ut ipſe vel bona det, vel liberet à malis: à Sanctis autem* (quia Deo chari ſunt, & amici) *petimus, ut noſtri patrocinium ſuſcipiant, ut nobis* (ſuis precibus) *à Deo impetrent ea, quorum indigemus. Hinc duas adhibemus precandi formulas, modo differentes. Ad Deum enim propriè dicimus. Miſerere nobis. Audi nos:* ad Sanctos autem, *orate pro nobis.*

*Propterea illud maximè cavendum eſt omnibus,* ut ibid. *nu. 5.* notavit, *ne, quòd Dei proprium eſt, cuiquam præterea tribuant; immò verò, cùm ad Imaginem Sancti alicujus quis Dominicam Orationem* (Pater noſter) *pronunciat, ita tum ſentiat ſe ab illo petere, & ſecum oret, ſibique poſtulet ea, quæ Dominicæ Orationis formula continentur, & ſui denique ſit interpres, & deprecator ad Deum: à quo bona omnia procedunt.*

Nec per recurſum ad Sanctorum interceſſionem præjudicatur merito Chriſti mediatoris, & redemptoris omnium, ut Catholicis ab hæreticis objicitur. Nam potius in maximam Chriſti gloriam cedit, quòd ipſe meruerit, ut ipſi poſſent pro aliis intercedere. Quapropter ipſorum interceſſiones vim habent ex meritis Chriſti, qui ſolus eſt redemptor, & primarius mediator. Propterea quidquid Eccleſia, adhibita etiam interceſſione Sanctorum, petit à Deo, totum ſe impetraturam per merita Chriſti profitetur; orationes proinde, & petitiones hiſce verbis abſolvens. *Per Chriſtum Dominum noſtrum*, orans Deum, ut propter Chriſti merita ſe ipſam exaudiat, & concedat quod petit. De invocatione Sanctorum videri poteſt Pexius *Theolog. dogmat. de Angel. lib. 2. cap. 10.* & *de Incarnat lib. 12. cap. 5. nu. 1.* & nos dicturi ſumus in opere dogmatico, quod præſidio Dei quamprimùm abſolutum dabimus.

Conſentiunt Campionus *part. 2. inſtr. cap. 23.* cum Sum. Leandr. loco cit. & Engel. *colleg. jur. can. lib. 3. tit. num. 8.* ſuſtinentes promiſſiones Sanctis factas, vota reputari, quia ſaltem mediatè Deo fieri cenſentur, quatenus Deus in ipſis colitur, & id, quod petitur, à Deo per interceſſionem Sanctorum impetrari ſperatur.

12. IV. Requiritur, *ut ſit de meliori bono*, hoc eſt, de iis, quæ Deo magis placent, & magis ſunt ipſi grata. Hinc ſequitur, quòd ut votum ſit validum, & obliget, materia ipſius non debet præjudicare meliori bono, & Deo magis gratæ: ac debet eſſe poſſibilis, non mala, non vana, non inutilis, non indifferens. Ratio eſt, quia votum editur in cultum, & reverentiam Dei, & de re quæ ipſi placet, cui res impoſſibilis, indifferens, &c. placere non poteſt, nec in ejus reverentiam cedere.

13. Propterea ſi, quia ex equo cecidiſti, voveas ampliùs non equitaturum: vel, quia paſſus es in mari, voveas non iterùm navigaturum, vel quia in ſaxa offendiſti, per talem viam non tranſiturum, &c. votum eſt nullum, nec obligat, quia Deo diſplicet imprudens, & ſtulta promiſſio. Si verò voveas, per talem viam non tranſire

ad

ad fugiendam occasionem proximam, votum tenet, quia id Deo placet, & ordinatur in finem bonum.

14. Sed quæritur, *an teneat votum de re bona ob malum finem, ut, si Dux ad bellum injustum proficiscens, voveat ædificare Templum, si victor erit; vel usurarius elargiri eleemosynas, si usuras integras à debitoribus percepérit?*

Resp. Negativè; quia votum emittere ad obtinendam à Deo rem illicitam: vel, ut in gratiarum actionem, quod res illicita, quasi per Dei auxilium acquisita sit, est mala, & blasphema operatio, quia Deo adscribit peccata placere, ad ipsa specialiter concurrere, eaque approbare. Si verò Dux voveret, volo ædificare Templum, postquam victoriam reportavero, absque intentione, mediante voto talem finem illicitum consequendi, votum obligaret, quia non moveretur ad vovendum ex victoria reportanda, sed statueretur, ut conditio exolvendi voti, simpliciter emissi.

15. Quæritur, *Petrus emisit votum contrahendi matrimonium, petitur, an teneat?*

Resp. Negativè; ratio est, quia vovens intendit aliquid gratum facere Deo: sed obligando se ad minus bonum, matrimonium nimirum (quo melius est oppositum, status scilicet Religionis, & cælibatus ex Trid. *sess.* 24. *can.* 10. *de matrim.*) non obligat se ad faciendum, quod est Deo gratum: immò potius, ad non amplectendum majus bonum. Limitant DD. si videat extra matrimonium se frequenter incidere in peccata carnis; quia in his circumstantiis melius est nubere, quàm non nubere, & votum obligat. Felix *nu.* 1816. Sum. Leandr. & Campion.

16. Sed quæritur, *cur potiùs juramentum de ineundo matrimonio alicui factum, simpliciter obliget c. commissum de sponsalibus, & non etiam votum?*

Resp. Quia votum Deo propriè fit, qui id non acceptat in præjudicium melioris boni; juramentum autem fit homini (cum divina solùm attestatione) qui id simpliciter acceptat, quatenus inde ei utilitas provenit. Verùm jurans posset, etiam ingredi Religionem; sed tutius foret, ut, Religione juramenti servata, prius contraheret, & posteà ante copulam carnalem monasterium intraret, ut ibi Pontifex, & Glos.

17. Quæritur, *an sit validum votum non vovendi?*

Resp. Negativè; nam est impeditivum majoris boni, cùm melius sit vovere, quàm non vovere: quia vovere est actus Religionis, & non vovere istum exeludit.

18. Quæritur, *quot peccata committat Petrus vovens die festo audire Missam, si Missam non audiat?*

Resp. Duplex, quia duplici obligatione ad Missam tenetur: ex præcepto Ecclesiæ, & vi voti; & quamvis ambæ sint contra eamdem virtutem Religionis, tamen sunt diversæ speciei moralis; quia omissio auditionis Missæ est contra honestatem cultus, qui Deo ob suam supremam excellentiam, & dominium defertur per auditionem Missæ, & violatio voti contra honestatem, quæ est in colendo Deum per implementum promissionis alicujus rei, in obsequium, & servitium ipsius.

19. Nota, quòd licèt propria materia

voti

voti sint opera consilii, seù supererogationis, votum de re, etiam aliàs præcepta, est validum; nam materia aliàs præcepta, est materia sufficiens voti, quia melius est facere opera, aliàs præcepta, quàm non facere. Tum quia, melius est facere aliquid ex voto, quàm sine voto: aliàs Scriptura non suaderet vovere. Tum quia, quod fit ex voto, participat honestatem Religionis, supra honestatem, quam opus habet ex natura præcepti: unde jejunium, quod ad abstinentiam pertinet, ratione voti pertinet, etiam ad Religionem.

20. Quæritur, *an valeat votum non peccandi?*

Resp. I. Votum non peccandi mortaliter valet, quia est de re cum divina gratia moraliter possibili, & grata Deo, ut ex D. Thoma dixit De la Cruz.

Votum de vitando saltem divisivè, & in particulari quolibet peccato, etiam veniali, valet: ratio est, quia, etiam secluso voto, tenemur vitare omnia venialia in particulari, & divisivè, ergo hoc, Deo auxiliante, est moraliter possibile: aliàs obligaremur ad impossibile. Secus dicendum de voto vitandi omnia venialia collectivè, quia ad hoc requiritur specialius auxilium Dei.

21. Quæritur, *Cujus vovet Religionem ingredi, petitur, an teneatur omnes Religiones adire?*

Resp. Videndum est, quid vovens intendat; nam obligatio voti in tantùm se extendit, in quantum se extendit intentio voventis. Ideò, si vovens habuit animum adeundi omnes Religiones, si in una non recipiatur, tenetur adhibere moralem diligentiam, ut in alia admittatur. Sed, si animum habuit non adeundi omnes, sed unam tantùm, in qua, si adhibitis diligentiis, ut recipiatur, non recipitur, ad alias non tenetur: & reputatur liber à voto; nam tale votum habet conditionem subintellectam, si recipiatur ab Abbate. Fagnan. *in 3. Decr. ad cap. Porrectum de Regul. nu. 3.*

22. Sed quæritur, *an qui è Monasterio exivit, non sponte, sed coactè, quia nimirum à Superiore ante professionem ejectus fuit, sit liber à voto?*

Resp. Affirmativè, quia votum intelligitur adimpletum; nam vovit Religionem ingredi, & Religionem intravit: nec ipse sponte, sed coactè exivit. Fagn. *cit. num. 58.*

23. Sed quid, *si expellatur ob defectum emendabilem?*

Resp. Crediderim teneri ad se corrigendum, & iterùm ingredi, ad minus aliam.

24. Quæritur, *Laicus professus ex Ord. Min. hæc Confessori aperit;* Patet, admissus fui ad Religionem anno ætatis meæ 18. per integrum annum in probatione steti, post quem immediatè professionem emisi, sed contra Decreta Clementis VIII. super forma recipiend. Novit. disponentis: *ipsi autem Conversi non recipiantur ante vigesimum:* vel, ut loquitur Innoc. X. *Const. ad propagandam in Ord. Fr. Min. nec pro Laico* (approbetur) *qui vigesimum ætatis suæ annum non expleverit:* peto, *an valide professionem emiserim, & obliger ad observantiam Regulæ?*

Resp. Affirmativè; ratio est, quia in alleg. Const. Clement. & Innoc. non apponitur decretum irritans, nec irritatur, aut annullatur professio aliter facta. Quem-

admo-

admodùm à Trid. *sess. & cap. cit.* irrita declaratur professio emissa ab eo, qui eam emittit ante decimum sextum annum expletum: vel, qui minori tempore, quàm per annum, post susceptum habitum, in probatione steterit. Ideò, cùm tu professionem emiseris post 16. annum completum, quamvis ante 20. professio tenet; pro ut dixit Bordonus *cap. 7. de profess. Regul. num.* 35. & Barbos. in Trid. *sess.* 25. *de regul. cap.* 15. *nu.* 13. referens pro validitate fuisse resolutum à S. Cong. Conc. 2. *August.* 1631. & 24. *April.* 1642.

25. Hìc nota non esse de substantia professionis, quod requiratur annus 20. consequenter ejus defectus non invalidat. Nam, tunc DD concordant aliquid esse de substantia actus, cùm lex actum aliter factum irritat, & annullat per clausulam dispositioni adjectam, *irritum, & inane, &c.* sicut facit Trid. *cit.* Et propterea cùm Pontifices exigunt annum 20. id non requirunt in ordine ad validitatem professionis, sed in ordine ad habilitatem, & labores, quibus Laici in Monasteriis deputantur.

26. Quæritur, *an obligemur sub mortali vota implere?*

Resp. Affirmativè, per se loquendo; nam vovere est voluntarium, sed adimplere necessarium, ex Gloss. *ad cap. licet de voto.* Et patet ex Deuteronom. 23. ubi legitur. *Cùm votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere: si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* Et patet, ex quo promissio homini facta, ab eo acceptata, ex genere suo obligat sub mortali, ut ipsi fides non frangatur, ergo & promissio voti facta Deo, à quo acceptatur.

Dixi *per se loquendo*, quia per accidens, si votum sit de re parva, obligat solùm sub veniali, quia in ejus violatione parva irreverentia Deo fit: ita, si vovisti recitare quotidie Salutationem Angelicam, venialiter peccas, si uno, vel altero die omittas.

27. Sed nota, quòd votum est promissio: in qualibet autem promissione duplex veritas consideratur, una de præsenti: in hoc consistens, quod qui promittit, habeat animum se obligandi, & exequendi, quod promittit; alia de futuro, ut quis suo tempore exequatur, quod promisit. Circa primam veritatem non admittitur à Doctoribus parvitas materiæ: quia gravis irreverentia videtur esse Deo mentiri: circa secundam verò parvitatem concedunt: cùm in transgressione non appareat gravis irreverentia in Deum. Sed videndum est, an vovens, etiam in re levi, voluerit se graviter obligare.

28. Nota etiam cum De la Cruz *nu.* 9. Lezana *Sum.* Peyrin. *de privil.* Donat. *prax. tom. 2. par. 2. tract. 16. quæst.* 8. professionem, quam emittunt, Personæ Sæculares de Tertio Ordin. Prædicat. & Min. quæ de pœnitentia nuncupantur, non continere obligationem voti; quia illud promitto, quo utuntur, idem est, ac propono, & cum proposito confunditur. Videri possunt Const Nicolai IV. *supra montem*, & Leon. X. *Inter cætera, in Bullar. Cherub.* Unde similes personæ Sæculares sunt instruendæ, ut sciant, ex vi talis professionis, & promissionis non obligari ad aliquam culpam, ne pro-

pter ignorantiam, & errorem existiment, se ad promissa, etiam vi voti, teneri. Peccabunt tamen, si ad ea, aliàs præcepto alquo humano, vel divino sint obstricti: vel, si intendant, etiam vi voti se obligare.

29. Quæritur, *Franciscus vovit dare quotidie pauperi obolum in eleemosynam, per plures vices omittit, adeòut deveneriat ad materiam gravem; petitur, an teneatur sub mortali reddere illam quantitatem?*

Resp. Affirmativè, quia quamvis in singulis omissionibus mortaliter non peccaverit, peccavit tamen in ultima omissione, quæ cum aliis moraliter conjuncta constituit materiam gravem; & peccat contra Religionem, si illam materiam non reddat. Discurritur à simili de furante sæpè minima; sed Vide *lib. 2. cap. 22. num 61* Et sicut peccat mortaliter contra justitiam, qui ab initio habet animum per parva furta furandi materiam gravem; sic mortaliter delinquit, si habeat animum omittendi totas illas parvas eleemosynas usque ad materiam gravem.

30. Quæritur, *promittit Petrus dare Ecclesia Calicem aureum, & Ecclesia promissionem acceptat; deinde Deo vovet se promissum Calicem eidem Ecclesiæ daturum, & non implet, petitur, quot peccata committit?*

Resp. Duplex, alterum contra justitiam non reddens Ecclesiæ id, ad quod acquisivit jus; & alterum contra Religionem, violans votum Deo factum, & fidem frangens. Campionus.

31. Quæritur, *an vovens jejunare in vigilia S. Augustini, teneatur alia die jejunare, si in vigilia omittat jejunium?*

Resp. Negativè; nam votum fuit factum in honorem Sancti, & est onus affixum diei, quemadmodùm recitatio officii: & ideò infirmus sanitati restitutus, non est solicitus supplere officia omissa. Sed peccavit mortaliter non jejunando.

32. Prò intelligentia notabis, eum, qui vovet, posse taxare tempus pro suo voto, & tempus non determinare; si tempus non determinat, sed absolutè vovet, v. g. eleemosynam dare, recitare Rosarium, &c. tenetur implere, cùm primùm commodè potest; ratio est, quia, si sine determinatione temporis rem promisit, præsumitur velle sine notabili dilatione solvere, dum potest sine gravi incommodo exequi.

33. Si verò tempus taxat: vel tempus assignatur ut terminus, & mensura impletionis voti: vel votum sit intuita, & ob devotionem talis temporis, in quo vovens intendit honorare aliquem Sanctum; Si primum, etiam tempore transacto, tenetur implere; sic, qui vovet dare quotidie eleemosynam, tenetur implere omissa, quia votum non est emissum ob devotionem talis temporis, sed in utilitatem pauperum: & ideò semper durat obligatio dandi, dum non datur; sicut vovens intra mensem ingredi Religionem, transacto mense, ingredi tenetur, cùm tempus non sit appositum ad finiendam obligationem, sed ad præscribendum terminum, ultra quem non differatur.

34. Si verò votum sit emissum ob devotionem talis temporis, seu in honorem, & reverentiam v. g. talis Sancti, transacta vigilia,

gilia, & tali die, non tenetur supplere; quia votum fuit principaliter emissum ad exhibendum cultum tali Sancto, in tali determinato die: sed peccavit non implendo.

35. Sed petitur, *an teneatur abstinere ab ovis, & lacticiniis?*

Resp. Negavit Felix *t. 1. examen num.* 2859. ubi dixit in jejunio, tum ex voto, tum à Confessario imposito, tum ad lucrandum Jubileum præscripto, non teneri fideles ad abstinentiam ab ovis, & lacticiniis, nisi exprimatur. Contra quem est sententia communis, ex Doctrina D. Thomæ 2. 2. *quæstione* 187. *art.* 8. *ad* 3. ubi: *dicendum quod ova, & lacticinia jejunantibus interdicuntur:* & infrà: *principalius interdicuntur carnes, quam ova, & lacticinia:* & statim: *in jejunio Quadragesimali interdicuntur universaliter, etiam ova, & lacticinia. Circa quarum abstinentiam in aliis jejuniis diversæ consuetudines existunt apud diversos; quas quisque observare debet, secundum morem eorum, inter quos conversatur.* Modò, si vovens sit in loco, in quo consuetudo sit, quod in jejuniis, etiam extra Quadragesimam, jejunantes abstineant ab ovis, & lacticiniis, & ipse abstinere debet. Nam in eo loco jejunium, nedum importat præceptum affirmativum, in hoc consistens, quod, qui in die jejunii vult comedere, semel tantùm in die (excepto jentaculo serotino) comedere debeat; sed etiam negativum, de abstinentia à carnibus, ovis, & lacticiniis. Præsertim, quia censetur vovere jejunium Ecclesiasticum juxta morem patriæ, & non aliàs. Ergo, si secundùm utrumque non servat (nisi habeat licentiam à Prælato legitimo pro lacticiniis) jejunium transgreditur, & peccat. Ideò relinquendus Felix: cujus opinio est practicè improbabilis.

36. Sicut altera ipsius non subsistit, in qua *num.* 2853. dixit Fr. Minor. non teneri in jejuniis Regulæ, extra Quadragesimam, hoc est, *Adventus, & feria sexta* abstinere ab ovis, & lacticiniis. Nam loquitur contra Constitutiones Ordinis. In statutis Sambucanis *capit.* 2. §. 6. *num.* 1. de jejunio, absolutè ipsis præcepto, disponitur, ut abstineant etiam ab ovis, & lacticiniis. De illo Adventus, Constitutiones Capituli Generalis, celeb. die Anno 1500. Interan. de mandato Alexand. VI. *cap.* 3. *art.* 2. apud Orb. *Seraph. tom.* 3. de jejunio, hæc habent. *Ad hanc autem Quadragesimam jejunandum Fratres sunt obligati modo, quo cæteri Christiani ad illam communem obligantur, ut lacticinia in ea comedere nequeant.* Prout etiam scripsit Marchant in Regulam Sancti Francisci *capit.* 3. *tit.* 3. *quæst.* 2. referens ex Hugone, De Dina, & quatuor Magistris: quod jejunia Regulæ sunt servanda juxta morem Patriæ, & jejunantium, ac maximè Religiosorum, communem formam; ita quod, si mos Patriæ, & jejunantium communis consuetudo in jejuniis, etiam extra Quadragesimam, sit, abstinere ab ovis, & lacticiniis, abstinere debeant: postquàm id dixerunt Sanctoro, & Ameno. Vide *lib.* 1. *cap.* 16. & 21.

37. Quæritur, *quænam personæ possint vovere?*

Resp. Omnes, quæ habent usum rationis, & ætatem sufficientem ad pec-

candum mortaliter; quia omnes isti possunt promittere rem honestam, & Deo gratam, ac intelligere obligationem, quam vovendo contrahunt. *Sum.* Leand. *num.* 43. & Felix.

Sed dices, ergo valida sunt vota emissa ab adolescentibus ante annum pubertatis, & à Religiosis, ac Uxoribus.

Resp. Affirmativè, si non sint præjudicialia Parentibus, Religioni, Marito, vel Familiæ.

38. Quæritur, *an Parentes possint irritare omnia vota à filio emissa ante annum pubertatis?*

Resp. Affirmativè, colligitur ex *cap. puella 20. qu. 2.* Ratio est, quia ordinariè ante annos pubertatis carent perfecto usu rationis, & propterea subduntur Parentibus (& loco istorum Tutoribus) in omnibus suis actionibus; maximè autem in obligationibus contrahendis: ne ex imprudentia operantes, in eis se supra modum gravatos postea inveniant.

39 Nota, mares dici impuberes ante completum Annum 14. & fœminas ante 12. Unde omnia vota emissa à Filiis masculis, antequam expleverint Annum 14. & à Fœminis, antequam duodecimum absolverint, dicuntur facta à Filiis impuberibus, & ante Annum pubertatis, consequenter à Parentibus irritabilia: quia fiunt conditione subintellecta: *si Pater illa non irritat*, ut dixit De la Cruz *cit. num.* 19.

40. Sed quæritur, *an omnia vota impuberum, tempore impubertatis facta, possint à Parentibus irritari post pubertatem?*

Resp. Affirmativè, modò ea Filius tempore pubertatis non confirmaverit Gobat. *cit. num.* 175. & Felix *num.* 180.

41. Quæritur, *Cajus constitutus in sexto decimo ætatis anno, aperit Consessario, se post Annum decimum emisisse votum simplex castitatis, petit, an teneatur ad castitatem, & possit nubere?*

Resp. Interroget, an post Annum 14. votum ratificaverit: & dum affirmat, pronunciet teneri ad continentiam, & Matrimonium non posse licitè contrahere; si verò post Annum prædictum votum ratum non habuit, ad continentiam non teneri dixit Fagnan. *in 5. Decretal. ad cap. Tua Litera de Cleric. per salt. prom. nu.* 45. Ratio est, quia, cùm ante pubertatem non habeat potestatem coeundi, nec possit Matrimonium contrahere *cap. attestationes de desponsat. impub.* quantumcumque sit dolo capax, non potest renunciare ei, quod ignorat.

42. Sed quid, *si major Annis 14. se ad continentiam obligaverit?*

Resp. Tenetur servare, quia tunc ad coeundum est potens.

43. Quæritur, *an Pater possit irritare vota filii edita tempore pubertatis?*

Resp. Affirmativè, si hæc duo concurrant: unum, quod Filius maneat sub potestate Patris, & non sit emancipatus: & alterum, si illa præjudicent Patriæ potestati: ut sunt vota, quibus domus perturbatur, aut Filius infirmari timetur, ut longa peregrinatio, immoderata jejunia, &c. Quia ista vota cedunt in damnum, etiam Patris, cessando ab ejus servitio, & sunt causa expensarum; vel, saltem dicas cum De la Cruz, & communi, posse Parentes suspendere istorum votorum executionem usque ad tempus, quo Filius sui juris fuerit, atque erit extra minoritatem;

tatem: quod contingit post Annum 25. completum; usque ad tale tempus Filii dicuntur minores, & quoad bonorum administrationem subjiciuntur Curatori, si Patri, & Avo Paterno deficientibus, talis subrogatus sit.

44. Non potest tamen irritare vota ipsi non præjudicantia, ut votum moderati jejunii, orationis, moderatæ eleemosynæ de proprio peculio, bonorum castrensium, vel quasi castrensium, Religionis, castitatis, &c. Quia Filius pubes, non emancipatus, in his est omnino sui juris: & hæc intelliguntur facta sine conditione *si Pater consentiat.*

45. Quæritur, *an Superior possit irritare vota Religiosi subditi?*

Resp. Affirmativè, sic DD. communiter, propter subordinationem voluntatis Religiosi ad illam Prælati. Hinc, si emittant votum de vetitis à Regula, aut Superiore, ut de peregrinando: subintelligitur; *si Prælatus licentiam concedat*; si verò de non vetitis, subintelligitur, *si Superior non resistat.*

Excipiuntur, votum transeundi ad arctiorem Religionem, ex *cap. licet de Regul.* & vota in professione emissa.

46. Abbatissæ quoque, & Priorissæ propter potestatem dominativam in voluntatem, & actiones Monialium possunt ipsarum vota irritare, quæ regimini Monasterii, aut Monialis valetudini, vel debitæ sibi subjectioni officiant: aliàs, quando aliquid Monialibus præciperent, possent statim respondere: non possum, nec teneor hoc exequi, quia contrarium vovi: quod est absurdum, & contra Ordinem Status Religiosi. Sed non possunt dispensatione relaxare, vel commutatione obligationem in aliam materiam transferre, quia carent jurisdictione Ecclesiastica. Cabasut, *prax. lib. 1. cap. 8. num. 22. in fine.*

47. Quæritur, *an Domini possint irritare vota suorum mancipiorum?*

Resp. Affirmant plures, maximè de votis, quæ impediunt Domini servitium: ut esset votum peregrinationis, intrandi Religionem, &c. Secus de aliis, quæ in damnum ipsius non cedunt, ut est votum non jurandi, castitatis, moderati jejunii, &c. Sed magis placet asserere cum Ilsung. posse prima solùm suspendere pro tempore, quo obsequio illorum præjudicant; ratio est, quia Domini habent solùm dominium utile in mancipium, & servum, ergo ea tantùm vota, & pro ea duntaxat tempore possunt suspendere, quamdiù eorum dominio utili, debito nimirum obsequio, præjudicant.

48. Quæritur, *an Maritus possit irritare omnia vota Uxoris?*

Resp. Negativè, sed ea sola, quæ præjudicant usui matrimonii, educationi prolis, & administrationi familiæ; quia subjectio Uxoris erga Maritum est in rebus, ad prædictos matrimoniales fines spectantibus; quæ subjectio fundatur solùm in contractu Matrimonii, ergo potestas Mariti extenditur solùm ad irritanda vota Uxoris, in materia contractui matrimoniali subjecta; & sic potest irritare votum frequentis jejunii, quo inhabilis reddi posset ad usum Matrimonii, illud peregrinationis, immoderatæ eleemosynæ, &c.

49. Sed quæritur, *an possit Uxor irritare illa viri?*

Resp. Directè non potest, sed solùm in-

directè. Hinc nota duplicem esse irritationem, directam, & indirectam; directa, est annullatio voti facta ab eo, cui subjecta est voluntas voventis: indirecta verò, est suspensio voti, quatenus ei subjecta est materia voti, cujus executio ei præjudicat: quare Uxor non potest viri vota directè irritare, quia vir non est Uxori quoad voluntatem subjectus; nam vir est *caput mulieris ad Ephes. 5.* sed potest solùm executionem voti suspendere, si sibi, ut sub statu Matrimoniali, præjudicet: propterea, cum præjudicium cessat, votum indirectè irritatum reviviscit, & vir ad ipsum obligatur; nam non fuit extinctum in radice, sicut irritatum directè.

50. Sed quæritur, *uxor facit votum castitatis, per quod privatur jure petendi debitum, petitur, an maritus possit hujsmodi votum irritare?*

Resp. Negativè, *ex cap. quidam, & c. placet de conver. conjug.* ubi decidituir, votum castitatis uxoris valere, & obligare ad non petendum debitum: cùm hoc sit in ejus potestate, sed reddere tenetur.

51. Sed quæritur, *uterque conjugum post consummatum matrimonium, mutuo consensu, vovent absolutè castitatem, petitur, an possit vir votum uxoris irritare?*

Resp. Negativè, *ex capit. quod Deo 5. qu. 5.* & neuter tunc potest petere, aut petenti reddere: quia uterque per suum consensum censetur juri suo petendi cessisse. Marchant. *resolut. Pastoral. cap. 2. qu. 20. de vot.* Observa, quòd altero conjuge mortuo, superstes tenetur castitatem servare.

52. Quæ diximus de irritatione votorum, servata proportione, extendimus ad irritationem juramentorum: adeòut Superior ratione potestatis dominativæ in actiones subditorum, possit irritare omnia ipsorum juramenta, excepto eo, quod adjiceretur voto transeundi ad Ordinem strictiorem, vel voto propriæ Religionis; & Pater illa filii impuberis; ac vir ea uxoris: quatenus hæc præjudicant eorum potestati, & servitio; tanto est, quia omne juramentum hoc ipso, quod sequitur naturam promissionis, est conditionatum, *si scilicet, salvo jure Superioris, servari possit.* Ergo deficiente conditione, consensu nimirum, seù ratificatione Superioris, nullum est, & irritum, sive in honorem Dei, sive in utilitatem hominis sit editum.

53. Nota, quod habentes facultatem irritandi, vel dispensandi in juramentis, ea uti non possunt, quoad ea, quæ sunt facta in utilitatem tertii, ab isto acceptata: nisi iste consentiat: quia, ipso invito, non potest privari jure, quod habet in rem promissam, & à se acceptatam. Illsung. *tr. 5. disp. 1 qu. 2. art. 5.* Vide *lib. 2 cap. 17.*

54. Quæritur, *in quo differat irritatio à dispensatione, & commutatione voti?*

Resp. In hoc. I. *Quia irritatio est actus potestatis dominativæ, qua impeditur, & tollitur obligatio voti, à subdito contracta, tamquam præjudicans dominio Superioris.* Dispensatio verò, *est actus jurisdictionis, quo, justa causa, tollitur, & remittitur obligatio in totum, vel in partem, nomine Dei.*

Commutatio tandem, *est actus jurisdictionis, quo obligatio voti legitima causa mutatur, & transfertur in aliud opus.*

*opus.* In commutatione itaque non tollitur obligatio voti, sed transfertur, implenda in alia materia.

II. Quia irritatio potest fieri, etiam à Laico, ex quo jus irritandi fundetur in dominio pleno,& perfecto,quod quis habet respectu alterius, cujus actiones personales,& domesticas dirigit: Dispensatio autem nonnisi à persona Ecclesiastica, habente jurisdictionem Ecclesiasticam. Commutatio pariter in æquale debet fieri authoritate Ecclesiastica.

III. Quia irritatio facta sine causa est valida; nam subditus suo voto non potest suum Superiorem obligare, nec ipsum privare dominio in suas actiones; sed Superior sine causa irritans venialiter peccat,si votum subdito utile irritet. Sed tunc mortaliter delinquet, si sine causa rationabili irritet votum, ad quod emittendum licentiam concessit. *Numerorum* 30. Dispensatio autem sine rationabili causa facta, invalida est, & illicita, quia sit nomine Dei, qui non acceptat, nec approbat relaxationem voti temerè, & imprudenter factam; nam legitimè non dispensat, sed bona sui Domini dissipat,cum ipsius jura, & ipsi debita, sine justa causa remittat. Commutatio pariter in opus æqualiter bonum sine causa non licita est, nec valida; cum non præsumendum, Deum sine causa acceptare translationem obligationis voti in materiam æqualem.

55. Dixi *in opus æquale*, quia in rem evidenter meliorem potest vovens propria authoritate suum votum commutare, (modò non sit reservatum) juxta *cap. ex multa de voto.* Nam in omni voto, saltem tacitè, & interpretativè includitur hæc conditio, quòd vovens velit se obligare ad præstandam rem, nisi eadem substituerit meliorem, id est, Deo gratiorem, & sibi ad animæ salutem utiliorem. Ilsung. *nu.*148. Ita, si quis voveat dare Calicem argenteum Ecclesiæ B. M. & loco ipsius substituat aureum: & loco jejunii simplicis, illud in pane,& aqua, votum implet; nam in meliori includitur minus bonum, & aliquid plus: sed in æquale non potest; nam non potest aliquid loco alterius solvi, nisi promissarius consentiat. Quilici *qu.*15. *ar.*2. *num.*35.

Hinc fit,quod,ut dispensatio, & commutatio subsistant, requiritur authoritas, & causa: hujus sufficientia relinquitur arbitrio viri prudentis, & timorati. Propterea Confessarii,quibus, vel in Jubileis,vel extra datur facultas,dispensandi, vel commutandi vota,examinent, an causa rationabilis sit.

56. Sed nota in commutatione necessariam non esse causam,adeò gravem, sicut in dispensatione: ex quo in ista obligatio omninò tollatur: in illa verò non sic,sed de una ad aliam materiam transferatur implenda: adeò ut obligatio voti, quæ erat exequenda in jejunio,sit executioni danda in eleemosyna.

57. Quæritur, *quanam personæ possint in votis dispensare, & ea commutare?*

Resp. I. Summus Pontifex supremam potestatem habet in omnia: & ipse dumtaxat in hæc quinque, sibi reservata dispensat. *Religionis approbatæ à S. Sede: Castitatis perpetuæ: Peregrinationis ad limina Apostolorum: S. Jacobi in*

*Com-*

*Compostella: & Terræ Sanctæ.* II. S. Pœnitentiaria. III. Episcopi.

58. Sed quid, *dicendum de Confessariis Regularium quoad sæculares?*

Resp. Possunt ex privilegio vota commutare, exceptis quinque reservatis Papæ, & aliis, ut infra. Quilici *Confess. manud. qu. 5. art. 4 num.* 11. 12. & 13. Tambut. *in Decalog lib. 3. cap. 16. num.* 56. De la Cruz *de privil. reg. lib 2. cap. 6. dub. 8.* Hasbensis *sum. q. q. regul. ver. votum num.* 581. Felix *examen tom. 1. num.* 1918. Ilsung. *cit. num.* 151. referens à Paulo III. fuisse Confessariis Societatis delegatam potestatem commutandi vota non reservata; consequenter, etiam Religiosis gaudentibus communicatione privilegiorum cum Jesuitis. Lege extravag. Sixti IV. *Dominici, de pœnit. & remiss. inter com.*

59. Sed debent plura concurrere, 1. Ut Regularis sit approbatus ab Ordinario loci ad audiendas Confessiones Sæcularium. 2. Ut sit à Generali, vel Provinciali specialiter deputatus ad commutandum. 3. Ut in Ecclesiis tantùm sui Ordinis ea facultate utatur. 4. Ut vota non sint Papæ reservata juxta *cap. ex multa de voto:* in quæ non potest, nec tempore Jubilei, nisi in literis exprimatur, & detur facultas. 5. Ut non sint reservata Episcopis: quamvis alii negent. 6. Ut vota non sint facta in favorem tertii, & ab eo acceptata, nisi ejusdem consensus accedat; quia privilegium non intelligitur datum cum præjudicio tertii. 7. Ut vota non sint jurata, ob duplex vinculum, voti nimirum, & juramenti, quia, cum Papa id concedere intendit, exprimit. 8. Ut commutatio fiat pro foro conscientiæ tantùm, & in actu Confessionis. 9. Ut in Monasteriis majoribus non deputentur, nisi tres, vel quatuor, & in minoribus unus, vel duo; & tandem, ut commutatio non fiat sine justa, & rationabili causa.

60. Sed quæritur, *an, Regularis ab Ordinario approbatus, & à Superiore deputatus, possit etiam dispensare in impedimento petendi debitum conjugale. Quod in eo est, qui votum simplex castitatis emisit?*

Resp. De hoc diximus *lib. 2. c. 7. num.* 5. Est resolutio affirmativa, communiter inter allegatos recepta; quibus adde Ant. à Spir. Sancto *direct. Regul. tract 1. disp. 1. sect 2.* Felicem, etiam *num. 430.* Nicol Flos. *ver. debit. conjug. num. 5.* asserentes, Confessarium Regularem ab Ordinario approbatum, & à Generali, vel Provinciali deputatum, posse dispensare in impedimento petendi debitum, contractum, vel voto simplici castitatis, vel etiam affinitate, aut cognatione spirituali (modò sitæ superveniant matrimonio) sed in foro conscientiæ tantùm, & in actu Confessionis, ac in suis Ecclesiis dumtaxat; sed videant, ne in utenda facultate excedant: & an privilegia sint in usu, & non revocata.

Advertant Confessores, qui in casu voti dispensant ad debitum petendum, debere dispensatum monere, quòd, mortua Uxore, non possit licitè nubere; sed teneri ad votum: & quod peccat, si iteram contrahat: ac non posse petere debitum à nova conjuge, sine nova dispensatione, ut dixit De la Cruz *cit. dub 9.*

Item, ponderent hujusmodi deputationem durare ad libitum, & expirare morte,

morte, ac mutatione Superioris, ut ex Lezana docuit alleg. Quilici: & nunquam esse deducendam ad praxim dispensando, nisi legitima accesserit causa; legitima reputatur, si conjuges non possint se continere.

61. Quæritur, *quomodo se gerere debeat Confessarius in commutatione votorum?*

Resp. Regula hujus rei certior dari nequit, quàm prudens arbitrium Confessarii, qui, omnibus circumstantiis expensis, æqualitatem, quoad potest, servet.

Hinc Regula I. sit, ut votum perpetuum in perpetuam, personale in personalem, & reale in realem obligationem ordinariè commutetur: longam peregrinationem ex voto promissam commuta in frequentem visitationem Ecclesiæ; considera pericula, labores, & expensas pro eundo, & redeundo faciendas (quæ reputantur sub voto cadere) & obliga, ut expendat in aliquod pium opus. Piasec. *prax. par. 2. cap. 1. artic. 3. à num.* 10. labores commuta in flagellationem, vel jejunium.

II. Regula, ut commutetur in id, quod est melùs, & utilius ipsi voventi hic, & nunc, seu pro tempore, loco, & dispositione ipsius. Vovit pœnitens flagellationem ad domandam carnem, commuta in jejunium: quod ad carnis mortificationem conducit.

III. Regula, ut consideretur, qualitas, & conditio voventis. Sic pauperi votum Eleemosynæ commuta in recitationem Rosarii, in servitium Hospitalis tot diebus, quot judicantur sufficientes ad compensandam quantitatem eleemosynæ promissæ. Debilibus verò, & laborantibus, votum jejunii commuta in opera faciliora, proportionata statui, & complexioni, ut, vel in eleemosynam, aut repetitam auditionem Missæ die Festo, vel in recitationem Officii B. M. V. singulis Sabbatis, ad ratam dierum, quibus debebant jejunare: Cætera videas apud Tambur. in decalog. *lib. 3. cap.* 17. & à nobis dicta *lib. 1, cap 27. nu. 55.*

62. Quæritur, *accedit Religiosus Professus, petens à Confessario commutationem voti, quod in sæculo emisit, inviseudi singulis annis Sanctum Lauretanam, petitur, an egeat commutatione?*

Resp Negativè; nam per professionem Religiosam extinguuntur omnia alia vota simplicia, sive realia, sive personalia, facta in Novitiatu, vel in Seculo; textus expressus in *cap. Literæ de voto*; etiamsi votum esset reservatum, ut ibi *Gloss.*

63. Quæritur, *pœnitens hæc Confessario aperit*, Pater: post susceptum Ordinem Subdiaconatus, Matrimonium contraxi, deinde audivi esse obstrictum voto solemni castitatis, Sacris Ordinibus annexo, peto, an Matrimonium sit validum? Pro validitate habeo Authores, resolventes ignorantiam excusare ab obligatione voti; ego autem cum Ordinem suscepi, ignorabam obligationem servandæ continentiæ susceipere; *quid agendum Confessario?*

Resp. Pronunciet Matrimonium esse nullum, & ipsum teneri ex obligatione voti solemnis (Sacris Ordinibus ex lege Ecclesiastica annexi *cap. Amultis de ætat. & qualit.*) ad continentiam servandam; Ratio est, quia statim ac sciens, & prudens accipit id, cui est annexum votum castitatis, censetur virtualiter, &

implicitè castitatem vovere : propter communem regulam, quod, *qui recipit unum connexorum, censetur ad alterum se obligasse.*

Utique ignorantia excusat ab obligatione voti (quia ubi hæc est, cognitio deest, & ubi cognitio non adest, libertas in operando non datur, quia nil volitum, quin præcognitum) sed hæc in casu non datur, quia principale non ignoratur.

I. Sed observa, quod votum castitatis duplici modo emittitur, expresè, & implicitè, seu tacitè: *expresè*, cum apertis verbis dicitur: *voveo castitatem*; *implicitè verò, vel tacitè*, cum aliquid aliud suscipitur, quod votum requirit, vel, cui est annexum castitatis votum: quod emittunt, qui ordinantur Ordinibus Sacris.

II. Quòd ignorantia à voto excusat, si sit circa substantiam, vel aliquid notabile spectans ad substantiam voti, aut circumstantiam notabiliter, mutantem materiam voti: quia nullus, nisi volens, obligatur.

III. Ex Engel. *lib. 3. tit. 34. nu. 7.* quod Deus non censetur acceptare vota simplicia in illis circumstantiis, quas non prævidimus: & si prævidissemus, non dedissemus consensum.

Dixi *vota simplicia*: quia aliter discurritur de solemnibus, propter manifestum discrimen, quod inter ea reperitur. Nam simplex constituitur sola voluntate voventis, se Deo obligantis, sine actuali sui traditione. Solemne verò, cum voventis voluntate perficitur per actualem sui traditionem, juxta dicenda *l. 4. c. ult.*

IV. Quòd si vovens habet voluntatem vovendi eo modo, quo cæteri vovere solent, tunc saltem implicitè, in obligationem consentit. Quod semper à Confessario præsumendum est, nisi contrarium probetur. Aliàs plures excusationem ab implendis votis allegarent.

Sed quid dicendum de eo, *qui sciens Ordini Sacro esse annexum votum castitatis, ipsum suscipiens, diceret*: nolo, nolo vovere castitatem?

Resp. Gobat. exper. Theol. *tract. 8. cas. 20. num. 758.* Hasbensis *Sum. qu. Regul. votum num. 466.* censent, eum ex vi voti ad castitatem non teneri, quia votum est promissio, & obligatio Deo facta, dependens essentialiter à voluntate; nam nullus promissione se obligat, nisi qui animum habet se obligandi, & cui vult se obligare, ut dixit *Gloss. ad cap. Litteras de voto in ver. proponens.* Quem tamen dixerunt ad castitatem teneri ex statuto Ecclesiæ, quo præcipit observantiam castitatis illi, qui noluit vovere, illumque inhabilem facit ad Matrimonium. Engel. *cit. à num. 4.*

Sed mihi satis probabile est, etiam ex obligatione voti teneri ad castitatem. Moveor, ex quo protestatio illa sit contraria facto; nam protestatur se nolle continentiam vovere, & consentit in recipiendo annexum: ergo tacitè censetur se ad continentiam obligare, & per susceptionem Ordinis protestationem destrui. A pari discurro de eo, qui protestatur, se credere Messiam venisse, & tamen Agnum Paschalem comedit, & Sabbatha more Judæorum colit; in quo cum protestatio sit facto contraria, non relevat ad excusandum ipsum ab errore contra fidem, ut optimè discurrit Carena *de offic. Inquisit. p. 2. tit. 1. num. 77.* Et

non

nos diximus *lib. 1. cap. 4. num. 19.* Ergo statim ac Ordinem suscipit, votum tacitè edit, & implicitam voluntatem habet se obligandi. Vide Laymann. *lib. 5. tr. 9. cap. 11. à num. 1.*

Duo peccata sic Ordinatus committit; alterum sacrilegii, suscipiens Ordinem in peccato: alterum decipiendo Ecclesiam, quæ ab ordinato vult castitatem promitti, *cap. Diaconus dist. 27.*

64. Quæritur, *an voti obligatio transeat ad hæredes?*

Resp. Considera aliud esse votum personale: quod solùm ab ipsomet vovente impleri potest, quia promittitur aliquid præstandum ipsius voventis personali actione: ut, si voveas castitatem servare, jejunare, orare, Missam audire, &c. Aliud reale, ut, cum promittitur Deo, res danda, vel exponenda à vovente; ut eleemosynam dare, Ecclesiam ædificare, &c. Et aliud mixtum, quod ex utroque participat: ut, cum Deo vovens promittit aliquid à sua actione distinctum: vel, non modò rem suam, sed etiam propriæ personæ officium, functionem, & ministerium: ut, se propriis manibus Ecclesiam ædificaturum, eleemosynam daturum, suis sumptibus peregrinaturum, &c.

His intellectis. DD. concordant. I. Votum personale esse exequendum ab ipsomet vovente, cujus onera personalia ad hæredes non transeunt, nisi ipsi hæredes executionem voti in se liberè suscipiant: ratio est, quia obligatio personalis non est conjuncta cum hæreditate, sed cum persona, & cum ista extinguitur: à pari de privilegio personali. Nec testator potest hæredibus pro suo arbitrio eam obligationem imponere. Verùm, si hæres sit voluntarius, & non necessarius, cui testator hæreditatem relinquat sub conditione, quòd personalia vota impleat, tenetur. dum hæreditatem acceptat.

II. Obligationem voti realis ad hæredes transire, adeò ut isti, post aditam hæreditatem, teneantur illa implere. Ratio est, quia, quemadmodum hæres suscipiens hæreditatem acquirit omnia jura, & commoda testatoris, sic etiam omnia onera, debita, & reales obligationes in se suscepit. Hinc cum testator sit factus debitor illius rei, in quam votum cadit, hæres tale debitum solvere tenetur. Non quidem ex virtute Religionis, quæ solùm voventem obligat, sed ex virtute justitiæ, ratione acceptatæ hæreditatis, una cum omnibus oneribus. Layman. *lib. 4. cap. 3. num. 12.*

III. Hæredes teneri ad vota mixta, secundum id, quod participant de votis realibus. Testator vovit visitare domum Lauretanam, atque ibi offerre argenteam lampadem, hæres ad istam dandam tenetur.

65. Sed pondera, hæredes non teneri solvere vota Defuncti ultra vires hæreditatis, sed cum proportione ad illas. Unde prius debent deduci expensæ funerum, deinde legitima hæredis; quia hæc non poterat gravari à Testatore debito voluntario. Prius etiam debent solvi debita ex justitia: quia obligationes votorum implendæ sunt ex bonis Defuncti, de quibus poterat ipse disponere, qui disponere non poterat de illis, ære alieno gravatis: quia ad ea jus Creditores habebant.

66. Sed quæritur, *Cajus habet apud se sex candelabra argentea, quæ ex voto promisit offerre Ecclesiæ B. M. V. interim,*

*antequam votum exequatur, tamquam rebellis rapitur in vincula, cujus omnia bona addicuntur Fisco, id ipse sciens, manifestat Judici Saculari, se illa candelabra ex voto parasse B.V.* petitur, *an Judex Laicus possit ea candelabra in alios usus profanos convertere?*

Resp. Negativè: Fiscus enim tenetur implere vota realia Rei. Nam, licèt Fiscus non sit propriè hæres, habetur tamen loco hæredis, *l. inter eas, §. Bonis, ff. de Ediejus.* & ibi Gloss. *in verb. ita fisci.* Et tenetur ad debita Rei, *l. non possunt, ff. de jure fisci.* Ubi hæc sunt: *non possunt ulla bona ad Fiscum pertinere, nisi quæ Creditoribus superflua sunt; id enim bonorum cujusque esse intelligitur, quod alteri supereſt.* Unde in casu, quo Judex in alios usus expendisset, deberet reddere æquivalens.

67. Quæritur, *Antonius est obligatus voto ad audiendum Sacrum, recitandum Rosarium, & servandam castitatem, nullum ex his implet, confitetur hanc triplicem transgressionem, dicendo: tria vota à me emissa, semel sum transgressus; petitur, an satisfaciat integritati Confessionis, si specificam malitiam non aperiat?*

Resp. Negativè; nam promissiones specificantur à materia, seù actu ultimo, qui promittitur. Promittis recitare Rosarium flexis genibus: audire Sacrum diebus non Festis: pauperi eleemosynam dare: Ecclesiam fundare: dotare puellam, &c. Teneris in Confessione explicare in specie, quodnam ex illis violasti: nec satis est dicere, peccavi contra Religionem, sed necesse est explicare actus, quos promisisti, & omisisti implere. Nam ex terminis apparet, moraliter loquendo, quòd decentia, & honestas, quæ est in hoc, quòd quis Deo exhibeat cultum, erogando pauperi eleemosynam, voto promissam, alia sit ab ea, quæ apparet in obsequio, quod impenditur per adimplementum voti jejunandi: ergo diversa specie malitia, & turpitudo est in transgressione: ergo, ut sufficienter Petrus se accuset, debet explicare, quem ex illis actibus omiserit.

68. Quæritur, *Berta post votum Religionis Matrimonium contraxit, post plures annos vir moritur, & ipsa sine filiis relinquitur, petitur, an teneatur Monasterium ingredi?*

Resp. Affirmativè; si non sit inhabilis effecta propter infirmitatem, vel ætatem; ratio est, quia nuptiæ illicitè celebratæ non extinxerunt obligationem voti: nec ullus de sua malitia commodum reportare debet *c. intelligimus de transact.* Si verò inhabilis sit effecta, deobligatur.

69. Quæritur, *Cajus certus est se vovisse dare Calicem Ecclesiæ S. Francisci, sed dubitat, an argenteum, vel aureum, ad quem Confessarius obligabit?*

Resp. Ad argenteum, saltem quoad cuppam, quia præsumitur hunc vovisse: nam præsumptio fit ex regulariter contingentibus, & regulariter Calices cuppam argenteam habent. Sed crederem esse considerandam qualitatem personæ; nam, si valdè dives foret, deberet præsumi se voluisse obligare ad Calicem argenteum ex integro.

70. Sed quæritur, *vovit, determinatè dare hunc Calicem, hunc equum; equus moritur, & Calix à fure raptus,* peti-

*feritur, an sit obligandus supplere per alia?*

Resp. Negativè, quia materia in individuo fuit taxata; sed, si vendidisset, teneretur ad pretium, in quo virtualiter, & æquivalenter manent. Quemadmodùm, si sua culpa, tam mors, quàm furtum evenissent.

Circa vota conditionalia, nota. I. Quòd emissa sub conditione contingenter futura non obligant ante impletam conditionem: voves dare eleemosynam, si Pater convaluerit, si vivat, &c. posita sanitate, & vita Patris, teneris implere; nam purificata conditione votum transit in absolutum. Promissio Deo facta parit obligationem Religionis; quæ in tantùm obligat ad standum promissis absolutè, quando conditio intenta est impleta, ne lædatur honor Dei, frangendo fidem promissionis. Super cæteris consule DD. Nam hæc ad finem intentum satis videntur. Et de tertio libro sufficiant.

# LIBER QUARTUS.
## DE SACRAMENTIS IN GENERE.

Doctores integros tractatus de Sacramentis, tum in genere, tum in particulari ediderunt, quorum prolixitatem nos vitantes, summatim solùm de iis tractaturi sumus, exhibentes Confessario quædam particularia, & magis practicabilia, ut ad manus aliqua quoque de Sacramentis habeat.

### CAPUT I.

*De Sacramentis in genere.*

1. DE Sacramentis novæ legis nobis sermo est. Quorum septenarius numerus habetur ex Florent. *in decret. Eugenii*, & Trident. *sess. 7. Can. 1. de Sacramen. in gen.* adeòut hæreticus esset, qui plura, vel pauciora, quàm septem esse affirmaret. Ea sunt, *Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema-Unctio, Ordo, & Matrimonium.*

2. Definitionem Sacramenti: *est invisibilis gratiæ visibilis forma, cap. sacrificium de consecrat. dist. 2.* seù: *invisibilis gratiæ visibile signum, ad nostram Sanctificationem institutum*: approbat Trid. *sess. 13. cap. 3. de Eucharistia.*

Dicitur *institutum*: at non ab homine, non à natura, non casu, sed à Christo Domino, Sacramentorum Authore. Et hinc patet ad essentiam Sacramenti requiri: ut sit signum sensibile gratiæ habitualis, justificantis, & sanctificantis hominem.

3. Sed nota, Sacramenta non solùm gratiam significare, sed etiam eam causare, & efficere, in non ponentibus obicem. Propterea à Theologis dicuntur signa gratiæ, non tantùm speculativa, sed & practica, & efficacia: & à Trid. *Can. 6.* gratiam continere.

4. Item pondera, Sacramenta novæ legis

legis ex eod. Trid. *sess.7. Can.* 8. conferre gratiam ex opere operato, hoc est ex institutione, & promissione Christi, per quæ merita Passionis ejus communicantur, & applicantur suscipientibus ipsa, & gratia confertur, dum in eis obicem non inveniant, juxta Trid. *sess.6. cap.3. de justif.*

5. Quæritur, *quot sint Sacramentalia?*

Resp. Sex numerantur à DD. hoc carmine contenta.

*Orans, Tinctus, Edens, Confessus, Dans, Benedicens.*

*Orans*, denotat Orationem Dominicam: quæ præcipuum inter Sacramentalia obtinet locum. Vide D. Thomam *in 3.par.q.87.art.3. in corpore.* Ubi numerat inter ea, etiam Orationem, quæ fit in Ecclesia consecrata.

*Tinctus*, significat eum, qui attingit aquam benedictam, vel, ea aspersus se signat.

*Edens*, complectitur commestionem eorum, quæ à Sacerdotibus sunt benedicta, juxta ritus, & Orationes ab Ecclesia Romana præscriptas in Rituali Romano circa commestibilia.

*Confessus*, significat Confessionem generalem, quæ fit ante Introitum Missæ, & ad Primam, & Completorium.

*Dans*, insinuat eleemosynam, *cap. Quamobrem, cap. Medicina de pœnit. distant. 1.*

*Benedicens*, indicat benedictionem Episcopalem; & secundùm alios comprehendit alias benedictiones, institutas ab Ecclesia, puta, Cinerum, Candelarum, Palmarum, &c.

6. Hæc Sacramentalia valent, ad remissionem venialium, quatenus, si quis eis, cum reverentia utatur, & humiliter, ac devotè, recitanda, recitet, ac doleat de venialibus, per ea delentur; facit Trid. *sess.14. cap.5. de pœnit.* docentis: *non esse necessarium venialia confiteri, quia ipsa possunt multis remèdiis expiari.*

7. Quæritur, *quænam ex Sacramentis sint Sacramenta mortuorum, & quæ vivorum?*

Resp. Mortuorum sunt, illud Baptismi, & Pœnitentiæ; quia primum datur mortuis spiritualiter per peccatum originale, & secundum mortuis per peccatum actuale. De quibus dicitur, quod causent primam gratiam, quia non supponunt vitam gratiæ, sed per se causant eam in non ponentibus obicem. Vivorum sunt reliqua, quæ supponunt vitam gratiæ in suscipiente. Nam de necessitate præcepti divini est, ut conscius peccati mortalis, priusquam ullam ex quinque vivorum Sacramentis percipiat, debeat se ponere in statu gratiæ: vel per Confessionem, dum potest: vel, per contritionem perfectam cum voto confitendi, dum deest copia Confessoris; & ideò hæc causant secundam gratiam, vel gratiæ augmentum, *v.l.2. cap.33. nu.19.*

8. Sed quæritur, *an Sacramenta vivorum aliquando possint primam gratiam causare?*

Resp. Per se nunquam possunt, benè verò per accidens; & tunc Sacramentum, quod per se est vivorum, per accidens fit Sacramentum mortuorum. Explico: ignorat quis invincibiliter se esse maculatum peccato mortali, accedit ad Eucharistiam reverenter, & devotè,

votè, putans esse in statu gratiæ habitualis, ex vi Eucharistiæ recipit primam gratiam sanctificantem, & justificatur. Accedit Ordinandus ad Episcopum, recordatur alicujus peccati mortalis, Confessarium non habet, elicit actum attritionis, quem inculpabiliter putat contritionem perfectam: hic, stante bona fide, ex vi Sacramenti Ordinis, quem suscipit, justificatur: ergo Sacramenta vivorum per accidens causant primam gratiam. D. Thom. 3. *par. q.* 79. *art.* 3. *in corp.* Gobat. *Exper. Theol. tr.* 1. *num.* 18. Felix *examen. tom.* 3. *num.* 12. Clericatus *dec. qu. de ann.* 1687. *quæst.* 2. *mens. Januar.* allegans Dianam, & Lauræam, De la Cruz *de Sacram. in gen qu.* 2. *num.* 2.

9. Quæritur, *an Sacramenta præter gratiam habitualem sanctificantem conferant aliam gratiam?*

Resp. Affirmativè. Per Sacramenta præter habitualem gratiam conferuntur quædam auxilia gratiæ actualis, quæ Deus decrevit dare recipientibus debitè ipsa Sacramenta, tempore opportuno, nisi ipsimet ponant obicem. Sic baptizatis præter gratiam sanctificantem decrevit Deus dare quædam auxilia actualia ad novam vitam instituendam, eique se conformandum, cujus filius per baptismum quis effectus est.

Confirmatis, ultra augumentum gratiæ sanctificantis, decrevit Deus per Confirmationem dare aliqua specialia subsidia actualis gratiæ in ordine ad confitendam fidem Christi liberè, & fortiter, non obstante persecutione, & tentationibus impellentibus in contrarium.

Per Extremam-Unctionem, decrevit ultra tale augumentum conferre auxilia, quibus infirmus resisteret tentationibus, in extrema infirmitate occurrentibus.

Ordinatis, per Ordinem præter augumentum sanctificantis conferuntur auxilia ad dignè exequenda ministeria Sacra.

Per Matrimonium, præter tale augumentum dantur auxilia ad ejus substinenda onera, & prolem educandam.

Per Eucharistiam dantur, cum tali augumento auxilia ad perseverandum in gratia, & vincendos concupiscentiæ motus.

Per Pœnitentiæ Sacramentum tandem, ultra gratiam sanctificantem, auxilia conceduntur ad concipiendum horrorem de peccatis, & dolendum de illis.

10. Nota per Baptismum, Ordinem, & Confirmationem imprimi etiam characterem, ex Trident. *cit. sess.* 7. *Canon.* 6. Qui non deletur per mortale. Nec ipsa possunt iterari: cætera verò iterari valent.

11. Nota II. Ex Florentino in Decreto Eugenii Sacramenta novæ legis tribus perfici: *rebus, tanquam materia: verbis, tanquam forma: & persona ministri, habentis intentionem faciendi, quod facit Ecclesia*; quorum si aliquod desit, non perficitur Sacramentum. De quibus in particulari suo loco.

12. Quæritur, *an liceat aliquid addere, vel tollere de verbis, in quibus consistit forma Sacramentorum?*

Resp. Ex D. Thoma *cit. in corp.* Duo circa hujusmodi mutationes, *quæ possunt in formis Sacramentorum contingere, esse considerandæ, unum ex parte ejus, qui profert verba: cujus intentio requi-*

quiritur, ad Sacramentum, & ideò, si intendat per hujusmodi additionem, vel diminutionem alium ritum inducere, qui non sit ab Ecclesia receptus, non videtur perfici Sacramentum, quia non videtur, quod intendat facere, quod facit Ecclesia. Et aliud, ex parte significationis verborum. Cùm enim verba operentur in Sacramentis, quantum ad sensum, quem faciunt: oportet considerare, utrum per talem immutationem tollatur debitus sensus verborum; quia, si sic, manifestum est, quod tollitur veritas Sacramenti. Manifestum est autem, quòd si diminuatur aliquid eorum, quæ sunt de substantia formæ Sacramentalis, tollitur debitus sensus verborum, & ideò non perficitur Sacramentum. Quare non verè baptizat, qui hac forma uteretur: *ego te baptizo, in Nomine Patris Majoris, & Filii Minoris, &c.* quia iste non ponit debitam formam; pariter, si baptizaret: *in nomine Patrìa, & Filia, &c.* intendens explicare in divinis esse Filiam, non perficitur baptismus, *cap. retulerunt dist. 4. de consecrat.* vel, si unum ex his nominibus prætermitteret: Patris, Filii, & Spiritus Sancti; aut, si addat nomen B. M. V. tanquam essentiale. Benè verò, si diceret: *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ego te baptizo:* quia non tollitur sensus verborum.

De naturâ, & qualitate intentionis diximus, *l. b. 3. cap. 3. nu. 87.*

13. Quæritur, *an, ut Minister conficiat Sacramentum, necesse sit, ut sit in statu gratiæ?*

Resp. Affirmativè, ad licitè, non verò, ut validè conficiat: habetur ex Trid. *cit. canon. 12. Si quis dixerit, Ministrum in peccato mortali existentem, modò omnia essentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere, aut conferre Sacramentum, anathema sit.*

14. Quæritur, *an liceat petere Sacramenta ab eo, quem quis certò scit esse in mortali?*

Resp. De hac re videndus D. Thom. *cit. qu. 64 art. 6.* & dicta *lib. 1 cap. 10. num. 8. & lib. 2. cap. 35. num. 9.* & infra *cap. 4.* Interim dicimus, vel illum ego adeo ex aliqua necessitate: vel is, à quo peto, est proprius Sacerdos, Parochus nimirum, cui ex officio incumbit ministrare, nec habeo in promptu aliquem alium idoneum ministrum, v. g. Confessarium pro absolutione: & tunc ille peccat absolvens in mortali: sed ego utor jure meo; & minister, si est indispositus, sibi imputet; qui potest se ab indignitate liberare per actum contritionis. Extra dictos casus, invalidè absolvit, non quia deficiat in jurisdictione, & in Ministro ad validam administrationem Sacramenti sit necessaria sanctitas, & status gratiæ, sed quia ego accedens, pecco mortaliter, & committo sacrilegium, cooperans sacrilegio illius, dum in mortali Sacramentum confert. Vide *Clericatum cit. qu. 1. in Septembr.*

15. Nota, quòd si Confessarius existens in peccato absolvat, peccat contra jus divinum, ex quo non administrat rectè Sacramenta; si verò sit etiam excommunicatus, peccat etiam contra præceptum Ecclesiæ in eo, quod prohibitus usu licito jurisdictionis ab Ecclesia, ea tamen utitur; & intelligitur etiam de excom-

excommunicato tolerato, quia iste non privatur valido jurisdictionis usu, sed licito, dum non toleratus, utroque privatur, *v.c. 35. cit. nu. 16.*

16. Quæritur, *an graviter peccet Parochus, qui protestatur se paratum esse ad ministranda suis ovibus, semel in mense, & non sapius, Sacramenta Confessionis, & Communionis?*

Resp. Aliqui distinguunt de Parocho, qui sit in Civitate, in qua sunt plures Confessarii Sæculares, & Regulares, expositi ad excipiendas Confessiones fidelium, & iisdem exhibent Sacram Communionem; & de Parocho in loco campestri, vel Oppido, in quibus alii Confessarii non sint, qui satisfaciant necessitati, seù devotioni suorum Parochianorum, petentium Sacramenta; & propter hanc ipsam rationem affirmant istum peccare; quæ cùm in primo non militet, à peccato eum excusant.

Verùm neuter excusandus est à gravi culpa; ratio est, quia Parochus tenetur ex officio, & ex justitia administrare Sacramenta, non solùm in casu necessitatis, & in Paschate, sed etiam quoties sui Parochiani ea rationabiliter petunt; sed, qui vult confiteri, & Communionem sumere omnibus Dominicis laudabiliter facit, juxta monitum Augustini relati in *cap. quotidie de consecrat. dist. 11.* Maximè, quia, ut notavit Layman *lib. 5. tract. 6. cap. 13. num. 2.* tenetur Parochus ex officio consulere spirituali profectui suarum ovium, qui præcipuè pendet ex frequentia Confessionis, & Communionis. Ergo Parochus, de quo dubium, mortaliter peccat: cum juxta Trident. *sess. 23. cap. 1. de ref. Præcepto divino mandatum est omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, & pro his sacrificium offerre: verbique divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere.* Gobat. *cit. num. 105.*

17. Attendant Parochi ad verba Layman. *loc. cit. nu. 1.* Sacerdoti Curato, ratione plebis ad pascendum sibi commissæ, major, seù arctior obligatio incumbit: qui proindè operam dare debet. I. Ut scientiam sibi compareat, quæ suo muneri ritè obeundo necessaria est, lectione Sacræ Scripturæ, & DD. ad prædicationes, & suarum ovium consolationem, & instructionem.

II. Vitam suam instituat, orationis frequentia, cibi, ac potus temperantia, corporis castitate, locutionis modestia, in pauperes misericordia, erga omnes humanitate, & charitate; ut, quod verbis in Ecclesia populum docet, ipse opere confirmet.

III. Per vicos, & oppida non discurrat, sed domi suæ se contineat, ut statim, ubi necesse fuerit, ad visitandos infirmos accedere, eosque opportunis remediis juvare possit.

Magna itaque in Pastoribus obligatio reperitur: quia, si eorum imperitia, aut negligentia oves eis commissæ pereunt, ipsi rationem reddituri sunt, & pœnam luituri. Quare, ne judicium in alia vita reformident, hic impleant, ut oportet, officium.

18. Quæritur, *an Parochus tempore pestis possit absque lethali culpa suam residentiam relinquere ad effectum, ut securitati vitæ suæ consulat?*

Resp.

Resp. Negativè, juxta decret. Sac. Cong. Conc. apud Fagnan. *in 3. ad cap. Clericos de Cleric. non resid. num. 38.* Ad dubium: *an Parochi tempore pestis teneantur residere in suis Parochialibus, & Sacramenta per se ipsos ministrare Parochianis suis, eo morbo infectis: die 11. Octob. 1576.* Sacr. Cong. censuit. *Parochianos tempore pestis teneri in Parochialibus residere, & teneri eodem tempore Parochianis suis, peste laborantibus, ministrare Sacramenta ad salutem necessaria Baptismi, & Pœnitentiæ; posse tamen ministrare, vel per se, vel per alium.* Quæ sententia Cong. fuit approbata à Summo Pontifice, etiam in eo, ut possit per alium: dummodò idoneum; ea præcisè ratione, ut Parochus posset audire Confessiones sanorum, quia aliàs eum reformidarent, si viderent ipsum accedere ad pestilentes: & nollent ei confiteri, verentes contagionem; atque etiam ipse Parochus officio hortandi, prædicandi, consolandi omnes suos Parochianos, ulterius, & plenius fungi possit. Hæc apud illum.

## CAPUT II.

### *Baptismus.*

1. BAPTISMUS esse primum novæ legis Sacramentum, patet ex Trid. *sess. 7. can. 1. de Sacr. in gen.* Dicitur janua Sacramentorum; quia sine ipso in re susceptо, neque validus, neque licitus est accessus ad alia Sacramenta. *Textus in capit. veniens de presbyt. non baptiz.*

2. Quæritur, *quid sit Sacramentum baptismi?*

Resp. *Est exterior ablutio corporis per aquam naturalem, cum certa verborum forma, à Christo Domino instituta, cum intentione in ministro, saltem faciendi, quod facit Ecclesia.* De materia, & forma baptismi, diximus *lib. 3. cap. 3. ad prop. 27. n. 74.* de Ministro etiam, vide ibi *num. 80.*

Nota, quòd pro tota Ecclesia ordinarius Minister est Papa: pro Diœcesi Episcopus: pro Parochia Parochus.

3. Quæritur, *quotuplex sit baptismus?*

Resp. Triplex, Fluminis, seù aquæ: Flaminis, seù desiderii: & Sanguinis, seù martyrii. Baptismus Fluminis; jam *num.* superiori fuit descriptus. Baptismus flaminis est *actus perfectæ contritionis, seù dilectionis Dei, cum voto, seù proposito, aut desiderio suscipiendi baptismum aquæ.* Baptismus Sanguinis *est ablutio animæ, facta proprio Sanguine ob Confessionem fidei Catholicæ, cum perpessione mortis, à Persecutore illatæ in odium ipsius fidei.* Quæ potest dici definitio Martyrii.

4. Differt baptismus aquæ ab aliis duobus, quia ille est absolutè, & propriè baptismus: est Sacramentum novæ legis: nam constat materia, & forma (in quibus stat essentia Sacramentorum) à Christo institutis; ipse solùm imprimit characterem. Alii duo solùm sunt in supplementum, & defectum baptismi fluminis, cùm iste non potest haberi: in cujus virtute remittunt peccatum.

5. Nota, quod adultus non baptizatus, dum rapitur ad martyrium, debet prius baptizari baptismo fluminis, si potest.

6. Baptismus Fluminis, alius est Privatus, alius solemnis. Differentia inter solemnem, & Privatum apud Doctores hæc est. I. Quia Solemnis administratur cum cæremoniis, & Ritibus Sacris, de quibus in Rituali Romano: etiamsi ministretur in domibus privatis: ut contingit in baptizandis filiis Regum, & Principum juxta *Clemen. unic. de baptismo*; non sic Privatus, sed propter necessitatem, in eo illi omittuntur. II. Quia Sacerdos, qui est in peccato mortali, & solemniter baptizat, peccat mortaliter, nisi, vel Confessione, vel contritione perfecta se purgaverit, secus, si baptizet privatè in casu necessitatis S. Thom. *3. par. quæst. 63. art. 6. ad 3.*

III. In solemni necessarius est Patrinus, non sic in privato: quia non reperitur præceptum Ecclesiæ, quod in casu necessitatis, si baptizetur infans, sit adhibendus Patrinus. Verùm, si reperiatur præsens, & velit, tamquam Patrinus in illo actu baptismi privati infantem tenere, erit verus Patrinus, & contrahet spiritualem cognationem, dirimentem matrimonium contrahendum, ex dicendis de Matrimonio.

7. Nota ex Trid. *sess. 24. cap 2. de ref. matrimonii: quod unus tantùm, sive vir, sive mulier, juxta Sacrorum Canonum instituta, vel ad summum unus, & una, baptizatum de baptismo suscipiant; inter quos, ac baptizatum ipsum, & illius Patrem, & Matrem: nec non inter baptizantem, & baptizatum, baptizatique Patrem, & Matrem tantùm, Spiritualis cognatio contrahatur.*

8. Quæritur, *Petrus, tamquam Patrinus, tenet puerum, jam domi ob periculum mortis baptizatum, dum in Ecclesia supplentur cæremoniæ; petitur, an contrahat cognationem spiritualem.*

Resp. Negativè, loquendo de cognatione spirituali dirimente matrimonium; sed afficitur illa, quæ impedit, sed non dirimit. Unde observa, quod duplex est cognatio spiritualis: una dirimens matrimonium, posteà contrahendum, qua afficitur, qui, ut Patrinus, tenet infantem ad fontem; & alia impediens matrimonium contrahendum, sed non dirimens *cap. contracto de cognat. spirituali, & cap. per Catechismum de cogn. spirituali in 6.* qua afficitur, qui tenet puerum jam domi baptizatum, dum cæremoniæ supplentur in Ecclesia, & loco ipsius ad interrogationes respondet: quæ dicitur cognatio contracta per Catechismum. Et hinc potest contrahere matrimonium cum matre pueri, vel cum ipsa filia, quam tenuit: sed eget dispensatione Episcopi *Clericat. cit. in Jun. 2. quæst.* citans Bonac. *de matrim. impedim. qu. 3. punct. 14 num. 6* & Layman. Sed plures censent hujusmodi impedimentum esse à Trid. revocatum: de quo *cap. ult.*

9. Sed quæritur, *Petrus Patrinus mittit Paulum, uti suum Procuratorem, ad tenendum infantem in Baptismo, petitur, an Petrus mittens, vel Paulus Procurator, contrahat cognationem spiritualem?*

Resp. A Petro mittente contrahitur, constat ex resolutis à Sacr. Congr. Conc. Quæ teste Fagnan. *in 4. ad cap. Veniens cognat. spiritual. num. 19.* censuit eam, quæ

*qui nomine alterius levat infantem de Sacro Fonte non contrahere sibi cognationem spiritualem, sed mandanti*; maximè quia ad contrahendum cognationem spiritualem necesse est, ut Patrinus sit designatus ex Trid. ibid. vel à Parentibus pueri, vel à Parocho, ut in puncto scribunt DD. vide dicta *lib. 21. cap. 7. num. 8.*

10. Quæritur, *Turca ad fidem conversus, adhuc catechumenus, suscipit alienum puerum è baptismali fonte, petitur, an contrahat spiritualem cognationem?*

Resp. Negativè, Fagn. ubi supra *nu.* 14. ratio est, quia impedimentum spiritualis cognationis est de jure Ecclesiastico, cui non subjacet ille, qui nondum est baptizatus, cum non sit Ecclesiæ incorporatus; & hinc sequitur, quod Turca post baptismum posset ducere in uxorem Matrem illius pueri ex *cap. Gaudemus de divitiis, Clericat. cit. quæst. 2. cas. 2. in Majo.*

Verùm Parochus illum admittens peccat quia in re gravi operatur contra Sacros Canones, prohibentes non baptizatos, non posse esse Patrinos, *cap. in baptismate de consecrat. dist 4.*

11. Quare nota juxta disposita in Sacris Canonibus, Patrinos esse non posse. I. Non baptizatos, ex *cap. cit.* II. Religiosos *cap. non licet, & cap. Monachi de consecrat. 4. dist.* III. Mutos, *cap. parvuli de consecrat 4. dist.* IV. Maritum, & Uxorem in suscipiendo uno, & eodem baptizando *cap. quod autem 30. quæst. 4.* ob reverentiam Sacramenti. Quamvis inter hos conjuges, quando admittuntur, non contrahatur spiritualis cognatio, quia per DD. juxta Trid. *cit.* inter ipsos susceptores nulla cognatio contrahitur.

12. Quæritur, *Pater, vel Mater suscipiunt propriam prolem in baptismo petitur, an contrahant cognationem spiritualem ad invicem, & priventur jure petendi debitum?*

Resp. Negativè; si necessitate faciant *cap. ad limina 3. qu. 1.* nam, ut ait Textus: *est inculpabile judicandum, quod necessitas intulit. Et cap si vir. de cognat. spiritual:* ubi textus concludit: *si ex ignorantia id factum est, eos ignorantia excusare videtur; si ex malitia, eos sua fraus non debet patrocinari.* Vide *lib. 2. cap. 7. num. 9.*

13. Quæritur, *Diaconus absente Parocho, infantem ad Ecclesiam delatum baptizat, petitur, an licitè?*

Resp. Mortaliter peccat, si extra casum necessitatis, vel sine licentia Episcopi, aut Parochi eum baptizet; ratio est, quia, cum baptizare spectet ad Parochum *cap. constat de consec. d. 4.* qui sibi usurpat hoc munus, eo invito, violat jus alterius, & operatur contra dispositionem juris; in casu verò necessitatis benè agit.

14. Sed quæritur, *an, cum solemniter baptizat, efficiatur irregularis?*

Resp. Affirmativè per Text. *in cap. si quis de Cleric. non ord. ministr.* tenet Gobat. *cit. num.* 104. & Clericatus; de licentia autem Parochi potest solemniter baptizare.

15. Quæritur, *Parochus suspensus à divinis Petrum, extra casum necessitatis, solemniter baptizat petitur, an incurrat irregularitatem?*

Resp. Affirmativè, *cap. cum æternus*

*de sent. & re judic. in 6. & cap. cùm medicinalis de senten. excom.* ibidem ubi: *quoniam, si contingeret eos, sic suspensos, divina officia exequi, sicut prius irregularitatem non effugient.* Vide Fagn. *in 5. Decretal. ad cap. tuæ literæ de Cleric. per salt. promot. nu. 23.* Ratio est quia per suspensionem ei sunt prohibita, quæ ex officio ad illum spectant. Idem dicas, si suspensus ab officio absolvat.

16. Quæritur, *an Parochus in baptismo omittens, aut mutans cæremonias, & ritus ab Ecclesia institutos, mortaliter peccet?*

Resp. Affirmativè, nisi in casu gravis necessitatis; nam omittere ritus Sacros ab Ecclesia præscriptos, in administratione Sacramentorum, vel Sacrificio, est peccatum contra virtutem Religionis, ex genere suo mortale, nisi parvitas materiæ excusset; ratio est, quia multum interest ad Ecclesiæ Catholicæ unitatem servandam, ritus Ecclesiæ in Sacramentorum administratione ubique servari. In baptismo itaque solemni, nec aqua benedicta, nec alii ritus sunt omittendi; &, qui asserit posse sine peccato mortali omitti, & à quovis mutari, damnatur à Trid. *sess. 7 can. 13. de Sacramen. in genere*, & absolvi non potest. Vide Piasec. *prax. p. 2. cap. 3. art. 3. num. 33.*

17. Quæritur, *Catechumenus, benè instructus de fide, & proximè baptizandus, nocte gravi cordis dolore corripitur, solus existit, timens mori, se ipsum baptizat, petitur, an validè?*

Resp. Negativè, habetur *cap. debitum de baptismo.* Ratio est, quia distinctio personalis est necessaria inter ministrum, & baptizatum: prout exprimitur in baptismi forma, per hæc pronomina: *ego, & te*, ac verbis Christi: *ite, docete omnes gentes, baptizantes eos &c.* In Verbo *ite*, cointelligitur *vos*: quæ est una persona; & in ly *eos*, designatur *persona* distincta à præcedenti.

18. Quæritur, *Parochus senex, chiragra impeditus, non potest aquam infundere super caput pueri; unde ipso proferente formam, Cappellano commisso, ut puerum abluat, petitur, an baptismus sit validus?*

Resp. Negativè, D. Thomas 3. *part. quæst. 67. art. 6. art. 3.* Ratio est, quia talis baptismus est contra institutionem Christi: qui præcepit, ut unus, & idem sit, qui abluat, & formam proferat, ad hoc, ut verificetur actus ille baptizandi, *ego te baptizo*, qui verificari non potest, quando Parochus dicit: *ego te baptizo*, & Cappellanus abluit, quia ipse non baptizat, eum aquam non infundat: ex prolatione formæ, & aquæ infusione pendet verificatio propositionis.

Sed quid, *sint duo Curati in eadem Ecclesia, uterque conetur puerum baptizare, & ambo Stola, & Colla induti simul, & eodem tempore formam proferant, & aquam infundant: petitur, an validè?*

Resp. Quòd validè baptizent, non est dubium. Pro solutione considera verba D. Thomæ *loc. in corp. Si verò uterque diceret, ego te baptizo, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, uterque exprimeret suam intentionem, quasi ipse singulariter baptismum conferret; & tunc manifestum est, quod ille, qui priùs verba proferret, daret baptismi*

*tismi Sacramentum. Alius verò, quantumcunque jus baptizandi haberet, nil faceret; &, si verba pronunciare præsumeret, esset puniendus, tamquam rebaptizator. Si autem simul ambo verba proferrent, aut hominem immergerent, aut aspergerent, essent puniendi de inordinato modo baptizandi, & non de iteratione baptismi: quia uterque intenderet, non baptizatum baptizare, & uterque quantum in se est, baptizaret: nec traderent aliud Sacramentum, sed Christus, qui est unus interius baptizans, unum Sacramentum per utrumque conferret.* Hæc S. Doctor. Vide Layman. *cit. tract. 2. cap. 7. num. 5.* & Poncium *Theol. disp. quæst. 542.*

19. Nota pariter ex eodem S. Doctore ibid. quòd si plures eundem simul baptizarent, & dicerent, *nos te baptizamus*, baptismus foret nullus, quia, ut S. D. ait, *ex tali forma, nos, &c. exprimitur talis intentio, quod plures conveniant ad unum baptismum conferendum, quod quidem videtur esse contra rationem ministerii: homo enim non baptizat, nisi, ut minister Christi, & vicem ejus gerens: unde, sicut unus est Christus, ita oportet esse unum ministrum, qui Christum repræsentet: propter quod signanter Apostolus dicit* Ephes. 4. *Unus Dominus, Una Fides, Unum Baptisma.*

20. Quæritur, *eodem tempore tres infantes deferuntur ad Ecclesiam baptizandi, Parochus, ut citiùs se expediat, eos simul plurali locutione baptizat dicendo: ego vos baptizo, &c. petitur, an licitè, & validè.*

Resp. Distinguas, vel illis tribus infantibus imminet periculum vitæ, vel non: si immineat, Parochus plurali locutione *vos* in eorum baptismo utens, validè, & licitè baptizat: si verò absque tali periculo, vel alia urgentissima causa id fecerit, validè baptizavit, sed non licitè; validè, quia non habetur ex institutione Christi, quod Minister baptismi teneatur ad unum tantùm singulis vicibus baptizandum; immò est commune ab Apostolis fuisse unica vice plures baptizatos, *Actorum* 2. Tum quia, Sacerdos simul potest plures hostias consecrare, ergo, & plures baptizare. Illicitè verò, quia non licèt mutare ritum Sacræ Romanæ Ecclesiæ, quæ prohibet extra periculum mortis infantium, vel absque urgentissima causa, baptizare plures unica vice, ut expressè Rituale Romanum *in fine baptismi parvulorum in rubric. rubr.*

21. Quæritur, *Parochus, invito Patre, & Matre baptizavit infantem Judæum, petitur, an validè, & licitè?*

Resp. Quòd validè, non est dubium, quia puer ille secundùm se est capax baptismi, ergo, cum ei confertur Sacramentum cum debita materia, & forma, & intentione, validè baptizatur; quia ad validum baptismum nil aliud requiritur, quàm subjectum capax, applicatio materiæ, & formæ cum debita intentione; & si baptizandus sit adultus, requiritur etiam consensus, seu intentio positiva, & quod velit baptizari, *cap. Majores de baptismo. §. Sed adhuc.*

Quare difficultas restringitur, an licitè baptizaverit. Pendet solutio ab articulo, an filii Infidelium, invitis parentibus, possint licitè baptizari. Negant Thomistæ; affirmant Scotistæ. Verùm

rùm credo posse per sequentia concordari. Vel filii infidelium sunt adulti, & pervenerunt ad usum rationis, & volunt baptismum: & tunc licitè baptizantur, etiam invitis parentibus, quia in iis, quæ sunt juris naturalis, & Divini, jam sunt sui juris: sed in casu debent divelli à parentibus, ut vitetur periculum perversionis.

Vel, sunt infantes sine usu rationis: & tunc, eorum parentibus repugnantibus, baptizari non possunt, quia cum sint in patria potestate, non decet eos ab ipsis divellere: nam jugum Christi suave est, & Ecclesia semper abstinuit à tali violentia. Nec decet, ut post baptismum apud parentes remaneant, quia tunc educarentur in infidelitate cum injuria Sacramenti collati, & se componentes ad voluntatem Parentum, posteà ejurarent Christianam Religionem.

Verùm, si alter parentum sit fidelis, puer ex hujus consensu baptizari potest, quia id est in favorem filii, & fit consentiu illius, qui habet jus in filium. Maximè, si nullum timeatur periculum subversionis: quod esset timendum, si deberet educari sub parente Infideli.

22. Item, si filius sit desperatæ salutis, & morti proximus, baptizari potest; quia ratione mortis tollitur periculum irreverentiæ, & injuriæ fidei susceptæ, quæ timeretur ex educatione sub parentibus Infidelibus. Quòd, si puer in eo statu baptizatus, sanitati restitueretur, esset à parentibus separandus, & Christiano modo educandus; quia, cum per baptismum sit factus Ecclesiæ subditus, ad Ecclesiam spectat ejus saluti consulere. Quemadmodùm, si quis bona fide putans id sibi licere, puerum infidelem surripiat, & baptizet, tenetur eum christianè educare.

23. Item, baptizari potest puer Infidelis, cujus parentes aliquando fuerunt Catholici, & posteà in hæresim lapsi sunt; ratio est, quia quamvis lapsi in hæresim, propter Characterem indelebilem baptismi, adhuc si non facto, jure tamen, sunt subditi Ecclesiæ; quæ de ipsorum infantibus, tamquam filiis subditorum, disponere potest.

24. Item, baptizari potest infans Judæus, in cujus baptismum consentit Avus paternus, quamvis ipsius Pater contradixerit, ut tenet Carena *Offic. Inquisit. part. 2. tit. 15. §. 20. num. 45.* Vide Du-hamel *Theol. Cleric. tom. 3. cap. 2. de baptis.* De la Cruz *de baptis. quæst. 3. n. 7.* & tandem D. Thomam 3. *part. quæst. 68. artic. 10.*

25. Quæritur, *petit adultus baptizandus, quænam dispositiones requirantur, ut baptizetur: quid Parochus dixerit?*

Resp. Dicat, quòd aliæ sunt dispositiones ad validè tantùm recipiendum baptismum cum charactere illius: & aliæ ad validè, & licitè ipsum recipiendum cum fructu, seu gratia sanctificante, emundante ab Originali, & ab actualibus, si sint. Ad validè tantùm recipiendum requiritur consensus, seu positiva intentio, & voluntas recipiendi baptismum. Ad validè autem, & licitè cum fructu gratiæ recipiendum baptismum, est necessaria adducta, item, & quod credat in Christum: & credat mysteria necessitate medii juxta dicta *lib. 2. cap. 14. & cap. 39.* ac quod doleat, saltem dolore

lore attritionis ſupernaturalis, fide divina regulato, de peccatis actualibus commiſſis ante baptiſmum, juxta illud Actor. 2. *pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum in Nomine Jeſu Chriſti.* Vide Text. *in cap. Majores de baptiſmo.*

26 Quæritur, *Puella Turca, capta in bello, donatur nobili fœminæ: nondum baptizata infirmatur, in infirmitate incidit in phreneſim, à qua nullo remedio per Medicos, & Dominæ diligentia poteſt liberari, Medicus pronunciat, ſtatim morituram; petitur, an poſſit baptizari?*

Reſp. Vel puella adhuc non pervenit ad uſum rationis, & tunc baptizanda eſt, ut conſequatur vitam æternam, quemadmodùm alii parvuli baptizantur: vel ad uſum rationis pervenit, & tunc eſt obſervandum, an anteà petierit baptiſmum: & tunc eſt baptizanda ex *d. cap. majores §. item quæritur*. Quòd, ſi ante phrænesim oſtendiſſet aliquem inclinationem ad fidem Chriſti, libenter ejus explicationem audiens, & ſigna non levia voluntatis ſuæ dediſſet ad illam amplexandam, & baptiſmum ſuſcipiendum, eſſet baptizanda ſub conditione, *ſi ei capax hujus Sacramenti.*

27. Quemadmodùm etiam ſub conditione, *ſi non es baptizatus*, ſunt baptizandi illi expoſiti, de quibus dubitatur, an ſint baptizati: &, quoties quis prudenter dubitat, an aliquid eſſentiale in baptizando omiſerit, debet cum ea conditione repetere.

28. Quæritur, *qua ratione baptiſmus ſit neceſſarius ad ſalutem?*

Reſp. Eſt ita neceſſarius ex Trid. *ſeſſ. 6. cap. 4.* ut poſt promulgatum Evangelium ſine eo, aut ejus voto, non contingat juſtificatio; nec quis ſalvari poſſit, juxta illud, *niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei:* & propterea dicitur neceſſarius neceſſitate medii omnibus hominibus, vel in re, vel in voto ſuſceptus. Unde Theologi, & Caſuiſtæ diſtinguunt duplicem neceſſitatem medii, & præcepti; neceſſitate medii neceſſarium, dicitur illud medium, quo, ſeù ex ignorantia, ſeù impotentia, prætermiſſo nequit ſalus obtineri: & id ex vi medii ſic inſtituti; neceſſarium autem neceſſitate ſolius præcepti eſt, quod, etſi adhiberi per ſe loquendo debeat, ejus tamen prætermiſſio, orta ex inculpabili oblivione, ignorantia, vel impotentia, non impedit conſecutionem ſalutis: Exemplifico in neceſſario neceſſitate præcepti: ſi quis verè impotens ad reſtituendum, non reſtituat, modò habeat voluntatem reſtituendi, dum poterit, adhuc, ſi cætera concurrant, ſalvabitur: in neceſſario autem neceſſitate medii, non ſic contingit per dicta *lib. 2. cap. 14. num. 6.*

## CAPUT III.

### *Confirmatio.*

1 SACRAMENTUM Confirmationis eſt ſecundum in ordine, ſtatuto per Trid. *ubi ſupra*, & Florentinum *in decreto Eugenii.* Deſcribi ſolet, eſt Sacramentum, *quo homo viator baptizatus inungitur in fronte ab Epiſcopo cum chriſmate, ſub præſcripta verborum*

*rum forma, ad fidei robur consequendum.* Est verum, & proprium Sacramentum. Ordinarius minister est solus Episcopus ibidem *canon. 3.* sed ex commissione papæ potest esse, etiam simplex Sacerdos.

2. In eo duplex est materia, proxima, & remota: remota est, Chrisma confectum ex oleo, & balsamo ab Episcopo benedictum, *cap. cùm venisset de Sacr. Unct.* & ex allegat. *decret. Eugenii.* unde excluditur oleum Nucum, Piscium, Amygdalarum, Lini, Rosarum, & similium; nam appellatione olei in communi usu hominum venit dumtaxat oleum olivarum.

Materia proxima est unctio, quæ cum Chrismate fit ab Episcopo in fronte homini baptizato in forma Crucis.

3. Forma hujus Sacramenti est hæc: *signo te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis, in nomine patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.*

Dispositiones in confirmando sunt I. Ut sit baptizatus. II. Ut habeat intentionem recipiendi Sacramentum, & confirmari velit. III. Ut sit in statu gratiæ sanctificantis. Unde si quis sit conscius peccati mortalis, debet se purgare vel per Confessionem, vel per Contritionem cum voto confitendi: aliàs recipiet characterem, sed non gratiam sanctificantem, vel hujus augmentum; nisi ablato obice peccati, per Sacramentum pœnitentiæ, vel per contritionem cum voto confitendi, cùm primùm potest.

4. Hoc Sacramentum præter augmentum gratiæ sanctificantis causat, etiam aliàs, gratias actuales, quibus confortatur baptizatus ad pugnandum fortiter pro fide ex dictis *cap. 1. num. 9.*

5 Est necessarium necessitate præcepti Sacramentum Confirmationis suscipere. I. Vel, cùm instat fidei persecutio. II. Vel, cùm graves tentationes contra fidem nos premunt. III. Vel, cùm imminet mortis periculum. IV. Vel, cùm quis commodè potest; nam si in prætactis casibus nollet quis ipsum suscipere, videretur ipsum contemnere, non curando habere gratiam, quæ per ipsam confertur, Duhamel ubi supra de confirmat.

6 Quæritur, *an in Sacramento Confirmationis debeant admitti Patrini.*

Resp. Affirmativè, sed unus tantùm, vel una, *cap. non plures de consecrat. dist. 4. & cap. quamvis in 6. de cognat. spirit.* Habetur ex Trid. *sess. 24. cap. 2. de ref. matrim.* in fine, ubi hæc habet: *ea quoque cognatio, quæ ex confirmatione contrahitur, confirmatum, & confirmantem, illiusque Patrem, & Matrem, ac tenentem non egrediatur*: ubi nota per ly *tenentem* in singulari expressum, excludere pluralitatem Patrinorum, respectu ejusdem confirmati.

7 Sed quæritur, *Duo Patrini simul tenuerunt eundem puerum in confirmatione, petitur; an ambo, vel eorum unus tantùm, aut quis eorum cognationem spiritualem contraxit?*

Resp. Vis difficultatis ex eo pendet, quod in alleg. *cap. de cognatione spirituali*, dicitur: quod, *si plures accesserint ad suscipiendum de baptismo infantem, spiritualis cognatio inde contrahitur, matrimonia contrahenda impedicit, & contracta* (post cognationem) *dissolvens.* In Trid. verò, postquam dictum fuit: ut ad summum *unus, vel una* baptizatum de Baptismo suscipiant, dispon-

tur:

tur: *quòd, si alii ultra designatos baptizatum teneant, cognationem spiritualem nullo pacto contrahant: constitutionibus, in contrarium facientibus, non obstantibus*; per quod videtur abrogatum jus antiquum: & statutum, quòd in baptismo duo, in confirmatione unus solùm contrahat, qui fuerit, vel fuerint, ab iis, ad quos spectat, designati.

Considera Sacr. Cong. Conc. decretũ apud Fagnan. *in 4. ad cap. ex literis de cognat. spirituali nu. 5.* ubi hæc sunt. *Cùm negligentia Parochi factum esset, ut trẽs designarentur, & in libro scriberentur, de Sacro baptismi fonte fœminam suscepturi, nempe Titius, Titia, & Sempronius, qui omnes levarunt batizatum, & tetigerunt, fuit dubitatum, an omnes cognationem spiritualem contraxissent cum baptizata: an verò ii tantum duo, qui priores sunt designati. S.* Cong. *censuit omnes contrahere, si non appareat qui primi sint designati, per cap. fin. de cognat spir.* licèt enim Concilium prohibeat plures, tamen non annullat actum.

Et licèt prætacta respiciant patrinos, adhibitos in baptismo, tamen etiam ad solutionem dubii trahi possunt.

Unde, si uterque fuerit designatus, ambo contraxerunt: si verò unus tantùm, & alter, Parocho non advertente, se intrusit in illa susceptione, hic nullam contraxit cognationem spiritualem, sed alius, qui erat designatus, juxta receptam Trid. dispositionem *loc. cit.* ubi: *quòd si alii, ultra designatos, baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahant:*

8 Pondera, quòd quamvis plures, quàm duo, contrahant cognationem spiritualem, si fuerunt plures designati, ad tenendum puerum in baptismo, adhuc verificatur, quod Trid. correxerit jus antiquum, quia *cap. 1. de cognat. spirit in 6. cit.* cognatio spiritualis contrahebatur, inter baptizatum, & susci-pientis filios, ac uxorem, anteà carnaliter cognitam, ut ibi textus: quando per Concilium in baptismo contrahitur inter Patrinos, ac baptizatum ipsum, & illius Patrem, & Matrem: nec non baptizantem, & baptizatum, baptizatique Patrem, & Matrem tantùm: & in confirmatione inter confirmantem, & confirmatum, illiusque Patrem, & Matrem, ac tenentem, ut ibi, *v. l. 2. c. 7. nu. 8.*

Patrinus debet esse confirmatus: nec contraheret affinitatem, nisi confirmatus foret, *cap. in baptismate 4. dist. de consecr.* Et alius esse debet, quàm ille, qui fuit in baptismo, nisi necessitas cogat, *cap in Catechismo dist. cit.* Est mortale peccatum in confirmatione plures admittere; quemadmodùm in baptismo plures præter unum, & unam. Barbosa in Trid. *loc. cit.* & Clericatus ubi supra *qu. 3. casu 3.*

## CAPUT IV.

### *Eucharistia.*

1. EUcharistia considerari potest, & ut est Sacramentum, & ut est Sacrificium. De ipsa sub prima considera-tione agemus sequenti §. Acturi de ea sub alia in posteriori.

## §. I.

### *Eucharistia ut est Sacramentum.*

TErtium Sacramentum est Eucharistia, seu Sacramentum Corporis, & Sanguinis D. N. Jesu Christi, sub speciebus panis, & vini, realiter contenti, ad spiritualem animæ refectionem institutum. Quas species, dum dignè sumimus, Divina Gratia pascimur, & nutrimur.

2. Quæritur, *quid doceat fides circa hoc Sacramentum?*

Resp. Maximè infrascripta. I. Quòd post verba consecrationis, à Sacerdote cum debita intentione prolata, substantia panis convertitur in Corpus Christi, & substantia vini in ejus Sanguinem, ita ut post consecrationem nil substantiæ panis, & vini remaneat, sed sola accidentia: quæ vocantur species Sacramentales. Vide Trid. *sess.* 13. *cap.* 4. *de Eucharist.* ubi: *conversio totius substantiæ panis in Corpus Christi, & totius substantiæ vini in Sanguinem ejus, Transubstantiatio appellatur.*

3. II. Quòd, ut ibid. Trid. *cap.* 3. *statim post consecrationem verum Domini nostri Corpus, verumque ejus Sanguinem, sub panis, & vini specie, una cum ipsius Anima, & Divinitate existere; sed Corpus quidem sub specie panis, & Sanguinem sub vini specie, ex vi verborum; ipsum autem Corpus sub specie vini, & Sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque, vi naturalis illius connexionis, & concomitantiæ, qua partes Christi Domini, &c. inter se copulantur: Divinitatem porrò propter admirabilem illam ejus cum corpore, & anima hypostaticam unionem.*

4. III. Quòd tantùm sub alterutra specie, quantum sub utraque continetur: totus enim, & integer Christus sub panis specie, & sub quavis ipsius speciei parte, etiam dum una pars ab alia est separata: totus item sub vini specie, & sub ejus partibus, existit, ibid. Conc. & Florent. *in decr. Eugenii.*

5. IV. Quòd accidentia in hoc Sacramento sunt sine subjecto.

V. Quòd Sacramentum Eucharistiæ est adorandum adoratione Latriæ. Definitur in Trid. *sess.* 13. *cap.* 5. *& Can.* 6. *de Eucharis.* Nam in eo est verè, & realiter præsens Christus Dominus: ex cujus reali præsentia ea adoratio infallibiliter infertur.

6. Quæritur, *quænam sit materia Sacramenti Eucharistiæ.*

Resp. Materia proxima sunt species consecratæ: materia autem remota, seu pro validâ consecratione Corporis, est solus panis triticeus. Florent. *in decret. Eugenii*: nam iste panis, simpliciter panis nominatur, & est per se usualis, in quo Christus consecravit.

Materia verò consecrationis Sanguinis est vinum de vite, ibid. Florentinum. Cui ex præcepto Ecclesiæ modicissima aqua miscetur Trid. *sess.* 22. *cap.* 7. *de Sacrif. Miss.* Quam si Sacerdos sciens non misceret, sacrilegium committeret, sed validè consecraret, si cætera necessaria non omitteret. Sed vide *num.* 14.

7. Quæritur, *an panis debeat esse azymus, vel fermentatus?*

Resp. Uterque sufficit ad validam consecrationem: definitur in Florent. *in eis. decret.*

*decret.* ubi : *item, Diffinimus in azymo, sive fermentato, pane triticeo, Corpus Christi veraciter confici : Sacerdotesque in alterutro, ipsum Domini Corpus conficere debere, unumquemque scilicet juxta suæ Ecclesiæ, sive Occidentalis, sive Orientalis consuetudinem.* Unde peccat gravissimè Latinus, etiam secluso scandalo, consecrans in fermentato, & Græcus in azymo; nam in re gravissima faciunt contra Concilium; nec licèt cuilibet privata authoritate discedere à rationabili consuetudine suæ Ecclesiæ. Vide D.Thom. 3. *p. cit. qu.* 14. *art.* 4. Et id puto verum esse, sive Latinus sit in Ecclesia Latina, sive apud Græcos existat, quia verba Concilii sunt absoluta, & per ly *debere*, obligationem exprimunt.

Solus itaque panis triticeus, aqua naturali mixtus, ignè coctus, non frixus, est materia consecrationis Corporis; quia Christus panem triticeum consecravit: hujus autem Sacramenti materia illa censenda est, qua Christus, Sacramenti institutor, usus est. Addo, quòd panis triticeus apud homines panis simpliciter, & usualis dicitur; nec alii, nisi in hujus defectum introducti sunt, & in usum veniunt.

8. Unde materia inepta est panis confectus, ex secale, ex hordeo, spelta, farre, milio, oriza, aliisque: ex quibus, non nisi in defectum tritici, panis conficitur. Idem dicitur de eo, confecto ex amydo, quia conficitur ex tritico corrupto, nec censetur panis usualis. Pariter, dum panis ex tritico factus, est variis alterius speciei granis permixtus, ita ut permixtio speciem solvat, & mutet, materia inepta est; si verò modica permixtio foret, ut non impediret, quin simpliciter panis triticeus foret, esset materia idonea. Vide D.Thom. 3 *par. q.* 14. *artic.* 3.

9. Item, solùm vinum de vite, ex uvis expressum est materia consecrationis Sanguinis; unde inepta materia est, succus ex malis granatis, pomis, piris, vel moris expressus; quia hujusmodi succus non est, nisi similitudinariè, & impropriè vinum. Item, materia inepta est agresta, quæ nondum habet speciem vini, sed est in via ad generationem vini. Item acetum, quia est vinum corruptum, & se habet ad verum vinum, sicut cadaver ad animal: unde cautè est legenda Gloss. *ad cap. sic in sanctificando distinct.* 2. *de consecrat.* ubi dicit: *de aceto conficitur, si ex vino factum fuit:* mustum verò, quia habet speciem vini, in casu necessitatis adhiberi potest: sed non statim expressum de uva in calice offeratur. D.Thomas *cit. art.* 5. *ad* 3. Vinum autem congelatum est materia apta: quia est vinum absolutè potabile.

10 Quæritur, *an materia consecranda debeat esse præsens Sacerdoti consecranti?*

Resp. Affirmativè: & præsens esse debet tum physicè, tum moraliter: quod colligitur, tum ex facto Christi Domini, qui panem, & vinum sibi præsentia, & in mensa apposita consecravit; tum ex perpetua Ecclesiæ praxi, quæ nec panem, nec vinum, nisi præsentia consecrat; tum ex ipsa formæ consecrationis significatione, quæ pronomine demonstrativo, *Hoc, vel Hic*, materiam consecrandam coram Sacerdote, ac proindè physicè, & moraliter, hoc est, se-

cundùm prudentem hominum existimationem, præsentem, & non nimis distantem, ostendit.

11 Quæritur, *an hostia sub aliis in Altari latitans, vel subtus palla, vel in pyxide clausa contenta, vel vinum in calice cooperto existens, censeantur esse præsentia moraliter, quoad effectum consecrationis?*

Resp. Affirmativè; quia, ita recipitur communiter, & in communi hominum usu, ac prudentum judicio censentur præsentia, sic, ut pronomine, *Hoc, vel Hic* rationabiliter, ut præsentia moraliter, & non distantia demonstrentur.

12. Quæritur, *an requiratur, ut Sacerdos ex materia præsenti designet, quam velit consecrare?*

Resp. Affirmativè; quare, si coram se habeat sex formulas, ex quibus quinque velit consecrare, quas tamen non designat, nullam prorsus consecrat; quia non esset major ratio de una, quàm de aliis; nec posset cognoscere, quamnam ex quinque consecrasset. Quare consultius est, Sacerdotem eas formulas velle consecrare, quæ sibi moraliter sunt præsentes, & ad Altare ad consecrandum sunt asportatæ.

13. Quæritur, *Sacerdoti N. displicet vinum acerbum, quod à Sacrista datur pro Missa, eo quia est suo stomacho dolorificum, propterea decernit in corde suo, nolle amplius consecrare cum dicto vino, & sibi providet vinum Albanum maturum: cum celebrare intendit, Sacrista clam, & furtivè ex urceolo aufert vinum Albanum præparatum, & in eodem ponit solutum vinum acerbum: quod Sacerdos mutationis ignarus, in Missa consecrat, petitur, an validè?*

Resp. Negativè, si Sacerdos ita excluserit à sua intentione vinum acerbum in Missa consecrandum, & ita determinavit consecrare vinum Albanum, ut omninò noluerit ampliùs habere pro materia ipsum vinum acerbum, jam à se exclusum, etiam si illud sibi proponeretur consecrandum; nam in casu deficit intentio Sacerdotis, & actio illa dicitur involuntaria; quoniam acerbum, non intentum, ita se habet, ac si non foret materia apta, quantum est ex parte Ministri, qui non vult illud consecrare.

Si verò, cum intentione particulari consecrandi vinum Albanum à se præparatum, retinuit intentionem generalem consecrandi omne aliud vinum appositum in Calice, aptum consecrari, & actu consecrans habuit intentionem consecrandi vinum, quod est in Calice (sicut quivis prudens Sacerdos intendere debet) validè consecrat; quia ea actio est ei voluntaria, & habet intentionem requisitam ad validitatem Consecrationis.

14. Quæritur, *an vino in Calice sit admiscenda aqua?*

Resp. Affirmativè, & Florent. in Decret. Eugenii. Ubi: *vino ante consecrationem modicissima aqua admiscèri debet: ad significandum hujus Sacramenti effectum, qui est unio populi Christiani ad Christum, &c.*

Dices, ergo non admiscere, non erit mortale: quia modicissima aqua est materia levis.

Resp. Negando consequentiam. Modicissima aqua secundùm se est materia levis,

levis, sed impedire totam significationem, intentam per eam admistionem, res gravissima est; at ea impeditur, dum aqua non admiscetur, ergo, dum non admiscetur, graviter delinquitur. Nec quis potest excusationem allegare ex parvitate materiæ, quia in casu non datur.

15 Quæritur, *quænam sit forma Sacramenti Eucharistiæ.*

Resp. Forma consecrationis corporis est hæc; *Hoc est enim corpus meum*: illa consecrationis Calicis: hæc: *Hic est enim Calix Sanguinis mei, novi, & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*

16 Sed quæritur, *an omnia verba sint de essentia formæ?*

Resp. Negativè; nam ly *enim*, non pertinet ad essentiam formæ consecrationis, cùm sine eo vocabulo plenè significetur, & efficiatur Corpus Christi sub speciebus panis, his solis verbis: *Hoc est Corpus meum*: Ratio est, quia ea tantùm ad formæ essentiam pertinent, quæ à Christo in ipsa institutione fuerunt adhibita, ut id efficiant, quod significant, sed hæc sola verba: *Hoc est corpus meum*, efficiunt consecrationem panis in Corpus Christi, quam significant, ut DD. tenent, conversionem nimirum panis in Corpus, & vini in Sanguinem Christi, quamvis non addatur *enim*, ergo.

17 Verùm illud *enim* scienter omittere esset gravissimum peccatum, quia quamvis non sit de essentia, est tamen de integritate formæ, D. Thomas *cit. q. 78. art. 2. ad 5.*

18 At difficultas est, *an de essentia consecrationis vini sint non solùm, hæc verba:* Hic est sanguis meus, *vel quod idem est,* hic est Calix Sanguinis mei; *verùm etiam, quæ adduntur*: novi, & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum?

Resp. Negativè, quia sola priora verba significant, & efficiunt consecrationem vini in Sanguinem Christi. Sunt tamen de integritate formæ: vel, ut ait D. Thomas *cit. art. 3. in corp.* sunt de substantia. Legas ipsum ibid. ubi: *dicendum est ergo, quòd omnia prædicta verba sunt de substantia formæ: sed per prima verba, cùm dicitur*: hic est Calix Sanguinis mei, *significatur ipsa conversio vini in Sanguinem, eo modo, quo dictum est in forma consecrationis panis: per verba autem sequentia designatur virtus Sanguinis effusi in passione, quæ operatur in hoc Sacramento.* Vide S. Doctorem, & Layman. *lib. 5. tr. 4. c. 3. a num. 3. de Eucharist.* aliosque in hoc tractatu.

Et nota ex eodem S. Thoma ad primum, quòd, cùm dicitur: *hic est Calix Sanguinis mei: est locutio figurativa, & ponitur continens pro contento, ut sensus sit: hic est Sanguis meus contentus in Calice, de quo fit hic mentio: quia Sanguis Christi in hoc Sacramento consecratur, in quantum est potus fidelium, quod non importatur in ratione Sanguinis; & ideo oportuit hoc designari per vas huic usui accomodatum.* S. Doctor. Verùm, quamvis non sint de essentia, non possunt sine gravissimo peccato omitti; videas *cap. Cùm Martha de celebr. Missar.*

19 Quæ-

19 Quæritur, *quanto tempore conservetur Corpus, & Sanguis Christi sub speciebus panis, & vini?*

Resp. Usque dum species panis, & vini manent in eo statu, ut connaturaliter deberet manere sub ipsis substantia panis, & vini, quando in ipsis foret. Quando itaque in tali statu sunt, ut si panis, & vinum foret sub illis, desinerent esse sub eis, tunc etiam desinit sub eis esse Corpus, & Sanguis Christi; ratio est, quia, dum manent in eo statu, in quo connaturaliter deberet manere substantia panis, & vini, tandiù sunt species, seù accidentia panis, & vini, sub quibus tantùm, ex institutione Sacramenti debet conservari Corpus, & Sanguis Christi. Poncius *disp.* 44. *qu.* 4. *nn.* 89.

20 Quæritur, *an Sacerdos communicans sub utraque specie plus gratiæ recipiat, quàm Laicus communicans sub una tantùm?*

Resp. Nota, quæ Trid. habet, *sess.* 21. *cap.* 3. *de com. sub utraque specie*; ubi hæc sunt; *etiam sub altera tantùm specie totum, atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi; ac propterea, quoad fructum attinet, nulla gratia necessaria ad salutem eos defraudari, qui unam speciem solùm accipiunt.*

21 Quæritur, *quomodo sumptio Eucharistiæ sit necessaria ad salutem?*

Resp. Quòd Eucharistia in re, & actu suscepta non sit necessaria necessitate medii ad salutem, est communis sententia Doctorum. Et patet; nam parvuli baptizati, si statim post baptismum decesserint, salutem æternam absque adulti Eucharistiæ perceptione obtinent. Et plures adulti sæpè in ea rerum serie constituuntur, in qua Cælestem hunc Cibum sumere nequeunt: ut, qui tempestate jactati, in aquis sepeliuntur: vel qui repentina morte, in gratia alioquin constituti, aggrediuntur: vel, qui sunt perpetuò amentes, & phrænetici: aut, qui in ultima infirmitate propter vomitum cibum retinere non possunt.

Sed ipsa in voto suscepta tali necessitate necessaria, asseritur à D. Thoma; *par. qu.* 73. *art.* 3. *in corp.* ibi videndus ubi optimo discursu id probat.

Quòd votum in adultis in actus formales prorumpere, & executioni aliquandò mandari debet, juxta verba Christi: *nisi manducaveritis carnem Filii Hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

Propterea DD. communiter asserunt dari præceptum divinum per se obligans ad sumendam Eucharistiam. I. In articulo mortis, per modum Viatici: nisi, paulò ante eodem die fuisset sumpta. II. Saltem semel in anno; idque etiam ex præcepto Ecclesiæ ex *cap. Omnis de pœnit. & remiss.* & nos diximus *lib.* 2. *capit.* 23. *num.* 2.

Dices ex adductis verbis: *nisi manducaveritis, &c.* non probatur præceptum sumendi Eucharistiam; aliàs ex iisdem concluderetur mandato divino fuisse omnibus Præcepta Communio sub utraque specie.

Resp. Negando sequelam. Licèt Jure divino sit imperata Communio, non est tamen præcepta sub utraque specie: habetur ex Trid. *sess.* 21. *cap.* 1. *de com. sub utraque spec.* Nec id Textus adductus probat: in quo particula *Et* sumitur pro

pro *vel*, & particula *nisi* pro *non*: adeò ut sensus sit: *si neque manducaveritis carnem Filii Hominis*: vel, *neque biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* In Scriptura, sæpè particula, &, pro disjunctiva, *vel*, usurpatur; ut Exodi 21. *qui percusserit Patrem, & Matrem* (hoc est Patrem, vel Matrem) *moriatur.* Tum quia, qui dixit: *nisi manducaveritis, &c.* dixit etiam: *si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Joan. 6. Maximè etiam, quia Corpus Christi non est sub speciebus panis exanime, & mortuum, sed unà cum sanguine; nam licèt ex vi verborum, *Hoc est, &c.* directè, & per se ponatur sub illis solùm Corpus Christi, tamen propter connexionem, & concomitantiam est sub illis etiam Sanguis ex dictis *num.* 3. ergò Fideles, qui accipiunt Corpus Christi, etiam ipsius Sanguinem sumunt.

Per accidens posset quis obligari ad sumendam Eucharistiam in multis occasionibus, in quibus per se non obligaretur ex Christi præcepto de sumptione ejus, ut, dùm quis cognosceret sumptionem ipsius esse necessariam, ut præservaretur à tentatione aliqua gravi, & peccato mortali. Poncius.

22. Quæritur, *in quo differant recipere Sacramentaliter, & spiritualiter Sacramentum Eucharistiæ?*

Resp. In hoc, quod recipiens solùm secundo modo, spirituali dumtaxat affectu recipit; ut habetur ex Trid. *sess.* 22. *cap.* 6. *de Sacrific. Miss.* Communicans verò primo modo, physicè, & realiter species manducat, & in stomachum transmittit. Vide D. Thom. *in* 4. *qu.* 1. *dist.* 9. *art.* 1.



## §. II.

### *Eucharistia ut est Sacrificium.*

NE inutiliter alibi dicta repetantur, te remitto ad 1. *lib. cap.* 6. ubi egimus de stipendio Missæ, *& cap.* 28. de dispositione sacrificantis, *& lib.* 2. *cap.* 32. de præcepto audiendi Missam.

23. Idcò hic nota: quod licèt interdum nomen Sacrificii in latiori significatione accipiatur pro opere bono, quod ad Dei cultum refertur, tamen non omne tale bonum opus est propriè Sacrificium, quia in Sacrificio propriè dicto aliquid sensibile debet offerri Deo: idque, ad ipsius honorem, & in signum supremi ejusdem dominii in creaturas, ac, quòd sit vitæ, & mortis Author, debet destrui, aut saltem immutari. Sic in Veteri Lege, quidquid Deo in Sacrificium offerebatur, destruebatur, vel immutabatur. Cujus destructione, aut immutatione summum ipsius dominium in res omnes declarabatur.

In ea lege sacrificia inter se distincta erant, materia, forma, & fine. Ex parte materiæ, sic erant distincta, ut, si res oblatæ essent animatæ, ut oves, Capræ, Hædi, Boves, Vituli, Columbæ, Passeres, Turtures, *victimæ* vocarentur, aut *hostiæ*; Si inanimatæ, & solidæ, non liquidæ, ut sal, Thus, Triticum, panis, &c. *immolationes.* Si liquidæ, ut Vinum, Oleum, Aqua, Sanguis *libamina* dicerentur.

Ex parte formæ, & finis dividebantur:

ubi *hostia* igne tota absumebatur, *holocaustum erat*; quod quidem omnia Dei esse, & supremum ipsius dominium in res omnes protestabatur. *In hostia pro peccato* pars una igni tradebatur, pars altera à Sacerdotibus comedebatur. In hostia denique *pacifica*, seu *in gratiarum actionem*, aut *ad impetrandum beneficium*, partem unam ignis absumebat, alia à Sacerdotibus, & tertia ab offerentibus edebatur.

24. Unde Sacrificium propriè dictum solet à Theologis definiri: *oblatio Rei sensibilis ritu aliquo externo, soli Deo facta à legitimo Ministro: cujus rei destructione, vel immutatione recognoscitur Deus, ut supremus omnium Dominus, & vitæ, & mortis Author.*

25. Ex quibus sequitur, Sacrificium esse actum externum præstantissimum virtutis Religionis; cùm consistat formaliter in eo, quod, dum sacrificamus, intendamus immediatè per alicujus rei destructionem, seu immutationem protestari Deum esse supremum rerum Dominum, eique idcircò immensam gloriam, cultum, & subjectionem deberi. Ex quo fit, ut erga nullum, nisi cum gravissimo peccato, sed solùm erga Deum exerceri debeat. Vide dicta *lib. 3. cap. 3. nu. 72.*

26. Quæritur, *an in Missa offeratur Deo verum, & proprium Sacrificium?*

Resp. Affirmativè, sic communiter Catholici omnes. Definitur in Trid. *sess. 22. can. 1. & cap. 2.* habetur. *Et quoniam in divino hoc Sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur, & incruentè immolatur, qui in Ara Crucis semel se ipsum cruentè obtulit.*

Quòd habes ex alleg. descriptione Sacrificii, ad quod requiritur, quòd res, quæ immolatur, & sacrificatur, destruatur, vel immutetur in recognitionem supremi dominii Dei in res creatas; in sacrificio autem Missæ, res, quæ offertur, & sacrificatur, immutatur, non quoad substantiam, sed quoad modum existendi, quatenus Christus per consecrationem ponitur sub speciebus panis, & vini, existens sub illis modo non naturali, sed sacramentali, & definitivo, sicut sit totus sub tota specie, & totus sub qualibet parte speciei, cùm anteà non esset talis.

27. Unde posset Sacrificium Eucharisticum describi. *Est oblatio Corporis, & Sanguinis Christi, cujus, quoad modum existendi sub speciebus panis, & vini, a Sacerdote facta, immutatione, recognoscitur Deus, ut Supremus Dominus, vitaque, ac mortis Author.* Ilsung. *Theol. tract. 6. disput. 5. art. 2. §. 1. num. 44.*

28. Cùm itaque per consecrationem Christus suò illis speciebus tali modo ponatur, sequitur, actionem sacrificandi consistere essentialiter, non in oblatione panis, & vini, quæ fit ante consecrationem: nec in oblatione Corporis, & Sanguinis Christi post consecrationem: nec in fractione, & commixtione Sacramenti; nec in sumptione Sacramenti à Sacerdote consecrante facta: nec in sumptione, & distributione fidelibus, sed in Consecratione. Quòd patet. Nam in ea actione consistit actio sacrificandi, quæ fit à Sacerdote in persona Christi; sed sola consecratio fit à Sacerdote in persona Christi, ut bene Becanus *opusc. 11. de tripl. sacrif. lib. 3. cap. 8. num. 6.* Et discurvit.

Et ex isto id fit evidens. Quia, cùm in consecratione dicit: *Hic est Corpus meum: Hic est Calix sanguinis mei*, non loquitur in persona propria, sed in persona Christi: non enim est Corpus, & Sanguis Sacerdotis, sed solius Christi: unde dixit Florent. in decret. Eugenii: *Sacerdos enim in persona Christi loquens, hoc conficit Sacramentum.*

29. Unde cum D. Thom. 3. *p. q.* 82. *art.* 4. *ad* 1. dicimus, sacrificium Missæ, sumptum pro actione sacrificandi (nam pro re sacrificata acceptum, dicit Corpus, & Sanguinem Christi Domini) essentialiter consistere in Consecratione utriusque speciei. Verùm consumptio spectat ad integritatem, vel usum Sacrificii: quatenus Celebrantes debent ipsum sumere, ut participent de oblato Sacrificio, & ipso opere ostendant, se Sacrificio consentire: ut optimè ibi D. Thomas in corpore.

30. *Dixi utriusque speciei:* quia licèt una species sine alia validè consecretur, dum verba Consecrationis à Sacerdote proferuntur circa materiam, idoneam cum debita intentione; tamen illicitè una sine alia consecratur. Nam nunquam licet alio modo Eucharistiam consecrare, quam eam Christus consecrandam præcepit; sed Christus utramque speciem indivisivè, consecrandam præcepit, ut loquitur Trident. *sess.* 22. *cap.* 1. Et ratio est. I. Quia Eucharistia est Sacramentum institutum per modum convivii spiritualis, sed ad rationem convivii potus æquè, ac cibus desideratur. II. Quia Sacrificium incruentum Altaris est commemoratio Sacrificii Crucis, ex Trid. *ibid.* ergo, sicut Sacrificium Crucis non fuit sine Sanguinis à Corpore separati effusione, ita, nec talis separatio, potest sine Consecratione Panis, & Vini repræsentari.

31. Per hoc enim, quòd una species in eadem Missa consecratur separatim ab alia, explicitè repræsentatur mors Christi. Nam, cùm *Sanguis, & non Corpus*, ex vi verborum, *hic est Calix, &c.* ponatur sub speciebus Vini: & *Corpus*, & non *Sanguis*, sub illis, panis ex vi istorum, *hoc est Corpus, &c.* ex Trid. *cit. num.* 3. sequitur, quòd illa consecratio sit quasi mystica mactatio Christi, quatenus scilicet expresè repræsentat mortem, ejusque passionem, per separationem ex vi verborum Sanguinis à Corpore, Becanus, ubi supra *num.* 10. & Gobat. *tract.* 3. *Alphabet. sacrifican. num.* 8.

32. Dices, Eucharistia est Sacramentum, ergo non est Sacrificium.

Resp. Negando consequentiam; diversa ratione est utrumque. Quatenus est Sacrificium consistit in consecratione, destruente substantias panis, & vini, & substituente loco ipsarum Corpus, & Sanguinem Christi sub illarum speciebus. Quatenus verò Sacramentum, non est actio, sed effectus illius actionis; & sub ista ratione importat ipsas species, ut realiter continentes Corpus, & Sanguinem Christi. Deinde, ut Sacramentum, ex opere operato prodest tantùm sumenti, si sit in gratia; ut Sacrificium verò prodest ex opere operato, & offerenti, & pro quibus applicatur, si sint sine obice peccati. Tum quia essentia Sacrificii Missæ respicit essentialiter consecrationem utriusque speciei: essentia

autem Sacramenti ſervatur in unica ſpecie.

33. Hoc Sacramentum variis aliis nominibus inſignitur: dicitur, *Primò, Euchariſtia*, hoc eſt, bona gratia, quia gratiarum omnium fontem, Chriſtum continet. *Secundò, Synaxis, & Communio*, quia communicatione Corporis, & Sanguinis Chriſti Salvatori copulamur, & cum aliis Chriſti fidelibus in unum Eccleſiæ Corpus unimur. *Tertiò, Viaticum*, quia Chriſtianis in periculo mortis conſtitutis miniſtratur, ut viam, quæ ducit ad vitam, in extremis momentis, infinitis periculis ſeptam, inoffenſo pede percurrant.

34. Quæritur, *an Sacrificium Miſſæ ex opere operato remittat pœnas exiſtentibus in Purgatorio pro illis oblatum?*

Reſp. Affirmativè, hoc eſt de fide tenendum ex Trid. *ſeſſ. 22. cit. can. 3.* ubi: *ſi quis dixerit, Miſſæ Sacrificium tantùm eſſe laudis, &c. vel ſolùm prodeſſe ſumenti: neque pro vivis, & defunctis, pro peccatis, pœnis, ſatisfactionibus, & aliis neceſſitatibus offerri debere, &c.* & *cap. 2. quare non ſolùm pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, ſatisfactionibus, & aliis neceſſitatibus: ſed, & pro defunctis in Chriſto, nondum ad plenum purgatis, ritè juxta Apoſtolorum traditionem offertur.* Vide *lib. & cap. cit.*

Ubi *num. 14.* habes diſtinctionem triplicis fructus ex opere operato in Sacrificio. *Generaliſſimi* pro tota Eccleſia. Qui dici poteſt infinitus Syncathegorematicè, quatenus cùm debeatur Fidelibus omnibus, non minuitur ex ipſorum numero, adeo ut minus de eo ſinguli percipiant, quando numerus Fidelium eſt major, & plus, quando eſt minor. Nam, ut notat Bord. *op. poſth. cap. 9. n.* unicuique fideli capaci applicatur certa portio, ſoli Deo nota, ſic, ut in concurſu hujus ſanctæ participationis unus alteri non præjudicet.

II. *Specialiſſimi, ſeu perſonalis* pro ipſo Sacerdote, qui, utpotè perſonalis, eſt perſonæ affixus; & propterea alteri inapplicabilis contra Bordonum *cap. & num. 40.* aſſerentem adversùs Paſqualigo poſteà Sacerdote alteri applicari, gratis tamen, & ſine ulla mercede privando ſe illo. Quòd meo videri non videtur ſtare cum hoc, quod ſit perſonalis, & perſonæ celebrantis ex Chriſti inſtitutione affixus, & determinatus.

III. *Specialis, ſeù medii*, qui debetur ei, pro quo, vel quibus Miſſa applicatur: iſte diminuitur in ſingulis, ita quod Miſſa minus profit ſingulis, cùm pro pluribus applicatur, ac profit uni, cùm ſolùm pro ipſo uno ſacrificium offertur: unde, quo participantes ſunt plures, eo minores fiunt portiones ex eodem fructu, in eas diſtributo, & ita neceſſe eſt, ut ſinguli quid minùs participent. Hinc eſt. Quòd pro unica Miſſa Sacerdos non poteſt plura ſtipendia recipere, & eadem omnibus ſatisfacere juxta dicta *loc. cit.*

35. Quæritur, *quid ſit applicare ſacrificium alteri?*

Reſp. Eſt illud à Sacerdote offerri Deo pro eo, pro quo, vel ex charitate (ut, cùm nullum accepit ſtipendium) vel juſtitia, ut, dum ſtipendium recepit, Miſſam celebrat.

36. Quæritur, *an Miſſa mali Sacerdotis tantùm valeat, quantum innocentis?*

Reſp.

Resp. Affirmativè, ex opere operato, ut ibi *n.* 5. improbitas enim Sacerdotis non potest inficere sacrificium à Christo institutum, quin efficacitèr operetur, & applicet meritum passionis ejus eis, pro quibus applicatur, si obicem non invenerit. Nam in eo Christus, Deo infinitè gratus, est principalis offerens, & res oblata, lege Trid. *sess. cit. cap.* 2. ubi: *in divino hoc Sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur, & incruentè immolatur, qui in Ara Crucis semel se ipsum cruentè obtulit:* & infrà: *una enim eademque est hostia: idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in Cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa.* Et facit, quod habet *sess.* 7. *can.* 12. *de Sacram. in gen.*

37. Quæritur, *post consecrationem moritur Paulus Sacerdos, alius ei substituitur, petitur, an iste possit Missam applicare pro suo arbitrio?*

Resp. Negativè, quia præsumitur, Paulum Sacrificium applicasse; communiter enim applicatio fit ante consecrationem in memento vivorum. Tum quia Sacerdoti substituto à Rubric. *Miss. tit.* 10. *de defect. in minister.* aliud non conceditur, quàm, ut Missam, expleat ab illo loco, ubi ille desiit.

38. Quæritur, *an Cremato Thuris, Ceræ, Olei, Aspersio aquæ benedictæ in honorem Dei factæ, sint sacrificia?*

Resp. Negativè, licèt enim propter eorundem immutationem, & destructionem videantur aptæ ad protestandum Deum esse Authorem vitæ, & mortis, tamen, quia ad hoc non sunt institutæ ex potestate Christi, Ecclesiæ collata, sacrificia non sunt. Verum itaque, & unicum Sacrificium in lege nova est illud Altaris, *omnium Sacrificiorum consummatio, & perfectio.* Trid. *cit. cap.* 1. Illæ sunt solùm Religiosi ritus, & cæremoniæ Sacræ, sed non sacrificia.

39. Quæritur, *an celebrans sine notitia rubricarum peccet mortaliter.*

Resp. Affimativè, quia exponit se periculo errandi in materia gravissima, ut est Sacrosanctum Missæ Sacrificium, vide dicta *lib.* 1. *c.* 28. *in fini*, ac Bullam B. Pii V. appositam in fronte Missalis, & Trid. *sess.* 22. *de Sacrif. Miss. can.* 7.

40. Quæritur, *an Sacerdos existens in mortali, & administrans Eucharistiam fidelibus, mortaliter peccet, nisi prius vel confiteatur, vel actum perfectæ, contritionis eliciat?*

Resp. Affirmativè, habetur ex D. Th. *in* 4. *dist.* 24. *qu.* 1. *art.* 2. §. *ad* 5. *quæst. ad* 4. ubi hæc sunt: *dicendum, quòd quandocumque exhibet se in aliquo actu, ut Ministrum Ecclesiæ, mortaliter peccat: & toties mortaliter peccat, quoties hujusmodi actum facit.* Sacerdos autem in ministranda Eucharistia, se habet, ut minister Ecclesiæ, & actum suo Ordini deputatum exercet. Habetur ex Rituali Romano *tit. de Sacrament. administrat.* Ideò debet saltem per contritionem perfectam se ad statum gratiæ reducere, ex alibi dictis.

41. At quæritur, *an peccent, qui scientes Sacerdotem esse in mortali, ab eodem Eucharistiam accipiunt?*

Resp. Est procedendum cum distinctione, quàm exhibet sequens D. Th. doctrina *loc. cit. ad* 3. ubi: *dicendum, quod quamdiù minister Ecclesiæ, qui est morta-*

*li, ab Ecclesia sustinetur, ab eo Sacramenta recipere, ejus subditus debet, quia ad hoc est ei obligatus: sed tamen præter necessitatis articulum non est tutum: quia cum induceret ad aliquid sui Ordinis exequendum, durante tali conscientia, quod ille in peccato mortali esset*; lege dicta *lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 8. *& sup. cap.* 1. *num.* 14.

42. Quæritur, *an Subdiaconus, vel Diaconus in servientes in Missa Sacerdoti, si sint peccato mortali gravati, & ab eo, vel per Confessionem, aut contritionem perfectam non se emendent, mortaliter peccent?*

Resp. Affirmativè ex eodem S. Doctore ibid. *ad* 5. *qu.* ubi: *quod lex præcipit, ut homo juste ea, quæ sunt justa, exequatur: & ideò quicumque homo, quod sibi competit ex ordine, facit indignè, quod justum est, injustè exequitur, & contra præceptum legis facit, ac per hoc mortaliter peccat. Quicumque autem cum peccato mortali aliquid sacrum Officium pertractat, non est dubium, quin indignè illud faciat: unde patet, quod mortaliter peccat*: & ex his ad dubium.

43. Sed petitur, *An applicatio Sacrificii fieri debeat ante consecrationem in primo* memento, *velante*; *an verò applicari possit etiam in secundo* memento?

Resp. Res est sub lite: utrinque sunt Doctores: resolutio pendet ab eo, an Sacrificium essentialiter consistat in sola consecratione utriusque speciei; an verò etiam communio, & consumptio hostiæ, quæ fit à Sacerdote pertineat ad illius essentiam: qui hoc secundum tenent apud Dianam Coord. *to.* 2. *resol.* 53. tradunt posse Sacrificium applicari, etiam in secundo *memento*; pro qua sententia Fagnan. *in* 3. *ad cap. Cùm creatura de celebrat. Miss. vu.* 19. hæc habet. *Jubet enim Canon in singulis Missis orari pro Defunctis ut in cap. penult. de consecrat. dist.* 1. *Cui præcepto ab universa Ecclesia satis fit per preces in secundo memento, in quo dicitur*, ipsis, Domine, & omnibus in Christo quiescentibus. *Et ita S. Congr. Concilii intellexit, decretum cap.* 4. *sess.* 25. *in illis verbis*: Commemoratio fiat: *censuit enim posse satisfieri per intentionem applicationis Missarum per preces in secundo memento, & per collectas in illis Missis, in quibus collectæ fieri possunt*. Nos verò quia supra *nu.* 29. com D. Thoma diximus Sacrificium essentialiter consistere in consecratione utriusque speciei, dicimus applicationem Sacrificii debere fieri ante ipsam consecrationem; ratio est, ut ait, Turrinus *director. Sacrificam. p.* 2. *sect.* 3. *cap.* 9. *ad fin.* quia applicare Sacrificium nil aliud est, quam offerre actionem Sacrificandi in obsequium Dei; Sed in hac opinione actio sacrificandi transit, quia in consecratione consistit, & fructus Sacrificii non potest stare in suspenso. Ideò Sacerdos, qui, vel ex justitia, vel charitate Sacrificium pro vivente, vel pro defuncto offert, & optat meliori modo, quo potest, prodesse, tutiorem amplectatur partem; quam si ex justitia celebrat, tenetur sequi, quia agitur de damno tertii: nec debet applicationem incertam reddere pro certo stipendio. Sed, si ex charitate celebret tutiorem partem etiam sequatur, ut prudenter agat, & prosit; ut etiam in-

cit,

*cit.* tenet Diana, & Quarti *ad Rubric. Missalis appendix de Sacrific. q. 2. punct.* 11. dixit consulendum esse, ut applicatio fiat semper ante consecrationem.

44. At petitur. *An intentio applicativa Sacrificii debeat esse necessariò actualis, vel virtualis, an verò sufficiat habitualis?*

Resp. cùm Quarti *cit. punct.* & Diana *ibid. resolut.* 51. & 52. Felice *examen ordinand. to. 3. p. 1. cap. 2. nu.* 237. Quòd sufficit habitualis, licèt enim juxta dicta *lib. 3. cap. 3. n.* 87. intentio habitualis non sit satis ad efficiendum Sacramentum, vel Sacrificium, quia ad hoc requiritur intentio passiva, & voluntas imperans potentiis externis operari (quod non potest convenire intentioni non perseveranti actualiter in se, vel virtualiter in aliquo effectu sui) sufficit tamen ad applicandum valorem, seù fructum sacrificii faciendi pro uno, vel pluribus juxta conventionem cum Benefactore factum, tum ex alia intentione actuali, vel virtuali; etenim ad applicandum fructum Sacrificii non est necessaria intentio factiva Sacrificii ex alia faciendi, me movens ad sacrificandum, & respiciens fructum, ut effectum; sed sufficit, ut respiciat illum, ut objectum, ad quod sufficit voluntas non factiva, sed volitiva, quadonem, vel transferam ipsum fructum; quod anticipatè potest fieri; ita possum hodie applicare Sacrificium, quod cras, vel infra aliquos dies celebrabo, manebitque ei applicatum, licèt de eo nihil amplius cogitem, modò non habeam voluntatem contrariam ante celebrationem, quia voluntas in tali casu non debet movere me ad aliquid ulterius operandum; sed satis est, ut ego cum intentione actuali, vel virtuali sacrificem.

Concordat Gobat *Theol. experiment. de Sacrament. tr. 3. cas. 5. sect. 3. nu.* 162. Abellii tamen *Medull. Theol. p. 2. cap. 1. de Sacrament. sect.* 11. §. 5. *num.* 5. requirit actualem, si non adsit virtualis; propterea actualis est consulenda, vel virtualis habenda. Videri possunt Rubricæ Missalis *tit. de can. Mis. usque ad consecrat. & §. sequent.* Memento tamen, quod *Memento*, prout in Canone, non est momento peragendum.

45. Sed quid, *si Missa ex oblivione nulli applicaretur quoad fructum medium ex opere operato, cuinam censendus ille fructus?*

Resp. In casu, sicut, dum is, pro quo Sacrificium applicatur, fructu non eget, vel est incapax, remanet in thesauro Ecclesiæ. Gavant. *p. 2. tit. 8. nu. 3.* & Felix *num.* 241.

46. Si autem quæras, *an fructus ille medius, qui debetur ei, pro quo Missa applicatur, sit infinitus.* Videas dicta *Offic. Cur. Eccles. ast. cap. 10. nn. 54. & 55.* Ubi diximus esse infinitum ex parte Christi, seù in actu primo; aut in radice, ut ait Gavantus; vel quoad sufficientiam, ut alii loquuntur; finitum verò in actu secundo, & ex parte applicationis, actualis influxus, & effectus producendi: ad effectum enim finitum applicatur. Quod oritur ex mera voluntate Christi, cujus interpres est Sancta Mater Ecclesia, quæ pro eadem re plures Missas offerre consuevit. Id autem Christus voluit, ut per iteratas oblationes frequentius recoleremus memoriam mortis, quam pro nobis in Cruce sustinuit.

ruit. Ulterior ratio est, quia Sacrificium ex opere operato, seu ex vi institutionis à Christo factæ habet vim applicandi nobis merita, & satisfactiones Christi: eaque alicui applicat, cùm à Sacerdote pro eo celebratur. Congruum autem fuit, ut nobis applicaret modo finito, ut sæpiùs à Fidelibus frequentaretur. Aliàs nec Legata relinquerentur, nec Capellaniæ erigerentur, nec frequens esset augustissimi Sacrificii oblatio. Felix *cit. num.* 134.

Et hic notandum cum Mauro *Theol. tom. 3. lib. 12. qu. 207 num. 9.* distinguente in Sacrificio effectum generalem, & specialem *ex opere operato*, quod effectus generalis non minuitur in singulis, ex eo, quod Sacrificium applicetur pro pluribus; specialis verò in singulis minuitur, ut dixi *à nu.* 34. Ideò cùm obligamur applicare Missam uni tantùm, obligamur ad illi applicandum totum hunc effectum specialem, licèt effectus generalis juxta formam Canonis *(in primis, &c.)* omnibus æquè applicetur. Et statim subdit. Hinc patet: quare, qui accipit eleemosynam pro Missa uni applicanda, non potest illam quoad fructum specialem applicare alteri; sed accepta eleemosyna, vel pacto inito, tenetur ex justitia illi quoad eum fructum totum applicare, aliàs non satisfacit suæ obligationi; quoniam fructus ille minuitur pro eo, si sacrificium applicetur, etiam alteri. Hæc ex allegato, & cum eo Scotistæ Poncius, & Herinc.

47. Quæritur. *Sacerdos N. exponit Confessario, sum indoctus, nec intelligo particulam illam in Missis Defunctorum:* libera, &c. de pœnis inferni, & de profundo lacu: de ore leonis, ne absorbeat eas Tartarus, ne cadant in obscurum, &c. *proinde cùm celebro, vix possum cogitationem de damnatis depellere, suggerent. em eos quoque sacrificiis juvari. Quid Confessarius est dicturus?*

Resp. I. Quòd pro damnatis sacrificium offerri non potest, sive cum peccato mortali actuali, sive cum originali decesserint, ut expresè docuit Augustinus *lib. 3. de anima, & ejus orig. capit.* 12. *Noli credere, ait, nec dicere, nec docere Sacrificium Christianorum pro iis, qui non baptizati de corpore exierint offerendum, si vis esse Catholicus.* Ibi S. Doctor voluit revocare ab errore eos, qui utique catholicè tenebant parvulos nasci peccato originali infectos, sed hæreticè posteà asserebant eos potuisse salutem consequi, licèt decessissent sine baptismo, modò pro eis sacrificia applicarentur, in quo omninò errabant.

48. Quod dictum est de parvulis sine baptismo defunctis, ut eis non prosit sacrificium, valet, & de adultis mortuis in peccato mortali; omnes enim sunt irreconciliabiles hostes Dei, & in termino pœnis æternis ab irrevocabili Dei judicio addicti.

II. Quòd Infernus idem est ac locus subterraneus circa centrum terræ, ubi, & damnati torquentur, sinus erat Abrahæ, & est Purgatorium, ac Limbus puerorum in originali peccato defunctorum, ut notavit Tirinus *comment. in Scriptur. to. 2. contr. 4. nu.* 16. quæ loca sunt distincta, & diversa. Hinc verba illa, *Libera eas de pœnis Inferni significant*, ut Deus virtute Sacrificii liberet de

de Purgatorio animas justorum, qui in eo subeunt pœnas pro peccatis remissis, vel venialibus, pro quibus hic viventes plenè non satisfecerunt.

III. Quòd *Lacus* aliquando sumitur pro carcere. *Danielis 6. Miserunt eum in lacum leonum.* Genes. 40. *Hic innocens in lacum missus sum.* Unde Purgatorium metaphoricè carcer dicitur, & ab isto carcere oratur Deus, ut animas Fidelium in eo existentium liberet.

IV. Quòd *Leo* in Scriptura sæpè sumitur pro Diabolo; *Prima Petri* 5. Animæ enim purgantes igne infernali torquentur, & à Dæmonibus tantò acrius, quantò citiùs exire debent de loco tormentorum. Hinc verba illa *de ore Leonis*, idem significant, ut eas Deus liberet de viribus Diaboli. Turrin. cit. *par.* 3. *sect.* 3. *cap.* 3.

V. Quòd *Tartarus* est profundissimus inferorum locus, Laurentii *Amalt. onomast.* & licet aliquando accipiatur pro inferno damnatorum, 2. *Petri cap.* 2. Hic tamen ejus nomine venit Purgatorium per Gobat *cit. num.* 173. Quare, *ne absorbeat eas Tartarus*, sensus est, fac, Domine, ne Purgatorium eas amplius detineat; quem sensum habent alia, *ne cadant in obscurum*: hoc est, ne, peracto hoc Sacrificio, permittas adhuc eas in obscuris terræ carceribus cremari. *Sed signifer Sanctus Michael repræsentet eas in lucem sanctam*: hoc est, fac, ut per hoc sacrificium pœnas debitas exsolvant in totum, ut hinc plenè mundatas eas S. Michael ducat in lucem cælestis gloriæ.

Quocirca utiliter, & fructuosè pro animabus existentibus in Purgatorio Sacrificium applicatur; præcipuè ut est satisfactorium, ut *à peccatis*, hoc est, peccatorum pœnis *solvantur*. Trident. *sess.* 22. *cap.* 2. & dixi *supr. num.* 34.

49. Quæritur, *an Sacrificium possit applicari Infidelibus, & hæreticis viventibus?*

Resp. Eis directè non licet illud applicare, quia cùm non sint membra corporis Ecclesiæ, de ejus suffragiis participare nequeunt; Sicut enim quoad fructum generalissimum, & intentione generali est Sacrificium offerendum *pro omnibus orthodoxis, atque catholicæ, & Apostolicæ fidei cultoribus*: & etiam *pro omnibus in Christo quiescentibus*, ut ex *Canone*; ita intentione speciali quoad fructum medium applicandum est pro unitis, & non præcisis ab Ecclesia, ac fidelibus defunctis. Unde dixit Augustinus cit. *lib. de anima, cap.* 9. *Quis enim offerat Corpus Christi, nisi pro eis, qui membra sunt Christi?*

50. Indirectè tamen pro illis, & excommunicatis non toleratis licitè Sacrificium offerri potest; quatenus scilicet offertur pro incremento, & exaltatione Sanctæ Matris Ecclesiæ, quæ per conversionem Infidelium, & hæreticorum, ac resipiscentiam censuratorum maximè fiunt, ut dixit Abellii *cit.* §. 4.

51. Potest tamen Sacerdos in Missa privatim pro Paganis, Judæis, & Hæreticis orare. Gavantus *cit.* & Durandus *de Ritib. Eccles. lib.* 2. *cap.* 33. *num.* 20. Et habetur ex Augustino in *psal.* 65. *num.* 5. ubi ait: *quicumque in Ecclesia estis, nolite insultare eis, qui non sunt intus; sed orate potius, ut intus sint.* Et Epist. 217. *cap.* 7. *ad Vitalem.* *Ubi*

*audieris Sacerdotem Dei ad ejus Altare populum hortantem ad Deum orandum, vel ipsum clara voce orantem, ut incredulas gentes ad fidem suam venire compellat, non respondebis, Amen?* Licèt enim isti de communibus Ecclesiæ suffragiis participare non possint, quia cum societate non communicant, non est tamen vetitum, ut quis pro illis, precibus privatis orare valeat.

Eadem ratio probat de excommunicatis non toleratis, ut sunt publici Clericorum percussores, & nominatim excommunicati denunciati, juxta constitutionem *ad evitanda Martini V.* quam refert *lib. 2. cap. 35. num. 16.* vel ita notoriè excommunicati, ut nulla possit tergiversatione celari, aut juris suffragio excusari, ex const. Leonis X. *Primitivæ sub la 20. §. 24. Bullar. to. 1.*

53. Quæritur, *an Sacrificium applicari possit quoad fructum medium pro existente in mortali?*

Resp. Affirmativè, quia ei prodest, ut est impetratorium auxiliorum ad conversionem; ad quem fructum dumtaxat præsumitur habere consensum implicitum, Felix *qum.* 239. Dicitur, ut *est impetratorium*, quia ei pro tunc non prodest, ut est satisfactorium pro pœna; ut enim pœna peccati relaxetur, debet quis esse in gratia sanctificante constitutus, aliàs ponit obicem quoad istum effectum; nam ut ista remittatur, debet anteà culpa esse remissa. Abellii

54. Quæritur, *an Sacerdos scienter celebrans in Ecclesia polluta sit suspensus, vel irregularis?*

Resp. Non est ipso jure suspensus, sed est suspendendus, *cap. Is, qui de sent. excom. in 6.* Nec est irregularis, ut dixi *Off. Cur. Ecclesiast. cap. 7. n. 8.* quia pollutio Ecclesiæ non est censura: peccat tamen mortaliter.

Ecclesia autem polluitur, I. Per homicidium voluntarium, & injuriosum; vel saltem contra reverentiam loco sacro debitam commissum; per mortem nimirum Judicis sententia in Ecclesia illatam, licèt sit absque sanguinis effusione.

II. Per humani Sanguinis voluntariam, & injuriosam effusionem, non quidem ex naribus fluentem, sed ob percussionem injuriosam in ea factam, etiam si periculum mortis non subsit.

III. Per illicitam copulam, aut humani seminis effusionem, ac publicè notam, *cap. significasti de adulter.* adeòut in prioribus etiam casibus ad violationem requiratur notorietas actuum talium, quibus violata fuit Ecclesia; & ab eo tempore censeri debet polluta, quo per rei evidentiam, aut rei confessionem innotuerunt delicta, quibus Ecclesia polluitur.

An autem *per copulam conjugalem polluatur Ecclesia?* Utrinque sunt DD. Sed omnes excipiunt casum necessitatis, quo scilicet conjuges diù in Ecclesia conclusi morari debent, ut ibid. Notavit. 10. Pinhing. *compend. lib. 3. tit. 40. §. 3.* De la Crux *direct. consf. de Sacrif. Missæ q. 3. num. 3.*

IV. Per sepulturam hominis excommunicati non tolerati, & vitandi: & per sepulturam hominis infidelis, & non baptizati; quibus casibus exhumari etiam debet talis sepulti cadaver, ac foras proiici, cap. *Consuluisti de consecrat. Eccles.* In istis casibus violatur Ecclesia per

per eorum sepulturam, licèt culpa nulla fiat, quando in prioribus culpa requiritur. Vide *loc. tit.*

55. Missa celebrari debet in Altari lapideo ab Episcopo consecrato, *capit. Nullus Presbyter* 1. *dist.* cap. *Altaria si non ibid.* Vel ad minus debet esse tabella lapidea ab Episcopo consecrata tantæ magnitudinis, ut pedem Calicis cum Patena capere possit, ut praxis docet, & habetur ibi *num.* 21.

56. Missas celebrare non licet in Ecclesia etiam consecrata, si violata, aut polluta fuerit, nisi prius reconcilietur ab Episcopo. Abellii *cit.* §. 8. *num.* 4. Nec in noviter erecta potest, nisi saltem præcedat simplex benedictio ipsius ab Episcopo, vel de ejus licentia à simplici Sacerdote facta, vel saltem ejus permissio. Piasec. *prax. p.* 1. *cap.* 2. *art.* 4. *nu.* 4. Ex privilegio verò, aut dispensatione Papæ potest celebrari in Oratorio privato non benedicto. Felix *nu.* 318. Cujus generis sunt illa, quæ à Sancta Sede conceduntur nobilibus in propriis domibus; sed priusquam pro executione Brevis Episcopus concedat licentiam celebrandi Missam, debet visitare locum, an sit aptus, & decens, ut dixi *Offic. Cur. cap.* 10. §. 3. *nu.* 77. ubi *num.* 87. notavi, quibus diebus non possit in eis celebrari, & *num.* 75. quinam audientes in eis Missam satisfaciant præcepto de Missa audienda; & de oratoriis DD. Cardinalium, & Episcoporum.

57. Cùm extra Ecclesiam tempore necessitatis, ut terræmotus, in castris, &c. Missa celebranda est, est obtinenda licentia ab Episcopo, si facile adiri potest. Abellii *citat. num.* 3.

58. Extra diem Nativitatis Domini plures unica non possunt Missæ celebrari, cap. *Consuluisti de celebrat. Missar.* contra Ameno *de panis. tit.* 8. §. 3. *num.* 29.

59. Celebrandum est cum vestibus, benedictis ab habente potestatem, adeò ut sit ex Toleto mortale cum ipsis non benedictis, aut notabiliter immundis; & laceratis celebrare.

60. Vestes benedictionem perdunt, cùm notabiliter franguntur, ut non sint aptæ ad decentem usum, ad quem benedictione destinantur.

61. Calices verò, & Patenæ consecrationem amittunt cum notabiliter sunt exauratæ ea parte, qua contingunt Corpus, & Sanguinem Christi; egentque nova consecratione, cùm de novo ea parte deaurantur, ut idem Abellii: & ego cit *cap.* 7. *Off. Cur. num.* 22. Contra Felicem *num.* 332. Ubi contra praxim Ecclesiæ scripsit, Calicem deauratum non esse iterùm consecrandum, si sit materiæ aptæ. Nec ejus ratio concludit, qua dicit per deaurationem novam non amittere consecrationem: quoniam aurum totum, in quo fuit prior consecratio facta, remotum est, & novum in totum appositum.

62. Sacerdoti non licet sacrificare, si nullus sit, qui ministret urceolos, & respondeat, cap. *Hoc quoque dist.* 1. *de consecrat.* Minister debet esse vir, non fœmina. Unde Suarez, & Sotus apud Abellii §. 8. *nu.* 9. Satius esse judicant, si urgeat necessitas Missam absque ministro celebrare, quàm fœminam ad Altare respondentem, & ministrantem adhiberi. Dicitur *ad Altare*, quia nihil

videtur obstare, ut notavit idem Suarez apud cit. & Felix *num.*343. Quòd in Monasteriis Monialium, Sanctimonialis aliqua ex loco remoto respondeat celebranti; hoc ex ipsis refero; sed ab eis peterem, quis ministrabit urceolos? ergo adhibendus est vir.

63. Quæritur, *Sacerdos celebravit centum Missas sibi à Petro commissas, fide præstita de stipendio persolvendo, quod postea solvere detrectat; Interea aliæ Missæ ab eodem ipsi commendantur, stipendio anticipatè soluto; petitur, an Sacerdos possit pecunias receptas sibi retinere in compensationem antiqui sui crediti?*

Resp. Negativè, quia pecuniæ illæ, ut subsunt novo contractui, & ex mutua conventione partium sunt datæ, & acceptæ, non nisi cum novo onere, & ad effectum alium diversum ab extinctione debiti antiqui; & ex tunc alterius conditionis esse incipiunt; & ideò à nullo privata auctoritate nequeunt ab onere suscepto occultè separari. Ut optimè De la Fuente Hurtado *Theol. re. dissert.* 23. *cap.6. nu.*56. Ubi *nu.*55. tradit, quòd regula generalis sit, ut nulla opinio speculativè probabilis licitè ad praxim deducitur, cùm usus ejus vetatur lege certa charitatis obedientiæ, vel justitiæ, aut cujusque alterius virtutis, ut est ex terminis notum, & agendo de usu ipso compensationis occultæ est inter DD. receptum. In casu autem lex satis certa justitiæ compensationem vetat.

64. Sed quid, *si Sacerdos pecunias sibi datas titulo novi stipendii, ostenderet exteriùs se illas acceptare, & obligationem suscipere dicendi Missas, pro quibus confertur, interiùs autem contrarium animum haberet, & potius eas vellet accipere per modum compensationis debiti Antiqui?*

Resp. Modus iste contrahendi est omninò injustus, ideò reprobandus, utpotè à priori debito omninò independens; & licèt debitor injustè agat non solvendo antiquum debitum; non ideò creditori licet aliam injustitiam facere, ut creditum suum compenset. Petrus enim privaretur valore, ac fructu, quem jure optimo sperabat sibi, aut suis ex effectiva oblatione sacrificiorum, quæ titulo oneroso commendavit, non commendaturus huic, sed alteri, à quo non deciperetur. Ideò hic ex allegato notandum, quòd in contractibus onerosis, qui alium decipit, & decipiendo est ei causa vel gravis damni emergentis, vel magni lucri cessantis, sua fictione adversùs justitiam peccat, & utrumque tenetur restituere.

Cæterùm ipse Petrus tenetur ad solutionem antiquioris debiti, & reparandas expensas, quas Sacerdos fecisset in recuperando stipendio illo promisso; nec posset Sacerdos damnum sibi compensare minuendo numerum Missarum, pro quibus jam pecunias accepisset, contra Felicem *num.* 258. propter rationes superius ponderatas.

65. Potitur. *An si capitale in totum pereat, vel ita deterioretur, ut fructus non sufficiant ad justum stipendium, habens onus celebrandi in primo casu possit missas omittere; & in secundo possit eas reducere ad ratam justi stipendii?*

Affirmat Felix *num.* 259. appellans Bordonum, Aversam, & alios. Negat Tam-

Tamburinus, quem sequor ob decreta S. Congr. Concilii in const. Nuper Innoc. XII. *De celebrat. Missarum ad primum, & tertium*, ib. videnda. Nec egit, quod ex allegatis ipse refert, nimirum ea decreta loqui de stipendio tenui scienter acceptato, & pariter de stipendio incongruo scienter recepto post congruam texam ab Ordinario factam; Nam sensus decretorum videtur prorsus absolutus. Tum quia in Constitutione prohibetur omnibus privatis personis declaratio, & interpretatio Decretorum; sed in casibus particularibus recurritur ad Sacram Congregationem Concilii pro resolutione, & ita praxis servat, & cùm lex loquatur, speculationes debent silere. Cætera videantur in d. Constitutione, & *cap. 6. lib. 1. & loc. cit. Offic. Cur.*

## §. III.

### *Constitutio Innocentii XII. super celebratione Missarum.*

Nuper à Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum prodierunt Decreta tenoris infrascripti, videlicet.

„ Aliàs super celebratione Missarum, „ ac prohibitione illas moderandi, seu „ reducendi absque Sedis Apostolicæ li„ centia, nec non super eorundem one„ ribus perpetuis suscipiendis, & Re„ ligiosorum numero ultra redditus, „ & consuetas eleemosynas locorum „ Regularium non habendo, emana„ runt ab hac Sac. Congregatione S. R. „ E. Cardinalium Concilii Tridentini „ Interpretum, auctoritate per fel. rec. „ Urbanum Papam VIII. illi specialiter „ attributa, quam plura Decreta teno„ ris sequentis.

„ §. 1. Cùm sæpè contingat in quibus„ dam Ecclesiis, tam magnum Missarum „ celebrandarum numerum, ex variis „ Defunctorum relictis, aut piorum ele„ emosynis impositum esse, ut illis pro „ singulis diebus præscriptis nequeat „ satisfieri, & tamen nova onera Missa„ rum in dies suscipiantur: indeque „ fiat, ut depereant piæ Testantium „ voluntates, obstricta Benefactoribus „ fides violetur, Defunctorum animæ „ suffragiis priventur, Ecclesiis debitus „ subtrahatur cultus, ac Christi fideles „ gravi scandalo affecti, plerumque à si„ milibus charitatis operibus retrahan„ tur: Cumque his malis maximum inter „ cætera fomentum præbeat, aut quod „ ii, qui Missas supra vires celebrandas „ suscipiunt, sperent illas brevi ad pau„ciorem numerum à Superioribus re„ ductum iri: aut quòd Ecclesiis, forte „ pecuniarum absumpta, plerumque nu„ da remaneant onera Missarum absque „ ullo emolumento: aut quòd eleemosy„ na pro illis celebrandis sit adeò tenuis, „ ut non facilè inveniantur, qui velint „ huic se muneri subjicere, & redditus „ Ecclesiæ, aut Monasterii adeò exi„ gui, ut Sacerdos pro necessaria sua „ substentatione novis se oneribus ob„ stringere compellatur. Sacra Con„ gregatio Cardinalium Concilii Tri„ dentini Interpretum animadvertens „ facturam se rem Deo gratissimam, „ charitatique, ac justitiæ maximè con„ sentaneam, si pro viribus satagat,

„ hunc teterrimum abusum è Christiana „ Republica convellere, atque eradica- „ re: Sanctissimi D. N. Urbani Divina „ providentia Papæ VIII. auctoritate si- „ bi specialiter attributa infrascripta „ Decreta edidit.

„ §. 2. Ac primò districtè prohibet, „ atque interdicit, ne Episcopi in Diæ- „ cesana Synodo, aut Generales in Ca- „ pitulis generalibus, vel aliàs quoquo- „ modo reducant onera ulla Missarum „ celebrandarum, aut post idem Con- „ cilium imposita, aut in limine funda- „ tionis: sed pro his omnibus reducen- „ dis, aut moderandis, vel commutan- „ dis ad Apostolicam Sedem recurra- „ tur. Quæ, re diligenter perspecta, „ id statuet, quod magis in Domino ex- „ pedire arbitrabitur: alioquin redu- „ ctiones, moderationes, & commuta- „ tiones hujusmodi, si quas contra hu- „ jus prohibitionis formam fieri contin- „ gerit, omninò nullas, atque inanes „ decernit.

„ §. 3. Deinde, ubi pro pluribus „ Missis, etiam ejusdem qualitatis ce- „ lebrandis, stipendia, quantumcum- „ que incongrua, & exigua, sive ab „ una, sive à pluribus personis collata „ fuerunt, aut conferentur in futurum „ Sacerdotibus, Ecclesiis, Capitulis, „ Collegiis, Hospitalibus, Societatibus, „ Monasteriis, Conventibus, Congre- „ gationibus, Domibus, ac Locis Piis „ quibuscumque, tàm Sæcularibus, „ quàm Regularibus; Sacra Congrega- „ tio sub obtestatione Divini Judicii „ mandat, ac præcipit, ut absolutè tot „ Missæ celebrentur, quot ad rationem „ attributæ eleemosynæ præscriptæ fue- „ rint, ita ut alioquin ii, ad quos perti- „ net, suæ obligationi non satisfaciant; „ quinimmò graviter peccent, & ad re- „ stitutionem teneantur.

„ §. 4. Id verò, ut deinceps observe- „ tur exactius, Sac. Congr. eadem Au- „ ctoritate, revocat Privilegia, & In- „ dulta omnia quibusvis personis, Ec- „ clesiis, ac Locis Piis, tam Sæcularibus, „ quàm Regularibus, cujuscumque Or- „ dinis, Congregationis, & Institu- „ quamcumque ob causam concessa, „ quibus indulgetur, ut certarum Mis- „ sarum, vel Anniversariorum celebra- „ tione, aut aliquibus Collectis, seu Ora- „ tionibus plurium Missarum oneribus „ in futurum suscipiendis satisfiat.

„ §. 5. Ac similiter omne damnabile „ lucrum ab Ecclesia removere volens, „ prohibet Sacerdoti, qui Missam susce- „ pit celebrandam cum certa eleemosy- „ na, ne eamdem Missam alteri, parte „ ejusdem eleemosynæ sibi retenta, ce- „ lebrandam committat.

„ §. 6. Præterea, ne in Ecclesiis, in „ quibus onera Missarum in perpetuum „ imposita sunt, Sacerdotes in eis, ut par „ est, adimplendis eo tepidiores, ac se- „ gniores reddantur, quod onera hu- „ jusmodi cum nulla, aut parva sint uti- „ litate conjuncta: statuit, atque decer- „ nit, ut pecuniæ, ac bona mobilia Ec- „ clesiis, Capitulis, Collegiis, Hospita- „ libus, Societatibus, Congregationi- „ bus, Monasteriis, Conventibus, ac „ Locis omnibus, tam Sæcularibus, „ quàm Regularibus, atque illorum per- „ sonis in futurum simpliciter acquiren- „ da cum onere perpetuo Missarum ce- „ lebrandarum ab iis, ad quos pertinet, sub

„ sub pœna interdicti ab ingressu Eccle-
„ siæ ipso facto incurrenda à die realis
„ acquisitionis, statim deponi debeant
„ penes Ædem Sacram, vel personam
„ fide, & facultatibus idoneam, ad ef-
„ fectum illa, seu illorum pretium quàm
„ primùm investiendi in bonis immobi-
„ libus fructiferis cum expressa, & in-
„ dividua mentione oneris, quod illis
„ annexum reperitur.

„ §. 7. Ac si eadem bona immobilia
„ auctoritate Apostolica deinceps alie-
„ nari contigerit, eorumdem pretium,
„ sub eadem pœna, ut supra, deponi, at-
„ que in aliis bonis stabilibus itidem
„ fructiferis cum ejusdem oneris repe-
„ titione, atque annexione converti
„ debeat.

„ §. 8. Ad hæc S. Congregatio qui-
„ busvis Capitulis, Collegiis, Societa-
„ tibus, & Congregationibus, nec non
„ omnibus, & singulis Ecclesiarum, ac
„ Piorum Locorum, tam Sæcularium,
„ quàm Regularium Superioribus, vel
„ aliis, ad quos pertinet, districtè pro-
„ hibet, ne imposterum onera perpetua
„ suscipiant Missarum celebrandarum:
„ Sæculares, quidem sine Episcopi, vel
„ ejus Generalis Vicarii, Regulares ve-
„ rò sine Generalis, vel Provincialis
„ consensu, & licentia in scriptis, &
„ gratis concedenda: alioquin Sæcula-
„ ris, qui hujus prohibitionis transgres-
„ sor extiterit, ab ingressu Ecclesiæ in-
„ terdictus sit eo ipso: Regularis verò
„ pœnam privationis omnium Officio-
„ rum, quæ tunc obtinebit, ac perpetuæ
„ inhabilitatis ad alia de cætero obti-
„ nenda, vocisque activæ, ac passivæ,
„ absque alia declaratione incurrat.

„ §. 9. Eleemosynas verò manuales,
„ & quotidianas pro Missis celebrandis
„ ita demum iidem accipere possint, si
„ oneribus anteà impositis ita satisfece-
„ rint, ut nova quoque onera suscipere
„ valeant: alioquin omninò abstineant
„ ab hujusmodi eleemosynis, etiam
„ sponte oblatis, in futurum recipien-
„ dis, & capsulas auferant ab Ecclesiis
„ cum inscriptione illa: *Eleemosyna*
„ *pro Missis*, vel alia simili, sub iisdem
„ pœnis ipso facto incurrendis, ne Fide-
„ les hac ratione frustrentur.

„ §. 10. Episcopus verò, seu ejus Vi-
„ carius, aut Generalis, vel Provincia-
„ lis, ubi de licentia pro perpetuis one-
„ ribus fuerint requisiti, in singulis casi-
„ bus diligenter inquirant, de singulis
„ Missarum celebrandarum obligatio-
„ nibus, cuique Ecclesiæ, Monasterio,
„ aut Loco Pio incumbentibus: nec an-
„ teà assensum hujusmodi, aut licentiam
„ præbeant, quàm eis legitimè consti-
„ terit, illius Sacerdotes, tam novo one-
„ ri suscipiendo, quàm antiquis jam
„ susceptis satisfacere posse, præcipu-
„ amque rationem habeant, ut reddi-
„ tus, qui Ecclesiis, & Locis Piis re-
„ linquuntur, omninò respondeant o-
„ neribus adjunctis secundùm morem
„ cujusque Civitatis, vel Provinciæ:
„ intelligantque, si in re tanti momen-
„ ti desides, aut negligentes fuerint, in
„ novissimo die se hujus prætermissi
„ muneris rationem esse reddituros.

„ §. 11. Postremò Illustrissimi Patres
„ non sine gravi animi dolore intelli-
„ gentes mala ferè omnia, quæ Regula-
„ rem disciplinam evertunt, ac præci-
„ puè nimiam hanc facilitatem fovent,

in

„ in oneribus Missarum supra vires su-
„ scipiendis, veluti ex infecta radice,
„ pullulare ex majori Regularium nu-
„ mero, quàm ferant redditus, & elee-
„ mosynæ cujusque Monasterii: inhæ-
„ rentes Summorum Pontificum, ac Sa-
„ cri Tridentini Decretis, hac de re edi-
„ tis, Sanctissimi Domini Nostri aucto-
„ ritate præcipiunt, ac mandant omni-
„ bus, & singulis Generalibus, Provin-
„ cialibus, Commissariis, Ministris, Præ-
„ sidentibus, Abbatibus, Prioribus,
„ Præpositis, Guardianis, Vicariis, &
„ quibuscumque aliis Superioribus Mo-
„ nasteriorum, Conventuum, ac Domo-
„ rum Regularium, bona immobilia
„ possidentium, vel non possidentium,
„ cujuscumque Ordinis, Congregatio-
„ nis, & Instituti, existentium intra fines
„ Italiæ, & Insularum adjacentium, ut
„ singuli, ad quos pertinet in qualibet
„ Provincia, adhibitis duobus, aut tri-
„ bus Regularibus sui Ordinis, vel Con-
„ gregationis probatioribus, & rerum
„ usu peritioribus, bona immobilia,
„ census, redditus, & proventus omnes,
„ consuetas item eleemosynas, & ob-
„ ventiones, tam communes Monaste-
„ riorum, Conventuum, & Domorum
„ ejusdem Provinciæ, quàm etiam sin-
„ gularibus personis Religiosis assigna-
„ tas, seu permissas, in communem
„ usum deinceps conferendas, decem
„ annorum immediatè præcedentium
„ habita ratione, diligenter, & matu-
„ rè recognoscant, iis omnibus detra-
„ ctis, quæ reparationes, præstationes,
„ grandines, sterilitates, aliave cujus-
„ libet generis onera consueverunt ab-
„ sorbere.

„ §. 12. Eaque omnia scripto fideliter
„ exarata, idem Superior, cujus interest,
„ in proximo Capitulo, seu Congrega-
„ tione generali, vel Provinciali coram
„ tribus Judicibus ab ipsomet Capitulo,
„ seu Congregatione deligendis propo-
„ nat, qui, computatis hujusmodi red-
„ ditibus, eleemosynis, & obventioni-
„ bus universis, & oneribus, ut supra de-
„ tractis, sedulò examinent, quot Reli-
„ giosi homines, connumeratis etiam
„ Laicis, aliisque necessariis Servienti-
„ bus, in unoquoque Monasterio, Con-
„ ventu, & Domo Regulari juxta regio-
„ nis, & proprii Instituti morem, vi-
„ ctum, & vestitum, & medicinalia in
„ communi habentes, competenter va-
„ leant sustentari. Tum eorumdem bo-
„ norum, reddituum, eleemosynarum, &
„ onerum præcisam notam ipsimet Ca-
„ pitulo, seu Congregationi exhibeant,
„ ut in illo diligenter omnibus discussis,
„ cujusque Familiæ Monasterii, Con-
„ ventus, ac Domus Regularis in singu-
„ la quaque Provincia certus earum
„ tantùm Personarum numerus, Patrum
„ Capitularium voto præfigatur, quæ
„ redditibus, eleemosynis, & obventio-
„ nibus, ut superiùs, sufficienter ali
„ possint.

„ §. 13. Ne verò Superiores, qui id
„ præstare debent, seriùs, aut remissius,
„ quàm par est, suo muneri satisfaciant;
„ mandat Sacra Congregatio, ut infra
„ annum, post proximum Capitulum
„ Generale, vel Provinciale computan-
„ dum, omnia hoc de genere Capitula-
„ riter gesta, in authenticam formam
„ redacta, ad Sacram ipsam Congrega-
„ tionem Concilii singuli mittant.

§. 14. Ne-

„ §. 14. Numerumque familiæ, sin-
„ gulorumque Conventuum, Monaste-
„ riorum, & Domorum hujusmodi Re-
„ gularium, Capituli, seu Congregatio-
„ nis generalis, vel Provincialis senten-
„ tia, & auctoritate præfinitum, iidem
„ Superiores, tam Generales, & Pro-
„ vinciales omnes, quàm Locales per-
„ petuò servare omninò teneantur, nec
„ possint illum quoquomodo augere,
„ etiam prætextu augmenti redditum
„ absque Sacræ ipsius Congregationis
„ licentia: Superiores autem hujusmo-
„ di, qui prædicta omnia in præfixo
„ termino non præstiterint, vel nume-
„ rum, ut supra præscriptum, quovis
„ modo augere præsumpserint, priva-
„ tionis omnium Officiorum, quæ tunc
„ temporis obtinebant, vocisque acti-
„ væ, ac passivæ, & ad omnia suæ Reli-
„ gionis Officia, & gradus, inhabilita-
„ tis perpetuam pœnam eo ipso incur-
„ rere, atque aliis, etiam gravioribus,
„ à Sede Apostolica infligendis pœnis
„ Sacra Congregatio subjacere voluit,
„ & declaravit.

„ §. 15. Deinceps verò Monasterium,
„ Conventus, Domus, Congregatio, vel
„ Societas Religiosorum, seu Regula-
„ rium nullibi recipiatur, nisi præter alia
„ ad id requisita, in singulis hujusmodi
„ locis duodecim saltem Fratres, aut
„ Monaci, seu Religiosi degere, & ex
„ redditibus, & consuetis eleemosynis,
„ detractis omnibus, ut supra detrahen-
„ dis, competenter sustentari valeant, ad
„ præscriptum Decreti felicis record.
„ Gregorii XV. hac de re editi: alioquin
„ Monasteria, & loca hujusmodi posthac
„ recipienda, in quibus duodecim Reli-
„ giosi, ut supra sustentari, atque inha-
„ bitare non poterunt, & actu non inha-
„ bitaverint, Ordinarii loci visitationi,
„ correctioni, atque omnimodæ Juris-
„ dictioni subjecta esse intelligantur.

„ §. 16. Porrò, ne ullo unquam tem-
„ pore hæc in oblivionem, seu desuetu-
„ dinem abeant, Superiores locales cu-
„ jusque Monasterii, Conventus, ac Do-
„ mus Regularis, curare, atque efficere
„ teneantur, sub pœna privationis Offi-
„ cii, vocisque activæ, & passivæ ipso fa-
„ cto incurrenda, ut in perpetuum, sex-
„ to quoque mense, id est feria secunda
„ post primam Dominicam Adventus,
„ & Feria sexta post Octavam Corporis
„ Christi, præsentes ordinationes in pu-
„ blica Mensa perlegantur.

„ §. 17. Omnibus, tam Ecclesiasticis
„ personis cujuscumque sint Ordinis,
„ conditionis, & gradus, quàm Laicis
„ quocumque honore, & potestate præ-
„ ditis, præsentia Decrea declarandi,
„ vel interpretandi facultate penitus
„ interdicta.

„ §. 18. Non obstantibus, quoad su-
„ prascripta omnia, & singula in præ-
„ sentibus Decretis contenta, Constitu-
„ tionibus, & Ordinationibus Apostoli-
„ cis in favorem quarumcumque perso-
„ narum, atque Ordinum, tam Mendi-
„ cantium, quàm non Mendicantium,
„ Militiarum, etiam Sancti Joannis Hie-
„ rosolymitani, Congregationum, So-
„ cietatum, ac cujuslibet alterius Insti-
„ tuti, etiam necessariò, & in individuo
„ exprimendi, Ecclesiarum, Monaste-
„ riorum, Conventuum, Collegiorum,
„ Capitulorum, Hospitalium, Confra-
„ ternitatum, & aliorum quorumcumq;,

„ tam Sæcularium, quàm Regularium
„ Locorum, necnon illorum etiam jura-
„ mento, confirmatione Apostolica, vel
„ quavis firmitate alia roboratis, Statu-
„ tis, & Consuetudinibus, etiam imme-
„ morabilibus, Privilegiis quoque, In-
„ dultis, & litteris Apostolicis, etiam
„ Mari magno, seù Bulla aurea, aut aliàs
„ nuncupatis, sub quibuscumque tenori-
„ bus, & formis, ac cum quibusvis, etiam
„ derogatoriarum derogatoriis, aliisq;
„ efficacioribus, & insolitis clausulis, nec-
„ non irritantibus decretis, etiam motu
„ proprio, & ex certa scientia, ac de A-
„ postolicæ potestatis plenitudine, aut
„ aliàs quomodolibet, etiam per viam
„ communicationis, seù extensionis con-
„ cessis, & iteratis vicibus approbatis, &
„ innovatis, etiam si pro illorum suffi-
„ cienti derogatione de illis, eorumque
„ totis tenoribus, & formis, specialis, &
„ individua, ac de verbo ad verbum, non
„ autem per clausulas generales, mentio,
„ seù quævis alia expressio habenda, aut
„ aliqua alia exquisita forma servanda
„ esset, tenores hujusmodi, ac si de verbo
„ ad verbum, nihil penitus omisso, & for-
„ ma in illis tradita observata, inserti fo-
„ rent, præsentibus pro expressis habens,
„ quibus quoad ea, quæ præsentibus ad-
„ versantur, illis aliàs in suo robore per-
„ mansuris, Sacra Congregatio Sancti-
„ tatis Suæ auctoritate specialiter, & ex-
„ presse derogat, cæterisque contrariis
„ quibuscumque.

„ § 19. Et ne præmissorum ignoran-
„ tia à quoquam prætendi possit, voluit
„ eadem Sacra Congregatio, ut præsen-
„ tes ordinationes in Valvis Basilicarum
„ S. Joannis Lateranensis, & principis
„ Apostolorum de Urbe, ac in Acie
„ Campi Floræ, ut moris est, affixæ,
„ omnes, ad quos pertinet, ita arctent
„ & afficiant, ac si unicuique personali-
„ ter intimatæ fuissent.

„ §. 20. Utque earumdem præsentium
„ transumptis, etiam impressis, manu
„ alicujus Notarii publici subscriptis, &
„ sigillo personæ in Dignitate Eccleia-
„ stica constitutæ munitis, eadem pror-
„ sùs fides adhibeatur, quæ præsentibus
„ adhiberetur, si forent exhibitæ, vel o-
„ stensæ. Dat. Romæ die 21. Junii 1625.

Cosmus Card. de Torres.

*Prosper Fagnanus S. Cong. Secr.*

„ §. 21. Excitatis autem super præ-
„ missorum decretorum intelligentia,
„ seù interpretatione infrascriptis du-
„ biis, prodierunt à memorata Con-
„ gregatione, simili auctoritate illi à
„ præfato Urbano Papa Octavo specia-
„ liter attributa, responsiones, seù de-
„ clarationes inferius apponendæ.

*Super primo Sacræ Congregationis Decreto de celebratione Missarum, quo prohibetur, ne Episcopi in Diœcesana Synodo, aut Generales in Capitulis Generalibus, vel aliàs quoquomodo, reducant onera ulla Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imponi, aut in limine fundationis.*

*Quæritur, quid, si legatum sit unius nue, ut non sit, qui velit onus illi injunctum subire, & si recurrendum sit ad Sedem Apostolicam pro moderatione oneris, totum, aut fere totum insumendum sit pro expensis ad id necessariis?*

Et

*Et quid, si permittatur Episcopo in fundatione, ut possit hujusmodi onera moderari?*

*Secundò, super secundo ejusdem Congregationis Decreto, quo cavetur, ut celebrentur tot Missæ, quot ad rationem tributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint.*

*Quæritur, an verba illa (præscriptæ fuerint) intelligenda sint de præscriptione facta ab Offerente, vel ab Ordinario?*

*Tertiò, an, cùm Ordinarius præscripserit eleemosynam congruam juxta qualitatem loci, personarum, ac temporum, Sacerdotes accipientes stipendium minus congruo, teneantur Missas illis ab Offerente præscriptas celebrare?*

*Quartò, an Sacerdotes, qui tenentur Missas celebrare ratione Beneficii, seu Cappellæ, legati, aut salarii, possint, etiam manualem eleemosynam, pro Missis votivis, aut Defunctorum recipere, & unico Missæ Sacrificio utrique oneri satisfacere?*

*Quintò, posito, quòd Testator relinquat, ut celebrentur pro ejus Anima centum Missæ, absque ulla præscriptione eleemosynæ.*

*Quæritur, an liberum sit hæredibus, eleemosynam sibi bene visam præscribere, an verò eadem eleemosyna præscribenda sit ab Ordinario?*

*Sextò, super tertio Congregationis Decreto, in quo eadem Congregatio revocat Privilegia, quibus indulgetur, ut certarum Missarum, vel Anniversariorum celebratione, aut aliquibus collectis, seu Orationibus plurium Missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat.*

*Quæritur, an verba (in futurum suscipiendis) intelligenda sint de oneribus suscipiendis post Privilegium?*

*Septimò super quarto ejusdem Congregationis Decreto quo prohibetur Sacerdoti qui suscepit Missam celebrandam cum certa eleemosyna, ne eamdem Missam alteri, parte ejusdem eleemosynæ sibi retenta, celebrandam committat.*

*Quæritur, an permittendum sit Administratoribus Ecclesiarum, ut retineant aliquam eleemosynarum portionem, pro expensis manutentionis Ecclesiæ, Altarium, Inservientium, paramentorum, Luminum, Vini, Hostiæ, & similium?*

*Octavò, an hoc Decretum habeat locum in beneficiis, quæ conferuntur in titulum, id est, an Rector Beneficii, qui potest per alium celebrare, teneatur Sacerdoti celebranti dare stipendium, ad rationem reddituum Beneficii?*

*Decimò, an Sacerdotes, quibus aliquando offertur eleemosyna major solita, pro celebratione Missæ, debeant dare eamdem integram eleemosynam iis, quibus Missas celebrandas committunt; An verò satis sit, ut dent celebrantibus eleemosynam consuetam?*

*Undecimò, super quinto ejusdem Congregationis Decreto, quo inter cætera statuitur in hæc verba* -- Eleemosynas verò manuales, & quotidianas pro Missis celebrandis, ita demum iidem accipere possint, si oneribus antèà impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera obire valeant: Alioquin omninò abstineant ab hujusmodi eleemosynis, etiam sponte oblatis in futurum recipiendis, & capsulas auferant, &c.

*Quæritur, an hoc Decretum prohi-*

beat absolutè, quominùs accipiant novas eleemosynas ii, qui acceptis non satisfecerunt; & quid, si congruo tempore possint omnibus satisfacere?

Duodecimò, quid, si offerens eleemosynas, audito impedimento, consentiat, ut Sacerdos Missam celebret, cùm primùm poterit?

Decimotertiò, an pœna interdicti, & aliæ appositæ in eodem Decreto afficiant, tam eos, qui accipiunt eleemosynas contra formam ibi præscriptam, quàm eos, qui non auferunt capsulas ab Ecclesiis, ut ibidem præcipitur.

Decimoquartò, an in hoc Decreto comprehendantur illæ capsulæ, quæ apponi solent in Ecclesiis in die Commemorationis omnium Defunctorum, & vulgò dicuntur Casse de Morti?

Decimoquintò, an administratores Ecclesiæ magnæ devotionis, & concursus, possint eleemosynas pro Missis celebrandis accipere, si iisdem Missis, non nisi post longum tempus satisfacere valeant, ne aliàs cultus Ecclesiæ, & devotio, ac concursus Fidelium, ut ajunt, minuantur?

Decimo sextò, quia prohibitio dicti Decreti videtur aliquibus directa solis Capitulis, Collegiis, Societatibus, congregationibus, necnon omnibus, & singulis Ecclesiarum, Piorum Locorum, tam Secularium, quàm Regularium Superioribus, de quibus fit expressa mentio, non autem privatis Sacerdotibus, qui tamen comprehendi videntur sub clausula generali (& aliis, ad quos pertinet) supplicatur pro opportuna declaratione?

Decimo septimò, super septimo ejusdem Congregationis Decreto, quo cavetur, ut in singulis Monasteriis Religiosorum præfigatur numerus, qui ex consuetis redditibus, aut eleemosynis commodè possint sustentari.

Quæritur, an, ubi hæc præfixio facta jam fuit in vim similis Decreti sanctæ memoriæ Pauli V. absque tamen computatione reddituum eujusque Religiosi, sit denuò facienda, nec ne?

Decimooctavo, an Novitii, ad habitum Regularem admissi, possint admitti ad Professionem in Monasteriis, in quibus habita, ut suprà, præfixione numeri, commodè ali non possunt?

Decimonono, super ultimo, quo cavetur, ut nullibi recipiantur Conventus Regularium, nisi prater alia ad id requisita duodecim saltem Fratres in eo degere, & competenter sustentari valeant, itaut alioquin subsint jurisdictioni Ordinarii.

Quæritur, an hoc Decretum; quod videtur editum in ordine ad celebrationem Missarum, comprehendat eas Religiones, quæ non consueverunt onera Missarum recipere, ut sunt Religiones Capuccinorum, ac Societatis Jesu?

Ultimò, an idem Decretum, ubi disponit, ut nullibi recipiantur Monasteria, nisi, &c. habeat locum in Italia dumtaxat, ad quam est restrictum Decretum proximè antecedens, an etiam extra Italiam?

*Declarationes, aut Responsiones ad supradicta Dubia.*

„ §. 22. Sacra Congregatio Cardina-
„ lium Concilii Tridentini Interpretum
„ auctori-

„ auctoritate sibi à Sanctissimo Domino „ Nostro attributa, ad singula Dubia „ superiùs proposita, ad hunc modum „ respondit, videliet:

*Ad primùm, etsi legatum sit adeò tenuè, nihilominùs pro reductione oneris, ut suprà impositi, ab iis, adquos pertinet, Sedem Apostolicam esse ad eundam, quæ absque ulla impensa id statuet, quod magis in Domino è re esse judicaverit: Verumtamen, si in ipsa Beneficii erectione expressè cautum fuerit, ut liceat Episcopo injundum onus reducere, ac moderari, legem hunc fundationis, quam decreta hac de re edita non sustulerunt, esse validam, & observandam.*

*Ad secundum, esse intelligenda de præscriptione facta ab eo, qui eleemosynam tribuit, non autem ab Ordinario, Quòd si tribuens eleemosynam numerum Missarum celebrandarum non præscripserit, tunc tot Missas celebrari debere, quot præscripserit Ordinarius secundùm morem Civitatis, vel Provinciæ.*

*Ad tertium, teneri.*

*Ad quartum, Sacrdotes, quibus diebus tenentur Missas celebrare ratione Beneficii, seù Cappellæ, legati, aut salarii, si eleemosynas pro aliis etiam Missis celebrandis susceperint, non posse eadem Missa utrique obligationi satisfacere.*

*Ad quintum, censuit, ubi nullam certam eleemosynam Testator reliquit, esse ab Episcopo præscribendam eleemosynam congruam, quæ respondeat oneribus Missarum celebrandarum, secundùm morem Civitatis, vel provinciæ.*

*Ad sextum, ita esse intelligenda.*

*Ad septimum, respondit, permittendum non esse, ut Ecclesiæ, ac Loca Pia, seu illorum administratores, ex eleemosynis Missarum celebrandarum ullam, utcumque minimam portionem retineant ratione expensarum, quas subeunt in Missarum celebratione, nisi cum Ecclesiæ, & Loca Pia alios non habent redditus, quos in usum earumdem expensarum erogare licitè possint: & tunc, quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expensarum, quæ pro ipsomet tantum Missæ Sacrificio necessariò sunt subeundæ, & nihilominùs eo, etiam casu, curandum esse, ut ex pecuniis, quæ, supersunt, expensis ut suprà deductis, absolutè tot Missæ celebrentur, quot præscriptæ fuerint ab offerentibus eleemosynas.*

*Ad octavum, non habere locum, sed satis esse, ut Rector Beneficii, qui potest Missam per alium celebrare, tribuat Sacerdoti celebranti eleemosynam congruam, secundùm morem Civitatis, vel Provinciæ, nisi in fundatione ipsius Beneficii aliud cautum fuerit.*

*Ad decimum, debere absolutè integram eleemosynam tribuere Sacerdoti celebranti, nec ullam illius partem sibi retinere posse.*

*Ad undecimum, respondit, non prohibere absolutè: Ac propterea, et si oneribus jam susceptis non satisfecerint, posse tamen nova etiam onera suscipere Missarum celebrandarum, dummodò infra modicum tempus possint omnibus satisfacere.*

*Ad duodecimum, quamvis onera suscepta infrà modicum tempus adimpleri nequeant, si tamen tribuens eleemosy-*

*nam pro aliarum Missarum celebratione id sciat, & consentiat, ut illæ tunc demum celebrentur, cum susceptis oneribus satisfactum fuerit. Decretum non prohibere, quo minùs eo casu eleemosyna accipiatur pro iisdem Missis juxta Benefactoris consensum celebrandis.*

*Ad decimum tertium, has pœnas non habere locum, nisi in suscepturis onera perpetua Missarum celebrandarum sine licentia Episcopi, vel ejus Generalis Vicarii, aut Generalis, vel Provincialis.*

*Ad decimum quartum, comprehendi.*

*Ad decimum quintum. Non posse, nisi de consensu eorum, qui eleemosynas tribuunt, ut supra in responsione ad duodecimum.*

*Ad decimum sextum, comprehendi etiam privatos Sacerdotes.*

*Ad decimum septimum, numeri præfixionem esse iterum faciendam, servata forma ultimi Decreti hac de re editi.*

*Ad decimum octavum, esse admittendos ad professionem, si alias habiles existant, ac deinde in aliquo alio Monasterio ejusdem Religionis esse collocandos, ubi commodè ali possint.*

*Ad decimum nonum, censuit comprehendere.*

*Ad ultimum, habere locum extra Italiam.*

Cosmus Card. de Torres.

*Prosper Fagnanus S. Congr. Secr.*

„ §. 23. Cùm autem super præmissis „ diversi irrepserint abusus, illorum- „ que occasione, quàm plures querelæ, „ & recursus ad Apostolicam Sedem „ pervenerint: Cupiens eadem Congre- „ gatio Cardinalium Concilii Triden- „ ni Interpretum hujusmodi detestabi- „ les abusus è Christiana Republica pro „ viribus evellere, ac opportunè pro- „ videre, ut, sublatis fraudibus, ac „ emendata negligentia piæ disponen- „ tium, seu Benefactorum voluntati fi- „ des illibata servetur, Defunctorum „ animabus integra, & prompta præ- „ stentur suffragia, itidemque Deo „ major gloria, & Ecclesiis præstantior „ cultus reddatur, prævia auctoritate „ per SS. D. N. Innocentium Divina „ Providentia PP. XII. ei specialiter „ attributa, infrascripta Decreta, prius „ in particulari nonnullorum ex præ- „ fatis Cardinalibus per Sanctitatem „ suam deputata, & posteà in Generali „ hujusmodi Cardinalium Congrega- „ tione maturè, & accuratè discussa, re- „ cognita, & examinata edidit.

„ §. 24. In primis, præinserta De- „ creta cum præmissis illorum declara- „ tionibus plenissimè, & amplissimè ap- „ probat, confirmat, & innovat, omnia- „ que, & singula ibidem contenta, „ & expressa iterùm omni meliori mo- „ do decernit, statuit, ac ab omnibus, & „ singulis, etiam speciali, & individua- „ li nota, seu expressione dignis, pe- „ nitùs observari, omnimodæ executio- „ ni demandari decernit, sancit, & „ præcipit.

„ §. 25. Insuper, ut in re tanti mo- „ menti consultius, ac majori, ut par „ est, circumspectione procedatur: Si „ qui forsan fuerint, vel sint, qui suis „ pravis, & erroneis intentionibus, seu

opi-

» opinionibus blandiri volentes, Missa-
» rum celebrationem omittunt sub ma-
» litiosa, vel irrationabili spe earum-
» dem condonationem, vel reductionem
» à Sede Apostolica, vel compositio-
» nem à Reverenda Fabrica S. Petri de
» Urbe obtinendi: Congregatio præfa-
» ta, tum eosdem, tum quoscunque
» alios, qui posthac in adeò detestabiles
» abusus ausi fuerint offendere, certio-
» res fieri, & monitos esse voluit,
» præfatas condonationes, & reductio-
» nes ab eadem Sede, nonnisi ex ratio-
» nabili causa, seu æqua commiseratio-
» ne, compositiones verò à dicta Fabri-
» ca, utente suis facultatibus, & privi-
» legiis, nonnisi ex causa pariter ratio-
» nabili, & cum clausulis opportunis, &
» præsertim cùm illa: *Dummodo mali-*
» *tiosè non omiserint animo habendi*
» *compositionem, aliàs gratia nullo modo*
» *suffragetur*, admitti consuevisse, &
» solere: qua propter, ut locus omnis
» imposterum hisce prætextibus præ-
» cludatur, memorata Congregatio ta-
» les intentiones, opiniones, seu spes,
» ac eleemosynarum, sive in toto, sive in
» parte, versiones in alium, quàm præfa-
» tarum Missarum usum, seu satisfactio-
» nem, & quascumque alias directas,
» vel indirectas, immediatas, vel media-
» tas contraventiones, seu circumven-
» tiones declarat prorsus irrationabiles,
» injustas, & illicitas, illasque omninò
» reprobat, damnat, & interdicit.

» §. 26. Cumque hujusmodi absurda
» ex eo plerumque proveniant, quod
» onera Missarum supra vires suscipian-
» tur: caveant omnes, & singuli Re-
» ctores, Superiores, & Ministri quа-
» rumcumque, tum Sæcularium, tum
» Regularium Ecclesiarum, seu illarum
» Capitula, ne onera, seu Missas, tum
» perpetuas, tum temporales, tum et-
» iam manuales, quarum satisfactioni
» impares fuerint, quoquomodo susci-
» piant; utque idipsum, quoad fieri
» poterit, pateat, teneantur iidem
» conficere, semperque in loco magis
» patenti, & obvio retinere Tabellam
» onerum perpetuorum, & tempora-
» lium literis perspicuis, & intelligibi-
» libus descriptorum, quorum imple-
» mento si moraliter, & intra præscri-
» ptum, seu breve tempus satisfacere
» non posse, seu illa duntaxat, & non
» ulteriora adimplere posse crediderint,
» seu credere debuerint, aliàs Missas, si-
» ve perpetuas, sive temporales, sive
» manuales, per se, vel per interposi-
» tas personas quoquomodo recipere,
» seu acceptare omninò desistant, seu
» abstineant, & ulterius tali casu in ea-
» dem Tabella similiter exprimant sese,
» propterea aliis Missis acceptandis, &
» celebrandis impares esse.

» §. 27. Iidemque teneantur pariter
» in Sacrario duos Libros retinere, ac
» in eorum altero singula onera perpe-
» tua, & temporalia: in altero autem
» Missas manuales, & tam illorum,
» quàm istarum adimplementum, & ele-
» emosynas distinctè diligenter anno-
» tare, & annotandas, seu annotanda
» curare: singulisque annis de supradi-
» ctis adimplementis, eleemosynis, &
» oneribus pariter exactam rationem
» suis Superioribus reddere, ac omnes, &
» singulas rationes hujusmodi in præfa-
» tis respectivè Libris simili distinctio-

ne,

„ ne, & diligentia, tam præfati, à quibus rationes debent reddi, quam Superiores, quibus reddendæ erunt, describere, seu annotare, sive describendas, vel annotandas respectivè curare.

§. 28. Quibus semper salvis, debeant ulterius Regulares prædicti, omnes, & quascumque eleemosynas, tum manualium, tum perpetuarum, & temporalium Missarum reponere in capsa particulari sub duabus clavibus, quarum una penes Superiorem localem, altera verò penes alium à Capitulo Conventuali deputandum retineatur, ac de iisdem eleemosynis, & celebratione Missarum coram Patribus Discretis, seu Consiliariis, vel alio simili modo nuncupatis, singulis mensibus districtam rationem exigere, & respectivè reddere.

§. 29. Quòd si prædicti, ad quos cura Tabellæ, Capsæ, & Librorum præfatorum respectivè pertinet, sec. pertinere debet, suam operam præmissis, ut præfertur, minimè navaverint, & Superiores, tum Sæcularium, tum Regularium Ecclesiarum rationem prædictam non exegerint, seu non invigilaverint, quòd præfati, qui in curam Tabellarum, & librorum incumbunt, suo muneri, ut præfertur, satis faciant, in singulis respectivè casibus; Sæculares pœnam suspensionis incurrant: Regulares verò voce activa, & passiva, ac gradibus, & officiis, quæ obtinent ipso facto, & absque alia declaratione privati sint, & intelligantur, nec non ad hujusmodi gradus, & officia obtinenda similiter inhabilitentur, & inhabilitati sint, & intelligantur.

§. 30. Porrò, ne ullo unquam tempore omnia, & singula decreta prædicta in oblivionem, seu desuetudinem abeant, Rectores, Superiores, seu Capitula Ecclesiarum Sæcularium illa retineant publicè exposita in eorum Sacrario: Superiores verò locales cujuscumque Monasterii, Conventus, ac Domus Regularis curare, & efficere teneantur sub pœna privationis officiorum, quæ obtinent, vocisque activæ, & passivæ ipso facto incurrenda, ut in perpetuum sexto quoque mense, id est, feria secunda post primam Dominicam Adventus, & feria sexta post Octavam Corporis Christi omnes, & singulæ præmissæ, tum insertæ, seu confirmatæ, tum in præsens factæ Ordinationes unà cum dictis declarationibus in publica Mensa perlegantur.

§. 31. Meminerint igitur, & satagant Ordinarii, ut à personis, & in Ecclesiis quoquomodo, etiam in vim decretorum Concilii Tridentini sibi subjectis, Missæ ea, qua par est, fide, & diligentia celebrentur, & cuncta, & singula Decreta hujusmodi omnimodæ executioni demandentur, nedum justitiam recurrentibus, seu instantibus reddentes, sed ex officio, tum in visitationibus, tum in aliis actibus, & modis, quos expedire, & convenire toties, quoties judicaverint, inquirentes, ne aliquid committatur, pervertatur, differatur, vel omittatur, quod his omnibus, & singulis Decretis adversetur.

§. 32. Ca-

„ §. 32. Caveant etiam respectivè o-
„ mnes Regulares, tum Subditi, tum Su-
„ periores quicumque, nedum Locales,
„ sed etiam Provinciales, & Generales,
„ ne Missarum celebratio, & omnium
„ Decretorum præmissorum executio,
„ cum pernicie propriarum animarum,
„ cum præjudicio illarum, quibus Missæ
„ sunt applicandæ, & cum magno Chri-
„ sti fidelium scandalo quoquomodo o-
„ mittantur, differantur, negligantur,
„ seu pervertantur, alioquin ultra pro-
„ priæ conscientiæ onerationem, pœnam
„ privationis vocis activæ, & passivæ, ac
„ graduum, & officiorum, quæ obti-
„ nent, nec non inhabilitationis ad hu-
„ jusmodi gradus, & officia obtinenda,
„ prorsus incurrant.

„ §. 33. Curent propterea præfati Su-
„ periores Regulares in omnes, & sin-
„ gulos contravenientes debitis pœnis
„ diligenter, & promptè, & etiam per
„ inquisitionem animadvertere: & insu-
„ per teneantur omnes, & singuli Supe-
„ riores Locales, in Provincialibus Ca-
„ pitulis, seu Congregationibus exhi-
„ bere attestationem, seu fidem ab omni-
„ bus Sacerdotibus, Conventus, Mona-
„ sterii, seu cujuscumque domus Regu-
„ laris, subscriptam, & juratam, quòd
„ omnibus, & singulis, tum perpetuis,
„ tum manualibus Missarum oneribus,
„ seu obligationibus ad limites & teno-
„ rem præsentium Decretorum tempore
„ eorum regiminis fuerit omninò, & in-
„ tegraliter satisfactum, vel deficiente
„ aliqua modica satisfactione, possit,
„ etiam hujusmodi residuali implemen-
„ to Missarum, distinctè referendarum,
„ intra breve tempus moraliter satisfie-
„ ri, ea adjecta, & omninò adimplen-
„ da conditione, quòd ante præfatæ at-
„ testationis exhibitionem quicumque
„ Superiores Locales prædicti vocem
„ activam, seu passivam in memoratis
„ Capitulis, seu Congregationibus
„ omninò habere non valeant.

„ §. 34. Præterea Provinciales, Vica-
„ rii, & Visitatores Provinciarum, seu
„ Congregationum debebunt in fine eo-
„ rum regiminis Superioribus Genera-
„ libus in forma probante ostendere,
„ quòd executioni præsentium Decre-
„ torum sedulò invigilaverint, & ad eo-
„ rum tenorem in omnibus, & singulis
„ Conventibus, seu Monasteriis, vel
„ Domibus Regularibus Provinciæ, seu
„ Congregationis, de omnibus, & sin-
„ gulis oneribus, & obligationibus, ac
„ insimul satisfactionibus Missarum ex-
„ actam, & diligentem rationem exe-
„ gerint, ac contra delinquentes ad de-
„ clarationem, & executionem respe-
„ ctivè pœnarum in Decretis conten-
„ tarum processerint, & de adimple-
„ mento circa ea, quæ in præmissis ad
„ ipsos spectant, legitimè docuerint,
„ aliàs ad vocem activam, & passivam in
„ Capitulis Generalibus nullatenus ad-
„ mittantur.

„ §. 35. Cæterùm, quia etiam ad quam
„ plures Archiconfraternitates, Confra-
„ ternitates, Societates, Congregatio-
„ nes, Hospitalia, Altaria, Cappellas,
„ Oratoria, & Ecclesias, ac alia loca, &
„ opera pia, quomodolibet nuncupata,
„ quæ cuicumq; curæ, seu regimini, aut
„ administrationi, vel directioni Laico-
„ rum cujuslibet gradus, status, condi-
„ tionis, & præeminentiæ, etiam speciali,

„ & individuali nota dignorũ dumtaxat: „ vel quorumcumque Ecclesiasticorum, „ & Laicorum hujusmodi mixtim commendata, annexa, seu quomodocumq; „ commissa, vel attributa sunt, onus, seu „ cura celebrationis Missarum, sive manualium, sive ad tempus, vel in perpetuum pertinent: Hinc, salvis semper iis, „ quæ in præinsertis Decretis continentur, omnes, & quicumque hujusmodi „ Archiconfraternitatum, Societatum, „ Congregationum, Hospitalium, Altarium, Cappellarum, Oratoriorum, & „ Ecclesiarum, ac aliorum locorum, & „ operum piorum Rectores, seu Administratores, vel Directores, & alii hujusmodi Officiales, nec non ii, ad quos „ cura Tabellæ, & librorum in præmissis „ spectat, Tabellam, Libros, & hæc Decreta respectivè juxta modos superius „ expressos similiter retinere, nec non „ de oneribus, ac celebrationibus, & „ eleemosynis dictarum Missarum singulis annis rationem exigere, & respectivè iis, ad quos pertinet, reddere „ sub pœnis arbitrio, & in subsidium excommunicationis teneantur.

„ §. 36. Postremò omnibus, & quibuscumque, tam Ecclesiasticis personis cujuscumque Ordinis, Status, Gradus, Regulæ, Congregationis, Societatis, Conditionis, & Dignitatis „ existant, quàm Laicis quocumque honore, ac potestate præditis omnia, & „ singula præmissa Decreta interpretandi, nec non Ecclesiasticis prædictis „ pœnas in hujusmodi Decretis relaxandi, seu quoquomodo circa præmissa „ dispensandi, omnis, & quæcumque facultas sit penitus interdicta.

„ §. 37. Non obstantibus quoad superaprascripta omnia, & singula in hujusmodi Decretis contenta, Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis „ in favorem quarumcumque personarum, atque Ordinum, tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, Militiarum, etiam S. Joannis Hierosolymitani, Congregationum, Societatum, ac „ cujuslibet alterius Instituti, etiam necessariò, & in individuo exprimendi, „ Ecclesiarum, Monasteriorum, Conventuum, Collegiorum, Capitulorum, „ Hospitalium, Confraternitatum, & „ aliorum quorumcumque, tam Sæcularium, quàm Regularium locorum, nec „ non illorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & Consuetudinibus, etiam immemorabilibus, „ privilegiis quoque, indultis, & litteris „ Apostolicis, etiam Mari magno, seu „ Bulla aurea, aut aliàs nuncupatis, sub „ quibuscumq; tenoribus, & formis, ac „ cum quibusvis, etiam derogatoriarum „ derogatoriis, aliisque efficacioribus, & „ insolitis clausulis, nec non irritantibus „ Decretis, etiam motu proprio, & ex „ certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per etiam communicationis, seu exercitionis concessis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, & formis specialis, & individua, ac „ de verbo ad verbum, non autem per „ clausulas generales, mentio, seu quævis „ alia expressio habenda, aut aliqua alia „ exquisita forma servanda esset, tenores hujus-

„ hujusmodi, ac si de verbo ad verbum,
„ nihil penitus omisso, & forma in illis
„ tradita observata, inserti forent, præ-
„ sentibus pro expressis habens, quibus
„ quoad ea, quæ præsentibus adversan-
„ tur, illis alias in suo robore perman-
„ suris, Sac. Congregatio Sanctitatis Suæ
„ auctoritate specialiter, & expresse de-
„ rogat, cæterisque contrariis quibus-
„ cumque. Datum Romæ die 23. No-
„ vembris 1697.

Joseph Card. Sacripantes Præfectus.

*Ferdinandus Nuptius S. Cong. Sec.*

„ §. 38. Quocirca, cùm Dilectus Fi-
„ lius noster Joseph Tituli Sanctæ Ma-
„ riæ Transpontinæ S. R. E. Presbyter
„ Cardinalis Sacripantes, memoratæ
„ Congregationis Præfectus, præfata
„ Decreta Nobis retulerit, Nos conside-
„ rantes eadem omnia, & singula Decre-
„ ta, ea, quæ decet maturitate, digesta, &
„ examinata, ac in vim Apostolicæ Au-
„ ctoritatis, eidem Congregationi spe-
„ cialiter, ut præfertur, attributæ, per-
„ acta, perutilia fore censentes, illaque
„ propterea perpetuò, & inviolabiliter
„ observari, nec non Constitutionis no-
„ stræ munimine roborare volentes:
„ Motu proprio, non ad cujusdam No-
„ bis super hoc oblatæ petitionis instan-
„ tiam, sed ex certa scientia, & matura
„ deliberatione, deque Apostolicæ po-
„ testatis plenitudine, præinserta Decre-
„ ta, omniaque, & singula in eis conten-
„ ta tenore præsentium auctoritate A-
„ postolica confirmamus, & approba-
„ mus, illisque inviolabilis, & irrefraga-
„ bilis Apostolicæ firmitatis robur, &
„ efficaciam adjicimus; quinimmò mo-
„ tu, scientia, deliberatione, ac potesta-
„ tis plenitudine similibus, omnia, &
„ singula in supradictis Decretis con-
„ tenta, de novo statuimus, decernimus,
„ & ordinamus, ac ab omnibus, & qui-
„ buscumque, etiam speciali, & indivi-
„ dua nota dignis, omninò exactè, &
„ perpetuò servari volumus, sancimus,
„ & mandamus.

„ Decernentes præsentes litteras, cum
„ omnibus, & singulis inibi contentis
„ semper firmas, validas, & efficaces exi-
„ stere, & fore, suosque plenarios, & in-
„ tegros effectus sortiri, & obtinere de-
„ bere: & ab omnibus, ad quos spectat,
„ & pro tempore quandocumque, &
„ quomodocumque spectabit, in omni-
„ bus, & per omnia plenissimè, & in-
„ violabiliter observari: sicque, & non
„ aliter per quoscumque Judices Ordi-
„ narios, & Delegatos, quavis auctorita-
„ te, præeminentia, aut potestate fun-
„ gentes, & functuros, etiam causarum
„ Palatii Apostolici Auditores, ac ejus-
„ dem S. R. E. Cardinales, etiam de La-
„ tere Legatos, & Sedis Apostolicæ
„ Nuncios, sublata eis, & eorum cuili-
„ bat quavis aliter judicandi, & inter-
„ pretandi facultate, judicari, & defini-
„ ri debere: Ac irritum, & inane, si se-
„ cus super his à quoquam, quavis au-
„ ctoritate scienter, vel ignoranter con-
„ tigerit attentari.

„ Non obstantibus omnibus, & sin-
„ gulis, quæ præfata Congregatio, au-
„ ctoritate per ejusdem recordatio-
„ nis Urbanum Papam VIII. & respe-
„ ctivè per Nos illi specialiter attri-
„ buta, decrevit non obstare: quæ
„ pariter, & iterùm Nos teno-

„ re præsentium non obstare decerni-
„ mus, & mandamus, quibus omni-
„ bus quoad ea, quæ præsentibus ad-
„ versantur, illis aliàs in suo robore
„ permansuris, etiam harum serie ple-
„ nissimè, & specialiter, & expressè dero-
„ gamus, cæterisque contrariis quibus-
„ cumque.

„ Volumus autem, ut præsentes litteræ
„ in valvis Ecclesiæ Lateranensis, ac Basi-
„ licæ Principis Apostolorum, necnon
„ Cancellariæ Apostolicæ, Curiæque
„ generalis in Monte Citorio, ac in Acie
„ Campi Floræ de Urbe, ut moris est, pu-
„ blicentur, & affigantur: sicque publi-
„ catæ, & affixæ, omnes, & singulos quos,
„ illæ concernunt, perinde arctent, &
„ afficiant, ac si unicuique eorum perso-
„ naliter intimatæ fuissent.

„ Pariterque, ut earumdem præ-
„ sentium transumptis impressis, manu
„ alicujus notarii publici subscriptis, &
„ sigillo personæ in dignitate Ecclesia-
„ stica constitutæ munitis, eadem pro-
„ sus fides adhibeatur, quæ præsenti-
„ bus adhiberetur, si forent exhibitæ,
„ vel ostensæ.

„ Nulli ergo omninò hominum liceat,
„ paginam hanc nostrarum Confirma-
„ tionis, Approbationis, Statuti, Decre-
„ torum, Ordinationis, Voluntatis, San-
„ ctionis, Mandatorum, & Derogationis
„ infringere, vel ei ausu temerario con-
„ traire. Si quis autem hoc attentare
„ præsumpserit, indignationem Omni-
„ potentis Dei, ac Beatorum Petri, &
„ Pauli Apostolorum ejus se noverit in-
„ cursurum.

„ Datum Romæ apud Sanctam Mari-
„ am Majorem Anno Incarnationis Do-
„ minicæ millesimo sexcentesimo nona-
„ gesimo septimo. Decimo Kalendas
„ Januarii. Pontificatus Nostri Anno
„ septimo.

## CAPUT V.

### *Sacramentum Panitentiæ.*

1. QUartum Sacramentum est illud pœnitentiæ, de quo hæc habet Trid. *sess.* 14. *cap.* 7. *de pœnit. Est autem hoc Sacramentum pœnitentia lapsis post baptismum ad salutem necessarium, ut, nondum regeneratis, ipse baptismus.* Et sicut non regeneratis baptismus in re, vel in voto susceptus, est necessarius necessitate medii, ita Sacramentum pœnitentiæ in re, vel in voto ea necessitate est necessarium, lapsis post baptismum in peccatum mortale. Potestque definiri; *est Sacramentum reconciliationis hominis cum Deo à peccatis commissis post baptismum, virtute clavium, vel absolutionis Sacramentalis, prolata à Sacerdote jurisdictionem habente cum debita intentione.*

2. De ipso loquens Florent. *in Decret. Eugenii*: hæc habet. *Quartum Sacramentum, est Pœnitentia, cujus, quasi materia, sunt actus Pœnitentis: qui in tres distinguuntur partes; quarum prima, est cordis contritio, ad quam pertinet, ut doleat de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero. Secunda, est oris Confessio, ad quam pertinet, ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, suo Sacerdoti confiteatur integraliter. Tertia, est satisfactio pro peccatis secundum arbi-*

trium

*trium Sacerdotis, quæ quidem præcipuè fit per orationem, jejunium, & eleemosynam.* Forma hujus Sacramenti sunt verba absolutionis, quę Sacerdos profert *ego te absolvo, &c.* Minister hujus Sacramenti est Sacerdos habens authoritatem absolvendi, vel ordinariam, vel ex commissione Superioris.

De contritione, & attritione: & de materia, tum proxima, tum remota egimus *lib.2.cap.34.* de forma ibid. *cap.* 35. de satisfactione *lib.1.cap.11. & lib.3. capit.3. num.37. de ministro lib.1.cap.9. & cap.* 12. De facultate, quoad reservata *lib.1. cap.8.* de peccatis *cap.17.* de circumstantiis peccatorum ibid. cap.18. de proposito emendationis *lib.2.cap.37.* De Indulgentiis *lib.1. cap.27.* Videantur eâ omnia locis citatis, ne inutiliter repetantur.

De Sigillo plura diximus *lib.1.cap.4. num.7. cap.18. num.58. lib.2. capit.7. numer.23.cap.27.numer.14. cap.33. numer.11.* ideò hic ea repetere necesse non est. Et observandum, quod Sigillum *est obligatio stricta non loquendi de auditis in Confessione Sacramentali.* Quæ descendit ex jure naturali: quia hoc jure tenemur non revelare secretum nobis commissum: & ex jure Divino; quia Confessio est juris Divini, ergo secretum Confessionis præcipitur eodem jure, sine quo esset nimis odiosa ipsa Confessio. Et ex jure Ecclesiastico ex infra dicendis.

3. Præceptum non loquendi de auditis in Confessione est negativum, obligans semper, & pro semper. Confessarius *Sigillum* frangens peccat. I. Contra fidelitatem; ob tacitam promissionem non revelandi. II. Contra justitiam; nam hęc exigit, ne proximus infametur. III. Contra Religionem, quia fit injuria Sacramento: cùm ex eo avertantur pœnitentes ab ipso, & Confessio reddatur odiosa: quod est malum majus quocumque aliò, sive particulari, sive communi.

4. Præceptum Ecclesiasticum de Sigillo habetur in *cap. Omnis de pœnit. & remiss.* ubi: *Caveat autem omnino Confessarius, neverbo, aut signo, aut alio quovis modo aliquatenus prodat peccatorem, sed, si prudentiori consilio indiguerit, illud absque ulla expressione personæ cautè requirat, quoniam qui peccatum in pœnitentiali judicio sibi detectum præsumpserit revelare, &c.*

Ex quibus habes tria. I. Quòd verbis Confessio revelatur. Exempla habes.

I. Si dixeris: *Petrus Confessus est mortalia*: vel, *se accusavit de Adulterio*: *aut non potui absolvere Cajum.* Nam significas hunc habere, vel casum reservatum, vel esse indispositum, vel censura reservata ligari.

2. Dum dicis pœnitentem Confessum esse aliquod veniale, ut mendacium officiosum, furtulum, &c.

Dices, peccatum veniale est materia levis, ergo non peccatur mortaliter revelando veniale.

Resp. Peccatum veniale in se est materia levis, sed revelare Confessionem, sive per mortale, aut veniale contingat, semper est quid grave, propter injuriam, quæ fit Sacramento; nam reddi potest Confessio exosa, & intolerabilis, quod est malum cedens in præjudicium salutis omnium fidelium, & reddens institutionem Sacramenti inutilem: cùm Homi-

nes timentes revelationem ad ipsum non accederent.

3. Si ex duobus Sociis, unum extra Confessionem laudes, circa alium taceas, quorum mores tibi ex Confessione innotescunt.

4. Si de aliquo parvo oppido dicas, *in isto sunt plures Meretrices*: de parvo Monasterio: *in eo vivunt plures proprietarii*: & omnes infamas,

II. Quòd signis etiam, & factis Confessio revelatur. I Si neges schedam auditæ Confessionis, vel Communionem pœnitenti, quem non absolvisti, quia illa denegatio, si publica sit, in directè manifestat, peccatum, quo redditur incapax; Si secreta, Confessio redditur odiosa, dum ea actione exprobatur ei suum delictum, quo redditur indispositus: sed legas *lib. 2. cap. 33. num. 11.*

2. Si desistas ab itinere, dum ex Confessione scis esse tibi paratas insidias, cùm suspicio adesset, vel periculum revelandi Confessionem. Sed teneris te Deo commendare, actum contritionis, & dilectionis Dei elicere, & mortem etiam sustinere: quia Sigillum Sacramentale ob bonum fidelium, & reverentiam Sacramenti fortius obligat, quèm salus totius Mundi: & multò magis, quàm propria vita salvanda. Nam reddere Confessionem odiosam, & difficilem, est malum incomparabiliter majus.

3. Si celebraturo Minister in Confessione dixerit, se venenum miscuisse cum vino cõsecrando: & à celebratione cesset.

4. Si pœnitenti, qui gravia peccata Confessus est, ostendas, dum à Confessionali egreditur, vultum severiorem.

5. Dum excommunicatum vitas, cujus excommunicatio tibi innotescit ex Confessione.

6. Si ex Confessione scias Ecclesiam esse pollutam; & abstineas à Sacroin ea celebrando.

7. Item, sciens ex Confessione aliquos Religiosos solere de nocte è Monasterio exire, Prælatum moneas, ut excubias constituat, ut impediat.

Similiter notitia perinde se habet, ac si non esset: cùm nobis non possit deservire ad dirigendas nostras operationes, per dicta *lib. 2. cap. 27. num. 17.*

5. Dices, cum revelatio secreti naturalis cedit in bonum Reipublicæ, potest secretum acceptum à particulari revelari, ergo, cùm ex revelatione peccati pendet bonum, saltem plurium, potest revelari.

Resp. Negando consequentiam. Discrimen est: quia obligatio Sigilli naturalis est in commodum proximi: obligatio verò Sigilli Sacramentalis est in honorem, & facilitatem Sacramenti. Primum aliquando ob bonum commune licèt frangere. Secundum nunquam, quia nunquam fas est facere injuriam Sacramento, & reddere ipsum difficile, licèt totus mundus periret.

III. Quòd adhibendum consilium de rebus auditis in Confessione potest peccatum revelari: sed *cautè*, ut aiunt, textus exequi debet, hoc est, ita ut in notitiam peccatoris deveniri non possit.

6. Sed petitur, *an revelatio peccati in Confessione auditi sine expressione personæ peccantis cadat sub prohibitione, & obligatione Sigilli, de qua in dicto cap. Omnis?*

Resp.

Resp. Affirmativè; ratio est, quia textus permittit Sacerdoti loqui de auditis in Confessione, in uno casu dumtaxat, hoc est, *cùm indiget prudentiori consilio*: ergo in quovis alio prohibetur. Et tunc etiam *cautè* agendum est; ut nimirum non sit periculum, ut cognoscatur is, qui peccavit. Tum quia causa finalis, cur prohibita sit revelatio peccati, auditi in Confessione Sacramentali, clavibus subjecti, est, ne prodatur peccator? & ne Confessio reddatur difficilis, & odiosa, ac, ne fideles arceantur ab ea. Sed hoc sequeretur, si foret peccatorum revelatio licita, etiam persona pœnitentis non expressa. Nam, licèt non semper ex revelatione peccati prodatur pœnitens, periculum tamen semper imminet, quod manifestetur; & propter hujusmodi periculum est ipsa peccatorum revelatio, etiam persona non manifestata, prohibita. Etenim, ubi vertitur periculum animarum, ut in casu, novum non est, ut Ecclesia generaliter aliquid statuat, vel prohibeat, ad cautelam eorum, quæ possunt contingere. Jura sunt clara *cap. Dixit Dominus* 30. *q.* 1. *cap. Romana* §. *In universitatem de sent. excom. in* 6.

Additur, quod ideò Fideles ad Sacramentum pœnitentiæ fidenter accedunt, quia securi sunt de Sigillo, & certitudinem habent esse absolutè iniudictum Confessariis, loqui de auditis in Confessione, ergo, &c.

7. Propterea cum ad petendum consilium prudentibus, & doctioribus sunt proponenda dubia orta ex Confessione, cautè est procedendum juxta *alleg. cap. Omnis*; cautela autem in hoc stare potest, ut non proponantur sub his terminis: *mihi hoc in Confessione occurrit*: sed hac potiùs formula: *quid agendum sit: si fortè hic, aut ille casus contingat.*

8. Quæritur, *an de licentia, & consensu pœnitentis Confessarius licitè, & sine fractione Sigilli possit uti scientia Confessionis, & loqui extra Confessionem de rebus in Confessione auditis?*

Resp. Affirmativè, sic contra Scotum *in* 4. *dist.* 21. *qu.* 2. DD. communite, Poncius *The l. disp* 45. *qu.* 13. *nu.* 166. Ilsung. *Theol. num.* 6. *disp.* 6. *qu.* 5. *art.* 5. §. 1. *num.* 248. De la Cruz *direct. conse. de Sacram. Panit. quæst.* 6. *dub.* 4. Du-hamel. *tom.* 3. *Theol Cleric. lib.* 4. *dissert.* 3. *c. ult. in fine* Quilici, Boyvin. aliique. Et apertè D. Thomas *in* 4. *dist.* 21. *qu.* 3. *art.* 3. *in corpor.* ubi: *dicendum, quod duo sunt, propter quæ Sacerdos tenetur peccatum occultare: primò, & principaliter, quia ipsa occultatio est de essentia Sacramenti, in quantum scit illud ut Deus, cujus vicem gerit ad Confessionem: alio modo propter scandalum vitandum: potest autem pœnitens facere, ut illud, quod Sacerdos sciebat ut Deus, sciat etiam ut Homo: quod facit, dum eum licentiat ad dicendum; & ideò, si dicat, non frangit Sigillum Confessionis: tamen debet cavere scandalum, dicendo, ne fractor Sigilli prædicti reputetur.* Sed multa debent concurrere.

I. Ut fiat de licentia expressa pœnitentis: non sufficit præsumpta, aut tacita, quia talis præsumptio est odiosa, & periculosa; nam multa sequerentur absurda.

II. Ut licentia detur à pœnitente liberè, & non coactè.

III. Ut

III. Ut in evidens notabile pœnitentis bonum cedat.

IV. Ut Confessarius consensus limites nullo modo excedat.

V. Ut vitetur scandalum. Ad quod vitandum videtur esse aptum manifestare peccatum, non peccatorem, & non dicere se audivisse in Confessione: & quod consensus in scriptis recipiatur, ut possit quis, dum opus erit, probare sibi fuisse concessum.

VI. Ut nec Confessarius utatur ea licentia, nec pœnitens eam concedat, sine rationabili causa. Per quæ potest explicari Scotus.

9. Unde, si Confessarius in Confessione erret circa pœnitentem, dum confitetur: vel carens facultate, absolvendo à casu, vel censura reservata: vel bona fide consulendo contractum usurarium: restitutionem non esse faciendam, &c. debet in sequenti Confessione à pœnitente petere licentiam loquendi de spectantibus ad præteritam Confessionem.

10. Spectantia ad facultatem circa peccata, & crimina reservata videas *tit. lib. 1. cap. 8.* Et hic considera decretum Clement. VIII. de cas. reservat. quoad Regulares ut sub const. Sacra Congregatio Urbani VIII. *la 28. Bullarium to. 4. Quo decrevit, ut nemo ex Regularium Superioribus peccatorum absolutiones sibi reservet, exceptis iis, quæ sequuntur, aut omnibus, eorum aliquot, prout subditorum utilitati expedire prudenter in Domino judicaverit.*

„ I. Veneficia, incantationes, sortilegia.

„ II. Apostasia à Religione, sive habitu dimisso, sive retento, quando eo „ pervenerit, ut extra septa Monasterii, „ seu Conventus fiat egressio.

„ III. Nocturna, ac furtiva è Monasterio, seu Conventu egressio, etiam „ non animo apostatandi facta.

„ IV. Proprietas contra votum pauertatis, quæ sit peccatum mortale.

„ V. Juramentum Falsum in judicio „ regulari, seu legitimo.

„ VI. Procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum, posi „ animatum fœtum, etiam effectu non „ sequuto.

„ VII. Falsificatio manus, aut Sigilli „ Officialium Monasterii, aut Conventus.

„ VIII. Furtum de rebus Monasterii, „ seu Conventus in ea quantitate, quæ „ sit peccatum mortale.

„ IX. Lapsus carnis voluntarius, opere consummatus.

„ X. Occisio, aut vulneratio, seu gravis percussio cujusque personæ.

„ XI. Malitiosum impedimentum, aut „ retardatio, aut aperitio literarum, à „ Superioribus ad inferiores, & ab inferioribus ad Superiores.

„ Si quod aliud præterea peccatum „ grave pro Religionis conservatione, „ aut pro conscientiæ puritate, reservandum videbitur, id non aliter fiat, „ quàm Generalis Capituli in toto Ordine, aut Provincialis in Provincia, „ matura discussione, & consensu.

11. Deinde mandat Superioribus, ut in singulis domibus deputent duos, tres, aut plures Confessarios, pro subditorum numero majori, vel minori, qui sint docti, prudentes, & charitate prædicti, qui

qui eos à non reservatis absolvant. Et quibus, etiam reservatorum absolutio committatur, quando casus occurrerit.

Tandem præcipit, tam Superioribus pro tempore existentibus, quàm Confessariis, qui ad Superioritatis gradum fuerint promoti, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in Confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur.

Posteà Decretum concludit, „ Sanctitas sua deinceps declaravit, & declarat, ut, si hujusmodi Regularium „ Confessariis, casus alicujus reservati „ facultatem petentibus Superior dare „ noluerit, possint nihilominus Confessarii illa vice, pænitentes Regulares, „ etiam non obtenta à Superiore facultate, absolvere. Ita ad verbum apud „ Fagn. in 3. *ad cap. Ne Religiosi de Regularibus à num.* 42.

12. Quæritur, *accedit Monialis aperiens sua peccata Confessario, & inter ista peccatum contra castitatem, sed, ne cognoscatur à Confessario, interrogata, an sit Monialis, respondet:* non sum, sed puella, quæ in Monasterio educor, ex devotione feci votum castitatis: *Confessarius videns signa doloris, propositum, &c.* eam *absolvit*; petitur, *an remaneat absoluta?*

Resp. Negativè, si sit; etiam gravata peccatis contra obedientiam, & paupertatem; nam tunc mendacium est grave, & circa mortalia, quæ sunt de necessitate explicanda.

Sed præscindendo, etiam à peccatis contra obedientiam, & paupertatem. Dico, Confessionem esse sacrilegam; nam in Confessione explicandum est, an fuerit violatum votum solemne, an simplex, quia circumstantia voti solemnis aggravat peccatum. Immò in violatione primi est duplex peccatum; nam ejusdem violatione injuria irrogatur duobus: Deo, cui promittitur, & Ecclesiæ, quæ nomine Dei promissionem acceptat; dum in violatione simplicis soli Deo injuria irrogatur. Ergo mendacium Monialis est grave, & circa mortale peccatum, ergo invalidat confessionem. Campion. *par.* 2. *instr. cap.* 33. *num.*6. & nos *lib.*1. *cap.* 18. *nu.*10.

13. Sed quid, *si nec peccasset contra votum, sed solum se accusaret de peccato detractionis?*

Resp. Vel Confessarius ita restringit suam intentionem ad puellam Sæcularem, ut Monialem excludat: & tunc invalida est absolutio, ob defectum intentionis Ministri absolventis; vel intendit absolvere personam pænitentem, quæ est præsens: & tunc validè absolvit, quia præter intentionem directam ad puellam, adest etiam intentio directa ad personam præsentem, quamvis non sit sæcularis: quæ secunda intentio debet à quovis Sacerdote, prudenter operante, dum absolvit, haberi.

14. Hic advertendum, quòd Pœnitentiarii Ecclesiæ Cathedralis non possunt sine speciali facultate Episcopi absolvere à casibus eidem reservatis ut respondit S. Congr. Conc. *in Derthonen.*6. Julii 1647. quæ interrogata.

I. *An Canonicus Panitentiarius Ecclesiæ Cathedralis possit absolvere à censuris, & à casibus, tam à jure Episcopo reservatis, quam ab illis, quos Episcopus sibi reservavit?*

II. *An Pœnitentarius dispensare possit tempore Quadragesimæ super esu ciborum prohibitorum cum infirmis, & cum aliis habentibus attestationem medicorum absque speciali delegatione ab Episcopo concedenda?*

III. *An Pœnitentiarius facultatem, quam habet absolvendi pœnitentes à casibus sibi concessis, possit alteri Confessario delegare, qui absolvat prout idem Pœnitentiarius?*

IV. *An Pœnitentiarius possit absolvere pœnitentes à censuris, & casibus reservatis, sibi concessis, non audita integra confessione Sacramentali, sed tantummodo ab ipsis casibus reservatis, & pro aliis pœnitentes remittere ad alium Confessarium?*

Sacr. Congr. &c. ad supradicta dubia respondit negativè in omnibus, ut in *lib.* 18. *decret. pag.* 349.

15. Notari etiam debet, quod Confessores eligendi in vim privilegiorum Bullæ Cruciatæ neminem absolvere possunt ab incursu, & lapsu in hæresim ex const. Greg. XIII. *Officii* 37. *Bullar. to.* 2. Alia ad hæresim spectantia habentur *lib.* 1. *cap.* 4.

## CAPUT VI.

### *Extrema-Unctio.*

1. QUintum Sacramentum est Extrema-Unctio, cujus materia est oleum olivæ, per Episcopum benedictum. Hoc Sacramentum, nisi infirmo, de cujus morte timetur, dari debet; qui in his locis ungendus est: in oculis propter visum: in auribus propter auditum: in naribus propter odoratum: in ore propter gustum, vel locutionem: in manibus propter tactum: in pedibus propter gressum: in renibus propter delectationem ibidem vigentem. Forma est hæc, *per istam Sanctam Unctionem, & suam pietissimam misericordiam, &c.* Minister est Sacerdos. Florent. in Decret. Eugen. & Rituale Romanum.

2. Hujus etiam Sacramenti materia est duplex, remota, & proxima: remota, est oleum ab Episcopo benedictum: proxima verò, est unctio.

3 Capax Extremæ-Unctionis est solus homo viator, baptizatus, non sanus, sed infirmus. Audias Trid. *sess.* 14. *cap.* 3. *de Extrema-Unctione: declarat etiam est hanc Unctionem infirmis adhibendam, illis verò præsertim, qui, tam periculosè decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur.* Unde & Sacramentum exeuntium nuncupatur. Quòd si infirmi post susceptam hanc unctionem convaluerint, iterum hujus Sacramenti subsidio juvari poterunt, cùm in aliud simile vitæ discrimen inciderint.

4. Morituris, si in phrænesim, vel amentiam incident Extrema-Unctio danda est, si ante christianè vixerint, quia tunc censentur hoc Sacramentum, saltem interpretative desiderare, & petere.

5. Non confertur pueris usum rationis non habentibus: nec perpetuò amentibus: non navigantibus, etiamsi immineat naufragium; nec militibus de proximo conflictum aggressuris; nec damnatis ad mortem; quia solùm infirmis est dandum, quod de illis non verificatur; nec confertur parturientibus, nisi partu, vel antecedenter ad ipsum orta

orta sit mortalis infirmitas. Natalis Alex. Theol. dogmat. *to.1. de extr. unct. cap.5. reg.17.* Senio autem confectis, & in diem morituris administrari potest, ut idem *regul. cit.* observat ex Concilio 4. *Mediolanen.* ratio est, quia extrema senectus per se morbus periculosus est.

6. Extremæ-unctionis Sacramentum administrari non debet infirmo, nisi post confessionem peccatorum suorum, & post Viaticum Corporis Christi, si recipere illud possit. Ita Catechismus Conc. Trid. *p. 2. de Extremæ unctionis Sacramento num.23.* ibi: *Servanda est Catholicæ Ecclesiæ perpetua consuetudo: ut ante Extremam-unctionem Pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramentum administretur.* Cæterùm adolescentibus, qui adhuc ob defectum ætatis ad Eucharistiam non sunt admissi, cùm commiserint actualia peccata, quorum reliquias sanare hujus Sacramenti remedio opus sit, ut ibid. Catechis. n. administratur

7. Extremæ-unctionis Sacramentum cuilibet Sacerdoti non licet administrare, sed solùm proprio Pastori, hoc est, Episcopo, vel Parocho, vel cui ipsi commiserint.

8. Nec Regulares infirmis sæcularibus possunt illud ministrare, nisi recepta ab Episcopo, vel Parocho licentia; & quatenùs sine ea illud administrent, incurrunt excommunicationem reservatam Summo Pontifici. Clement. *Religiosi de privil.* Deficiente tamen Parocho, vel alio Sacerdote ab eo, aut Episcopo potestatem habente potest quilibet Sacerdos Regularis in casu necessitatis illud licitè administrare. Sicut enim quilibet Sacerdos potestatem habet absolvendi à peccatis, & censuris in mortis articulo constitutos, ita videtur, quòd quilibet potestatem habeat in eo articulo administrandi illud Sacramentum, nè moribundus hoc beneficio privetur, & adversùs extremas tentationes oleo Sacro non confirmetur.

## REGULA I.

### *De Testamentis.*

SUmmariam hic Testamentorum notitiam Confessariis propino, ut de hac etiam re instructum dimittam.

9. Quare sciendum, quòd Testamentum est *dispositio ultimæ nostræ voluntatis cum directa hæredis institutione.* Dicitur *dispositio*, hoc est, ordinatio expressa verbo, vel alio signo externo, & propriè scriptura. Dicitur *ultimæ voluntatis*, quia Testamentum vim non habet, nisi post mortem Testatoris, juxta illud Apostoli ad *Hebræ. 9. Ubi enim Testamentum est, mors necesse est intercedat Testatoris. Testamentum enim in mortuis confirmatum est: alioquin nondum valet, dum vivit, qui testatus est.* Dicitur *cum directa hæredis institutione*, hoc est, cum nominatione Successoris in universum jus Testatoris. In quo distinguitur à Codicillo, in quo hæres non instituitur, ut observat Poncius *Theol. disp.54. q.4. nu.14.* Et describitur à Polman. *Breviar. Theol. p.2. partis 2. num.520. Quòd sit ultimæ voluntatis testificatio sine hæredis institutione.* Unde Codicillus non fit ad instituendum hæredem (aliàs foret Testa-

mentum) sed ad aliquid legandum, ad explicandum Testamentum, vel faciendam institutionem fideicommissariam; & proindè dicitur appendix ad Testamentum, in qua aliqua alia dispositio fit de bonis Testatoris distincta ab alia, quæ fuit facta in Testamento.

10. Differt Testamentum etiam à fideicommisso, quia in fideicommisso hæreditas committitur fidei hæredis substituto tradenda, quasi substitutio in Testamento non fit. Ideò fideicommissum describitur ab eodem Polman. *nu.* 521. Est *dispositio ultima voluntatis, qua Testator hæredis sui fidei committit hæreditatem, ut eam, vel ejus partem substituto tradat.*

11. Quæritur, *an in foro conscientiæ valeat Testamentum in eo Solemnitatibus juris non servatis?*

Remittendum, quòd jus civile *C. Hac consultissima de testament.* pro solemnitate tamquam de forma substantiali, in Testamento, tam scripto, & aperto, vel clauso, quàm noncupativo (quo Testator verbis nuncupat hæredem, & voluntatem suam declarat) requirit numerum septem Testium, ut DD. observant. Fagnan. *in* 3. *ad cap. Cùm esses de Testam. num.* 113. Engell. *Colleg. jur. canon lib.* 3. *tit.* 26. *nu.* 2. Et Gonzalez *in* 5. *tit.* 26. *cap.* 11. Quorum præsentia desideratur ob publicam utilitatem, ut ita securiorem exitum voluntates Testantium habeat, & fraudes absint.

12. Modò ad dubium est certum apud Dianam *coord. to.* 6. *tr.* 8. *resol.* 2. Fagnan. *cit. ad cap. Relatum nu.* 11. Petram *comment. ad const. X. Innoc. III. sect.* 3. *nu.* 3. valere Testamenta facta ad pias causas sine solemnitatibus juris civilis. Ratio est, quia jura Sæcularia non possunt præjudicare rebus spiritualibus, & ad supernaturalem finem, & salutem animæ spectantibus, juxta tex. *in cap. Relatum* & *cap. Cùm esses de Testament.* Neque etiam necesse est, ut Testamentum sit factum coram duobus, vel tribus Testibus, requisitis in allegatis capitibus, quia, ut observat Fagnanus ad *d. capit. Relatum num.* 9. Testes non sunt de solemnitate substantiali, sed probatoria, quæ per æquipollens adimpleri potest. Unde cùm de voluntate Testatoris ad pias causas legitimè constat, vel per Testes, aut schedulam manu Testatoris scriptam, vel signatam, est ejus dispositio implenda. Quapropter peccat læthaliter, qui non implet voluntatem Testatoris, etsi non observatis juris solemnitatibus, sed nudis verbis eam declaraverit, juxta tex. *in cap. Indicante*, ibi. *Cognovimus, quòd moriens uxor Redempti conchas argenteas nudis verbis jussit venundari, & suis dare libertis*: & scutellam *argenteam nudis verbis Monasterio reliquisse. In quibus voluntatem ejus per omnia volumus adimpleri.* Super quo videas etiam Natal. Alex. *to.* 1. *lib.* 2. *cap.* 6. *cap.* 13.

13. Testamentum autem ad pias causas factum censetur per DD. apud d. Dianam *resol.* 1. quoties hæreditas devenire debet ad pias causas, vel hæreditas via substitutionis devenit ad pias causas, ut ad Ecclesiam, Monasterium, Pauperes, dotandas puellas, celebrandas Missas, &c. Diana *resol.* 37.

14. Sed, an *Testamentum ad pias causas conditum coram Parocho*, &

*& duobus Testibus ad præscriptum d. cap* Cùm esses, *valeat: Disputant* DD. apud Fagnan. *ad d. cap. Cùm esses nu.* 40. *& sequen.* ubi, pro validitate plures allegat, cum quibus tradit, quod etiam Testamentum ad non pias causas factum sine solemnitatibus juris civilis, sed in præsentia duorum Testium, & Parochi valet tam in foro civili, quam Ecclesiastico; pro qua opinione stat lex divina, canonica, & Ecclesiastica, ut in littera: ubi autem lex humana adversatur legi divinæ, servanda est lex divina, etiam in foro Sæculari: de contrarietate autem legis civilis ad legem Divinam in casu patet; quia lex civilis requirit numerum septem Testium in Testamentis: ubi jus divinum habet *Matth.* 18. & *Joan.* 8. *In ore duorum, vel trium Testium stat omne verbum,* ut expresè textus dictæ Decretalis, & prosequitur Fagnan *nu.* 113. Proinde impugnari non potest Testamentum ad causas non pias ex non adhibito numero septem Testium.

15. Sed quid, *si Testator, instante mortis periculo coram Parocho tantùm, vel alio Teste declaravit suam voluntatem; an hæres teneatur voluntatem Testatoris implere?*

Resp. Affirmativè, semper enim est mens Testatoris implenda, quoties quis de illa certitudinem habet, ut per Clavem Regiam *lib.* 3 *cap.* 7. Lessium, Molfesium, & Salas allegat. à Gabasut. *prax. jur. canon. lib.* 6. *cap.* 3. *num.* 4. asserentes hæredem ab intestato, qui certus sit, vel esse debeat de Testatoris voluntate in Testamento, aut Codicillis, solemnitatibus juris carentibus comprehensa, teneri sub mortali ex juris naturæ obligatione restituere hæreditatem, & solvere legata secundùm mentem Testatoris, & probat D. Antoninus 3. *p. tit.* 10. *cap.* 3. §. 14. allegat. à cit. Natal. Scribens nota; *quod cum quis sanus, vel infirmus,* (*qui est sanus mentis*) *ultimo disponit de bonis suis, de quibus potest disponere, per simplicem scripturam, vel verba solùm, non violentatus, vel circumventus sine Notario, & Testibus debitis, standum est ejus tali dispositioni in foro conscientiæ; & hæredes, quibus hoc constat certitudinaliter, tenentur ad observandum.* Et Poncius cit. dixit, quòd ad Testamentum ex natura rei nulla requiritur solemnitas, sed sufficit significatio voluntatis Testatoris, sive voce, sive scriptis; vel etiam nutibus, aut ad interrogationem alterius per Petram *nu.* 40. quæ tamen debet sufficienter innotescere, ut alios obliget ad se confirmandum. Et concordat Engel *cit. num.* 14. ubi notavit, quòd Præsentia Parochi, & testium, etiam secundùm jus Canonicum non est de substantia, sed tantùm de probatione; & se subscribit asserentibus in conscientia esse debitum, quòd testator sine omni solemnitate reliquit, dummodò de ejus voluntate constet: ultima enim voluntas rationabilis defuncti modis omnibus conservari debet, *cap. ultima* 13. *q.* 2. 4

Ad probandum in testamentis ad pias causas, admittitur etiam testimonium mulieris, licèt de jure civili non soleant mulieres admitti Fagnan. *cit. cap. Relatum nu.* 14. & Petra *num.* 29. Diana *resol.* 20. testamenta enim ad pias causas sunt privilegiata.

16. Quæritur, *an testamentum prin-*

*cipaliter ad pias causas valeat sine solemnitate conditum, etiam quoad legata profana?*

Resp. Affirmativè, ita Diana *cit. resolut.* 4. Engel. *cit. nu.* 19. Layman *Theolog. moral. lib.* 3. *to.* 5. *cap.* 2. *nu.* 10. Quia secundùm vulgatum juris axioma, *Principale trahit ad se accessorium*; & proinde si testamentum sine solemnitate valet, & fidem facit quoad hæredis institutionem, vel majorem partem bonorum, valebit etiam, & fidem faciet quoad reliqua legata: si enim creditur hæres illo testamento institutus, credendum etiam est, ut sit institutus cum onere, & obligatione exequendi dicta legata.

Not. I. Quòd licèt regularitet non sustineatur testamentum sine hæredis institutione, sustinetur tamen quoad relicta pia. Petra, pluribus cumulatis *num.* 45. & Diana *resolut.* 30. & 33. quia relicta pia sunt privilegiata.

II. Quòd dispositiones favore causæ piæ commissæ alieno arbitrio, & voluntati valent, concurrentibus probationibus necessariis, quòd relictum sit in causam piam. Petra *nu* 56. & Diana *resolut.* 28. & 29.

III. Quòd si Testator in testamento, vel coram testibus voluntatem suam declaravit, quòd velit quædam ad pias causas erogari, sicut Confessario suo mandaverat, Confessarius est audiendus, & secundùm suam relationem est executio facienda; modò talia indicia afferat, ut, inspectis circumstantiis, verisimile sit defunctum ipsi mandasse. Diana *resolut.* 23. *num.* 4. & Layman: cum aliis.

IV. Quòd, si moribundus cæpit facere testamentum, vel codicillum, & morte præventus non absolvit, valet quoad relicta pia, in ipsa ejus imperfecta dispositione expressa; licèt enim potuerit Testator suam voluntatem mutare, cùm tamen de mutatione non constet, naturali, ac canonico jure, firma esse debet. Diana *resolut.* 24. cum Layman.

17. Quæritur, *Lælius sapè adhuc vivens coram nonnullis suam voluntatem aperuit his verbis:* Voglio lasciare la mia robba alla Chiesa Parochiale: *deinde apoplexia pulsatus sine alia animi sui declaratione decessit: dubitatur, an dicta Ecclesia possit prætendere successionem in hæreditate d. Lælii, exclusis aliis hæredibus venientibus ab intestato?*

Resp. Affirmativè, quia per ea verba inducitur hæredis institutio, maximè ad pias causas, ut ex Claro tradit De-Luca *ad Ventrigl. prax. to.* 2. *annotat.* 28. §. 2. *sub n.* 17. *in append.* & idem significant, ac dixisset, *volo Ecclesiam Parochialem esse hæredem bonorum meorum*: quæ verba important voluntatem perfectam, ut etiam notavit Petra *nu.* 49. & juxta Bar. *in l. cunctos populos. num.* 2. *cap. de sum. Trinit.* Verbum *volo* in actionibus habentibus dependentiam de futuro inducit voluntatis declarationem. Conficeretur enim, quòd causa pia est privilegiata, & ipse dispositio, & testamentum ambiguum semper pro causa pia est interpretandum. Petra *nu* 4. 2.

18. Sed quid, *si dixisset* Voglio fare hærede la Chiesa. N. e questo lo faro, quando irtornerò è casa.

Resp. Per hæc verba non videtur dispositio facta, sed respicere eam, quam destina-

destinaverat facere, & ideò important voluntatem imperfectam connotantem potentiam, seu velleitatem, ut scribit Petra *nu.*49. Crederem esse distinguendum; vel Lælius antequam rediret domum, fuit morte præventus, adeòque impotens factus ad condendum testamentum: vel sanus rediit cum tempore habili ad testamentum faciendum? In secundo casu verba illa velleitatem important, quia potens testamentum facere non fecit. In primo verò perfectam voluntatem concludunt; & solùm ad futurum tempus dilata fuit stipulatio, vel scriptio testamenti; quod ideò non condidit, quia eum mors prævenit.

19. Quæritur, *Titius in suo testamento relinquit legatum pro puellis maritandis*; petitur, *an possit conferri non nubentibus, seu religionem ingredientibus?*

Resp. Affirmativè; cum Diana *resol.* 43. *num.*2. præsumitur enim Titium non esse locutum excluſivè: Tum quia Matrimonium Spirituale, cum carnali quoad hoc pari passu currunt, S. Congreg. Epis. *in Pisauren.* 26. *Augusti* 1616. apud Monacell. *for. p.*2. *for.*1. *num.*18. *tit.* 14. Aliàs dicendum, si fuisset adjecta conditio, quod solveretur in manibus mariti pro Dote: nec aliis, nec pro alia causa: vel, quòd decedentibus sine filiis, legatum rediret ad hæredes legantis: tunc enim non poterit dari pro Virgine Monachanda, ut respondit Sac. Congreg. Concil. *in Baren.*15. *Septemb.* 1668.

20. Quæritur, *Cajus in suo testamento relinquit legatum Sacristiæ, vel Ecclesiæ Fratr. Min. de Obser. vel Capuccinorum pro cera, & oleo, ac alia ad Divinum cultum:* petitur, *an sit implendum?*

Resp. Affirmativè, quia Fratres ad hujusmodi legata incapacitatem non habent juxta dicta *lib.* 1. *cap.*32. *nu.*23. debetque per Syndicum investiri pro adimplenda Testatoris voluntate, ut decrevit S. Congregat. Episcop. in *Foro Sempronien.* 21. *Augusti* 1693. Immò, si gravetur hæres, illud subministrare tenetur, ut dixi *loc. cit. num.*32. Cæterùm præstationes dictorum legatorum in alios usus, quàm à Testatoribus taxatos converti non possunt. Circa quæ legata dixit Ventrigl. *to.*2. *prax. annotat.*28. §. 2. *num.*17. Quòd non potest Fabrica S. Petri prætendere legata annui redditus perpetui facta Ecclesiæ, & Sacristiæ illorum Fratrum, non ad ipsorum victum, sed ad certum Divini cultus usum; ut, si sit legatum oleum pro lampadibus, vestes, & ornamenta Ecclesiæ, & Altaris, & similia, quia prædicti Fratres sunt capaces legatorum prædictorum, quæ non concernunt commoditates Fratrum, sed Divinum cultum, nec adversantur illorum paupertati, ut dixi *Offic. Cur. Ecclesiast. cap.* 30.

21. Quæritur, *an hæres non conficiens inventarium teneatur in foro conscientiæ ad solvenda de proprio legata pia, & debita ultra vires hæreditatis?*

Resp. Negativè, quia nec Ecclesia, nec pia loca debent secundùm conscientiam vivere, nec exigere ab hærede, ultra vires hæreditatis, quidquid sit in foro fori, ut dixit Rota *coram Coccino, decis.*1462. *num.*27. apud Monacell. *cit. num.*22. Fagnan. *in* 3. *ad cap. Si quis de regul. num.* 28. & 71.

22. Quæ-

22. Quæritur, *Cajus instituitur hæres, & rogatur, ac gravatur, ut alteri hæreditatem restituat*; petitur, *an possit sibi retinere quartam partem, quæ dicitur Trebellianica?*

Resp. Affirmativè, per text. in *cap. Raynutius de testament.* cum sua Glossa verb. *quartam partem*: & verb. *à tempore litis* notat, quòd à tempore litis contestatæ fructus computantur in quartam, nisi præsumendum sit, quòd Testator voluerit eos hæredi applicare; De la Cruz *director. conscient. præcept. 7. q. 1. art. 5. dub. 8. concl. 2.* Trebellianica autem est *quarta pars hæreditatis, quam à fideicommissis detrahere potest hæres, in* est *facta substitutio commissaria.* Polman. *Breviar. Theolog. p. 2. partis. 2. numer. 535.*

Intelligitur autem, nisi testator prohibuerit detractionem Trabellianicæ, ut, si dixerit, *rogo, mando*, vel *volo*, ut sine ulla diminutione restituas hæreditatem Francisco, ut per Menoch. apud *Dian. resol. 105. num. 13.*

23. Cæterùm, si hæres institutus esset non voluntarius, sed necessarius juxta dicta *lib. 2. cap. 19. num. 17.* licèt Pater prohiberet detractionem Trebellianicæ, adhuc posset Filius oneratus ad restituendam hæreditatem detrahere legitimam statim à morte patris, ut ex Vadingo dixit ibid. Diana *num. 19.* nam jure naturæ debetur Filio, & gravari in ea non potest ex *d. cap. Raynutius*, quòd si Testator detractionem Trebellianicæ non prohibuerit deduci. Tunc hæres necessarius potest statim à morte Testatoris legitimam detrahere, & postea, eveniente conditione restitutionis hæreditatis, ipse, vel ejus hæredes Trebellianicam detrahere possunt de iis, quæ remanent; Diana cit. & Glos. *ad allegat. Cap. verb. legitimam.* Est autem legitima *portio successionis jure naturæ debitæ hæredibus ab intestato* Polman. *cit. num. 527.*

24. Quæritur, *Lælius instituitur hæres, & gravatur à Testatore, ut pluribus legata conferat*; petitur, *an possit ex legatis Falcidiam detrahere?*

Resp. Affirmativè: Sed, ut observat De la Cruz *conc. 3. illa* deducitur ex bonis remanentibus, detracta legitima ab hærede necessariò, solutis debitis, expensis funeris, testamenti, codicilli, & inventarii, & solutis legatis Ecclesiæ, hospitali, loco religioso, pauperibus, aut alteri loco pio: ex istis enim Falcidia non detrahitur, sed incegrè solvuntur: sicut non detrahitur, si id Testator prohibuerit. Neque ex illis bonis deducitur, si hæres non fecit inventarium tempore debito, quæ Falcidia deducenda est juxta æstimationem bonorum tempore obitus Testatoris: Meliorationes enim, & fructus, sicut & deterioratio sunt hæredis, & non legatarii, ut ex Hugone ibid. De la Cruz.

Falcidia autem ab allegato Polman *nu. 534.* describitur, *hæreditatis quarta pars, quam hæres potest detrahere à legatis, & donationibus, mortis causa.*

25. Advertendum. I. Si Testator habet filios, pietas exigit, ut illis ad vivendum, & ad statum suum sustentandum necessaria relinquat, priusquam de piis causis cogitet. Natal. Alex. *regul. 4.* & habetur ex D. Augustino sermo. 355. *cap. 4.* ibi: *Quicumque vult ex hæredi-*

*to filio, hæredem facere Ecclesiam, quærat alterum, qui suscipiat, non Augustinum, immò Deo propitio, neminem inveniet.*

26. Dantur causæ legitimæ, propter quas Titius à Patre exhæredari potest, ut si manus violentas in parentes injecerit: si de crimine accusaverit, exceptis criminibus læsæ majestatis, & Hæresis: si mortem Patri, vel Matri molitus fuerit, etiam effectu non secuto: si thorum paternum violaverit; si bona parentum dilapidaverit: si Filia innupta luxuriosè vivat, ibidem Natal.

27. Cæterum partes Parochorum, & conscientiæ moderatorum esse debent, ut Patres Filiis reconcilient juxta Augustinum loc. cit. *Si quis irascitur in filium suum, & moriens exhæreditat eum, si viveret, non eum placarem? non ei filium suum reconciliare deberem?*

28. II. Quòd filii spurii, seu ex adulterio, vel incestu, aliique ex illegitimo coitu progeniti, hæredes à Parentibus instituì non possunt: *Authent. licèt in fine C. de Natural. liber.* Diana *resolut.* 112. *num.* 1. Jura enim reddunt filium spurium incapacem paternæ hæreditatis. Cæterùm Parentes jure poli, & ex lege naturali, tenentur eis subministrare alimenta, ut ibiù. Diana, & est textus expressus in *cap. cum haberet de eo, qui duxit in Matrem quam polluit.* Unde observant Natal. *Alex. regul.* 7. & Diana *num.* 3. quod nec spurius, aut ex damnato coitu progenitus, cui Pater portionem bonorum suorum testamento, codicillo, aut fideicommisso reliquit, non potest ipsam tuta conscientia retinere: sed, quòd ultra necessaria ad victum, & vestitum sibi relictum fuerit, tenetur legitimis hæredibus restituere, ne alienum retineat.

29. An *autem hæres, cui donata, vel testamento relicta fuerunt bona habentis filium spurium, teneatur in defectum Patris ejusdem filium alere?*

Resp. Affirmativè, si indigeat, neque aliunde habeat, juxta dicta cum Diana *num* 8. & si fœmina sit, debet eam dotare: dos enim datur loco alimentorum, ibid. Diana *num.* 12. ubi resolvit teneri Sacerdotem filiam spuriam dotare, quem non omittas recognoscere.

30. III. Quòd Filiis, & consanguineis præponi debet restitutio bonorum malè acquisitorum, dicente Augustino *epistol.* 153. *Si enim res aliena, propter quam peccatum est, cùm reddi posset, non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur: si autem veraciter agatur, non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.* Atque ita debet Testator ante omnia priùs restituere res alienas, quàm filiis, vel cognatis providere.

31. Sed quid, *si Filii, & parentes facta restitutione redigendi essent ad mendicitatem?*

Resp. Etiam in causa tenetur rem alienam restituere. Tam enim non potest bona aliena ad hæredes transmittere, quam ei furari, non licet, ut illis benefaciat, & ipsorum inopiam sublevet. Ita usurarius manifestus testari non potest, nisi prius restitutis usuris, vel præstita cautione pignoratitia, vel fidejussoria de restitutione facienda. Caput *Quamquam de usur. in 6.*

32. Nec hæres potest uti præscriptionis privilegio, si mala fide possedisse

constet; aut verisimile est mala fide eum possedisse, qui transmisit ad ipsum hæreditatem; nam *vitia possessionum à majoribus contracta perdurant, & successionem Authoris sui culpa comitatur. Cap. vitia de acquir. & retinen. penes, &c.*

33. Quæritur, *an Testator carens parentibus, & filiis, possit instituere hæredem extraneum, relictis nepotibus, & consanguineis?*

Resp. Negativè, si adsit scandalum, vel si Nepotes, & consobrini gravitèr indigeant: ordo enim charitatis exponit, ut quis priùs suis subveniat, quàm alienis, ita Diana *resolut.* 108. & Natal. *regul.* 5. Propterea secundum hanc practicam debent Parochi, & conscientiarum moderatores dirigere Testatores in confectione testamentorum, & codicillorum.

34. Quæritur, *an Pater, aut Mater possit de propriis bonis plus uni Filio relinquere, quàm aliis?*

Resp. Affirmativè, dummodò isti concurrant. I. Quòd reliqui filii non priventur legitimâ portione eis naturali jure debita. II. Quòd inæqualem distributionem non facient ex odio: Si enim ex odio facerent, & nollent mutare testamentum, non essent absolvendi, Diana *resolut.* 108.

35. Sed quid, *si dicerent, se odium deposuisse*, & de habito pœnitere, sed nolle mutare testamentum?

Resp. Diana ibidem tradit esse absolvendos. Verùm censerem resistentiam ad revocandum testamentum esse signum sufficiens, ut Confessarius posset colligere odium non esse depositum, ideò studere debet, ut revocatione testamenti motivum sibi præbeat de efficaci odii depositione.

36. Observat tamen Layman *lib. 3. tr. 5. cap. 5. num.* 13. Quòd plerumque Parentes peccant, si sine justa causa, & inordinato affectu inter liberos successionis inæqualitatem constituant; ut quia ex diversis matrimoniis nati sunt; quorum unam Matrem magis, quàm alteram testator dilexit. Verùm ut Diana *resolut.* 589. *num.* 2. dixit, posse esse justæ causæ id faciendi sine peccato, ut si aliqui majoribus obsequiis apud Patrem magis meriti fuerint: si aliqui plus indigeant, quia bonis adventitiis carent; si adhuc pusilli magnis sumptibus in studiis adjuvari debeant; si secundùm loci consuetudinem priùs geniti aliis, & masculi fœminis in successione præferantur. Alia videri possunt *Official. Cur. 1. Eccles. cap.* 53. Testamentum potest à Testatore mutari, & secundùm solvit primum, de quâ re Layman *cit. cap.* & De la Cruz *n.* 4.

## REGULA II.

### *Sepultura.*

35. HIc aliqua etiam sunt de sepultura adnotanda, remittendo Confessarium ad ea, quæ dixi *Offices Cur. cap.* 48. Sciendum itaque, quòd unicuique adulto Sæculari liberum est sibi eligere sepulturam; nulla autem facta electione, in Parochiali sepelitur, si in alia Ecclesia non adsit sepulchrum majorum, *capit. Nos instituta de sepultur.* Verùm, cùm quis in alia Ecclesia sepelitur, est solvenda Parochiali canonica portio, seu quarta

quarta funeralis, si loci consuetudo ferat; ut dixi *loc. cit. cap.* 42. Et constat ex *cap. Certificari de Sepultura*, ac ex constitutionibus Pontificum, quibus jus sepulturæ Ecclesiis Regularibus conceditur, in quibus hæc solet adjici clausula, *Salva justitia Ecclesiarum, à quibus corpora assumuntur:* vel *salva justitia Ecclesiæ Parochialis.*

38. Uxor potest sibi eligere sepulturam distinctam à Sepultura Mariti, cùm electio ista ad *eum statum pertineat, in quo mulier solvitur à lege viri, cap. de uxore de sepult.* Mulier autem, quæ sepulchrum sibi non elegit, & habuit plures viros, *cum viro ultimo, cujus domicilium retinet, in honorem tumuletur*, cap. *Si qui de sepult. in* 6.

39. Filiusfamilias sibi sepulturam eligere potest, si ad pubertatem pervenerit, si verò sit impubes, potest Pater eligere Sepulturam isti, ubi voluerit, si consuetudo loci id patitur. Cap. *Licèt de sepult. in* 6. & Sæpè declaravit Sac. Congreg. ut *loc. cit. Scipis.*

40. Aliquid pro sepulturis pacisci, vel exigere non licet. Laudabiles tamen consuetudines servandæ sunt cap. *Abolendæ de sepult.*

41. Petitur. *Accedit Petrus Clericus, vel Regularis, & Confessario exponit se induxisse Cajum ad eligendam sepulturam in suis respectivè Ecclesiis, vel ad non immutandam electam, quid agendum Confessario?*

Resp. Non potest eum absolvere, quia est legatus excommunicatione Papæ reservata ex Clement. *Cupientes* §. *Sanè de Sepult.* & electio est irrita cap. *Animarum de sepul. in* 6. & quatenus Corpus sepulturæ electæ tradiderit, est cum omnibus emolumentis intra decem dies restituendum Parochiæ, quibus elapsis, Ecclesia ipsorum, in qua est sepultum, & cæmeterium, ex tunc manent suppositio interdicto, donec omnium plenaria restitutio fiat, ibid. textus.

42. Ecclesiastica sepultura non gaudent. I. Usurarii manifesti *capit.* 2. *de usur. in* 6. Sed quia multi contractus possent ab usura excusari, ideò Parochus super eo debet consulere Episcopum.

II. Religiosi proprietarii Cap. *Cùm ad monasterium de stat. Monachor.*

III. Qui occumbunt in duello, etiam privato sine patrinis, & sociis cum ordinario tamen periculo vitæ ex condicto, statuto tempore, & in loco convento, instituto, ut dixi *lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 13.

IV. Publicè excommunicati ex *cap. Sacris de sepult.* cap. *Is cui de sentent. ex Omm. in* 6. Si enim excommunicatio esset occulta, & forte soli Parocho cognita, non esset sepultura ecclesiastica deneganda, quia privata scientia uti quidem licet, quandoque in privato, non autem ad condemnationem in publico.

43. Dices. Constitutio *ad evitanda Martini V.* & illa Leonis X. *Primitivæ* sub *la* 20. *Bullar. to.* 1. disponunt, quòd nullus excommunicatus sit necessariò vitandus, nisi fuerit excommunicatus denunciatus, aut notorius percussor Clerici, vel ita notoriè excommunicatus, ut nulla possit tergiversatione celari, & juris suffragio excusari: ergo non quicunque publicè excommunicatus est privandus ecclesiastica sepultura.

Resp. Quòd dicta jura non intendunt in aliquo relevare ipsos excommunicatos, ut ibi textus, sed solùm adiuvare fideles innocentes, ne per conversationem cum excomunicatis non denunciatis, nec notoriis aliquam censuram incurrant.

V. Omnes morientes impœnitentes in peccato mortali, ut interempti in adulterio, furto, &c. Cap. *Fures* 13. *qu.* 2.

VI. Mortem sibi ex desperatione, vel iracundia inferentes cap. *Placuit* 23. *q.* 5. Secus si ex fatuitate, & insania; & in dubio non præsumendum, quod quis peccaminosè sibi mortem intulerit.

VII. Pueri non baptizati, si de utero matris sunt extracti.

VIII. Qui saltem semel in anno non perceperunt Sacramentum pœnitentiæ, & Eucharistiæ. De qua re Engel colleg. jur. *canon. lib. 3. tit. 28. §. 5. unic.*

Dubia in *una Nullius, seù Aquinaten. juris sepeliendi.*

„ 1. *An PP. Reformati Sancti Fran-*
„ *cisci Atinæ teneantur solvere quar-*
„ *tam Parochiali, & Collegiatæ Eccle-*
„ *siæ ejusdem loci pro illis defunctis, qui*
„ *in eorũ Ecclesia sepulturam elegerunt?*
„ 2. *An in associatione Cadaveris ad*
„ *propriam Ecclesiam possint iidem Pa-*
„ *tres incedere sub propria Cruce, vel*
„ *potius teneantur incedere sub illa*
„ *Ecclesiæ Parochialis Collegiatæ.*
„ 3. *An possit Capitulum ejusdem Pa-*
„ *rochialis, & Collegiatæ Ecclesia cum*
„ *Stola, & Cruce ingredi Ecclesiam*
„ *DD. Patrum, in eaque functiones*
„ *aliquas facere circa cadaver ante-*
„ *quam sepulturæ tradatur; seù po-*
„ *tiùs debeat tantùm dare ultimum*
„ *vale? & quatenus affirmativè quo-*
„ *ad secundam partem.*
„ 4. *An dictum ultimum vale consi-*
„ *stat in simplici benedictione cadave-*
„ *ris, recto tramite introducendi in*
„ *Ecclesiam Regularium, vel potiùs*
„ *in recitatione alicujus Psalmi, vel*
„ *alterius orationis?*

Sacr. Congr. Episcop. & Regul. *die 6. Septembris* 1709. auditis partibus, respondit.

Ad primum *negativè.*

„ Ad secundum *quoad primam par-*
„ *tem negativè; & quoad secundam*
„ *affirmativè, in casu, de quo agitur,*
„ *quando Canonici accedunt capitula-*
„ *riter.*
„ Ad tertium *negativè quoad primam*
„ *partem; & quoad secundam affirma-*
„ *tivè quoad ingressum, & ultimum*
„ *vale.*
„ Ad quartum *Ultimum Vale consiste-*
„ *re in simplici benedictione.*

Quare ultimum *Vale* in hoc consistit, quòd, perveniente Parocho ad januam Ecclesiæ Regularium, se vertit ad populum, adeòque & ad Cadaver, illudque simpliciter benedicat cum asperforio absque eo, quòd deponatur feretrum in terra, vel per aliquod temporis momentum moretur cadaver ante fores Ecclesiæ, sed recto tramite in Ecclesiam est introducendum, ut de communi praxi testantur omnes Parochi Urbis, ut in allegata causa.

An autem Parochus occasione funeris possit ingredi cum Stola, & Cruce Ecclesias Regularium.

Resp. Negativè, ut respondit S. R. Cong. *in una Vaden. 2. Augusti* 1698. ut notavi

notavi *Offic. Cur. Eccleſiaſt. cap. 20. nu. 3.* Et S. Cong. Conc. *in Ebrunden. jurium Parochialium* 25. *Junii* 1695. *in reſponſione ad* 10. apud Monacell. *to. 1. formular. Eccleſiaſt. form. 18. tit. 10. nu. 13.* Poteſt tamen Parochus exequiis aſſiſtere, non tamquam talis, ſed dumtaxat uti unus de populo ex S. R. Congr. *in Mantuana Funerum* 21. *Novembr.* 1699. apud alleg.

An verò *cadavera in Eccleſiis Regularium ſepelienda, antequam ad eas deferantur, aſportari debeant ad Parochialem?*

Reſp. Negativè, ut aliàs reſpondit S. R. Cong. alleg. *cap. 20. nu. 1.* ad tertium, & noviſſimè reſolvit S. Congr. Conc. *in Meſſanen. 17. Aprilis* 1706. In qua perpetuum ſilentium Parocho impoſuit reſpondendo ad dubium in præjactis terminis propoſitum, *negativè, & amplius.*

Cùm quis eligit ſepulturam in Eccleſiis Regularium, vel alia, & deinde malis artibus, & artificiosè ab aliquo inducitur ad electionem mutandam, & eligendam aliam Eccleſiam ab electa, eſt corpus cum emolumentis reſtituendum Eccleſiæ priùs electæ, cui per fraudem fuit præjudicium illatum; Quæ eſt praxis S. Congr. Epiſcop. & Regularium, in èvenientibus caſibus reſtitutionem prædictorum demandantis, ut *in una Auximana reſtitutionis cadaveris* 31. *Auguſti* 1708. *& in Compſana juris ſepeliendi* 18. *Febr.* 1707. reſcripſit *eſſe locum reſtitutioni Cadaveris una cum emolumentis*, Quod fuit confirmatum 27. *Aprilis* 1708. his verbis: *in deciſis, & amplius.*

Quæ omnia procedunt juxta diſpoſitionem juris, ut in *cap. Animarum de ſepult. in 6.* & *Clement. Cupientes eod. tit.* in qua excommunicatione Papæ reſervata ligantur tam Clerici, quàm Religioſi inducentes Fideles ad eligendam ſepulturam in ſuis Eccleſiis, vel, ut jam electam non immutent, ut dixi *loc. cit. cap. 48. num. 28.*

## CAPUT VII.

### *Ordo.*

1. SExtum Sacramentum eſt illud Ordinis. Eſt novæ legis Sacramentum à Chriſto Domino inſtitutum, juxta Florent. *in Decret. Eugenii,* & Trid. *ſeſſ. 7. canon. 1. de Sacram. in gen.* Definitur, *eſt Sacramentum, in quo cum gratia confertur ordinato poteſtas ſpiritualis ad Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium, & Euchariſtiam perficiendam, immediatè, vel mediatè, plus, vel minus juxta cujuſque Ordinis gradus, & officium.* Colligitur ex Trid. *ſeſſ. 23. cap. 2. de ord.*

Quæritur, *quot ſint Ordines?*

Reſp. Communiter enumerantur ſeptem: *Oſtiariatus, Lectoratus, Exorciſtatus, Acolytatus, Subdiaconatus, Diaconatus, & Preſbyteratus.* Primi quatuor Minores appellantur; eò quod Clerici illis ordinati, non aſſiſtant immediatè Altari, nec immediatè inſerviant Sacerdoti ſolemniter celebranti. Alii tres dicuntur Majores, quia proximè ad Altaris Officium concurrunt. Qui etiam Sacri appellantur, quia cum voto caſtitatis, quo quis Deo ſacratur, ſunt connexi.

3. Dixi *Communiter septem*, quia non desunt, esserentes esse novem; nam alii resolvunt Episcopatum esse Ordinem, à cæteris distinctum, ut optimè probat Poncius *Theol. disp.48. qu.1. conc.4.n.4.* Canonistæ verò statuunt, etiam Primam Tonsuram inter Ordines, ut probat Fagnan. *in1. ad cap. cùm contingit de ætat. & qualit.num.44.* Seg hoc ad nos non spectat in examen vocare. Et præscindendo ab ea difficultate: dicimus Primam Tonsuram esse præparationem, & dispositionem ad Ordines suscipiendos, collig. ex Trid *cit.*

4. Quæritur, *quinam sint effectus Sacramenti Ordinis?*

Resp. Sunt. I. Gratiam habitualem, vel ejus augumentum conferre cum auxiliis, quibus ordinatus præmunitur, ut dignè, & convenienter exequatur munus Ordinis recepti. II. Characterem imprimere: quod est *quoddam signum spirituale, indelebile, animæ inhærens, per quod homo deputatur ad talc munus exercendum.* Nota, quod, si suscipiens Ordinem sit in mortali, tunc gratiæ augmentum non recipit, benè verò characterem, si habeat intentionem, ad minùs virtualem, recipiendi Ordinem. Si verò in gratia sit constitutus, recipit per Ordinem, cum charactere gratiæ augumentum.

5. Quæritur, *quas obligationes contrahit, qui ad majores Ordines promovetur?*

Resp. I. Obligationem servandi castitatem ex voto solemni, quod in susceptione talium Ordinum implicitè emittitur, ut diximus *lib.3.cap.4.nu.62.* II. Obligationem recitandi divinum officium. III. Obligationem deferendi habitum, & Tonsuram.

6. Quæritur, *quibus privilegiis Ordinatus gaudeat?*

Resp. Privilegio fori, & Canonis: etiamsi quis sit purè Tonsuratus. Privilegium fori in eo stat, ut Clericus conveniri non possit (etiam ipso consentiente: quia Privilegium fori est latum in favorem totius status Clericalis, cui quis non potest renunciare) prò delicto ad forum sæculare, & coram Judice Laico, sed ad Ecclesiasticum, & coram Ecclesiastico. Privilegium verò Canonis in eo consistit, ut, si quis Clericum, suadente Diabolo, percutiat, sit excommunicatus *cap. si quis suadente 17. qu.4.* juxta dicta *lib.1. cap.33. num.18.* Insuper Ordinatus redditur capax Ecclesiastici beneficii.

7. Quæritur, *an bonâ fide ordinatus putans esse baptizatum, cùm non sit, characterem recipiat, & validè ordinetur?*

Resp. Negativè, quia baptismus flumininis ex jure divino est janua omnium Sacramentorum *cap. veniens de Presbytero non baptizato.* Et *c. si quis eodem tit.* ibi ponitur: quòd, *si quis Presbyter ordinatus deprehenderit se non esse baptizatum, baptizetur, & iterùm ordinetur*, & Sac. Cong. Conc. apud Fagn. *in 1. ad c. ne innitaris, de const.nu.187. ad dubium: an constitutus in Minoribus Ordinibus debaptismo dubitans, iterùm baptizatus sub hac conditione, si baptizatus es, non te baptizo, in Ordinibus prius susceptis ministrare, aut ab integro ordinari debeat? censuit debere ei iterùm ordines conferri ex cap. Veniens de Presbyt. non baptiz. sed sub conditione, si non erat baptizatus, quando primùm eidem ille collati*

*lati fuerunt.* Nec tunc intelligitur Ordo iteratus: *quia non intelligitur iteratum, quod ambigitur esse factum: nec malè de Religione sentitur, cùm illud, non Religionis contemptus, sed articulus necessitatis excludit, cit cap. veniens.* Quare licèt baptizatus baptismo flaminis, & Sanguinis salvari possit, tamen non potest validè ordinari, si non sit baptizatus baptismo fluminis, nec aliud Sacramentum recipere, cùm baptismus sit fundamentum omnium Sacramentorum juxta citata jura.

8. Quæritur, *an suscipiens ordinem aliquem, non prius suscepta Confirmatione, sit licitè promotus, & possit ad alios ascendere?*

Resp. Negativè, Quod Confirmatio ad Ordines præsupponatur, habetur ex Trid. *sess.* 23. *cap.* 4. *de ref.* ubi: *Prima Tonsura non initientur, qui Sacramentum Comfirmationis non susceperint:* refert Fagnan. *in* 1. *ad cap. cùm contingat de ætat. & qualit. ordinan. nu.* 96. Alias Sac. Cong. Conc. declarasse *Prima Tonsura initiatum, non suscepto Chrismate, ad postea ad minores Ordines, eo suscepto, esse malè promotum: beneficia minus legitimè acquisivisse; & non posse ad Sacros Ordines ascendere, nisi prævia Sedis Apostolicæ dispensatione.* Stylus Sacræ Pœnitentiariæ est dispensare cum sic promotis.

9. Quæritur, *quinam censeantur Ordines exercere ex officio?*

Resp. Omnes, qui eos exercent ex vi ordinis, quem habent; unde cum Acolytus, v. g. in defectum Subdiaconi cantat Epistolam in Missa ex commissione Superioris, non dicitur ministrare Sacerdoti in officio Subdiaconatus ex officio, nec tunc incurrit irregularitatem, quam incurreret, si scienter ipsi solemniter ministraret, hoc est, cum vestibus tali Ordini deputatis.

10. Unde observa, quod irregularitas in ministerio ordinum tunc incurritur. I. Cùm Clericus excommunicatus, suspensus, vel interdictus ministrat in ordine, quem habet *tit. de Cleric. excom. &c.* II. Cùm solemniter ministrat in ordine, quem non habet (dicitur solemniter ministrare, quando utitur cæremoniis, & vestibus tali ordini deputatis, & propriis) III. Cùm ministrat in pertinentibus ad Ordinem, quem non habet, vel exercet actum propriè, & specialiter uni Ordini deputatum, ita quod exerceri non possit, nisi ab habente eum Ordinem, *cap. si quis de Cleric. non ordinat.*

11. Unde irregularis est Diaconus, si sine licentia Parochi solemniter baptizet, ut diximus *cap.* 2. *num.* 13. Si Aquam Sanctam benedicat, quia Benedictio Aquæ est actus ordini Sacerdotali deputatus, *cap. Aquam Sale dist.* 3. *de consecrat.* ubi: *Sacerdotibus mandatur, ut Aquam benedicant*; potest tamen ignorantia, & simplicitas, quæ non sit affectata, excusare. Quaranta *sum. ver. Ordo vers. Quibus, &c.*

12. Quæritur, *an omnes Ordines, tam Minores, quàm Majores sint Sacramenta?*

Resp. Affirmativè; nam singuli sunt signum sensibile, & constant diversa materia, & forma, ut ex dicendis constabit.

Dices, ergo Sacramenta novæ legis sunt plura, quàm septem, contra Trid. nam, facta computatione, tredecim forent.

Resp.

Resp. Negando consequentiam; nam distinctio Ordinum est accipienda secundum relationem ad Eucharistiam: quia potestas Ordinis, aut est ad consecrationem Eucharistiæ, aut ad aliquod ministerium, ordinatum ad ipsam, ergo quamvis quilibet sit Sacramentum, tamen non sunt plura Sacramenta, sed unum unitate aggregationis, & ordinis ad eumdem finem.

13. Quæritur, *quanam sit materia Sacramenti Ordinis?*

Resp. Remota, est instrumentum, quod ordinatis tangendum traditur, proxima verò est traditio, & acceptatio talis instrumenti. Materia debet physicè tangi, & non sufficit contactus moralis, quo quis, v. gr. manum extendat, & appropinquet instrumento, & non tangat illud.

14. Quæritur, *quanam sit forma?*

Resp. Sunt verba prolata ab Episcopo in traditione instrumenti: quæ prolatio, & traditio debent esse simul, non tantùm simultate morali, sed etiam physica, juxta dicta *lib. 2. cap. 1.* Quia in Sacramentis conferendis est sequenda opinio tutior; qualis sine dubio est illa asserens eas simul physicè esse debere.

Descendendo itaque ad assignandam materiam singulorum, dicimus: materia remota Ostiariatus, sunt Claves Ecclesiæ. Lectoratus, est liber continens sacras lectiones, hoc est, Epistolas, & Prophetias. Exorcistatus, est liber Exorcismorum. Acolytatus, duplex est, candelabrum cum cereo extincto, & Urceoli vacui. Proxima verò eorum, est traditio, & acceptatio materiæ remotæ.

Subdiaconatus item duplex: remota, Calix vacuus cum patena vacua superposita: Florent. *in decret. Eugenii*, & liber Epistolarum. Diaconatus, item duplex: remota: Liber Evangeliorum, & impositio manuum super caput Ordinandi. Sacerdotii, item duplex: remota, Calix cum vino, & Patena cum hostia: altera est impositio manuum, facta per ipsum Episcopum. Proxima tandem ipsorum, est prætactorum traditio, & acceptatio.

15. Nota, Sacerdotem in ordinatione recipere duplicem potestatem; primam, consecrandi panem, & vinum in Corpus, & Sanguinem Christi: secundam, absolvendi à peccatis, quæ potestates sunt inter se distinctæ, & secunda præsupponit primam; potestque contingere, ut ordinatus habeat primam, & non secundam: ut, si, illa recepta, Episcopus deficeret, & tunc ordinato ab alio Episcopo deberet secunda conferri.

16. Item, quòd ordinati extra tempora ab jure statuta sint suspensi. Trid. *sess. 23. cap. 8. de ref.* nisi sint privilegiati, quinam isti sint, dixi Offic. *Cur. tom. 2. cap. 13. num. 4.*

17. Item, quòd sunt servanda interstitia ex eodem *cap. 11.* Quilibet etiam debet à proprio Episcopo ordinari, ibid. Trident. *cap. 8.*

18. Regulares debent ordinari ab Episcopo Diœcesano, hoc est, in Ritu Monasterii, in quo ordinandus fuerit à Superioribus positus de familia: quòd si Diœcesanus abfuerit, vel non esset habiturus ordinationes, posset Superior suo subdito dimissorias concedere est quemcumque alium Episcopum. In quibus deberet exprimere, quòd proprius Episcopus vel est absens, vel ordinationes non

non habet. Nec debent Superiores ex industria concessionem dimissoriarum differre in id temporis, in quo Episcopus Diœcesanus, vel absfuturus, vel non esset habiturus ordinationes, vel, dum Sedes vacaret. Et in contrarium operantes, incurrunt pœnas privationis vocis activæ, & passivæ, officii, & dignitatis, ac administrationis, Sum. Pontifici reservatas, prout disposuit Sac. Cong. Conc. *sub die* 15. *Martii* 1596. *Et Sac. Congr. Episc. in una Regul. Observanti, ut in ejusd. regest. sub.* 11. *Junii* 1638. Vide *cit. cap. Off. Cur.*

19. Ætas præscripta in ordinibus suscipiendis habetur ex Trid. *cit. cap.* 12. ubi: *nullus in posterum ad Subdiaconatus ordinem ante* 22. *ad Diaconatum ante* 23. *ad Presbyteratum ante* 25. *ætatis suæ annum promoveatur.* Nota illud *ante*, significare annum debere esse completum: quare quævis pars, quæ ei deficeret, etiamsi foret unica hora, operaretur, ut de eo diceretur promotus *ante*; nam ante 22. semper quis est, donec compleat. 21. & attingat ipsum 22. Alia vide apud Authores.

## CAPUT VIII.

### *Matrimonium.*

DE Matrimonio, quòd ante peccatum fuit institutum ad humani generis propagationem, & post peccatum ordinatum, etiam in infirmitatis remedium, *cap. quidquid* 33. *qu.* 2. & in statu legis Evangelicæ à Christo Domino institutum in ratione Sacramenti, ex Trid. *sess.* 24. *de matrimon. cap.* 1. plura distinctis §. dicenda occurrunt.

*Matthæucci Cautela Confess.*

### §. I.

### *De natura matrimonii, forma, materia, & Ministro.*

1. SEptimum Sacramentum est matrimonium, ut ex alleg. Florent. *in decr.* Eugenii, & Tridentino *sess.* 7. *can.* 1. & *sess. cit.* Est indissolubile. Clara sunt testimonia Scripturæ, & Conciliorum definitiones. Florent. ibid. dixit: *quamvis autem ex causa fornicationis liceat thori separationem facere, non tamen aliud matrimonium contrahere fas est, cùm matrimonii vinculum legitimè contracti perpetuum sit*; & Trid. *can.* 5. *Si quis dixerit, propter hæresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam à conjuge, dissolvi posse matrimonii vinculum. Anathema sit.*

2. Potest Matrimonium considerari in ratione contractus civilis, & naturalis, & in ratione Sacramenti. Ut contractus est, definitur: *est contractus, quo vir, & fœmina ita ligantur indissolubiliter inter se, ut, durante vita, possint absque culpa uti se invicem in ordine ad procreationem prolis, nisi superveniat legitimum impedimentum.* Ut Sacramentum verò: *est contractus viri, & mulieris conferens ex opere operato gratiam sanctificantem, & alias gratias actuales in ordine ad ferenda bene onera matrimonii, & prolem educandam.*

3. Nota, quòd matrimonium omne, contractum inter fideles est Sacramentum; hinc, si aliquis ex sua malitia nollet inire ipsum ut Sacramentum, contractus invalidaretur, quia, suppositâ institutione istius contractus in esse Sa-

cramenti, non apparet esse in manu contrahentium separare contractum validum ab illa ratione; quare, si sub ratione Sacramenti nollet contractum celebrare, invalidus esset contractus.

4. Quæritur, *quænam sit materia, & forma matrimonii?*

Resp. Materia remota, sunt ipsi Corpora contrahentium, si sint libera à quocumque impedimento dirimente; nam, si aliquo afficerentur, essent materia inepta: proxima verò est mutua corporum traditio. Forma est mutua eorumdem acceptatio, aliquo signo exteriori, & sensibili coram Parocho, & testibus manifestata. Acceptatio dicitur habere rationem formæ, quia determinat illam traditionem corporum, ut contrahentes eis non possint uti, nisi juxta leges contractus matrimonialis.

5. Quæritur, *quinam sit Minister Sacramenti matrimonii?*

Resp. Quamvis aliqui juxta distinctionem matrimonii in ratione contractus, & Sacramenti dixerint, sub prima ratione ipsos contrahentes esse Ministros, & sub secunda esse Parochum: ut Du-hamel *Theol Cleric. to. 3. tr. 6. dissert. 2. cap. ult.* statuens pro forma, verba, quæ Sacerdos profert: *ego vos conjungo in Matrimonium, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti:* ut in Trid. *sess. cit. cap. 2. de ref. matrim.* Nihilominus non est à communi recedendum: & cum ea asserendum est, Ministros matrimonii absolutè esse ipsos contrahentes, dum sibi invicem materiam, & formam ministrant, per traditionem, & mutuam corporum acceptationem. Qui propterea esse debent in gratia, ut Sacramentum dignè conficiant, & recipiant. Quod est conforme Florentino loco alleg. dum inquit: *causam efficientem matrimonii esse consensum ipsum, scilicet, demonstratum mutuò, & receptum.* Et sequitur, ex quo ipsa matrimonia Clandestina ante Trid. fuerunt valida, & non fiebant præsente Parocho, vel Sacerdote, ergo Parochus non est Minister: aliàs semper fuisset necessarius.

6. Quare Parochus ut testis præcipuus, publicus, & magnæ authoritatis requiritur; per cujus præsentiam Concilium intendit clandestinitatem impedire. Qui ea verba, non ut minister, profert, nec, ut Sacramentum conficiat. Fagnan. *in 4. ad cap. quod nobis de clandestin. desponsat. num. 52.* Quod valeret, etiamsi ea non proferret, Piasec. *prax. to. 2. cap. 4. art. 4. num. 17.*

7. Quæritur, *an copula carnalis sit de essentia matrimonii?*

Resp. Negativè; nam natura matrimonii consistit in mutuo jure, sive in potestate mutua, quam propter mutuam corporis traditionem, uterque conjux habet in corpus alterius, ità ut unus debeat alteri usum sui corporis concedere, & omni alteri negare, juxta *text. Apost. 1. ad Corinth. 7. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Unde, quamvis illa mutua potestas videatur ad copulam carnalem ordinari, tamen, nec copula carnalis, nec consensus in eam, ad matrimonii essentiam pertinet. Quod probatur juxta commune axioma juris Canonici, quod *usus ab ipso domino separatur*, ergo potest quis habere dominium

nium in corpus alterius, & eo non uti. Copula solùm exigitur ad matrimonium consummatum, non verò ad ratum, ad quod sufficit, ut celebretur coram Parocho, & testibus.

8. Et certum, ut matrimonium sit validum, requiri contrahentium consensum, mutuum, & manifestum; nam nullus contractus sine contrahentium mutuo consensu subsistit, *ex cap. unic.* 30. *qu.* 2. & ibi: *ubi non est consensus utriusque, non est conjugium.* Qui, si non manifestetur, ignoratur, an contractus sit celebratus, modò.

9. Quæritur, *an consensus sub conditione sufficiat ad matrimonium?*

Resp. Omnes conveniunt, quod consensus absolutus contrahentium ad valorem matrimonii sufficit: de conditionato variant. Theologi negant. Canonistæ affirmant. Verùm duplici modo potest consensus dari sub conditione. I. per verba de præsenti, ut, *accipio te in uxorem, si Pater tuus consentiet:* & per verba de futuro, *ut accipiam te, si Pater tuus consentiet*; matrimonium primo modo contractum valere, purificata conditione, etiamsi novus consensus non intercedat, docent DD. & Fagnan. *in* 4. *ad cap. super eo de conditionibus apposit. num.* 2. Ratio est, quia cæteri contractus conditionales, purificatis conditionibus, perficiuntur, ergo & iste matrimonialis; *& num.* 4. *&* 6. refert id in terminis fuisse decisum à S. C. Conc. senel sub B. Pio V. & iterum sub Clemente VIII. Maximè, quia, ut notat Illsung. *Theol. moral. tract.* 2. *disp.* 9. *qu.* 2. *ar.* 3. §. 1. *num.* 46. sensus illius primæ propositionis est: *nunc accipio te in meam pro tempore futuro, si Pater tuus consentiet* Consequenter jam vult actualem obligationem, non quidem ponendam pro tempore præsenti, sed ponendam tempore futuro, & conditione impleta. Verùm talis contractus sub ea conditione deberet esse celebratus coram Parocho, & duobus testibus: aliàs non servaretur forma, & dispositio Trid. *cit. cap.* ubi irritos declarat contractus matrimoniales, aliter celebratos.

Illud verò contractum secundo modo, non valet: quia per consensum de futuro, non matrimonium, sed sponsalia constituuntur.

10. Quæritur, *Petrus contraxit matrimonium coram Parocho per vim adhibito, eoque invito, credens matrimonium esse nullum, aliam duxit, petitur, quid Confessario agendum?*

Resp. Non potest eum absolvere, nisi secundam dimittat, & ad primam redeat; nam primum matrimonium est validum, & secundum nullum. Refert Fagnan. *in* 1. *ad cap. Quoniam de constit. num.* 25. fuisse à Sac. Cong. Conc. declaratum esse validum matrimonium, contractum coram Parocho, etiam invito, & per vim adhibito; quamquam nihil eorum, quæ agebantur, vidit, & intellexit, si affectavit non intelligere: ut in Parocho, qui sibi aures obturaverat: etiam si ex alia causa vocatus, adhibitus tamen ad illum actum. Item, coram Parocho, tàm viri, quàm mulieris, etiam in aliena Parochia: immò, etsi Episcopus illi matrimonium interdixerit. Hæc Fagnan. ibid. Et *in* 4. *ad cap. literæ, quas de matrim. contract. contr. interd. Eccles. num.* 26. tradit S. C. respondisse valere

matrimonium contractum, etiam coram Parocho denunciato excommunicato; ratio est, quia semper videtur satisfactum verbis Trid. *cap. 1. cit.* hoc est, quod matrimonium fuerit celebratum in præsentia Parochi, & servata forma ab eodem Concilio statuta: modò Parochus non sit privatus Cura.

11. Quæritur, *Franciscus contrahit Matrimonium cum Catharina coram Parocho, & testibus, Parocho contradicente, petitur, an validè?*

Resp. Affirmativè, ex Fagnan. in 4. ad *cit. cap. literæ quas:* ubi *n.* 14. refert, quod Sacra Congregatio censuit validum esse Matrimonium contractum, præsente Parocho, non obstante ejus contradictione, & protestatione, nisi aliud obsistat.

12. Quæritur, *Parochus laborans morbo, non adeò gravi, concedit licentiam Cappellano exercendi concernentia Curæ officium, petitur, an sit validum matrimonium coram Cappellano celebratum?*

Resp. Affirmativè, Idem Fagnan *in 4. ad Cap. quod nobis de Clandest. desponsat. n.* 32. tradit, quod Sac. Congregat. die 12. Junii 1581. censuit esse validè contractum, præsuppositâ licentia, seu commissione generali administrandi omnia Sacramenta. Et licèt aliàs declaraverit requiri licentiam specialem, & expressam: tamen id intelligit in quodam Canonico, cui tacitè permissa erat administratio Sacramentorum in Ecclesia Cathedrali, sciente, & patiente Ordinario. Quare licentia, quæ ex tolerantia resultat, non sufficit; sed necessaria est, vel commissio generalis administrandi omnia Sacramenta, vel, si hæc non adsit, specialis, & expressa licentia, ut ibid. ex eodem. Nec sat est ratihabitio sequens: quia, quæ sunt de forma actus, non possunt per ea quipollens impleri. Engel. *jur. Can. lib. 4. tit. 3. num.* 15.

13. Quæritur, *quinam Parochus requiratur, an viri, vel mulieris?*

Resp. Alteruter sufficit, super quo habetur ejusdem Sacræ Congregationis decisio apud *Fagn. l. cit. n.* 33. quæ ad dubium, an valeret Matrimonium N. celebratum cum Berta (cujus domus erat in alia Parochia) in præsentia Parochi viri, & non ipsius Bertæ, censuit Matrimonium valere, & sufficere Parochum viri, etiamsi in Parochiâ mulieris. Tum quia, Concilium nil de loco expressit. Tum quia, videtur Concilium voluisse præsentiam Parochi, & testium ad tollendam solam clandestinitatem; ad quod sufficit unus Parochus, sive viri, sive mulieris. Quam Congregationis sententiam refert fuisse à Summo Pontifice approbatam; & juxta eam debere in futurum respondere, nulla habita ratione alterius decisionis editæ die 15. Decembr. 1574. in qua fuit dictum, quod, dum Matrimonium contrahitur in Parochia viri, ejusdem Parochi præsentia erat necessaria: dum verò in illa mulieris, hujus Parochiæ debebat assistere, vel de hujus, aut Ordinarii licentia, ille viri.

14. Quæritur, *an matrimonia à Filiisfamilias sine consensu Parentum contracta sint valida?*

Resp. Affirmativè, ex Trid. *cap. 1.* sæpiùs allegato, ubi anathemate damnat eos, qui *falsò affirmant, matrimonia à Filiisfamilias sine Parentum consensu celebrata, esse irrita, & Parentes ea rata, vel irrita facere posse.*

§. II.

## §. II.

*De impedimentis Matrimonii.*

15. IMpedimenta Matrimonii alia sunt, quæ impediunt utique, ne Matrimonium licitè contrahatur, at, ubi contractum est, illud non irritant, aut dirimunt; & hæc dicuntur impedimenta impendentia tantùm: Quæ sequentibus continentur.

*Ecclesiæ vetitum, tempus feriatum.*
*Atque Catechismus, sponsalia, jungito votum.*
*Impediunt fieri, permittunt facta teneri.*

16. Et alia, quæ, non modò Matrimonium contrahendum impediunt, sed etiam, cùm illis posteà contractum, dirimunt: Quæ vocantur impedimenta dirimentia: Hisque solent exprimi versibus.

*Error, conditio, votum, cognatio, crimen,*
*Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas.*
*Si sis affinis, si forte coire nequibis.*

Post Trid. *cap. 1. de refor. Matrim.* est adjectum, illud defectus præsentiæ Parochi, & duorum testium; *& capitis raptus.*

*Si Parochi, & duplicis desit præsentia testis.*
*Raptave sit Mulier, nec parti reddita tuta.*

## §. III.

*De impedimentis merè impedientibus.*

17. PEr *Ecclesiæ vetitum*, intelligitur prohibitio, saltem ad tempus, qua Pontifex, Episcopus, vel etiam Parochus, Matrimonium justis de causis, sub peccato ad vitandas rixas, scandalum, &c. celebrari vetant.

18. *Tempus feriatum*, significat prohibitionem, qua Ecclesia vetat, ne certis quibusdam temporibus solemnitates Matrimonii celebrentur. Trid. *sess. cit. cap.* 10. ubi: *Ab Adventu Domini Nostri Jesu Christi usque in diem Epiphaniæ: & à feria quarta Cinerum usque ad octavam Paschatis inclusivè: Antiquas solemnium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus observari S. Synodus præcipit.*

19. *Cathechismus*, indicat impedimentum, quod contrahitur, ex quo quis loco baptizati respondeat ad interrogationes, quæ regulariter fiunt in collatione baptismi solemnis. Verùm hoc impedimentum, asseritur à Doctoribus esse à Trident. sublatum, sed vide dicta supra *cap. 2. num. 8.*

20. *Sponsalia, sunt mutua, voluntaria, & libera promissio futuri Matrimonii.* Cæterùm, dum Petrus promittit ducere Bertam, hæc non modò debet acceptare, & gratias agere, verùm etiam debet Petro repromittere, ut sponsalia inter ipsos sint. Et tunc promissio est onerosa, *facio, ut facias.* Sponsalia ex jure naturali habent vim obligandi; nam, qui promittit, jus præbet alteri exigendi, quod ille promisit. Nec solùm obligant ex fidelitate, qua fit id, quod dicitur, sed ex eis nascitur etiam obligatio ex justitia, sicut in cæteris contractibus onerosis; quare, qui, celebratis Sponsalibus cum una, aliam ducit, mortaliter peccat, quia non implet promissio-

nem validam, alteri factam, cum gravi ipsius injuria, lædendo jus, quod ipsa habet ad contractum Matrimonialem.

21. Sed quæritur, *Petrus celebravit Sponsalia non jurata cum Berta, deinde juravit Franciscæ se ipsam ducturum, petitur, an Bertam, vel Franciscam debeat ducere?*

Resp. Bertam; nam secunda sponsalia per prima impediuntur, & sunt nulla *cap. unic. de Sponsalibus in* 6. nec juramentum hoc casu obligat, cùm cadat supra rem malam, quæ sine peccato, & gravi injuria Bertæ, cui primò sincerè, & liberè Petrus promisit, impleri non potest. Juramentum enim non est vinculum iniquitatis 22. *quæst.* 4. *cap. inter cætera.* Nec est obligatorium contra bonos mores *Regul.* 58. *jur. in* 6. & sic jurans mortaliter peccat.

22. Sponsalia cum causa solvi possunt: Causæ autem his versibus continentur.

*Dissensus, crimen, fuga, tempus, & ordo, secunda.*
*Morbus, & affinis, vox publica, cùmque reclamat.*

I. *Dissensus*, cum uterque sponsalia vult solvere.

II. *Crimen*, & maximè, quod sponsalia subsequitur; immò & quæ præcessit fornicatio; præsertim in fœmina, quæ ignorata fuit; sicut graviora crimina, quæ notabilium status mutationem afferunt.

III. *Fuga*, aut discessus unius in remotam Regionem sine alterius licentia.

IV. *Tempus*, cum tempus definitum præterit.

V. *Ordo Sacer*, & ingressus in Religionem; immò & votum simplex castitatis; quia vinculum voti est fortiùs, incompossibile cum illo sponsalium.

VI. *Secunda*, nempè Matrimonium cum altera contractum.

VII. *Morbus*, qui ante latebat; aut supervenit, si grave incommodum habeat adjunctum: ut lepra, morbus Gallicus, &c.

VIII. *Affinitas*, item superveniens, ut si sponsus cognoscat consanguineam desponsatæ.

IX. *Vox publica*, si fama sit publica aliquod intercedere impedimentum dirimens, nec possit fama tolli.

X. *Cùmque reclamat*, si sponsus, aut Sponsa post pubertatem reclamet, dum impuberes sunt desponsati.

23. Votum simplex castitatis, vel ingrediendi Religionem, vel non nubendi, aut suscipiendi ordines, *cap. rursus, qui Cler. vel vov.* Qui, tali voto prætermisso, Matrimonium contrahit, illicitè operatur, & peccat mortaliter.

Sed non, quòd, qui cum voto non nubendi, postea nubit, peccat nubendo, sed ad nil ampliùs, postea tenetur. Si quis castitatem vovit, peccat, etiam postea consummando Matrimonium, nec potest petere, & mortua Uxore tenetur castitatem servare. Idem dicitur de eo, qui vovit Religionem ingredi: qui post Matrimonium factum, ante consummationem potest, & debet Religionem ingredi, & reddere Altissimo, quod promisit; & dum tunc omittit, post Uxoris mortem tenetur ad Religionis ingressum, dum aptus sit. DD. communiter.

§. IV.

## §. IV.

### *Impedimentum Erroris.*

24. ERror, alius est personæ, alius fortunæ, alius conditionis, alius qualitatis. Error personæ, est, quando hic putatur esse Virgilius, & est Plato. Error fortunæ, quando hic putatur esse dives, & non est. Error conditionis, quando putatur liber, qui est servus: de quo infrà. Error qualitatis, quando putatur esse bonus, qui est malus.

Error fortunæ, & qualitatis consensum non excludit. Sic, qui emit vineam, putans esse uberrimam, cùm non sit, contractum non potest rescindere, quia absolutè in substantiam consentit. Error verò personæ consensum excludit, per mox dicenda.

25. Quæritur, *Petrus contrahit cum Berta, quam putat esse Liam, quam vellet ducere, petitur, an validè?*

Resp. Negativè, quia error est circa personam. Nam Petrus non intendit consentire in contractu nisi cum Lia. Ratio est manifesta: quia consensus est voluntatis. Petrus autem non consentit in Bertam, sed in Liam, quam putabat esse. Ideò, cum alia persona supponitur, contractus est nullus. Non aliter, atque emptio auri, nulla, & invalida futura esset, si pro auro substitueretur aurichalcum. Nam emens non consentit in aurichalcum, sed in aurum, quod putabat esse, *cap. Quod autem 20. qu. 1.*

26. Sed quæritur, *cur error circa personam Matrimonium annullet, non verò qualitatis?*

Resp. Quia consensus Matrimonii versatur circa personam, non verò circa qualitates illius: objectum enim per se Matrimonii, est substantia corporis, seù personæ, quæ potestatem sui corporis tradit alteri, in cujus corpus & ipsa potestatem recipit. Qualitates autem non sunt objectum per se Matrimonii, sed solùm motiva, quibus inducti conjuges libentius consensum suum præbent. Ex quarum defectu consensus absolutus non redditur simpliciter involuntarius, sed solùm minuitur affectus, & vehemens desiderium ducendi talem. Verùm si apponatur qualitas per modum conditionis, ut: *duco te, si es dives, si es virgo, si es filius regis, &c.* Si virgo, dives, vel Filius regis, non sis, tunc Matrimonium est nullum ex defectu consensus, quia consensus non fuit absolutus, sed conditionatus. Ex Fagnan. *in 4. cap. Si conditiones de condit. appos.*

27. Quæritur, *Petrus videns duas sorores, primam veste alba, & secundam rubra indutam, intendit ducere eam, veste alba vestitam, & ita convenit cum ejusdem Patre: qui, dum est celebrandus contractus, substituit alteram, induendo eam veste alba: petitur, an validum sit Matrimonium?*

Resp. Negativè, quia qualitas illa, in qua errat, stante circumstantia, qua Petrus videns duas, eligit unam, per eam qualitatem designatam, est veluti individualis determinatio personæ, & ideò error in illa refunditur in identitatem personæ, circa quam deceptus non consentit.

Quare, quoties quis consentit in personam

sonam præsentem, quamvis in qualitate erretur, & hæc non reputetur determinatio personæ, semper matrimonium est validum: & nullum, dum error qualitatis redundat in substantiam personæ, adeò ut illa non sit, cùm qua intendebatur contractus celebrari.

## §. V.

### *Impedimentum conditionis.*

29. IMpedimentum conditionis, est ignorantia disparitatis conditionis, quatenùs liber, putans ducere liberam, reverà contrahit cum serva legali, vel mancipio: Hæc ignorantia dirimit matrimonium, patet ex *capit. ad nostram de conjug. serv.* Verùm, si quis noverit esse servam, & adhuc velit ducere, matrimonium valebit; cùm in hoc casu inæqualitas conditionis sit cognita, & volita, & nulla fiat ei injuria, ratione cujus Ecclesia hoc impedimentum apposuit, & contractus sit justus, habens æqualitatem corporum, se mutuò obligantium; immò, ut docet Contenson. Theol. *ment. lib.* 11. *p.* 4. *disert.* 4. *cap.* 2. *speculat.* 1. error conditionis non irritat matrimonium, si errans sit æqualis, vel inferioris conditionis cum serva.

28. Sed quid, *si servus contrahat cum serva, quam putat esse liberam?*

Resp. Matrimonium valet; nam *in c. Si quis liber, &c. Si ingenuus* 29. *qu.* 2. semper est sermo de matrimonio inter liberum, & ancillam: & sic communiter intelligitur; nam jura intendunt tollere injuriam alterius, sic contrahentium, sed in casu ambo sunt ejusdem conditionis, & sic nulli fit injuria, Joan. Dela Cruz *de matrimonio.*

## §. VI.

### *Impedimentum voti.*

31. VOtum castitatis duplex, solemne, & simplex. Simplex matrimonium impedit: Cùm matrimonium hujus voti observantiæ repugnet: At matrimonium contractum non dirimit. Ratio est, quia votum simplex, est simplex promissio proprii corporis, obligans, utique ad continentiam, sed non transfert dominium corporis in eum, cui promittur: Ideò, si sententiam vovens mutet, & alteri concedat, peccat quidem, sed contractus tenet.

32. Votum verò solemne matrimonium dirimit; ratio est, quia, qui votum solemne emittit, non solùm corpus suum, sive corporis dominium DEO promittit, sed etiam, acceptante Ecclesia, actu ipsum tradit, & in eum transfert. Quare, qui votum solemne emiserunt, non possunt postea matrimonium contrahere, quia non habent dominium sui corporis, vi cujus possint alteri conjugi in ipsum potestatem tradere.

33. Votum, per solemnem Religionis professionem factum, matrimonium ratum quidem, sed nondum consummatum, dirimit ex Trid. *cit. can.* 6. ubi: *Si quis dixerit matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem Religionis professionem alterius conjugis non dirimi. Anathema sit.* Jura, & Canones unicuique conjugi post contractum matrimonium, concedunt duos menses ad

ad deliberandum de Religionis ingressu: quo tempore potest unus alteri sine peccato debitum denegare: *Cap. ex publico de conver. conjug.*

34. Verùm, matrimonium consummatum, etiam intra bimestre, non dissolvitur per subsequentem professionem Religionis: Unde post consummationem neuter conjugum potest validè Religionem profiteri: Nisi uterque Religionem ingrediatur. Sed in casu particulari crederem esse recurrendum ad S. Pœnitentiarum pro facultate transitus.

35. Item, votum solemne castitatis, emissum in valida professione Religionis, à S. Sede approbatæ, subsequens matrimonium dirimit, etiam consummatum. Trid. *sit. can.* 9.

36. Idem, dicitur de voto simplici castitatis, quod peracto biennio emittunt PP. Societatis, ut decrevit Greg. XIII.

## §. VII.

### *Impedimentum cognationis.*

37. COgnatio triplex est, naturalis, legalis, & spiritualis.

Naturalis, quæ dicitur, etiam consanguinitas, definitur: *Est attinentia personarum, ex eo proveniens, quod una descendat ab altera, vel amba ab eadem:* Seù, *vinculum personarum ab eodem stipite descendentium, carnali propagatione contractum;* seù, *conjunctio aliquorum, ex eo, quòd descendant ab aliquo Progenitore per carnalem propagationem.*

38. Legalis, est *propinquitas personarum ex adoptione consurgens.* Adoptio autem legitima, *est assumptio extraneæ personæ in filium, nepotem, filiam, &c.*

39. Spiritualis, est *propinquitas personarum jure canonico inducta, consurgens ex eo, quòd cooperentur ad confirmationis, vel baptismi collationem, aut susceptionem.* Et per Trid. *sess. cit. cap.* 2. reperitur. I. inter baptizatum, & baptizantem. II. inter baptizantem, Patrem, & Matrem baptizati. III. inter baptizatum, & susceptorem, Patrinum, & Matrinam. IV. inter Patrem, & Matrem baptizati, & Patrinos. Inter susceptores ad se invicem non habetur: per dicta *lib.* 2. *cap.* 7.

4. Legalis itaque dirimit matrimonium. I. inter uxorem adoptantis, & adoptatum, ac descendentes ab adoptato usque ad 4. gradum.

II. Inter uxorem adoptati, & adoptantem III. inter filios adoptantis, & adoptati; patet *cap. unic. extra de cognat. legali.* Ubi notant DD. quòd, soluta adoptione per emancipationem adoptati à potestate adoptantis, potest adoptatus cum filia adoptantis validè matrimonium contrahere. Contenson *citat.*

40. Naturalis dirimit matrimonium usque ad 4. gradum, *cap. debet de consang.* ubi habetur: *quod prohibitio copulæ conjugalis quartum consanguinitatis gradum non excedit.*

Ad hujus notitiam considera istos terminos: *Stipes, Gradus, & Linea.*

41. Stipes est persona illa, à qua descendunt, qui consanguinitate sunt conjuncti: seù, in ordine ad quam mensuratur consanguinitas. Dicitur stipes, quia

est radix, & fons, unde consanguinei habent originem.

42. Gradus consanguinitatis est habitudo distantium personarum à communi stipite, per quam cognoscitur, quanta cognationis distantia, vel attinentia sit inter duas personas, vel, in quo gradu una alteri attineat.

43. Linea verò est ordo personarum, de quibus quæritur, ab uno, & eodem stipite descendentium. Et est duplex, *Recta*, & *Lateralis*. Recta illa est, secundum quam multæ personæ descendunt à stipite immediatè, vel mediatè, ita ut sit una ab alia genita: ut filius à Patre, ab hujus filio, nepos, &c. Recta linea, quædam est descendentium: & est à Patre in Filios, Nepotes, Pronepotes, & Abnepotes: & alia ascendentium: quæ est à filiis in Patrem, Avum, Proavum, & Abavum.

44. Linea lateralis est illa, quæ intercedit inter personas, quæ ab eodem unico stipite, sive mediatè, sive immediatè descendunt, sed nulla ab altera procedit: ut est illa, quæ intercedit inter descendentes à diversis Fratribus, seù Sororibus.

45. Estque duplex. 1. æqualis personarum, quæ æqualiter distant à stipite: ut Fratres, & Sorores. 2. Inæqualis personarum, quæ inæqualiter à stipite distant, ut Frater Sororis, & Sororis Filius.

46. *Regula prima pro linea recta.*

In hac linea tot sunt gradus, quot sunt personæ, de quibus quæritur, ipsis computatis, & stipite: seù, quot sunt generationes, dempto tamen ipso stipite: sit exemplum.

Pater, Clemens, Stipes.

Filius, qui vocetur, Horatius

| | |
|---|---|
| Nepos, Annibal: | Filius Horatii. |
| Pronepos, Carolus: | Filius Annibalis. |
| Abnepos, Franciscus: | Filius Caroli. |

47. In hac linea Horatius est in primo gradu conjunctus cum Clemente, quia dempto ipso stipite, qui est Clemens, una remanet persona, ipse nimirum Horatius. Annibal autem est in 2. gradu cum dicto Clemente, quia, Clemente dempto, duæ remanent personæ, seù duæ factæ sunt generationes: nam Clemens generavit Horatium, & Horatius Annibalem, & sic de cæteris.

48. Se-

48. *Secunda regula pro linea laterali in distantia æquali.*

IN hac linea tot gradibus quæ personæ distant à se invicem, quot gradibus distant à communi stipite, dempto tamen in computatione ipso stipite. Hinc Horatius Frater, & Olimpia Soror, uno gradu inter se distant, quia uno gradu distant à Patre, nam una solùm habetur generatio, qua Pater ipsos genuit: & ita Horatius est in primo gradu cum Olimpia, &c. Quæ supponitur Mater Victoriæ: hæc Constantiæ, & ista Veronicæ.

Pater, Clemens, Stipes.

Fratres Germani.
Horatius est in primo gradu cum Olimpia.

---

Fratres Consobrini.
Annibal in secundo gradu cum Victoria.

---

Consobrini Secundò.
Carolus in tertio gradu cum Constantia.

---

Consobrini Tertio.
Franciscus in quarto gradu cum Veronica.

49. *Tertia regula pro linea laterali in distantia inæquali.*

IN hac, tot gradibus una persona distat ab alia, quot gradibus persona illa, quæ est à stipite remotior, distat ab eodem stipite, dempto tamen pari modo in computatione ipso stipite. Hinc prætactus Horatius, distat à Victoria filia suæ Sororis Olimpiæ duobus gradibus, quia Victoria duobus gradibus distat à Clemente stipite. Cùm duæ generationes sint ab ipso Clemente ad Victoriam; nam Clemens genuit Olimpiam, & Olimpia Victoriam: & ideò Horatius dicitur, est in secundo gradu cum Victoria. Immò, quia ipse Horatius distat uno gradu à Clemente stipite, & Victoria duobus gradibus ab ipso stipite, ideò sic solet loqui: *Horatius & Victoria sunt in primo cum secundo.* Filius autem Horatii est in secundo cum tertio, cum Filia Victoriæ, quia Filia Victoriæ tribus gradibus distat à stipite. Exemplum.

Filius Pater, Clemens, Stipes.

Horatius
- —in 1. gradu cum Olimpia, Sorore. | Fil. Clementis
- —in 1. cum 2. cum Victoria, Nepote. | Fil. Olimpiæ
- —in 1. cum 3. cum Constantia, Pronepote. | Fil. Victoriæ
- —in 1. cum 4. cum Veronica, Abnepote. | Fil. Constant.

Filius

Annibal
- —in 2. cum primo cum Olimpia.
- —in 2. cum 2. cum Victoria.
- —in 2. cum 3. cum Constantia.
- —in 2. cum 4. cum Veronica.

Filius

Carolus
- —in 3. cum 1. cum Olimpia.
- —in 3. cum 2. cum Victoria.
- —in 3. cum 3. cum Constantia.
- —in 3. cum 4. cum Veronica.

Filius

Franciscus
- —in 4. cum 1. cum Olimpia.
- —in 4. cum 2. cum Victoria.
- —in 4. cum 3. cum Constantia.
- —in 4. cum 4. cum Veronica.

50. Quibus visis. Notabis omnem gradum consanguinitatis, usque ad quartum inclusive, hodie esse impedimentum dirimens matrimonium, idque non solùm in linea recta, sed etiam in laterali, sic communiter DD. ex Concilio Lateranensi IV. sub Innocentio III. per hæc. *Cùm ergo usque ad quartum gradum prohibitio conjugalis copulæ sit restricta.* Ubi: Concilium loquitur indistinctè, & absolutè de ipsis quatuor gradibus: quæ absoluta locutio comprehendit utramque lineam.

Idque factum est, tum ob reverentiam, quæ debetur sanguine conjunctis: tùm, ne consanguinei ob spem matrimonii minùs castè simul cohabitent.

## §. VIII.

### *Impedimentum criminis.*

51. CRimen, de quo hic est, quando alteruter conjugum conspirat cum tertio in mortem conjugis, ut contrahat cum illo tertio matrimonium; vel, quando committit adulterium cum aliquo, & ut postea contrahat matrimonium cum ipso, interficit conjugem; vel, dum committens scienter adulterium cum aliquo, contrahit matrimonium cum eo, primo viro vivente: vel promittit contrahere, mortuo marito; & illa conditio acceptatur ab adultero. Videdicta *lib. 2. cap. 9. num. 6.*

## §. IX.

### *Impedimentum disparitatis cultus.*

52. DIsparitas cultus dirimit matrimonium inter baptizatum, non baptizatum: non verò inter fidelem, & hæreticum, qui est baptizatus, ut communiter DD. & patet ex praxi Ecclesiæ: videmus enim à Catholicis celebrari matrimonia, inter Magnos Principes, etiam Hæreticos: quod fit ex dispensatione Papæ.

53. Quæritur, *Turca convertitur ad fidem: uxor errores Mahometis non vult deserere, ille petit à Confessario, an possit aliam Catholicam ducere, quid Confessario dicendum?*

Resp. Solutio habetur, *cap. quanto de divortiis*, ubi hæc sunt: *Si enim alter infidelium conjugum ad fidem Catholicam convertitur, altero, vel nullo modo, vel non sine blasphemia Divini nominis: vel, ut cum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente, qui relinquitur ad secunda, si voluerit, vota transibit: & hoc casu intelligimus, quod ait Apostolus. Si infidelis discedit, discedat.*

54. Sed quæritur, *Turca plures habens uxores, potestne omnes retinere?*

Resp. Negativè textus expressus *cap. Gaudemus cit. tit.* ubi: *Scriptura Divina testatur, quod propter hoc, relinquet homo Patrem, & Matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una: non dixit tres, vel plures, sed duo: nec dixit adhærebit uxoribus, sed uxori; nec ulli unquam licuit insimul plures uxores habere, nisi cui fuit divina revelatione concessum.* Ex quibus patet Polygamiam esse prohibitam. Ideò primam debet retinere, modò vellet pacificè cum eo cohabitare.

55. Sed petitur, *Turca uxorem, quam apud suos accepit, erat sibi con-*

*juncta in 2. vel 3. gradu consanguinitatis, quæritur, an post baptismum possit eam retinere; nam nec cum ipso cohabitare, nec recipere fidem Catholicam recusat?*

Resp. Solutionem habes ex *cap. gaudemus.* Ubi Pontifex interrogatus, an Pagani, juncti in gradu prohibito, lege Canonica tantùm, conversi ad fidem, separari debeant. Respondet, negativè: *quia in præmissis gradibus à Paganis, quoad eos matrimonium licitè sit contractum, qui constitutionibus Canonicis non arctantur* & infra: *Fideles hujusmodi matrimonialiter copulati liberè possunt, & licitè remanere conjuncti, cum per Sacramentum baptismi non solvantur conjugia, sed crimina dimittantur.*

Nota, textum loqui de Paganis, nam de hæreticis diversò modo est discurrendum: quia, cùm per baptismum sint Ecclesiæ incorporati, & ejus subditi effecti (quamvis propria malitia rebelles) tenentur legibus Ecclesiasticis, statuentibus, etiam impedimenta dirimentia matrimonium. Subditus enim, quamvis rebellis, tenetur ad leges sui Superioris, ut docuit Engel. *colleg. jur. can. lib. 5. tit. 3. à num. 20.*

Dicitur in dubio, *in 2. vel 3. gradu*, quia, si contraxisset cum Matre, nullum esset matrimonium, & eam non posset conversus ad fidem retinere; nam nullum est matrimonium, contractum cum consanguinea in primo gradu lineæ rectæ, ut omnes docent. Et probant ex illo Scripturæ: *propter, hoc, relinquet homo Patrem, & Matrem, & adhærebit uxori suæ.* Unde apparet, uxorem ex jure divino debere esse personam à Matre distinctam.

55. Item, nullum foret etiam, si contraxisset cum sciore. Cùm item commune sit, nullum esse matrimonium contractum cum conjuncto in primo gradu lineæ transversæ, propter quamdam indecentiam, aut aversionem matrimonii in eo gradu, etiam ipsis Ethnicis communem: qui, teste Augustino 15. *de Civit. cap. 16. & ipsi connubia fraterna abhorruerunt.*

56. Sed quid, *vir post baptismum labitur in hæresim, an uxor possit alium ducere?*

Resp. Negativè, vivente viro, ut expressè ibi textus in *cit. cap. Quantò*; quia inter eos fuit matrimonium verum, & ratum, quod nullo modo dissolvi potest.

Dices, uxor relicta non debet sine sua culpa suo jure privari?

Resp. Idem textus allegat casum, in quo quis sine culpa jure suo privatur: ut si *alter conjugum incidatur.* Lege Gloss. *ibid. vers. simularent hæresim.* Hic itaque est causa, quare privatur quis jure suo sine culpa; quia nimirum matrimonium est indissolubile: & quia Conjuges sibi invicem displicentes, hæresim fingerent, ut unus alium dimitteret. Quod esse non potest sine injuria conjugii.

57. Sed quid *etiam de Judæo converso qui, dum inter Judæos vixit, suam uxorem repudiavit?*

Resp. *In alleg. cap. Quantò*, hæc sunt: *qui autem secundum ritum legitimam repudiavit uxorem, cùm tale repudium veritas Evangelica reprobaverit, num-*

*nunquam, ea vivente, licitè poterat aliam, etiam ad fidem Christi conversus, habere: nisi post conversionem ipsius illa renuat cohabitare cum ipso aut etiam, si consentiat, non tamen absque contumelia Creatoris, &c.*

## §. X.

### *Impedimentum metus.*

58. VIs extorquens consensum ad Matrimonium incutiendo metum, matrimonium dirimit, cùm tollat voluntarietatem, & libertatem consensus, qui est ita necessarius ad matrimonium, ut invalidè contrahant, carentes usu rationis.

59. Nota, quòd alius dicitur metus cadens in constantem virum, & alius in virum inconstantem cadens. Primus dicitur, quo fit, ut ad grave malum evitandum, aliquid eligatur; ut si aliquis malit consentire in matrimonium, quàm mori; graviter mutilari, &c. Cùm verò aliquis consentit, metuens, ne aliquos nummos, aut pallium v. g. amittat, aut, ne gratia Domini sui excedat, tunc metus dicitur cadere in virum inconstantem, & imbecillem.

60. Ideò, ut metus sit cadens in virum constantem, septem debent concurrere. I. Ut malum, quod timetur, sit grave. II. Ut non leviter timeatur. III. Ut, qui minatur, possit, & soleat minas exequi. IV. Quòd timens non possit minanti resistere, aut aliquo modo vitare mala, quæ timet. V. Ut metus injustè incutiatur. VI. Ut incutiatur ad finem matrimonii. VII. Ut incutiatur ab alio homine.

61. Quæritur, *Petrus concubinarius metu inferni, vel mortis in infirmitate, vel naufragio ducit concubinam, petitur, an validè?*

Resp. Affirmativè; quia metus invalidans Matrimonium per DD. debet esse incussus à causa extrinseca libera, ab alio nimirum homine, ad finem Matrimonii. Cujusmodi non est prætactus; quia, vel est incussus à causa naturali, vel à Deo immittitur ad salutem animæ, ut loquitur Fagnan. *in 3. ad cap. sicut nobis de Regul. num. 26.* Vide *lib. 3. cap. 4. num. 5.* quæ de voto diximus.

62. Quæritur, *Petrus est justè damnandus ad mortem, cui Judex parcit, si velit ducere Meretricem, quàm alias non duceret: petitur, an validè, si eam ducat?*

Resp. Affirmativè; nam ille metus non est incussus ad finem extorquendi consensum in Matrimonium; nam mors ei non minatur ad hunc finem, ut eam ducat, sed justè statuitur propter alia delicta: cui proponitur Matrimonium, si vult mortem evadere, qui poterat non contrahere; & sponte Matrimonium eligit in remedium mali, sibi aliundè imminentis.

63. Quæritur, *Paulus, Pater Bertæ, reperit Petrum abutentem filia, cui, stricto gladio, mortem minatur, si eam non ducat: Petrus promittit, & postea ducit, petitur, an validè.*

Resp. Affirmativè; ratio est, quia iste metus est justè incussus, cùm ipse Petrus delerit justam causam ipsius metus incutiendi, abutendo filia, & sibi tribuere debet coactionem. DD. communiter.

Me-

Metus, etiam reverentialis, inculsus à Parentibus, vel Tutoribus, dum est conjunctus cum probabili timore verberum, & quod rigidè quis sit tractandus, nisi Matrimonium contrahat, Matrimonium annullat.

## §. XI.

### *Impedimentum Ordinis.*

64. ORdines majores dirimunt Matrimonium ex jure Ecclesiastico, Trident. *sess. 24. can. 9.* ubi: *Si quis dixerit, Clericos in Sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares, castitatem solemniter professos, posse Matrimonium contrahere, contractumque validum esse, &c.* Anathema sit.

65. Quæritur, *Titius, invita, & reclamante Uxore (vel putans ipsam esse defunctam) Ordines majores suscipit, petitur, an teneatur Uxori petenti debitum reddere?*

Resp. Affirmativè, quia non potest, præjudicare juri, quod ex justitia Uxor habet in corpus ipsius; sed ipse petere non potest. Nec Ordo invalidat Matrimonium, etiam consummatum, priùs ritè, & legitimè contractum, quamvis impediat, ac dirimat contrahendum, ut expresse *text. in cap. Antiquæ de voto, & voti redemp. inter Extravag. Joan. 22.* Et fit irregularis, si, Uxore non consentiente, Ordines suscipit: *ibid.*

## §. XII.

### *Impedimentum ligaminis.*

66. IMpedimentum ligaminis, est vinculum prioris Matrimonii legitimi, quo durante, posteriùs Matrimonium est invalidum: nam qui corporis sui potestatem non habet, non potest ejusdem potestatem alteri tradere.

67. Quæritur, *Petrus, maritus Bertæ pluribus annis vivit absens à Patria, Uxor ignorans, an vivat, an non, petit à Confessario instrui, an possit transire ad secunda vota, quid Confessarius dixerit?*

Resp. Quod non potest: *ex cap. In præsentia de Sponsalib.* ubi, exigitur certitudo de morte proprii viri. Ratio est, quia non debet se exponere periculo adulterii, cui exponitur ducendo alterum. Nam concubitus ipsius cum altero, si interea vivat conjux absens, est adulterium. Undè dixit Piasec. *prax. part. 2. cap. 4. art. 4. num. 29.* quod non sufficiunt semiplenæ probationes de morte absentis: nec sufficit expectare quinquennium, vel spatium longioris temporis, sed debet apparere certitudo moralis mortis, saltem per vehementes præsumptiones: ut, quòd navis, in qua navigabat, passa sit naufragium, & omnes cum ea perierint, & similes.

68. Sed quæritur, *Berta accepit à testimoniis fide dignis priorem maritum esse mortuum, & prorsùs ducit Paulum, sed postea ejus prior redit, petitur, an teneatur ad primum redire?*

Resp. Affirmativè; nam cum secundo Matrimonium est nullum, ideò ad primum redire tenetur, *cap. Dominus de Secundis nuptiis.*

69. Quæritur, *Berta sine morali certitudine, & sufficienti probatione de morte prioris conjugis transit ad secun-*

*cundas nuptias, petitur, an validè, & an licitè?*

Resp. Illicitè transit: sed validè contrahit, si reverà tempore, quo contraxit, prior conjux erat mortuus, *cap. Dominus de secund. nupt.*

70. Sed quæritur, *an possit debitum petere, & petenti reddere?*

Resp. Reddere tenetur, sed exigere nequit: ut expressè textus: ubi hæc sunt: *si verò aliquis, vel aliqua id hactenus non servavit* (non curans certificari) *& de morte prioris conjugis adhuc sibi æstimat dubitandum ei, quæ sibi nupsit, non deneget debitum postulanti, quod à se tamen noverit nullatenus exigendum.*

## §. XIII.

### *Impedimentum publicæ honestatis.*

71. PUblica honestas est propinquitas quædam, orta ex validis sponsalibus de futuro, vel ex Matrimonio rato, non consummato. Quæ solet dici justitia publicæ honestatis: quia ob publicam honestatem, & decentiam, justum est impedire Matrimonia inter personas, quæ sibi invicem propinquæ factæ sunt per sponsalia, vel per Matrimonium ratum.

Istud Impedimentum dirimens Matrimonium oritur ex sponsalibus de futuro à principio validis, licet fuerint postea dissoluta, ob superveniens aliquod impedimentum. Quare dum Petrus per verba de futuro celebravit sponsalia valida cum Berta, dum postea, vel morte, vel mutuo consensu dissolvuntur, non potest ducere ullam, quæ sit conjuncta in primo gradu cum ipsa Berta. Nam juxta Trident. *sess. cit. cap. 3.* publica honestas ex sponsalibus validis proveniens, limitatur ad primum gradum.

Quòd, iisdem dissolutis sponsalibus, impedimentum publicæ honestatis remaneat, habetur resolutum à Sacra Congregatione Concilii apud Fagnanum *in 4. ad cap. ad audientiam de sponsalibus numer. 29.* ut infrà: *Et novissimè jubente SS. D. N. propositum fuit in Sacra Congregatione Concilii: An sponsalibus, validè ab initio contractis, deinde mutuo consensu dissolutis, sit sublatum impedimentum justitiæ publicæ honestatis? Et pluries proposito dubio, ac maturè examinato: tandem sub die 6. Junii 1658. Eminentissimi Patres in antiqua ejusdem Congregationis sententia consistentes, censuerunt non esse sublatum. Cujus sententiæ unà cum rationibus, hinc inde deductis, & recentioribus ejusdem Congregationis in hac materia responsis, facta relatione ad Sanctissimum: Sanctitas Sua die 10. ejusdem Mensis, prædictam Congregationis resolutionem probavit, eamdemque jussit in dubium deinceps non revocari.*

Et hinc patet, hoc impedimentum ita esse perpetuum, ut nec morte, qua dissolvuntur sponsalia, dissolvatur, *cap. Si quis desponsaverit 23. quæst. 2.* Impedimenta enim semel contracta non dependent à contrahentium voluntate, sed ab instituto Ecclesiæ, quæ voluit esse perpetua, ut ex dictis patet. Vide infrà §. 16. *num. 94.*

## §. XIV.

### *Impedimentum affinitatis.*

73. AFfinitas *est propinquitas orta ex carnali copula licita, aut illicita.* Si antecedat Matrimonium, posteà contrahendum dirimit: si superveniat, privat jure petendi debitum. De qua re diximus *lib. 2. capit. 7. numer. 3.* Vide Trident. *sess. 24. cap. 4.*

## §. XV.

### *Impedimentum impotentiæ.*

74. PEr impotentiam, intelligitur prævia inhabilitas consummandi Matrimonium: sive se teneat ex parte viri, impotentis seminare: sive ex parte fœminæ, incapacis recipere. Vide omninò dicta *cap. cit. num. 20.*

75. Sed petitur, *an impotentia proveniens ex maleficio debeat censeri perpetua?*

Resp. Affirmativè; si per solum maleficium tolli possit: quia juxta axioma Juris prudentiæ: *illud non possumus, quod jure non possumus:* illud autem jure non possumus, quod non possumus absque peccato. Poncius, & Contenson.

76. Quæritur, *an impotens censendus sit infirmus morti proximus, qui, ut à peccato concubinatus absolvatur, vult concubinam ducere?*

Resp. Negativè, quia corpus per se est potens, & habile: & solùm per accidens ratione morbi, potentia coeundi non est expedita, ut ea tunc uti possit.

77. Nota, quòd steriles, & senes validè Matrimonium contrahunt: modò apti, & habiles sint ad copulam. Et tunc Matrimonium esset in remedium concupiscentiæ, qui est finis secundarius, & minùs principalis ipsius, juxta Paulum: *Melius est nubere, quam uri.* Vide ibid. *num. 20.*

## §. XVI.

### *Impedimentum clandestinitatis.*

78. MAtrimonium clandestinum illud dicitur, quod aliter, quàm coram Ecclesiæ Ministro, & quibusdam testibus contrahitur; quòd post Trident. validum amplius non est.

79. Quæritur, *an Parochus, coram quo debet contrahi Matrimonium, ne sit clandestinum, debeat esse ille viri, vel mulieris.*

Resp. Vide supra §. 1. *num. 13.*

80. Sed petitur, *an debeat esse Parochus Nativitatis, seu loci, in quo quis est natus, vel debeat esse ille domicilii, loci nativum, in quo quis habitat?*

Resp. Si locus nativitatis sit etiam domicilii, & habitationis, ille nativitatis esse debet: si verò alibi, non causa recreationis, vel ob causam temporalem, sed statim reversurus ad propriam Parochiam, quis habitet, Parochus habitationis debet matrimonio assistere. Unde Abbas apud Fagnan. *in 3. ad cap. significasti de Paroc. numer. 36.* testatur, quod proprius Parochus dicitur, in cujus

jus Parochia contrahentes habitant tempore, quo matrimonium contrahitur. Et Engel. *Colleg. jur. Canon. lib.* 5. *tit.* 3. *numer.* 12. dixit, proprium Parochum, coram quo ex Trident. *cit.* est matrimonium contrahendum, eum esse, in cujus Parochia, vel ambo contrahentes, vel unus tantùm domicilium habitationis fixit. Neque hic ad verum domicilium requiritur, ut habitatio sit perpetua, vel, cum animo perpetuò habitandi in loco: sed quasi domicilium sufficit, si nimirum contrahentes per majorem anni partem actu in Parochia habitarunt: vel, animo habitandi advenerunt, licèt ibidem non propriam habeant domum, sed sint, ut conductores, & Famuli, aut alio quovis modo.

Hinc Fagnan. *cit.* refert, quòd Sacra Congreg. Concil. censuit fuisse validum matrimonium cujusdam juvenis, & meretricis Senensis, qui timentes, ne matrimonium à Parentibus juvenis impediretur, si in Civitate Senarum celebratum fuisset, Romam accesserunt: ea ratione, quia is est proprius Parochus, in cujus Parochia habitant contrahentes tempore contractus. Idem tradit fuisse ab eadem resolutum de matrimonio contracto à Scholari, qui Patavii quinque? vel sex mensibus moratus, mulierem ibidem duxit. Et de matrimonio contracto à viro, & muliere Trajectensibus, qui timentes à Parentibus impediri, ad vicinam Urbem Aquisgranensem se contulerunt, & ibi aliquandiu morati, matrimonium contraxerunt: super quo ipsa de validitate consulta, censuit esse tempus examinandum, quo contrahentes Aquisgranæ manserunt: quòd si fuerit unius mensis, dandam esse decisionem pro validitate: aliàs de novo referendum in Congregatione.

83. Quæritur, *an validum sit matrimonium sine Parocho, & testibus contractum ab ignorantibus invincibiliter horum necessariam præsentiam?*

Resp. Negativè, quia nulla necessitas, vel ignorantia excusat ab observatione legis, quæ formam actui præscribit, sic, ut, ea forma non reservata, actus valere non possit. Præsentia autem Parochi, & testium sunt de forma actus; seu, ut alii loquuntur, sunt de intrinseca, & substantiali solemnitate actus; nam Trid. contractum sine ipsis celebratum irritat, & annullat: quoties autem actus aliquis irritus est, ex forma aliqua non servata, hæc dicitur esse de forma, & substantia actus.

84. Quæritur, *quàm pœnam incurrat Sacerdos, sive Sæcularis, sive Regularis, assistens matrimonio sine licentia Parochi contrahentium, vel Ordinarii?*

Resp. Sæcularis manet suspensus, usque dum ab Ordinario Parochi, qui deberet assistere, absolvatur. Trident. *cit. cap.* 1. Si sit Regularis, excommunicatur ex dictis *lib.* 1. *cap.* 33. *num.* 69.

85. Quæritur, *an sit validum matrimonium contractum coram Parocho, nondum Sacerdote?*

Resp. Videtur affirmandum, quia verificatur, quòd contractum sit coram Parocho. Convenientius autem est, quòd ipse Parochus deleget alicui Sacerdoti, qui loco ipsius assistet matrimo-

trimonio contrahendo. Piasec. *citat. num.* 15. Et ex Navarro refert hoc idem fuisse resolutum à Sacra Congregatione Concilii.

Hic advertas, quòd Sacerdos obtinens licentiam à Parocho interessendi matrimonio dicitur habere authoritatem à Concilio, non à Parocho. Nam Concilium *d. cap.* 1. *sess.* 24. *de refor. matrim.* ad id munus eum deputat, ibi: *præsente Parocho, vel alio Sacerdote, de ipsius Parochi, vel Ordinarii licentia*, ut notavit Fagnan. *in* 4. *ad cap. Quòd nobis nu.* 42. *de Clandest. desponsat.*

Et cùm Tridentinum dixerit, vel *alio Sacerdote*, sequitur, quòd Parochus non possit dare licentiam Clerico non Sacerdoti, ut matrimonio assistat.

86. Item notandum, quòd tres sunt clandestinitatis species, ut per Canonistas apud Monacell. *form. p.* 2. *form.* 2. *nu.* 27. *tit.* 26. & Gonzalez *in* 4. *tit.* 3. *cap.* 3. *num.* 6. Prima est, dum matrimonium contrahitur coram testibus, Parocho absente. Secunda, quando, illo præsente, desunt testes. Et tertia, quando Testibus, & Parocho præsentibus, matrimonium contrahitur, sed culpabiliter denunciationes præmittendæ, ad text. Trid. *loc. cit.* fuerunt omissæ.

Differentia inter has clandestinitatis species est, ut prima, & secunda causent nullitatem matrimonii: nullam enim potest habere pro se validitatis præsumptionem, quia contractum contra formam Concilii, à quo inhabiles redduntur personæ ad contrahendum sine præsentia Testium, & Parochi, & contractus sine illis celebrati annullantur, & irritantur. Regula verò illa, quæ solet allegari, quòd in dubio standum sit pro matrimonio, non valet, quando fuit clandestinè contractum contra dictam formam Concilii: adeò, ut matrimonium hac specie clandestinitatis non sit clandestinum, debet contrahi coram Parocho (vel de ejus, aut Ordinarii licentia coram alio Sacerdote) & coram duobus Testibus, ut per Piasec. *prax. part.* 2. *cap.* 4. *art.* 4. *num.* 8. & contractum sine illis, est ipso jure nullum; quod ab Episcopo potest solùm nullum, declarari, ut respondit Sacra Congregatio Concilii, istis verbis: *An, si contractum sit matrimonium præsente Sacerdote alieno, absque Parochi, vel Ordinarii licentia, debeat Ordinarius illud irritare? Sacra Congregatio censuit irritum declarare, non irritare*; quæ, cùm Concilium irritum fecerit, non est ulteriùs irritandum, sed opus est sola declaratione, quòd irritum sit.

87. Præsentia autem Parochi debet esse Physica, & moralis, hoc est, debet esse præsens corpore, & intelligere per Interpretem, vel verba, aut signa, quæ contrahentes agunt: aliàs, si non intelligat, nec advertat, non potest Ecclesiam certam reddere de contractu matrimonii: Nam, præsentia aliquo, non dicitur fieri id, quod ab eo non intelligitur juxta *text. in l. coram Titio, ff. de verb. signif.* Quod etiam procedit de præsentia Testium.

88. Sed quæritur, *an matrimonium contractum absque præsentia Parochi, & Testium, ratificetur per copulam subsequentem?*

Resp. Negativè: subsequens enim copula, quoad validandum matrimonium,

nium, & sanandos defectus præsentiæ Parochi, & Testium nihil operatur post Concilium Tridentinum, ut observavit Piasec. *cit. num.* 10.

Tertia autem clandestinitas nullitatem non operatus, quia denunciationes non sunt necessariæ necessitate Sacramenti, sed solùm necessitate præcepti, ut per Natal. Alex. *Theol. dogmat. tom.* 2. *cap.* 2. *art.* 2. *regul.* 20. Sed usi Parochus assistens matrimonio illas omiserit, incurrit pœnam suspensionis triennalis ab officio, ut *in cap. Cum inhibitio d. tit.* quæ suspensio non est latæ sententiæ, sed ferendæ. Quoniam textus utitur verb. *Suspendatur*, & dixit Rotarius *apparat. pro exam. Cleric. cap.* 9. *sect.* 13. *num.* 6.

89. Petitur, *an possit Parochus in denunciationibus dispensare?*

Resp. Negativè, facultas enim à Concilio, ibi tribuitur Ordinario; *si expedire judicaverit*, ut ibi tex. Ideò ad remittendas denunciationes causa judicio Episcopi justa requiritur: ut, si matrimonium malitiosè impediri posset, ibid. Trident. vel, si adsit vicinitas temporis, quo nuptiæ prohibentur: vel, si contractura sit persona, quæ habeat Parentes iniquos, de quibus verisimiliter dubitaretur, ne eam tradant ignobili, & vili: vel, si constitutus in articulo mortis velit contrahere cum concubina, ut legitimetur proles jam anteà suscepta; vel, si adsit inæqualitas inter contrahentes, ut, quod dives ducat pauperem, nobilis ignobilem, senex juvenem? Istis, & similibus casibus concedi potest denunciationis dispensatio, ut dixit Piasec. *cit. num.* 5.

Cæterùm, etiam in istis casibus tutius est, ut priùs examinentur saltem Testes, qui possint scire inter contrahentes nullum reperiri impedimentum ad matrimonium contrahendum; nam hac forma obtinetur finis intentus à Concilio per denunciationes præmittendas: Verùm cùm matrimonium celebraretur per remissionem dispensationum, deberent denunciationes fieri, antequam consummaretur, ut, si aliqua adessent impedimenta, facilius detegerentur, ut ibi expressè Concilium.

90. At petitur, *Cajus infirmus existens in periculo mortis vult contrahere cum concubina, ut animæ suæ consulat, & proles jam suscepta legitimetur, Parochus non potest adire Episcopum, aut ejus Vicarium Generalem ad obtinendam dispensationem super denunciationibus: quæritur, an possit assistere matrimonio sine pœnarum incursu?*

Resp. Affirmativè, Casus enim hujusmodi extraordinarius censetur à lege non comprehendi. Cæterùm debet monere contrahentes (in casu, quo infirmus sanitatem recipiat) non posse matrimonium consummare, nisi post denunciationes factas, juxta tex. Trid. & notavit Rotarius *cit. num.* 7.

Advertant Parochi circa assistentiam matrimoniis vagorum, quod Trid. *sess. cit. cap* 7. prohibet, ne talium matrimoniis intersint, nisi prævia inquisitione de eorum statu, & re ad Episcopum delata, abeo licentiam recipiant.

91. Quæritur, *Parochus post factas denunciationes reperit Titium commisisse delictum polygamiæ, ob quod fuit adtremes damnatus, & jam pœnam tri-*

*remium expleviſſe; petitur, an poſſit matrimonio ipſius cum Berta intereſſe?*

Reſp. Negativè, quamvis prima uxor legitima deceſſerit, ſed eſt neceſſaria diſpenſatio Apoſtolica. Obſtat enim ei impedimentum criminis, ut cenſuit S. Cong. Conc. *in una S. Severi* 19. *Julii* 1704. apud Monacell. *cit. num.* 30.

92. Quæritur, *Cajus aperit Confeſſario ſe contraxiſſe matrimonium cum Berta, quod poſteà ante conſummationem fuit declaratum nullum ob metum cadentem in virum conſtantem; modò petit, an poſſit in matrimonium ducere ſororem ejusdem Bertæ?*

Reſp. Affirmativè, quia in hoc caſu nullum ex hoc titulo obſtat impedimentum, ut declaravit S. Congr. Conc. 22. *Martii* 1664. A principio enim nullus fuit præſtitus conſenſus, & ideò non inducitur impedimentum publicæ honeſtatis, ut ait Piaſec. *cit. num.* 20. Secus dicendum, ſi matrimonium eſſet nullum ob non ſervatam formam Concilii, aut ex alia cauſa, quia tunc oriretur impedimentum juſtitiæ publicæ honeſtatis, ut cenſuit eadem *S. C.* 8. *Novembr.* 1584. & iterùm *in Ceſenaten.* 10. *Jun.* 1611. In iſto enim caſu conſenſus non deeſt, ſed nullitas oritur ex alio capite, vel, quia fuit contractum ſine præſentia Parochi, & Teſtium, aut cum impedimento, quod jure Eccleſiaſtico poſitivo matrimonium dirimit, de qua re Fagnan. *in* 4. *cap. Ad audientiam de ſponſ. num.* 6. *& ſequen.* ubi *nn.* 12. refert, quod propoſito dubio. *An ex decret.* Conc. Trid. *ſeſſ.* 24. *cap.* 3. *de ref. matrim. ſit ſublatum impedimentum publicæ honeſtatis proveniens ex matrimonio contracto per verba de præſenti, non tamen conſummato.* S. Congr. Conc. cenſuit *non eſſe ſublatum.*

93. Hinc I. advertat Parochus, quòd ex ſponſalibus juxta ex. Trid. *ibid.* Si ſint valida, oritur impedimentum publicæ honeſtatis reſtrictum ad primum gradum; ſi verò ſint nulla, etiam ex alia cauſa, quàm ex defectu conſenſus, prorſus ſublatum eſt.

94. II. Quòd, tam ex matrimonio valido, ſed non conſummato (quia ex conſummato oritur impedimentum affinitatis) quàm de contracto nulliter per verba de præſenti inducitur impedimentum publicæ honeſtatis usque ad quartum gradum, modò nullitas non oriatur ex defectu conſenſus, ut Fagnan. *cit. nn.* 20. Et habetur ex conſt. B. Pii V. *ad Romanum la* 62. *Bullar. tom.* 2. juxta quam ſponſalia de futuro à matrimonio per verba de præſenti, etiam nulliter contracto diſtinguuntur. Sponſalia enim impropriè dicuntur, quando matrimonium eſt contractum per verba de præſenti, cùm propriè ante contractum matrimonium celebrentur.

95. Quæritur, *Parocho factis publicationibus, innoteſcit Cajum celebraſſe ſponſalia cum Berta (quæ poſteà fuerunt nulla non ex defectu conſenſus, ſed ex alia cauſa, vel propter impedimentum affinitatis, frigiditatis, religionis, & ſimiliun.) & velle matrimonium contrahere cum ſorore ejusdem Bertæ petitur, an Parochus poſſit matrimonio aſſiſtere?*

Reſp. Affirmativè, etenim impedimentum juſtitiæ publicæ honeſtatis ex ſponſalibus quacumque ratione nullis eſt ſublatum à Trid. *d. ſeſſ. cap.* 3. Atque ita non

non solùm cùm nullitas oritur ex defectu consensus, ut in infante, & furioso, aut propter metum incussum, sed etiam, cùm oritur ex quavis alia causa, ut scripsit Fagnan. *in 4. ad cap. Ad audientiam de sponsal. num.* 8. Et ideò, cùm juxta Tridentinum ex sponsalibus nullis, nec in primo gradu oriatur justitia publicæ honestatis, poterit Parochus dicto matrimonio assistere.

96. Quæritur, *Parochus? factis denunciationibus, incidit in excommunicationem, deinde assistit matrimonio: petitur, an matrimonium sit validum?*

Resp. Affirmativè; etiamsi sit denunciatus, & non toleratus, ut dixi *supra* §. 1. *num.* 10.

Dices. Parochus denunciatus excommunicatus, nec in articulo mortis potest à peccatis absolvere, ut respondit S. Congr. Concilii Episcopo Valentinen. petenti declarari. *Utrum pœnitentes in articulo mortis constitutos possit à casibus reservatis absolvere quilibet Sacerdos, etiam excommunicatus, & denunciatus.* S. Congr. respondit, *non posse*, ut refert Fagnan. *in 1. ad cap. Quoniam num.* 28. *de const.* & *in 4. ad cap. Non est vobis num.* 1. *de sponsalib.* ergo à pari, Parochus excommunicatus denunciatus non poterit matrimonio assistere, & ubi assisteret, matrimonium esset nullum.

Resp. Negando consequentiam; discrimen est, quia, ut Sacerdos validè absolvat, debet habere jurisdictionem ordinariam, vel delegatam, quam non habet Confessarius excommunicatus denunciatus, quia propter excommunicationem est separatus à communione fidelium; consequenter non habet subditos, in quos possit jurisdictionem exercere, atque ita est jurisdictione privatus: cum excommunicatio sit privatio jurisdictionis, ut ex D. Thoma *in 4. dist.* 18. *q.* 2. *art.* 2. *q.* 3. *in corp.* apud Fagnan. *ubi supr. in 4.* Et hinc illud Trident. *sess.* 14. *cap.* 7. *de cas. reservat.* intelligitur de omnibus Sacerdotibus in unitate Ecclesiæ viventibus, & non præcisis, & separatis ab unione Fidelium; quibus, & non excommunicatis denunciatis, Ecclesia pro eo statu jurisdictionem confert; de qua re vided. Fagnan *ibid.* ex professo articulum examinantem, & ponderantem *num.* 12. nullum Canonem allegari, quo excommunicatis jurisdictio in eo, etiam necessitatis casu, tribuatur. Parochus autem assistendo matrimonio nullam exercet jurisdictionem, sed tam quam testis solemnis, & magnæ authoritatis exhibet nudam præsentiam, & ministerium facti. Et est res extra controversiam, quia Sac. Congr. Concilii respondit valere matrimonium contractum coram Parocho excommunicato denunciato. Fagnan. *cit. ad cap. Litteræ, quas de matrim. contr. in interd. Eccles. num.* 26.

97. Petitur, *an sit validum matrimonium, cùm assistit Parochus, cui Episcopus prohibuit, ne illi assisteret?*

Resp. Affirmativè, ut censuit S. Congr. Conc. quæ interrogata; *an validum esset matrimonium adhibito Parocho, cui ab Episcopo fuerat interdictum, ne illo matrimonio intereesset.* Respondit, *esse validum*, ibid. Fagnan. *in fin.*

98. Quæritur, *an in matrimoniis militum degentibus in stationibus servanda sit forma Tridentini.*

Resp.

Resp. Totum patet ex responsionibus Sac. Congr. Conc. ad sequentia dubia, ad quam fuerunt remissa à S. C. S. Officii. Quæ sunt itaque.

Primò. An Capellani cujusvis Exercitus, sive Regulares, sive Sæculares Chatolici, possint administrare militibus in Præsidiis degentibus Sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ per modum viatici, & extremæ unctionis sine speciali facultate Sedis Apostolicæ, vel licentia, & approbatione Ordinarii, in cujus Diœcesi extare contigerit?

Secundò. An assistere Matrimoniis militum cujuscunque stationis degentium in Præsidiis cum Militaribus fœminis, sine dicta facultate Apostolica, & præcedenti probatione status liberi, ejusque recognitione coram Ordinario loci, & licentia Parochi, sub cujus Parochia maneant?

Tertiò. An idem cum Militibus degentibus in Castris, & Stationibus hybernis, vel æstivis?

Quartò. An idem cum Militibus in actuali expeditione positis?

Quintò. An idem cum Militibus nubere volentibus cum fœminis non militaribus, sed Italis originariis loci, sive Diœcesis, in qua reperiuntur.

Sextò. An Milites Achatolici cum Achatolicis contrahentes teneantur servare formam præscriptam à S. C. T.?

Septimò. An eo magis Achatolici contrahentes cum Chatolicis Mulieribus militaribus, & non militaribus in Præsidiis, Castris, & expeditione manentes?

Octavò. An Cappellani Achatolici assistere possint matrimoniis Achatolicorum cum Achatolicis, & respectivè Chatolicis, etiam intra fines Italiæ? Et quatenus negativè in omnibus præter sextum, & septimum.

Nonò. An, & quid pro sanatione gestorum in præteritum, & faciendorum in futurum super prædictis omnibus pro certa regula Sanctissimo consulendum, & statuendum sit?

Sac. Congr. die 6. Martii 1694. respondit.

Ad primum. *Negativè.*

Ad secundum. *Negativè* confirmat. in *Gasalen.* 28. *Junii* 1704.

Ad tertium. *Negativè.*

Ad quartum. *Negativè.*

Ad quintum. *Negativè.*

Ad sextum. *Affirmativè*, ubi publicatum fuit Concilium juxta Decretum Sacr. Congr. 16. Septembr. 1602.

Ad septimum. *Affirmativè.* Et ulterius indigere dispensatione, ut matrimonia licitè fiant.

Ad octavum. *Ut ad 6.*

Ad nonum. Quoad præteritum circa Sacramentum pœnitentiæ non esse inquietandas conscientias: & circa matrimonia pro sanatione cum Sanctissimo renovato consensu etiam coram Confessario, qui teneatur tradere testimonium renovationis consensuum Parocho illius loci, ubi sequuta est talis renovatio consensus.

99. Quæritur, *Factis à Parocho denunciationibus, instruitur Cajum habuisse rem cum sorore Franciscæ, quam ducere intendit: Petitur, an Parochus possit assistere matrimonio ipsius Caii cum Franciscæ?*

Resp. Negativè, quia inter Cajum, & Franciscam est impedimentum dirimens

mens matrimonium contrahendum ex Trid. *sess. 24. cap. 4. de ref. matrim.* & dixi *lib. 2. cap. 7. num. 3.* Præcedens enim affinitas dirimit matrimonium posteà factum, itaut si affinitas si ex copula illicita, dirimat usque ad secundum gradum ut ibid. Tridentinum; si verò oriatur ex copula licita, usque ad quartum gradum extenditur, ut constat ex *cap. non debet de consang. & affinit.*

190. Sed quid, *Petrus habet ex uxore A. defuncta filium, & Berta ex marito B. mortuo filiam: Deinde Petrus ducit Bertam, an Filius Petri possit ducere filiam Bertæ?*

Resp. Affirmativè, & quidem licitè, & validè, per text. *in cap. Quòd super his* ibi: *Licèt omnes consanguinei viri sint affines uxoris, & omnes consanguinei uxoris sint viri affines: inter consanguineos tamen uxoris, & viri, ex eorumdem scilicet viri, & uxoris conjugio nulla prorsus affinitas est contracta, propter quam inter eos matrimonium debeat impediri.* Ita etiam Cajus mortua uxore Camilla potest copulari in matrimonio cum Terentia vidua, relicta à Fratre Camillæ defuncto. Quia Cajus per copulam conjugalem cum Camilla factus est affinis cum fratre Camillæ, & aliis ejus consanguineis, non verò cum affinibus Camillæ. Terentia autem uxor fratris Camillæ non est consanguinea, sed solùm affinis Camillæ. Bellii *Sum. de matrim. cap. 8. sect. 5. num. 8.*

191. Quæritur, *Petrus aperit Confessario, se apud Helvetios Bernenses contraxisse matrimonium non servata forma Tridentini, adeòque absque præsentia Parochi, & Testium; petit, an matrimonium sit validum, & possit cum conjuge cohabitare, quid Confessarius* Respondic?

Resp. Inquirat, an in loco, in quo matrimonium contraxit, sit publicatum Concilium; & quatenus affirmet, dicat matrimonium esse nullum, & non posse cum muliere cohabitare; ubi enim Concilium est publicatum, ejus forma servanda est, etiam in locis hæreticorum juxta pluries resoluta à S. Congr. Concilii, & expressè in una *Hollandiæ S. Congr.* censuit, *hæreticos quoque, ubi decretum Concilii publicatum fuerit, teneri formam observare, & propterea ipsorum etiam matrimonia absque forma Concilii, quamvis coram Ministro hæretico, vel Magistratu loci contracta nulla, atque irrita esse.* Et aliàs 17. *Junii* 1617. respondit *decretum cap. 1. sess. 24. de ref. matrim. ligare etiam hæreticos, si in eorum Parochia publicatum fuerit, & lapsi sint 30. dies à dicto publicationis die.* Et in una *Germaniæ* censuit, *non posse declarari nulla matrimonia, nisi decretum fuisset publicatum.* Et in una *Bosnensi* 14. *Aprilis* 1611. *quantum pertinet ad eos, qui absque forma Concilii matrimonia contraxerunt*, respondit, *si in ea Regione decretum Concilii, cap. 1. sess. 24. de ref. matrim. observari consueverit, nulla esse matrimonia, in quibus contrahendis Parochus non fuerit adhibitus.* Quæ referuntur à Pasuccio *to. 2. in Indic ad Pignatell. v. de matrimo §. Statuendum est tamquam.*

Ubi verò dixerit, decretum Concilii, nec etiam pro tempore, quo locus fuit sub Catholicis, fuisse publicatum, subinquirat,

quirat. An in fraudem, & data opera ad effectum contrahendi matrimonium se à loco, in quo Concilii forma observabatur, vel observari debebat, contulerit ad locum, in quo decretum Concilii non fuit publicatum, an verò ad eum habitationem transtulerit. Si hoc neget, & primum affirmet, matrimonium est nullum, ut censuit eadem S. Congr. Concilii in *Antuerpiensi 16. Decembr. 1628.* in qua David *& Maria, qui priùs habitaverant ubi Concilium est publicatum, cum profecti essent ad Oppidum distans itinere unius diei, ubi non erat publicatum Concilium, ibi more haretico contraxerant matrimonium postridiè domum reversi, cum diu inter se cohabitaverint, ob dissidium natum instabant, declarari matrimonium invalidum.* Sacra, &c. censuit, *matrimonium, ut supra contractum, fuisse nullum, quia non reliquerunt locum proprii domicilii; & aliàs cum dubitatum fuerit: an sit validum matrimonium eorum, qui ad Civitatem hæreticorum migrarunt, & ibi matrimonium contraxerunt non servata forma Concilii Tridentini cap. 1. sess. 24. de ref. matrim. ibidem non publicatum?* S. C. censuit, *esse validum, si intra limites illius Parochiæ contrahentes sedem fixerunt.*

*Et in Colonien si 5. Septembris 1626.* Dubitatum fuit; *an si Incolæ tam masculi, quàm fœminæ solo animo sine Parocho, & Testibus contrahentes se transferant ad locum, ubi Concilium non est publicatum habitationem non mutantes, vel eo solo animo habitationem transferentes validè in dicto loco matrimonium sine Parocho, & Testibus contrahant?* S. Congr. respondit: *non esse legitimum matrimonium inter sic se transferentes cum fraude, & nisi domicilium verè transferatur, matrimonium non esse validum.* Pascucius *ubi supra*.

102. Sed quid, *si contraxerit matrimonium coram Parocho publico hæretico?*

Resp. Matrimonium est invalidum, si in Parochia publicatum fuerat decretum, *cap. 1. sess. 24. de ref. matrim.* ut censuit S. Congr. Concilii teste Fagnan. *in 5. ad cap. Ad abolenda de hæret. nu. 38.* Parochus enim publicus hæreticus desinit esse Parochus, cum sit ipso jure privatus beneficio Parochiali, ut ex *const. Noverit Nicolai III. la 2. Bullar. to. 1.* propterea non servatur forma Concilii, ibid. Fagnan *num. 40.*

103. Quæritur, *Medicus minatur se nolle Lælium ægrotum curare, nisi Lælius contrahat matrimonium cum filia ipsius medici. Lælius hoc pulsatus timore filiam ipsius duxit coram Parocho, & Testibus, petitur, an validè?*

Resp. Pro validitate sunt plures apud Sperel. *dec. 6. num. 16.* ponderantes, quod non medicus, sed morbus infert metum, cum medicus matrimonium exigat solùm tamquam stipendium sui laboris, & sic juste, cum lege justitiæ non teneatur mederi. Quapropter nulla est, si medicus non sit adstrictus ex justitia, aut conventione ad medendum: ut, si à Principe, vel Communitate sit conductus ad infirmos curandos: tunc enim medicus verum metum infert denegando ægroto media vitæ necessaria, & ita metum incutit ad finem extorquendi matrimonium. Sed esse nullum,

lum, etiam si medicus non teneatur ex justitia ægrotum curare, tenet cum Poncio *de matrim. lib. 4. cap. 18. nu. 15.* idem Sperellus *ibidem* allegans Coninchium; nam à medico ad finem extorquendi matrimonium metus incutitur ægroto, qui nullam metui causam præbuit, quod satis est ad matrimonium irritandum, ut ex dictis supr. §. 10.

## §. XVII.

### *Impedimentum raptu.*

104. DE raptu diximus *lib. 2. cap. 28. num. 4.* Trid. autem *sess. cit. c. 6.* decrevit; *inter raptum, & raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium. Quòd si rapta à raptore separata, & in loco tuto, & libero constituta, illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat;* & infra. *Teneatur præterea raptor mulierem raptam, sive eam uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter arbitrio Judicis dotare.*

105. Sed quæritur, *an raptus verificetur solùm, dum puella vi de domo parentum abducitur, vel etiam, cum abducta fuerit vel promissis, aut muneribus, vel pretio, aut prece, & dolo?*

Resp. Semper, quovis modo ex prætactis contingat: cum semper præsumatur consensus mulieris extortus: modò nullus tractatus præcesserit de matrimonio. Dicitur rapta, quamvis ipsa consentiret: modò raperetur invitis parentibus vel Tutoribus. Piasec. *prax. p. 2 cap. 4 art. 4. num. 41.*

106. Quæritur, *Petrus cum impedimento dirimente contraxit matrimonium cum Berta, deinde ad Confessarium recurrit pro remedio, quid Confessario agendum?*

Resp. Inquirat, an scienter contraxerit cum illo, & quatenus affirmet, est excommunicatus. Qui, si fuerit denunciatus, absolvi non potest, nisi ab Episcopo *ex Clement. Quoniam de consanguinit. & affinit.* Si ignoranter, dixerit: subinquirat: an impedimentum sit publicum, vel occultum. Si primum, debet uxorem dimittere, & scandalum tollere. Si secundum: petat, an possit sine gravi damno, famæ, vitæ, &c. ab uxore separari: si neget, moneat de necessitate recurrendi ad S. Pœnitentiariam pro dispensatione; sed interea, debet abstinere tum à petitione, tum à debiti redditione, quia quælibet copula esset fornicaria, ex dictis *lib. 2. cap. 7 num. 3. & sequen.* Recepta autem dispensatione, debet novus consensus, tam ab ipso, quàm uxore præstari coram Parocho, & testibus, saltem secreto adhibendis: si prius contractum fuit sine eorum præsentia. Sed attendendus est tenor Literarum dispensationis. Quod totum refert Piasec. *cit. num. 11.* fuisse declaratum à S. Cong. Conc. ut infra.

107. *Quæsitum fuit, quid servandum in iis, qui per vim, & metum, & adhibitis omnibus solemnitatibus à Sac. Conc. Trid. sess. 24. cap. 1. de ref. contraxerunt. S. Congr. respondit: si hujusmodi impedimentum sit occultum, & partes posteà in matrimonio, sic contracto, permanere liberè consentiunt, consuevisse Papam ex stylo Pœnitentiariæ,*

*tiariæ, quamvis matrimonium sit nullum, ratione etiam occulti impedimenti, dispensare, ita ut de novo possint inter se contrahere, non adhibitis, seu repetitis solemnitatibus, à Conc. requisitis. Si verò impedimentum sit manifestum: iterùm contrahendum est, repetitis omnibus solemnitatibus in primo contractu adhibitis.*

## REGULA UNICA

*Destructio Parochorum, & Confessariorum pro casibus, quorum absolutio, seu dispensatio à Sacra Pœnitentiaria Apostolicæ impetratur.*

108. CUm sæpè sit experientia compertum, plurimos utriusque sexus Christifideles, & præcipuè in longinquis degentes, censurarum vinculis, votorum obligationibus, Matrimoniorum impedimentis, necnon irregularitatum, & casuum quoquo modo reservatorum ligaminibus adstrictos, ad Sanctam Sedem, ejusque Sacram Pœnitentiariam spectantibus irretitos, in illis lachrymosè persistere, & continuis conscientiæ agitationibus laboriosè perdurare, cujus mali causas ex similibus provenire innotuit.

Primò eo, quòd Parochi, vel alii, ad quos hujusmodi Pœnitentes recurrere contingit, in Pagis, aut locis Ruralibus degunt, & viam, modumque recurrendi ad præfatam Sacram Pœnitentiariam ignorant, nec aliquem hic Romæ agnoscunt, ad quem supplicationes dirigant, undè Pœnitentes perplexos dimittunt, qui cum ad Ordinarium accedendi (præsertim si sint fœminæ) verecundia, aut timore intercludantur, consilium ulterius requirere nescientes, remedium desperant, & in prædictis vinculis, obligationibus, impedimentis, inhabilitatibus, & casibus reservatis, cum periculo damnationis insordescunt.

Secundò evenit, quod Pœnitentes egent recognitionem pro sollicitatione, & labore Agentium Romæ commorantium, exolvere non valentes merentes, afflicti, ac conscientiæ motibus concussi, in periculoso statu manere coguntur, & forte (quod pejus est) sibi persuadent, Sacræ Pœnitentiariæ Tribunal aliquid lucri pro litteris prædictis recipere, cum revera Sacræ Pœnitentiariæ Ministri, nec aliquid quamvis minimum, nec etiam sponte oblatum unquam recipiant, & gratis omnia exhibentes, singulos ad se recurrentes, sereno fronte complectantur.

Tertiò Accidit etiam nonnunquam per inadvertentiam exponentium, ut gratiæ juxta exposita obtentæ, irritæ evadant, eo quia casus, & circumstantias necessarias retineant, unde fit, quod litterarum executores, casu postea Pœnitentium examinato, rem aliter se habere, quàm expressum fuerat, comperiant, & gratias subreptitias, aut obreptitias esse inveniant, quare pœnitentes confusi remanent, & spe novæ dispensationis se carere putantes, in prædictis vinculis, obligationibus, &c. miserabiliter remanent.

Quare gratum Deo, & utile fidelibus futurum esse speratur, si iste modus recurrendi ad ipsam Sacram Pœnitentiariam proponatur.

Con-

Confessores itaque, cùm Pœnitentes vinculis præfatis irretitos ad se accedere contigerit, casuum qualitates, & præfatorum casuum circumstantias considerent, causasque dispensationum, aut commutationum exprimant, & caveant, ne quod occultum est, publicum faciant, præsertim impedimenta occulta matrimoniorum, nam publica, vel ad publicum redacta, non pertinent ad Sacram Pœnitentiariam.

Et sic præfati Confessores poterunt casus Pœnitentium præfatos cum dictis circumstantiis, & causis exponere, sive latino, sive quocumque alio idiomate propriæ Regionis; nam Sacra Pœnitentiaria suos ex quacumque Regione Pœnitentiarios subordinatos habet; & exprimant insuper in fine expositionis casus, nomen, cognomen, cui sit à Sacra Pœnitentiaria rescribendum, etiam si ipsum nomen, & cognomen sit fictitium. Itemque modum, per quem responsio secura dirigi possit, significando scilicet vulgari nomine, Oppidum, seù Civitatem, & Regionem, cum data mensis, & anni in hunc modum.

*Intus incipiant Epistolam, seù supplicationem sic:*

*Eminentissime, & Reverendissime Domine.*

N. Mulier emisit votum simplex castitatis, manet in periculo incontinentiæ, nisi nubat, supplicat sibi votum commutari ad effectum contrahendi Matrimonium.

Terminent Epistolam, seù supplicationem sic.

Dignetur Eminentia vestra rescribere ad N. & N. & exprimant nomen, & cognomen illius, cui est rescribendum; Ad Civitatem N. exprimendo nomen Civitatis. Per Oppidum N. exprimendo vulgari nomine, nomen Oppidi. Et dirigere Breve, seù gratiam simplici Confessario, seù Confessario Magistro in Theologia, sive decretorum Doctori, sive Parocho, cui Pœnitens aperuit suam conscientiam, ne ipse Pœnitens, & præsertim fœminæ cogantur circumire pro executione gratiæ Sacræ Pœnitentiariæ.

Dirigant Epistolam, seù supplicationem scribendo extra, seù à foris in hunc modum.

*Eminentissimo, & Reverendissimo Domino, Cardinali Majori Pœnitentiario.*

*Romam.*

Etsi tardaverit responsio, confessarii rescribant, & si opus fuerit, semel, & iterùm, ne fortè prior Epistola sit deperdita.

Rogantur insuper Parochi, sive Confessarii, ad quos præsentes Literæ pervenerint, illarum notitiam, quibus poterunt, pro animarum salute communicare.

Ne nimis laborent Confessarii in danda executione Litteris S. Pœnitentiariæ superadduntur nonnullæ formulæ pro bono ipsarum usu; desumptæ ex libro, cui titulus est.

*Manuductio ad exequutionem Litterarum Apostolicarum S. Pœnitentiariæ, Auctore P. Tiburtio Navar. Ord. S. Francisci.*

109. *Formula concedendi dilationes ad implendum Vota.*

Insuper Auctoritate Apostolica, specialiter mihi delegata tibi dilationes ad implendum Votum Religionis, quod emisisti, concedo. In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

110. *Formula absolvendi à transgressione Voti Religionis, aut Castitatis, si matrimonium contractum sit.*

Item Auctoritate Apostolica, mihi specialiter delegata te, non obstante Voto Religionis (vel) Castitatis, quod emisisti, & transgressus fuisti, in matrimonium remanere, & debitum Conjugale reddere posse, & debere declaro, &, ut idem debitum etiam exigere licitè possis, & valeas tecum eadem Auctoritate Apostolica dispenso. In Nomine, &c.

111. *Formula commutationis voti Religionis in alia opera.*

Item Auctoritate Apostolica, mihi specialiter delegata, tibi votum Religionis, quod emisisti, in opera pietatis, quæ tibi præscripsi dispensando, ad effectum licitè contrahendi matrimonium (seù) ad effectum remanendi in sæculo in vita celebe commuto. In Nomine Patris, &c.

*Pro commutatione votorum Castitatis, aut Peregrinationis eadem formula inservit, mutatis mutandis.*

112. *Formula dispensationis super impedimento occulto affinitatis, proveniente ex copula illicita ad contrahendum matrimonium.*

Insuper Auctoritate Apostolica, mihi specialiter delegata, dispenso tecum super impedimento primi, seù secundi, seù primi, & secundi gradus affinitatis, ex copula illicita à te habita cum Matre, aut Sorore, aut Consobrina, aut, &c. mulieris, cum qua contrahere intendis, proveniente, ita ut præfato impedimento non obstante, matrimonium cum dicta muliere, publica servata forma Concilii Tridentini, contrahere, consummare, ac in eo remanere licitè possis, & valeas. In Nomine Patris, &c.

Insuper eadem Auctoritate Apostolica, prolem, quam ex matrimonio susceperis, legitimam fore decerno, & declaro. In Nomine Patris, &c.

113. *Formula dispensationis super impedimento occulto affinitatis ex copula illicita proveniente ad remanendum in matrimonio contracto.*

Insuper Auctoritate Apostolica mihi specialiter delegata, dispenso tecum super impedimento primi, vel secundi affinitatis gradus, ex copula illicita, quàm cum Sorore, vel Matre, vel, &c. tuæ putatæ conjugis anteà habuisti; ita aut illo non obstante, renovato consensu, cum præfata conjuge matrimonium cum illa contrahere, consummare, & in eo remanere licitè possis, & valeas. In Nomine Patris, &c.

Item eadem Auctoritate Apostolica prolem, si quam suscepisti, & susceperis, legitimam fore decerno, & declaro. In Nomine Patris, &c.

114. *Formula dispensationis super incestu, non expresso in Litteris obtentis à Dataria ad contrahendum.*

Insuper Auctoritate Apostolica, mihi specialiter delegata dispenso tecum super

super impedimento ex incestuosa copula, quam cum tua consanguinea, seù affine habuisti, proveniente, ut, præfato impedimento non obstante, matrimonium cum illa ad formam Litterarum dispensationis, quam à Sede Apostolica obtinuisti, contrahere licitè possis, & valeas. In nomine Patris, &c.

115. *Formula dispensationis super impedimento ut supra, ad remanendum in contracto.*

Insuper Auctoritate Apostolica mihi specialiter delegata dispenso tecum super impedimento ex incestuosa cognitione in literis dispensationis, cujus vigore contraxisti, non expressa, proveniente, denuò matrimonium cum illa comrahere, renovato consensu, & consummare, ac in eo remanere licitè possis, & valeas. In Nomine Patris, &c.

116. *Formula dispensationis pro Consanguineis, vel Affinibus, qui ignorantes gradum prohibitum, matrimonium contraxerunt, publicationibus in Ecclesia factis.*

Insuper Auctoritate Apostolica, mihi specialiter delegata, dispenso tecum super impedimento tertii, vel quarti gradus consanguinitatis, vel affinitatis, ut a illo non obstante cum tua putata conjuge, prævia renovatione prioris consensus, matrimonium feretò inter te, & ipsam contrahere, & consummare, ac debitum conjugale exigere, & reddere licitè valeas. In Nomine Patris, &c.

Item Auctoritate Apostolica prolem, si quam suscepisti, vel susceperis, legitimam esse, & fore decerno, & declaro. In Nomine Patris, &c.

117. *Formula pro iis, qui matrimonium contrahere desiderant cum impedimento criminis occulto.*

Insuper Auctoritate Apostolica, mihi specialiter delegata, dispenso tecum super impedimento criminis ex adulterio, & fide data proveniente (*vel si aliud crimen sit, illud exprimatur*) ut illo non obstante, cum muliere matrimonium, publica servata forma Tridentini Concilii, contrahere, & consummare, debitum conjugale exigere, & reddere licitè possis, & valeas. In Nomine Patris, &c.

Pariter eadem Auctoritate Apostolica prolem susceptam, non tamen in adultetio, & suscipiendam legitimam esse, & fore declaro. In Nomine Patris, &c.

118. *Formula pro iis, qui matrimonium contraxerunt cum impedimento criminis occulto.*

Insuper Auctoritate Apostolica, mihi specialiter delegata, dispenso tecum super impedimento criminis ex adulterio, & fide data proveniente (*vel alio, si aliud sit*) ut illo non obstante matrimonium cum tua putata conjuge contrahere, consummare, ac debitum conjugale exigere, & reddere valeas. In Nomine Patris, &c.

Pariter eadem Auctoritate (ut supra pro legitimitate prolis) &c.

119. *Formula concedendi jus exigendi debitum conjugale, postquam hoc amissum fuit ob peccatum incestus cum Consanguinea Conjugis.*

Insuper Auctoritate Apostolica, mihi

mihi commissa, dispenso tecum, ut non obstante affinitate, quam contraxisti cum tua Uxore ex illicita copula à te habita cum ejus Sorore (*vel, &c.*) cum eadem remanere in matrimonio possis, debitumque conjugale ab eadem exigere, & reddere valeas. In Nomine Patris, &c.

Hæc omnia, & singula in hisce quatuor libris contenta infallibili Sanctæ Sedis judicio, & correctioni submitto; & utens phrasi Petri Damiani addo: *Nos, si quid erravimus, ad Petri magisterium corrigendi libenter accedimus, & retractationis opprobrium non veremur.*

FINIS.

# INDEX
## RERUM NOTABILIUM,

Quas tum primus, & secundus, tum tertius, & quartus liber exhibent.

*Primus numerus marginalem, & secundus paginam ostendit.*


*Abortus.*

Occidens fœtum, sit irregularis, licèt dubitet esse animatum. 2. & seqven. pag. 396 sq.

Abortum procurans contra quam virtutem faciat. 7. 397

Mulieri ad vitandam difficultatem pariendi non licet procurare abortum. 8. 398

Nec graviter infirmæ sumere medicamenta, tendentia ad expulsionem fœtus. 9. 399.

Ad vitandam infamiam non licet procurare abortum. 11. 399

Non licet suadere extinctionem abortus. 13. 400

Praxis Confessarii cum pœnitente, exponente, se procurasse abortum 16. 401

Procurans abortum fœtus animati, si mors sequatur, est excommunicatus; *Matthæucci Cautela Confess.*

*Absolutio.*

Absolutionis Sacramentalis forma. 3. 583

Absolutio debet dari per verba formalia, voce, & ore prolata. 6. 584

Absolutio à peccatis non potest conferri absenti 7. & 8. 585

Ut absolutio sit valida, quid requiratur ex parte Ministri. 9. ibid.

Quid, ut sit licita. 12. 585

Quando Confessarius excommunicatus validè absolvat. 16. 586

Invalida est absolutio data, expleto anno deputationis. 22. 588

Quando sit neganda, & quando differenda absolutio. 31. 592

An absolutio differenda sit mulieribus superfluè, & vanè se ornantibus. 11. 603

nec absolvitur sine speciali facultate Ordinarii. ibid.

Absolvere à reservatis sine Episcopi facultate prohibitum est Mendicantibus, & aliis Sacerdotibus. 1.48
Datur pœna, quia ligantur, si ab eis absolvant. 2.49.
Approbatus in una Diœcesi, potest absolvere pœnitentem alterius Diœcesis, habentem peccata in sua Diœcesi reservata. 6.49
Quid, si illis adjuncta sit excommunicatio. 7.50.sq.
Quid de accedente una vice cum peccato, quod est sine censura reservatum, & alia vice cum alio, cui est annexa censura reservata. 8.50
Quid si manifestavit hæresim internam, & dicit se ignorasse ei annexam esse excommunicationem reservatam, 9. ibid.
Reservata, quando indirectè absolvantur. 10. ibid.
Absolutus à reservatis ab habente facultatem, remanet indirectè absolutus à peccato reservato oblito. 13.51
Non verò, si Confessio est voluntariè sacrilega. 14.51
In mortis articulo potest absolvere à reservatis quilibet Sacerdos. 15.51
Secus, si adest approbatus. 16.51
Quando absolutus in mortis articulo, periculo cessante, debeat comparere coram Superiore. 9.52.
Absolvere à reservatis Episcopo an possit Confessarius Ordinarius in aliquo alio casu. 20.53
Facultas absolvendi à casibus reservatis, & censuris reservatis non est eadem. 21.53
Confessarius ordinarius absolvere non potest à reservatis Sedi Apostolicæ. 22. ibid.
Nec à peccato, quod dubitat contineri Bulla cœnæ. 30.20
Confessarius ordinarius non potest absolvere à censura Canonis. 58.60
Et quos possit Episcopus. 59.61
Absolutio à peccatis non potest dari absenti. 27.590.seq.
An differenda sit absolutio pœnitenti ignoranti Mysteria necessaria ad salutem. 17.352
Confessarius non absolvit ab hæresi, nisi fuerit purè interna. 7.14.
Nec tempore Jubilæi, nisi exprimatur. 23.18
Nec vigore Bullæ Cruciatæ. 15.721
Excommunicatus denunciatus nec in articulo mortis potest absolvere. 96. 96.759
Quid, si pœnitens fuerit in foro externo absolutus ab excommunicatione, hæresi annexa. 29.759.sq.
Absolutus ab una Censura non est absolutus ab alia, nisi ab omnibus absolutio petatur. 43.250
An nondum absolutus ab excommunicatione, possit absolvi à peccatis 24.589
An valida sit absolutio data à Confessario, qui reputatur habere jurisdictionem, quam tamen non habet. 12. 273
Agitur de absolutione moribundi usu linguæ privati. 25.590
Absolutio à censuris potest dari absenti. 34.593
Non licet Confessario absolutionem simulare. 13.588
Quæ conditio invalidet absolutionem. 16.589

Agitur

Agitur de absolutione existentis in articulo mortis, potentis tunc famam restituere. 32. 507
Et de absolutione recipientium munera à Regularibus. 35. 593
Ab hæresi nec tempore Jubilæi absolvit Confessor ordinarius. 29. 266
Nec violatores Immunitatis Ecclesiasticæ. 34. 45

*Acedia.*

ESt ex genere suo mortale. 25. 108
Quatuor modis sumi potest. 42. 539
Non admittit parvitatem materiæ 43. 540
Quæ vitia ex ea procedant. 37. 539

*Actus.*

HOmo, tenetur elicere actus Fidei, Spei, & Charitatis, aliquando per se, aliquando per accidens. 1. 1
Quando teneatur per se. 2. 2
Quando per accidens. 3. 2.
Potest quis satisfacere præcepto eliciendi actum fidei, ad quem per se tenetur, quando elicit actum fidei, ad quem tantùm per accidens obligatur. 7. 335
Quoties quis teneatur per se elicere actus 12. 3
Et illos spei. 22. 7.
Et eos Charitatis. 28. 8
Quando actus censeatur moraliter interruptus. 13. 105
Regula actuum humanorum duplex. 3. 619
Actus fidei, & spei sunt boni, licèt non sint dilectio. 22. 630
Efficiens actum fidei non peccat, esto habeat charitatem. 29. 631 sq.

*Adoratio.*

QUid sit. 62. 639
Sanctorum imagines adorantur adoratione relativa. 59. 638
Adoratio triplex, Latriæ, Hyperduliæ, & Duliæ. 65. 639
Alia interior exterior altera. 63. 439
Una absoluta, alia respectiva. 64. 629
Reliquiis Sanctorum debetur adoratio. 69. 639
Papa licitè adoratur. 73. 640
Sacramentum Eucharistiæ adoratur adoratione Latriæ. 5. 684

*Adulatio.*

QUando sit mortale. 41. 518

*Adulterium.*

QUid sit. 1. 541
Obligatio in uxoratis cum aliis non se commiscendum est ex justitia. 2. ibid.
Copula cum uxorata, consentiente Marito, est Adulterium. 3. ibid.
Adulterium, an, & quomodo reddat invalidum Matrimonium, contractum cum adultero, vel adultera. 6. & 7. 542. & 543.
Adulter, cui ex adulterio natus est Filius, tenetur restituere expensas factas in educatione illius. 18. 545

Quid Confessario agendum cum muliere, quæ ex adulterio prolem suscepit. 13. 544
Uxor negando debitum Marito, sibi noto adultero, non peccat. 25. 547

*Advocatus.*

Peccat, si suscipit defendendam causam, manifestè injustam. 8. 276
Cognoscens rationes partis adversæ probabiliores, debet relinquere patrocinium. 10. ibid.
Cognoscens utrinque esse rationes æquè probabiles, licitè patrocinatur. 11. ibid.
Non potest absolvi, si est paratus patrocinari cuivis. 12. 277
Dantur aliqua pro instructione Confessarii, danda Advocatis. ibid.

*Affinitas.*

Quid sit, unde oriatur. 3. 296
Præcedens Matrimonium dirimit contrahendum. 4. ibid.
Sequens Matrimonium contractum privat jure petendi debitum. 5. 297
Inter quos reperiatur. 3. 296

*Altare.*

Privilegiatum quale. 57. 207. sq.
Quæ Missæ sint celebrandæ in Altari privilegiato. 21. 22. 23. 42. sq.
Responsa S. Cong Conc. ad dubia super numero Missarum celebrandarum in Ecclesia, in qua est Altare privilegiatum. 57. 208
Altaria Deo ad sacrificandum eriguntur. 71. 640

*Ambitio.*

Quid sit. 19. 606.

*Amor Dei.*

Amare quid sit. 4. 286
Est de fide dari præceptum amandi Deum. 7. 620
Quomodo differat amor charitatis ab illa spei. 8. ibid.
Deus amandus est super omnia appretiativè 10. 621
Vide verb. *dilectio.*

*Annus.*

Pubertatis, quando incipiat. 39. 660
Annus requisitus ad ordines suscipiendos 19. 737
Requisitus ad validitatem professionis Religiosæ. 24. 656

*Approbatio.*

Ad confessiones excipiendas, est omnibus Sacerdotibus necessaria. 1. 76
Esse approbatum ad confessiones, non est idem, ac habere jurisdictionem. 2. ibid.
Approbatio ab Ordinario loci est necessaria in Confessario, electo etiam vigore Jubilæi, & Bullæ Cruciatæ. 6. 77
Non approbatus non potest absolvere a venialibus. 11. 78
Habens beneficium Curatum non potest eligere in Confessionem non approbatum. 1. 86

Quid

Quid de Episcopo extra suam Diœcesim. 3.87
Et de Eminentiss. Cardinalibus. 3.87

*Apostasia à Fide.*

QUid sit. 12.15
Quid agendum Confessario cum apostata pœnitente. 13.ibi.

*Arbor Consanguinitatis.*

REgula pro linea recta. 46.746
Pro linea laterali in distantia æquali. 48.747
Pro linea laterali inæquali distantia. 49. ibi.
Linea ascendentium, & descendentium. 43.746

*Articulus Mortis.*

QUid sit, & in quo differat à periculo: & qui censeantur in eo esse. 18.52

*Astrologia.*

JUdiciaria, non verò naturalis prohibetur. 19.27. & 82. 182
Astrologi discurrunt ex principiis incertis, & dum aliqua divinant, ex pacto cum Dæmone faciunt. ibi.

*Attentio.*

INterna, & externa. 190
Literalis, superficialis, & Spiritualis. 6.191
Actualis, virtualis, & habitualis. 11.192

*Attritio.*

QUid sit. 8.574
In quo differat, & conveniat cum contritione. 11.575
Datur formula actus attritionis. 13.576
Pro justificatione, debet esse supernaturalis. 24.578
Unde cognoscatur, quòd sit talis. 25. & 26. 579
Attritio concepta ex consideratione turpitudinis peccati. 29.580
Dum quis putat se habere dolorem sufficientem, quem revera non habet, validè non confitetur. 30.ibi.
Attritio concepta ex timore gehennæ sine amore benevolentiæ est bonus motus. 34.633
Sententia, quòd attritio sit dispositio sufficiens ad Sacramentum Pœnitentiæ, est certa. 6.270

*Author.*

SUa scripta submittit judicio S. R. Ecclesiæ. 119.768

*Auxilium.*

OMnibus hominibus dantur auxilia sufficientia ad salutem. 15.629
Aliud est proximè, & aliud remotè sufficiens. 20.ibi.
Gratia sufficiens homini utilis. 21.630
Cum auxiliis ordinariis gratiæ possunt vitari omnia venialia divisivè. 17.605
Quis censeatur implorare auxilium Dæmonis. 11.24.& 70.125

## Axioma.


De duobus malis minus est eligendum. 41.114. & 1.268. sq.
Illud non possumus, quod jure non possumus. 75.754
In dubiis melior est conditio possidentis. 41.179
In dubiis tutior pars est eligenda. 51.118. & 55. 177. sq.
Scienti, & consentienti non fit injuria. 5. & 4. 541. sq.


## Baptismus.


Definitur. 2.675
Ejus forma. 74.640. sq. Materia. 79.641. Minister. 80. ibi.
Baptismus triplex. 3.675
Baptismus fluminis, privatus, & solemnis. 6.676
Baptismus aquæ est janua omnium Sacramentorum. 7.734
Per Baptismum remittuntur originale, & actualia commissa ante susceptum baptismum. 42.635
Et omnis pœna ipsis debita. 43.635. non pœnalitates. 44. ibi.
Infantes Judæorum invitis parentibus validè baptizantur. 21.679
Pueri eorum, qui fuerunt Catholici, licitè baptizantur. 23.680
Filii expositi baptizantur sub conditione. 27.681
Omittens *ego* validè baptizat. 75.641
Non valet baptismus collatus in nomine Sanctissimæ Trinitatis. 76.641
Nec collatus in nomine Christi. 77. ibi.
Qui mente profert formam baptismi non validè baptizat. 78. ibi.
Baptizans debet habere intentionem. 84. 643
Sufficit virtualis. 87.644
Baptismus est necessarius ad salutem. 17. 681
Qui abluit, debet formam pronunciare. 18.678
Minister unus esse debet. 19.679
Plures simul baptizari possunt. 20. ibi.
Dispositiones in adulto baptizando 25. 680
Parochus an possit omittere ritus baptismi. 16.678
In solemni necessarius est patrinus. 6.676
Diaconus baptizans quando fiat irregularis. 17.677
Qui non possint esse patrini. 11.677
Vide verb. *Cognatio*, & *Confirmatio*.


## Beatitudo.


Licet operari intuitu æternæ mercedis. 31.631


## Bellum.


Quotuplex. 47.116
Requisita, ut sit justum. 48.116
Bona in bello accepta sunt victoris. 49. 117
Princeps in concursu opinionis utrinque probabilis non potest bellum movere. 51. ibi.
In bello non licet per se innocentes occidere. 52.118
An dubitans de injustitia belli possit militare. 56.119
An Clericis sit licitum pugnare. 58.120


Et

Et quando fiant irregulares, 59.60.61. 121
Possunt exercitum comitari, 62. 122
An in bello liceat uti astutiis. 50.117

*Beneficium.*

BEneficia Ecclesiastica gratis sunt conferenda. 1.95
Jus ad beneficium quis habeat. 3. ibi.
Beneficiati non recitantes divinum officium tenentur ad restitutionem. 3.89
Quid de Pensionariis. 11.93
Quid de Parochis. 12. ibi.
Et ante sententiam Judicis. 15.94
Beneficiatus recitans officium sine attentione debet restituere. 5.92
Habens plura beneficia debet pro rata officii omissi. 6. ibi.
Non tenetur ad tot officia, quot sunt beneficia. 7. ibi.
Secus, si illa injuste possideat. 8.93
Recitans officium per alium non satisfacit suæ obligationi. 16.94
Beneficium Curatum quid importet. 2. 86
Et quid beneficium Ecclesiasticum, & Cappellania collativa. 2.91
Beneficiatus tenetur ex redditibus beneficii Ecclesiastici eleemosynas erogare. 26.323
Quid si habeat etiam patrimonium. 27 323
Quantum ex superfluis erogare teneatur. 28.323
Beneficium illegitimo titulo accipiens, tenetur restituere distributiones quotidianas, quas residendo percipit. 57. 429
In Beneficiatis primò est onus recitandi Breviarium. 17.94. sq.

*Blasphemia.*

QUid, & quotuplex sit. 14.284
Simplex non sapit hæresim. 15.285
Explicandum, an blasphemia sit in Deum, Virginem, vel Sanctos. 9.14
An blasphemans, ut peccet, debeat intendere Deum dehonorare. 18.285

*Bona.*

BOna, ex quibus teneamur eleemosynam erogare. 6.315
Necessitas proximi triplex. 5. ibi.
Bona filiifamilias, alia castrensia, alia quasi castrensia, alia adventitia, alia profectitia. 21.320
Bona conjugium sunt triplicis generis. 22.321
Dantur bona, quæ debemus proximo velle. 7.306
Ordo inter bona animæ, vitæ, honoris, & fortunæ. 3.305
Bona Ecclesiastica non possunt alienari. 90.474
Non possunt vendi Cappellæ, & Sepulturæ. ibi.
Bonum matrimonii triplex. 2.543

*Bulla.*

BUlla Cœnæ quid sit. 1.12.
Num Confessarii mortaliter peccent, si eam non retineant. 2.13
Summa ejusdem. 96.70
Quid sit falsificare literas Apostolicas pro-

prohibitum in 6. Canone Bullæ. 102. 71

Offendens Romipetas, quà tales, est excommunicatus in 10. Canone Bullæ. 106. 72

Cæteris numeris alii Canones explicantur.

Confessarius ordinarius non potest absolvere à peccato, quod dubitat contineri in Bulla Cœnæ. 30. 20

Observanda à Confessario Ordinario absolvente in articulo mortis à casibus Bullæ. 26. 19

Superiores Regularium non possunt suos subditos absolvere à casibus Bullæ. 28. ibi.

Bulla Cruciatæ non dat Confessario privilegium absolvendi ab hæresi. 15. 722

## *Cambium.*

QUid sit, & quotuplex. 13. 442

Campsor in Cambio sicco nil potest supra sortem accipere. 14. 443

Aliquid potest in Cambio minuto. 15. ibi.

Justè aliquid lucri accipitur in Cambio locali. 16. 443

Quodnam censeatur justum pretium, quòd supra pecuniam cambitam accipi potest. 17. 444

Dantur conditiones necessariò requisitæ ad legitima Cambia. 18. ibi.

Cambium cum recambio non est licitum. 19. 445

Vide verb. *Contractus.*

## *Casus.*

DAntur reservati in Corpore juris. 22. 53

Referuntur reservati in Bulla Cœnæ. 96. 70

Pœnitens habens casum reservatum, ignorans esse reservatum, & ipsum Confessarius ordinarius exponens, tenetur denuò aperire Confessario facultatem habenti. 100. 599

Pœnitentiarii Cathedralis non possunt absolvere à casibus reservatis Episcopo sine facultate. 14. 721

Casus reservati apud Regulares. Vide verb. *Regulares.* Alia verb. *Absolutio*, & *Confessarius.* Vide verb. *virtus moralis.*

## *Castitas.*

QUid sit. 2. 529

Triplex est. 3. ibi.

Votum castitatis perfectæ quid importet. 34. 204

Votum castitatis simplex, & solemne. 10. 158.

Castitati opponitur luxuria. 146. 149

Contra ipsam non datur parvitas materiæ. 148. 149.

## *Cautela.*

TEnenda in absolutione moribundi ligati censura reservata. 15. 12

Cautela Bartholi in reddendis responsis. 16. 618

Et illa Confessarii, ne sigillum confessionis frangat, dum consilium petit. 7. 719

Cæ-

### Censura.

QUid, & quotuplex sit. 2. 3. 242
Alia ab Jure, alia ab homine lata. 14. 244
A censuris Bullæ Cœnæ non absolvit, nisi in eo specialiter privilegiatus. 17. 245
Censura Canonis incurritur ob injuriam realem in personas Ecclesiasticas. 45. 59
A censura incursa ab alienante bona Ecclesiæ sine beneplacito Apostolico non absolvit Confessor ordinarius. 91. 474
In dubio facti cui est annexa censura, quid agendum. 5. 397
Vide verb. *absolutio.*

### Census.

QUid, & quotuplex sit. 6. 7. 8. 438
Conditiones servandæ in constituendis censibus. 9. 439
Assignatur differentia inter sensum, & mutuum, & ratio, cur contractus censualis non sit usurarius. 10. 441
Res censita debet ferre fructus, qui æquent pensionem ei impositam. 12. 442
Vide verb. *Contractus.*

### Certitudo.

MOralis, quid. 16. 173
Non potest quis secundum matrimonium contrahere, dum non est moraliter certus de morte prioris conjugis. 67. & seq. 752
Certitudo fidei divinæ. 1. 2. 342

### Christus.

MOrtuus est pro omnibus. 12. 628
Fides explicita Christi necessaria ad justificationem. 11. 616
Recurrendo ad intercessionem Sanctorum non præjudicatur meritis Christi. 11. 654
Ecclesia orationes concludit per Christum Dominum nostrum. ibi.

### Circumstantia.

CIrcumstantiæ peccatorum quænam sint. 2. 157
Quot sint. 3. ibi.
Quotuplex sit Circumstantia aggravans intra eandem speciem. 4. 157
Circumstantiæ peccatorum in Confessione sunt aperiendæ. 5. ibi.
Quomodo dignoscatur, quando mutant speciem, & quando solùm aggravant. 6. ibi.
Quid importet Circumstantia, *quis*, & *quid* 7. usque ad num. 31. 158. sqq.
Determinatum malum, desideratum proximo, est in Confessione dicendum. 29. 162
Peccans cum fœmina mortua tenetur in Confessione hanc Circumstantiam aperire. 30. 162
Si quis ex propositionibus damnatis aliquam docuit, illam determinatè aperiat. 31. 162. sq.
Circumstantia *quibus auxiliis*, quid significet. 39. 164
Quid circumstantia *cur*. 54. 167
Et quid Circumstantia, *quando*. 55. 167

*Clausura.*

Quid sit, & quando dicatur violari ad malum finem. 35.55.sq.
Mulieres ingredientes monasteria virorum excommunicantur. 77.156
Et Religiosi eas introducentes. 78.ibi.
An in violatione clausuræ Monialium detur parvitas materiæ. 43.58

*Clericus.*

Quinam intelligantur nomine Clerici. 46.59
Clerici percussio levis, mediocris, & enormis. 48.59.sq.
Clericis ludus alearum prohibetur. 71.433
Clericorum privilegium fori, & Canonis. 6.734
Propinans Clerico venenum, est excommunicatus. 19.245
Obligationes Clerici promoti ad sacros ordines. 5.734.
Clericus irregularis in ministerio ordinum. 12.244.& 10.735
Clericus ob occisionem irregularis. 8.392.sq.
Clericus ordinatus non baptizatus. 7.734
Quis dicatur habere pensionem, ut Clericus. 11.93
Diaconus ministrans Sacerdoti in mortali peccat. 42.694
Et quando baptizans fiat irregularis. 14.677

*Communio.*

Datur præceptum annuæ communionis, quod non adimpletur per sacrilegam Domini manducationem. 2.564
Omittens communicare in Paschate, tenetur communicare ante alterum Pascha. 3.565
Confessarius potest ob causam differre pœnitenti ad tempus communionem Paschalem. 7.566
Prævidens non posse in Paschate communicare, tenetur communicare ante Pascha. 8.ibi.
Et debet, etiam postea tempore Paschali, implere. 9.567
In Parochiali est implendum præceptum communicandi. 10.ibi.
Confessarius celebrans non potest negare Eucharistiam pœnitenti, quem inabsolutum dimisit, si eam petit. 11.ibi.
Et quid de hebræo solùm extrinsecè simulante Christianam Religionem. 14.568
An Parochus teneatur communicare hæreticum infirmum, qui confitetur unum peccatum, & statim subdit: *non credo Sacramentum Pœnitentiæ*, & petit communionem. 16.17.569
Communio quotidiana non est sub præcepto. 28.573
Plures formulæ non possunt communicando tradi. 29.ibi.
Quando obliget præceptum sumendi Eucharistiam. 21.688
Duo peccata committit, qui tempore Paschali sacrilegè communicat. 18.569
Dantur dispositiones requisitæ, ut quis non communicet sacrilegè. 19.ibi.
Ut quis satisfaciat præcepto communionis, an possit, & teneatur confiteri Sacerdoti non approbato, dum approbatus deest. 24.571
Qua ætate pueri admittendi sint ad sacram communionem. 25.571

In

In quo consistat habilitas eorum requisita ad hunc effectum. 26.572
An sola frequens communio, & confessio sit nota prædestinationis. 27. ibi.
Communio quotidiana, non est de jure divino. 28.573
An communicaturo possint tradi plures particulæ. 29. ibi.
Sumptio Eucharistiæ sub utraque specie non est præcepta. 81.688

*Cognatio.*

LEgalis quid sit, Dirimit matrimonium, & cum quibus lib. IV. 37. 38.745
Describitur adoptatio. ibi.
Quæ naturalis. Dirimit matrimonium usque ad quantum gradum. 37. & 40. 745
Etiam in linea laterali. 50.749
Quid sit Stipes, Gradus, & linea. 40.41. & 42.745. sq.
Quid spiritualis: ex quibus Sacramentis, ac inter quos contrahatur. 7.676. 39.745
Non contrahitur à non baptizato. 10. 677
Contracta ante matrimonium dirimit contrahendum; si post matrimonium, privat jure petendi debitum. 8.298
An Pater, vel Mater proprium filium baptizantes, contrahant cognationem spiritualem. 9. ibi. 12.677
Ad contrahendam cognationem spiritualem debet Patrinus esse designatus. 7.682
Inter ipsos Patrinos non reperitur. 7.676
Procurator non contrahit cognationem. 9.676

*Concilium.*

OEcumenicum, quid. 89.645
Non est supra Papam. 90. ibi.
Appellantes ad futurum Concilium sunt excommunicati. 98.70
Congregata sine authoritate Papæ sunt Conventicula. 98.647

*Confessarius.*

IN tribunali pœnitentiæ triplex munus exercet, Judicis, Medici, & Doctoris. 2.583
Habet jus interrogandi pœnitentes, & ipsi respondere tenentur. 1.583
Confessarius existens in mortali, ministrans Sacramentum pœnitentiæ, debet se reducere ad statum gratiæ, saltem per contritionem. 8.89
Absolvens in mortali tot peccata committit, quot absolvit. 82.642
Confessarius Regularis validè absolvit in articulo mortis, etiam præsente Parocho. 17.52
Quomodo se gerere debeat cum pœnitente, qui jurat de præteritis dolere, & in futurum velle ab eis abstinere. 13.43
Confessarius absolvens dum est censura ligatus fit irregularis. 15.677
An Confessarius teneatur sequi opinionem pœnitentis. 16.278
Praxis ipsius cum hæretico pœnitente. 9. 14
Cum Apostata. 13.15
Cum obligatis ad denunciandum hæreticos. 16.26
Cum Schismatico. 17.16. sq.

Cum Astrologo. 19.27
Cum Sortilego. 12.25
Cum ligato censura reservata. 15.120 & 19.52
Cum legente libros prohibitos. 30.266
Cum Confessario sollicitante. 26.35
Cum pœnitente sollicitata. 28.36
Cum eo, qui contraxit matrimonium cum impedimento dirimente. 21. 302
Cum procurante abortum. 16.402
Cum eo, qui non præmisit examen conscientiæ. 7.45
Cum obligato ad restitutionem bonorum fortunæ. 74.446
Cum Detractore. 21.504
Cum Simoniaco. 38.521
Cum ministris montis Pietatis. 24.496
Cum ignorante mysteria fidei. 15.352. 11.616
Cum Duellante. 15.12
Cum fractore jejunii. 22.100
Cum occidente plures. 14.105
Cum se accusante rixa deliquisse. 30. 109
Cum exercente actum superstitiosum. 113.138
Cum petente, an licitus sit usus pulveris Sympatici. 38.594
Cum de novo sciente bona à se possessa fuisse aliena. 58.429
Cum fure. 10.404
Cum venditore piscium. 16.406
Cum eo, qui plura furtula committit. 61. 430
Cum Catholico accusante se esse conversatum cum Judæis. 15.340
Cum pœnitente, si in Ecclesia eodem tempore reputarentur duo Summi Pontifices. 18.17
Cum pœnitente negante Papam licitè adorari. 73.640
Distinctio à Confessario ponderanda. 19. 606
Quomodo se gerere debeat cum conducente operarios ad operandum. 12. 554
Cum curioso. 167.155
Cum obtinente gratiam, vel justitiam à Sede Apostolica. 9.170
Cum Judice petente instructionem. 2. 274
Cum adorante imaginem Lutheri. 6.282
Cum guloso. 5.290
Cum distributore officii ecclesiastici. 5. 523
Cum assueto ad jurandum. 13.604
Cum Campsore, vel Banchario. 18.444
Cum volente celebrare contractum societatis. 20.445
Cum nobili dimittente famulum. 35.452
Cum promittente aliquid Judici pro injusta sententia, & sicario pro homicidio. 57.459
Cum ludente ludo prohibito. 63.465
Cum compellente minis ad ludum. 64. 464
Cum meretrice. 18.82
Cum spondente super morte, & electione Pontificis, ac promotione Cardinalium. 73.466 sq.
Cum sponsente cum tribus super Beneficio conferendo. 75.467
Cum notario quoad contractus ecclesiales. 9.439
Cum Beneficiato alienante bona Ecclesiæ. 90.474
Num possit tempore Jubilæi habilitare impeditos ad officia. 39.521
Cum accusante se habuisse cogitationes

nes impuras quomodo se gerere debeat. 23. 535
Cum interrogante de validitate matrimonii. 14. 544

## Confessio Sacramentalis.

QUid sit. 7. 22. De qua adest præceptum: tum divinum, tum Ecclesiasticum. 3. 79
Aliquando obligat per se, aliquando per accidens. 4. 80
Præceptum confessionis obligat per se in Paschate. 9. 80
Tempus Paschale quantum se extendat. 10. 81
Qui eo tempore Confessionem Sacramentalem omisit, tenetur quamprimum confiteri. 11. 81
Confessionem tenetur anticipare, prævidens tempore Paschali sibi defuturam copiam confessarii. 12. 81
Præceptum confitendi tempore Paschali obstringit etiam habentem solùm venialia. 13. 81
Habens peccata reservata cum non reservatis tenetur omnia Confessario exponere. 10. 50
Proprius Sacerdos quis sit. 15. 82
Qui confitetur Regulari approbato ab Ordinario loci satisfacit præcepto Ecclesiæ. 16. 82
Per Confessionem voluntariè nullam, non satisfit præcepto Ecclesiæ. 21. 83
Qui præceptum Ecclesiasticum Confessionis non implevit, an possit absolvi. 5. 83
Confessio non potest fieri per literas. 27. 590. sq.
Per se debet esse vocalis, per accidens esse potest non vocalis. 32. 592
Confessarius absolvens debet habere jurisdictionem ordinariam, vel delegatam. 10. 585
Confessionis integritas in quo consistat. 3. 44
Confessio integra materialiter potest esse aliquando invalida. 4. 45
Sed formaliter integra, nunquam. 5. 45
Peccata dubia pertinent ad integritatem materialem confessionis. 8. 45
Materialiter integra an sit sub præcepto. 2. 595
An dentur casus, & quinam sint, in quibus, quis excusatur ab integritate materiali confessionis. 4. 596
Ita loqui: *Hoc dico tibi in confessione*, non importat confessionem Sacramentalem. 99. 478
An possit licitè confessionem dimidiare Sacerdos, qui habet reservata, & non adest, nisi Confessarius ordinarius; & urget necessitas celebrandi. 7. 597
Quid, si peccato reservato annexa sit excommunicatio reservata. 9. 598
Concursus populi non est causa sufficiens dimidiandi confessionem. 12. 599
An liceat dimidiare confessionem, ne manifestetur complex. 13. ibi.
De confessione moribundi. 26. 590

## Concubina.

QUid sit, & in quo differat à Meretrice. 3. 213. Concubinatus quid sit. 2. ibi.
Concubinarius non potest absolvi, usque dum concubinam expellat. 4. 5. ibi. sq.

Esto eam alat in Domo aliena, & tantum semel in mense ad ipsam accedat. 7. 214
Quid agendum Confessario cum Filiofamilias, qui in Domo Patris habet Concubinam. 8. 9. 214. sq.
Quid cum Concubinario existente in articulo mortis, & non potest Concubinam expellere. 11. & sequen. 215
Concubina, quæ dicit, quod relinquendo Concubinarium fame peribit, an possit absolvi. 16. 217

## *Confirmatio.*

Sacramenti Confirmationis materia, & forma. 2. 682
Dispositiones necessariæ in confirmando. 3. 682
In confirmatione admittitur Patrinus, sed unus, vel una. 6. ibi.
An, dum plures admitterentur, omnes contraherent cognationem Spiritualem. 7. ibi.
Patrinus, qui admittitur in Confirmatione, alius esse debet ab eo, qui fuit admissus in Baptismo: & debet esse confirmatus. 8. 683

## *Conscientia.*

Quid, & quotuplex sit. 8. & sq. 172.
Operans contra conscientiam rectam peccat. 17. 173
Conscientia Erronea duplex. Una ex errore invincibili 19. 174. alia ex errore vincibili. 20. 174
Peccat operans contra conscientiam invincibiliter errantem. 21. 174
Putans ex conscientia vincibiliter erronea se teneri ad mentiendum pro vita proximi tuenda, peccat, sive mentiatur, sive non 24. ibi.
Peccat operans cum conscientia practicè dubia. 39. 178
Dubitans die Jovis, an transacta sit media nox; utrùm possit comedere carnes 41. 179
Non licet operari cum conscientia scrupulosa. 44. 180
Datur remedium contra scrupulosos. 45. 180

## *Consecratio.*

Materia apta consecrationis, tum Corporis, tum Sanguinis 7. 8. 9. 684. sq.
Forma utriusque consecrationis. 15. 687
An omnia verba sint de essentia formæ. 16. ibi.
Peccatori non licet præbere hostiam non consecratam loco consecratæ. 4. 386
Non licet proferre verba consecrationis sine intentione consecrandi. 7. 386 sq.
Quanto tempore Corpus Christi sit sub speciebus panis. 19. 688
Materia consecranda debet esse præsens Sacerdoti. 10. 685
Peccat Sacerdos Latinus consecrans fermentato. 7. 685
Vino in Calice admiscetur aqua, nec quis à peccato potest excusari à parvitate materiæ. 14. 686

Con-

*Consensus.*

Requiritur ad validitatem matrimonii. 8. 739
Matrimonia filiorumfamilias sine consensu Parentum contracta, sunt valida. 14. 740

*Consuetudo.*

Consuetudo peccandi in quo consistat. 3. 601
Quot actus requirantur, ut quis dicatur peccare ex consuetudine. 4. ibi.
Consuetudo peccandi an sit diversa ab occasione proxima peccandi. 5. ibid.

*Consulere.*

Confessarius, qui suo consilio est causa efficax damni, tenetur restituere. 45. 425
Ex errore consulens furtum, tenetur restituere. 68. 433
In nullo casu licet consulere peccatum. 13. 400

*Contractus.*

Promissio alia ex se valida, alia ex se invalida. 59. 369
Contractus celebratus cum excommunicatis, etiam vitandis, obligat. ibi. 371
An cum Judæis possint celebrari contractus. 16. 341
Cum Hæreticis non est adeò facilè paciscendum. 59. 372
Promittens aliquid, duplici titulo tenetur implere. ibi. 369
Celebrantes contractus nequeunt uti restitutionibus, etiam non purè mentalibus. 19. 379
Contractus quid sit. 2. 436
Quid ille dictus *mohatra*. 4. 437
Et ille *census*. 6. 438
Et ille *Cambii*. 13. 442
Discrimen inter illum *mutui*, *commodati*, *locati*, & *depositi*. 28. 449
Requisita servanda in contractu *Societatis*. 20. 445
Agitur de contractu inter agricolam, & herum ementem illi boves. 23. 446
Et de illo redditionis bestiæ. 26. 448
Quid opus sit, ut justè animalia tradantur in societatem. 27. 449
Quid sit contractus *pignoris*. 38. 453
Obligationes accipientis pignus. 40. ibi.
Differentia inter *pignus*, & *hypothecam*. 41. 454
Res Ecclesiæ nequeunt oppignorari absque licentia Sedis Apostolicæ. 42. 454
Quid sit contractus *Emphyteusis*. 43. 455
Res Ecclesiæ an possint dari in Emphyteusim. 44. ibi.
Quid sit contractus *feudalis*. 45. 456
Quid ille *fidejussionis*. 46. ibi.
Quid ille *donationis*. 50. 457
Donatio alia inter vivos, alia causa mortis. ibi.
Ut donatio valeat, quibus opus sit; 51. ibi.
Donatio inter conjuges non valet. 52. ibi.

Quid

Quid sit contractus *dotalis*. 53. 458
Et quid ille *promissionis*. 55. ibi
Quando promissio obliget sub peccato. 56. ibi.
An promissio facta de re turpi obliget. 57 459
Error cum dolo dans causam contractui hunc invalidat. 67. 465
Quid sit contractus *sponsionis*, vulgò *scommessa*. 72. 466
Quid sit *precarium*. 29. 459
Excommissæ super morte, & futura electione Romani Pontificis, ac Cardinalium promotionibus sunt prohibitæ. 73 467
Quid sit contractus *emptionis*, & *venditionis*. 80. 468
Requisita, ut sit justus. 81. 469
Agitur de peccatis, quæ ab emptoribus committi solent. 84. 470.
Et de illis, quæ venditores solent patrare. 86. 471
Quando venditor teneatur emptori vitium rei aperire. 87. 472
Quid sit *evictio*. 92. 474. sq.
Quando venditor non teneatur emptori de evictione. 93 475
Quid sit Monopolium, 94. 476
Ignorans monopolium, & vendens pretio non justo, ablata ignorantia, tenetur excessum restituere. 95. 476
Quid sit contractus *assecurationis*. 100. 478
Contractui alia sunt substantialia, alia naturalia, & alia solemnia. 102. 479
Ut contractus sint justi, servanda est æqualitas inter merces, & pretium. 72. 469
Contractus dictus *dare à godere*, an liceat. 14. 484
An justus sit contractus vitalitius. 13. 484
Excusationes pro mercatoribus vendentibus earius ob expectatam solutionem. 24. 25. & 26. 488
Contractus *trium contractuum* non est licitus. 31. 491
An contractus *Antichresis* sit usurarius. 41. 494
De contractu *legis-commissoria*. 36. 492
Omnis eo sit contractus obligat ex justitia. 24. 497
In contractu oneroso decipiens alium tenetur restituere, si fuit causa damni. 64. 700,
Non licet compensatio propria authoritate; cùm lex justitiæ, Charitatis, &c. id vetet. 63. ibi.
Quid sit *Trebellianica*. 22. 728
Et quid *Falcidia*. 24. ibi.

## *Contritio.*

QUid sit. 7. 8. 574
Dolor contritionis an debeat esse super omnia appretiativè, vel intensivè, 10. 575
Contritio in quo conveniat cum attritione, & ab ea differat. 11. 575
Datur formula actus contritionis. 12. ibi.
In quo differant formalis contritio, & formalis Dilectio Dei super omnia. 15. 576
Dolor de peccatis, ut sit dispositio sufficiens ad justificationem, debet esse formalis. 16. ibi. Sufficit una contritio pro omnibus peccatis, sed debet esse universalis, & quando sit talis. 17. 18. 19. & 20. 576. sqq.
Debet elici ex intentione confitendi. 34. 581
Originale remittitur sine dolore attritionis, vel contritionis. 45. 635

Qui

Qui habet duo venialia, & de uno tantùm dolet, validè absolvitur. 22. 578
Ut dolor sit sufficiens ad justificationem, debet esse supernaturalis, & undè cognoscatur, quòd sit talis. Conceptus ex timore pœnæ temporalis non sufficit. 24. 25. 26. 27. 578. sqq.
Contritio, ut sit materia Sacramenti pœnitentiæ, debet esse sensibilis. 23. 581
Præceptum contritionis perfectæ obligat per se in articulo mortis. 39. 582

*Contumelia.*

QUid sit. 7. 499
Fit verbo, scripto, & facto. ibi.
Est ex genere suo peccatum mortale; potest esse venialis ex inadvertentia, vel ex levi injuria. 8. ibi.
Libellus famosus quid. 7. ibi.

*Culpa.*

ALia Theologica, & moralis; alia civitatis, seu juridica. Prima est duplex, mortalis, & venialis. Secunda verò triplex, lata, levis, & levissima. 72. 434

*Cultus.*

VEro Deo modo indebito tributus in quo consistat. 66. 124
Publicus cultus Sanctis Canonizatis tribuitur. 70. 640

*Curiositas.*

IN legentibus folia novellarum esse potest peccaminosa. 28. 313



Et quando aliàs. 167. 155

*Debitum conjugale.*

COnjuges variis modis possunt peccare in redditione debiti. 2. 295
Sponsa, quæ ante matrimonium cognovit fratrem sponsi, debitum nec petere, nec exigere potest. 3. 295
Si post matrimonium non potest petere 5 & 6. 297
Mulier obstricta voto simplici castitatis peccat debitum petendo. 10. 299
An, & quando peccet alter conjugum debitum petendo, si vovit Religionem. 12. 299
Debitum non potest exigere dubitans de validitate matrimonii. 13. 300
Quid si uterque de hoc dubitet. 16. 301
Uxor propter dolores partus nequit viro debitum negare. 17. 301
Debitum negare non licet, ne proles multiplicetur. 19. ibi.
Sexagenaria tenetur viro debitum reddere. 20. 302
Uxor non peccat negando debitum adultero. 25. 547

*Decreta, & Constitutiones Apostolicæ.*

COnstitutio subreptitia, & obreptitia quænam. 104. 648
Decretum S. Officii circa Sinenses. 13. 617
Constitutio Innocentii XII. *de celebratione Missarum.* 66. 701
Decreta S. Congr. Concilii circa Canonicos Pœnitentiarios. 14. 721
Decretum Clementis VIII. circa reservata quoad Regulares. 10. 720

Decreta S. C. Epis. circa ingressum Capituli Collegiatæ in Ecclesis regularium. 43. 731
Decreta S. C. C. circa matrimonia militum. 98. 759.
Decreta ejusdem quoad matrimonia hæreticorum. 101. 761
Aliud ipsius quantum ad matrimonium per vim, & metum contractum 107. 763
Decretum Clementis XI. de qualitate carnium in quadragesima. 23. 101
Decreta S. C. C. circa numerum Missarum celebrandarum in Altari privilegiato. 57. 207 sq.
Responsa S. Congr. Consultat. Fr. Min. præpositæ circa legata ipsis relicta. 22. 233. 23. ibi. 24 & 25. ibi. sq.
Decretum Congr. R. Fabricæ circa idem. 26. 235
Constitutio Clementis X. in eadem materia. 27. 237
Decretum S. Congr. Epis. in Lucana ea de re. 28. 239
Decretum ejusdem S. C. R. Fabr. ad occurrendum in similibus hæredum malitiæ. ibi.
Epistola ejusdem circa capacitatem Fratrum ad legata. 30. & 31. 240
Decretum S. C. Con. ea de re editum. 32. ibi.
Decretum Alex. VII. circa absolutionem ab hæresi tempore Jubilæi. 29. 266
Decreta S. C. C. quoad Altaria privilegiata. 57. 207. sq.
Alia ejusdem circa impedimentum publicæ honestatis ex matrimonio non consummato. 92. 758

## Delectatio.

Delectatio, quæ oritur ex osculis duplex. 2. 211.
Utraque prohibetur sub mortali. ibi.
Quælibet delectatio venerea prohibetur sub mortali. 10. 532
Quælibet talis delectatio est inchoata pollutio. ibi.
Delectatio morosa quid sit: cujus distinctio a desiderio impuro. 15. 534
Est peccatum mortale. 16. ibi.
In Confessione est explicanda circumstantia personæ, de qua quis delectatur. 19. 535
An conjuges possint voluntariè delectari de copula habita, vel habenda. 20. ibi.
Viduis non licèt delectari de copula præterita cum suo viro. 21. ibi.
Neque sponsis de copula futura. 22. ibi.
Desideratis habere copulam cum aliqua, si esset ejus uxor, si de tali copula delectatur, peccat mortaliter. 24. 536

## Denunciatio.

Denunciandi sunt Hæretici. 1. 20
Sciens sub secreto etiam jurato aliquem esse hæreticum, eum denunciare tenetur. 6. 21
An Confessarius teneatur denunciare hæreticum ad Confessionem accedentem. 7. & 14. 22. & 25
Filius tenetur denunciare Patrem, & uxor maritum. 9. 22.
Denuncianda est mulier malefica. 14. 25
Unde oriatur obligatio denunciandi. 1. 20
Quid si ex denunciatione immineat periculum vitæ. 28. 26
Denunciatio alia judicialis, alia Evangelica. 22. 34

De-

*Detractio.*

Quid sit, & quot modis soleat committi. 9. 10. 500
Deputato, ut sumat fideliter informationes super honestate puellæ, quam cognovit, quid agendum. 13. 502
Peccat mortaliter, que de publico infami propter adulterium aliud crimen occultum revelat. 13. 502
An crimen proximi in uno loco possit alibi manifestari. 15. ibi.
Detractio quomodo distinguatur à murmuratione. 18. 503
Quando audiens detractorem peccet. 19. 503
An peccet, qui ex curiositate inquirit defectus alterius. 20. 504
Quid dicendum pœnitenti, qui petit instrui de modo restituendi famam, & honorem. 22. 23. 505
Qui detraxit viro defuncto, an teneatur ad restitutionem famæ. 25. 506
Non restituit sufficienter famam, qui ob verecundiam se retractat, nocte affigendo Libellos in locis publicis Civitatis. 31. 507
Nec, qui in morte se retractat coram Notario, hac lege, ut scriptura per ipsum rogata, legatur post ejus mortem. 32. ibi.

*Dies Festus.*

Præceptum de observandis Festis: in quo continentur duo præcepta, affirmativum, & negativum. 1. 2. 550
Opera in eis prohibita. 3. & 4. 551
Quædam opera servilia licitè exercentur, quædam non. 5. 6. 551. sq
Qui dicatur per notabile tempus in die festo opus servile exercere. 11. 553
Non licèt committere infideli opus servile in die Festo. 13. 555
An toties quis mortaliter peccet, quoties in eodem festo per tempus notabile pluribus interruptis vicibus laborat. 15. 555
Quando quis censeatur transgredi præceptum observandi festa cum contemptu. 17. ibi.
Super quibus interrogentur pœnitentes circa præceptum observandi festa. 16. 555.

*Dilectio.*

Est Deus diligendus super omnia appretiative. 5. 286
Cupiens perpetuò in hoc Mundo degere, peccat contra præceptum de diligendo Deum. 6. & 7. 287
Statuens perseverare in peccatis, dum benè valet, peccat mortaliter. 9. 288
Non impletur præceptum de diligendo Deum, nisi diligatur amore supernaturali. 10. ibi.
Dilectio proximi est sub præcepto affirmativo, & negativo, quibus non satisfit per solos actus externos. 1. 304
Diligendus est amore supernaturali. 5. 305
Diligendus est expressè, & ex motivo charitatis. 8. 306
Casus, in quibus quis teneatur eum diligere. 9. 307
An peccet mortaliter, qui inimicum non salutat. 11. ibi.

Peccat contra præceptum de diligendo inimicum, qui tribuens eleemosynam omnibus incolis oppidi inimicum excludit. 13. 308
An quis teneatur orare pro inimicis. 14. 308
Confessario quid agendum cum eo, qui se accusat se odio habuisse inimicum. 19. 310

*Dos.*

MAritus ex dote alit uxorem. 13. 228
Defloratus Puellam tenetur eam dotare 26. & sequen. 536
Puella post occultam defloration em non potest retinere dotem, Virginibus taxatam. 30. 537
Raptor debet raptam dotare. 104. 763
Parentes tenentur filias dotare. 54. 438

*Dubium.*

ALiud juris, aliud facti. 13. 173
Dubius in fide est hæretieus. 11. 15
In dubio, ubi agitur de salute animæ, tutior pars est amplectenda. 40. 179
Dubitans de validitate matrimonii non potest debitum exigere. 13. 300
Dubitans de morte prioris viri nequit ad nova vota transire. 67. 752
Dubitans, an emiserit votum jejunandi, tenetur jejunare. 21. 100
Confessarius absolvens non debet prudenter dubitare de legitima dispositione pœnitentis. 10. 272
Confessarius dubitans de sua jurisdictione in absolvendo, debet abstinere. 9. 14.

*Duellum.*

QUid sit. Quotuplex ejus differentia à rixa. 6. 7. 8. p. 10
Non innodantur censura soli duellantes. 3. & 5. p. 9. sq.
Ut incurratur, non est necesse, ut pugna in effectu sequatur. 4. 9
An duellator privandus sit Ecclesiastica sepultura. 13. 11
Quid agendum Confessario cum duellante constituto in articulo mortis ex vulnere accepto. 15. 12

*Ebrietas.*

QUid sit: ejus malitia, in quo consistat: est peccatum mortale. 6. 7. 8. 291
Bibens cum dubio, quod unico vitro vini possit se inebriare, peccat. 10. 292
An licitum sit alterum cavitare, *con brindesi*, ad bibendum? 15. 292
An caupones apponentes vinum accedentibus, quorum plures usque ad ebrietatem bibere putant, peccent mortaliter. 14. ibi.
Ebrius an peccet in blasphemiis, & aliis actionibus inordinatis, quas facit in ebrietate. 17. & 18. 293
Inebriare se tabaco, an liceat. 20. 294
Dantur species ebrietatis. 5. 291
Plena ebrietas, quomodo probetur. 19. 294

*Ecclesia.*

ERrare non potest. 2. 342
Propositio Ecclesiæ est conditio necessaria ad credendum. 4. 333
Ecclesia Catholica est vera Ecclesia Christi. 6. 344

Ecclesia est congregatio Fidelium sub Romano Pontifice. 14. 351. super IX.
Ecclesia quando, & quibus polluitur. 54. 698

*Electio ad dignitates Ecclesiasticas.*

QUi censeantur digniores pro beneficiis Ecclesiasticis. 2.522
Est mortale eligere minus dignum, relicto digniori. 3. ibi.
An talis electio valeat. 13.525
Quid Confessario agendum cum eo, qui impedit, ne alter consequatur beneficium. 6.523
Distributor beneficii tenetur ad restitutionem, si in distributione lædit justitiam distributivam. 9.524
Indignus provisus, tenetur in foro conscientiæ officium ante sententiam Judicis dimittere. 11.525
In Capitulis pars minor sequitur majorem. 1.561
Pœnitens tenetur aperire speciem boni, in cujus distributione peccaverit. 23. 528
Electio indigni est intrinsecè mala. 18. 527

*Eleemosyna.*

QUid sit: quando præceptum dandi eleemosynam obliget. 3.4.315
De quibus bonis quis teneatur illud implere. 6.315
Praxis Confessarii cum divite circa adimplementum hujus præcepti. 8. 317
An quis huic præcepto satisfaciat, extremè indigenti mutuando, vel dando, ut reddat, cùm poterit. 10.318
An ex illicitè acquisitis, ut meretricio, adulterio, assassinatu, &c. hoc præceptum impleatur. 11.318
An filius familias possit eleemosynas facere. 21.320
Quid de uxore, inconsulto marito. 22. 322
Famuli non possunt dare eleemosynas de bonis dominorum. 29.323
Religiosi in particulari non possunt eleemosynas erogare. 30. ibi.
Pauper fictus peccat accipiendo eleemosynas. 31. ibi. sq.
An de redditibus Ecclesiasticis sit facienda eleemosyna. 26. 322

*Episcopus.*

NOn absolvit ab hæresi. 8.14
Et quando à censura Canonis. 59. 61.
Est Ordinarius executor omnium piarum dispositionum. 14.229
Facultas data Episcopis absolvendi ab hæresi occulta, est revocata. 8.14
Nec absolvunt violantes secreto clausuram. 37. 56

*Eucharistia.*

QUid fides doceat circa Sacramentum Eucharistiæ. 2. 684
In quo differant recipere spiritualiter, & Sacramentaliter Sacramentum Euchatistiæ. 22.689
Sacerdos existens in mortali, & ministrans Eucharistiam fidelibus, peccat. 40. 693

An sciens Sacerdotem esse in mortali, & petens ab eo Eucharistiam peccet. 41. ibi.
Eucharistia, ut est Sacramentum, differt à se ipsa, ut est Sacrificium. 32. 692
Quanto tempore Corpus Christi conservetur sub speciebus panis. 19.688
Communicans sub una tantùm specie nulla gratia ad salutem necessaria defraudatur. 20.688
An sumptio Eucharistiæ sit necessaria ad salutem. 21. ibi.
Sub speciebus panis est ex vi verborum Corpus Christi, &c. 3.684
Sub speciebus vini est ex vi verborum Sanguis, &c. ibi.
Quando obliget præceptum sumendi Eucharistiam. 20.688

*Examen.*

IN examine conscientiæ quanta diligentia sit necessaria. 6.45
Ex defectu examinis confessio materialiter integra est nulla. 4.45
Non est absolvendus pœnitens imparatus ob examinis defectum. 7.45

*Excommunicatio.*

QUid sit, & quotuplex. 6.242
Excommunicatio minor quibus privet. 7. ibi.
Quando minor excommunicatio incurratur. 8.243
Excommunicatio major quid. 11.244
Non quivis Sacerdos potest absolvere ab excommunicatione minori. 15.245
A majori quis absolvat. 16. ibi.
Dubitans de excommunicatione non debet se divinis ingerere. 20.588
Excommunicati alii vitandi, & non tolerati, & alii tolerati, & non vitandi, qui sint. 59.371
An validè absolvant à peccatis. 16. 389
Differentia excommunicationis à cæteris censuris. 13.244
Index quarumdam excommunicationum, quarum absolutio Papæ reservatur. 62.253
Denunciatio non est de essentia excommunicationis. 20.588
Scientia legis est necessaria, ut excommunicatio incurratur. 12.170.& 23. 388
Clausula *in subsidium oris excommunicamus.* 70.260

*Extrema-Unctio.*

MAteria, & forma Sacramenti extremæ unctionis. 1.721
Quibus conferatur. 3.4.5.& 6. ibi, sq.
Regulares eam laicis infirmis non administrant sine licentia. 8.723

*Fama.*

QUid sit; quomodo differat ab honore. 3.4.498
Ad defendendum honorem, & famam, non est licitum imponere falsum crimen alteri. 2.497. sq.
An infamatus licitè possit condonare restitutionem famæ. 26.506
Si duo ad invicem se infamarunt, an teneant-

teneantur ad famæ restitutionem. 28. 506. sq.
Non solùm restituenda est fama, sed etiam compensanda sunt damna, quæ ex infamatione sequuntur. 29. 507
Dantur causæ excusantes à restitutione famæ. 33. 508
Vide *verbo detractio.*

*Famuli.*

FAmuli, & ancillæ erga heros ad quid teneantur. 20. 331
An liceat famulis Christianis comitari hæreticos ad ipsorum templa. 13. 340
An Famulus, cùm non potest ab hero justum salarium juxta conventionem exigere, possit uti occulta compensatione. 28. 409
Quid, si Confessarius invenerit aliquem sibi sic occultè satisfeciisse. 32. 410
Famuli an peccent mortaliter, si clam à Domino surripiant ad edendum, & bibendum. 34. 410
Quando famuli dicantur cooperari Dominis ad peccata luxuriæ. 2. 549
Famuli Judicum, possunt peccare excludendo aliquos, ne Dominum alloquantur. 5. 169

*Fides Divina.*

ACtus fidei Divinæ cadit sub speciali præcepto. 12. 332
Fides Divina est fundamentum Justificationis, supernaturalitatis, & operationis meritoriæ. 3. ibi.
Quid sit fides Divina. 4. 338
Credens Unum Articulum, *quia Deus dixit*, & non credens alium, non credit fide Divina. 5. 333
Est moraliter evidens, Mysteria fidei esse à Deo revelata. 5. 343
Fides supernaturalis habitualis est necessaria omnibus, tam parvulis, quàm adultis. 2. 345
Omnibus habentibus usum rationis est necessaria fides explicita actualis supernaturalis. 3. ibi.
Quid sit credere implicitè, & explicitè. 5. 346
Quæ mysteria sunt credenda explicitè necessariò necessitate medii. 7. 346. 8. 615. sq.
Quando per se obliget præceptum affirmativum Fidei. 12. 3
Et quando per accidens. 17. 5
Mysteria Fidei divinæ sunt evidenter credibilia. 5. 343
Mysteria credenda de necessitate medii. 7. 347
Fides divina innititur auctoritati Dei. 4. 353. sq.
Non deperditur quolibet peccato. 30. 631
Explicatur necessarium necessitate medii, & præcepti. 6. 346
Est necessaria necessitate medii fides explicita Dei, ut remuneratoris supernaturalis. 8. 347
Dantur credenda de necessitate præcepti. 11. 348
Confessarius quomodo se gerere debeat cum pœnitente, qui petit instrui de modo eliciendi actum fidei, & super Articulos contentos in Symbolo Apostolorum. 18. 349. sq.

Fides

Fides est dispositio ad justificationem. 2. 353
Fides ex testimonio Creaturarum non est Divina, neque sufficit ad justificationem. 3. ibi.
Unde cognoscitur, quod fides sit supernaturalis. 9. 348

*Filii.*

QUando peccent mortaliter erga parentes. 3. 325
Super quibus sint à Confessario interrogandi, cùm se accusant maledixisse parentibus. 5. 326
Non sufficit Filio se accusare; fui impius. 10. 328
Filii in pertinentibus ad salutem tenentur sequi instructionem Parentum 8. 344
Filiis debetur legitima. 23. 728
Filii spurii non possunt instituì hæredes: 28. 729

*Formula.*

ELiciendi actum Fidei. 18. 6
Et actum Spei. 26. 8
Et actum Charitatis. 30. 9
Absolvendi ab excommunicatione pro foro interno. 47. 251
Et pro foro externo. 48. ibi.
Et absolvendi à suspensione. 49. ibi.
Et dispensandi super irregularitate. 51. ibi.
Et pro absolutione ab Interdicto. 50. ibi.
Formula actus Contritionis. 12. 575
Et actus Attritionis. 13. 576
Variæ formulæ pro danda executione Litteris Sacræ Pœnitentiariæ. 109. & sequen. 766.

*Fornicatio.*

ESt prohibita, quia mala. 1. 529
Nulla necessitas facit fornicationem licitam. 2. 401
Proles ex fornicatione concepta caret securitate. 11. 532
Ob fornicationem matrimonium potest quoad cohabitationem dissolvi, non quoad vinculum. 1. 737

*Fratres Minores.*

AN fratres Minores, tam de Familia, quàm Reformati sint capaces legatorum annuorum cum onere perpetuò Missarum. 10. & sequen. 228
Nolentes hæredes eleemosynam legatam dare, possunt per Judicem compelli, sed non ad instantiam Fratrum. 14. 229
Sunt capaces legati annui facti in favorem Infirmariæ. 16. 230
Et legati pro oleo lampadis. 17. 230
Non verò si eis relinquatur ager ad fruendum, locandum, &c. ibi. ad 3. 231
Referuntur plura Sedis Apostolicæ decreta edita super eadem materia nu. 18. usque ad 33. 231
Sub excommunicationis pœna non possunt fratres in judicio legata exigere, vel petere. 14. 229
Non possunt in fundatione Conventuum pacisci cum fundatoribus: nec

nec instituit hæredes: neque pro ipsis Syndicus. 33. 34. 241
Tenentur in jejuniis, etiam ex præcepto Regulæ, abstinere ab ovis, & lacticiniis. 55. 659
Sunt capaces legatorum ad divinum cultum. 20. 727
Syndicus fratrum, tamquam unus de populo, potest coram Ordinario instare pro implemento legatorum. 14. 229

*Fructus.*

SAcrificii ex opere operato. 5. 38
Alius generalissimus, alius specialissimus, & specialis. 14. 41.
Fructus rei, & merè industriæ quid. 9. 415
Item alii mixti, alii naturales, alii civiles, seu legales. ibid.

*Furtum.*

IN quo differat à rapina. 3. 403.
Furtum, & rapina sunt mortalia ex genere suo. 6. ib.
Quæ quantitas requiratur, ut furtum sit peccatum mortale. 7. ib.
In confessione explicanda est quantitas furto ablata. 9. 404
Quomodo sit interrogandus, qui dicit, furto accepisse unicum quadrantem. 12. 405
Habens consuetudinem furandi peccat graviter, licèt minima furetur. 14. 405
Confessario quid agendum cum eo, qui per pauca furta à diversis quantitatem notabilem infert. 16. 406
Et quid de furantibus parvam quantitatem ab uno, ita ut totum à singulis acceptum conficiat summam notabilem. 17. & 18. 406. sq.
Et cum eis, qui conveniunt dare merces infimo pretio, & scindè tantùm occultè detrahunt in mensura, ut perveniant ad pretium medium. 22. 408
An peccet mortaliter, qui occultè accipit rem suam ab alio injustè detentam. 33. 410
Surripiens rem alienam coram aliis debet in confessione aperire non solùm furtum, sed etiam scandalum. 39. 412
Accipiens rem vendendam tanti, non potest sibi retinere excessum. 25. 408
Latrunculi maritimi à monte Argentario, &c. excommunicantur in Bulla Cœnæ. 99. 70
Item surripientes in litore maris bona naufragantium Christianorum. 100. 70
Furans in Ecclesia cum effractione portarum est excommunicatus. 38. 164
An liceat compensatio propria authoritate facta. 28. 409
Circa quæ sint Sartores interrogandi. 35. 411

*Gabella.*

JUsta solvenda est. 10. 282
Eam defraudantes tenentur restituere. ibi.

*Gratia.*

SAnctificans incompatibilis cum mortali. 17. 619
Efficax, & sufficiens quid. 18. ib.

*Gula.*

OPponitur abstinentiæ. 46. 540
Quis censeatur comedere, & bibere usque ad satietatem. 2. & 3. 289
A gula quæ vitia proveniant. 4. 290

*Hæredes.*

NEcessarii quinam sint. 15. 395
An non conficientes inventarium teneantur de proprio ultra vires hæreditatis. 21. 729
Gravati, ut alteri hæreditatem restituant, possunt detrahere Trebellianicam. 22. 718
Falcidiam ex quibus possit hæres detrahere. 24. ib.
Filii spurii nequeunt hæredes instituì. 28. 729

Hæres alicujus tenetur alere ejus filium spurium, si egeat. 29. ib.
Hæres necessarius gravatus restituere hæreditatem potest detrahere legitimam. 23. 728
Hæredes tenentur restituere usuras à defuncto testatore relictas. 33. 224
Qui à sex mensibus possessæ hæreditatis reperit bona accepta non esse defuncti, ad quid teneatur. 58. 429.
Quæ votorum obligationes transeant ad hæredes. 64. 431

## Hæresis, Hæreticus.

Quid sit. 4. 13
In quo consistat pertinacia. 5. ib.
Quando hæresis dicatur interna, & quando externa. 6. ib.
Hæreticus an possit absolvi à simplici Confessario. 7. 14. & 15. 722
In quo differat à blasphemo hæreticali. 9. ib.
Negans hunc numero Papam esse verum Pontificem, caput visibile Ecclesiæ Catholicæ, an esset hæreticus. 19. 17
An Confessarius ordinarius possit absolvere credentes, fautores, &c. 22. 18
Hæresis externa in Jubilæo non potest absolvi. 23. ib.
Et an, qui per jocum suam hæresim profert. 25. ib.
In mortis articulo simplex Confessarius potest absolvere ab hæresi etiam publica, & à cæteris censuris Bullæ. 26. 19
Extra quem articulum, si à prædictis absolvit, ipso facto sententia excommunicationis innodatur. 27. ib.
Quid agendum Confessario cum eo, qui se accusat, quòd coactus ab hæreticis adoravit effigiem Lutheri. 6. 282
Hæreticis fides servanda est. 59. 372
Cum hæreticis non est ita facilè paciscendum. ibid.
Italis non licet conversari cum hæreticis ibid. ad calcem.
Hæretici jure sunt subditi Ecclesiæ. 23. 680
Quid ipsi agendum cum rustico, quem inter confitendum reperit credere pœnas inferni, sed non æternas. 8. 285.
An quodlibet peccatum contra fidem sit hæresis. 10. ib.
Hæreticus in confessione tenetur aperire qualitatem hæresis internæ, an fuit Lutheri, v. g. an Calvini. 12. 284
An sit hæreticus, qui credit, quòd Corpus Christi sit utique sub hostia ritè consecrata, sed non, quod sit sub hostia consecrata à tali Sacerdote concubinario. 6. 334
Hæretici subsunt legibus Ecclesiæ. 55. 750

## Homicidium.

Quid veniat nomine occisionis. 2. 88
An peccet, qui se castrat, vel hoc permittit. 7. 8. 88. sq.
An ad defensionem propriæ vitæ liceat injustum aggressorem occidere. 9. 89
Quomodo se defendens à Confessario est interrogandus. 10. ib.
Vir nobilis, dum potest, uxorem accipere, debet. 11. ib.
An liceat occidere Bannitum. 15. 90
Non possunt occidi Judices, & falsi testes, à quibus injusta sententia expectatur. 20. 91
Neque licet occidere proximum ad defensionem rerum temporalium. 2. 391. & 8. 392
Qui proximum occidit, peccat contra justitiam. 3. 4. 5. 391
In confessione aperienda est persona, quæ occiditur, mutilatur, aut verberatur. 7. 392
Offendens Romipetas, qui tales, excommunicatur in Bulla Cœnæ. 106. 72
Ad quid teneatur occisor. 13.

## Hora Canonica.

Beneficiati tenentur recitare Horas canonicas. 3. 92
Quæ aliæ personæ teneantur. 2. 190
Quando obligatio incipiat. 3. ib.
Legens eas sine interna attentione non satisfacit. 592. & 4. 190
Omittens partem notabilem officii divini mortaliter peccat. 53. 191

Quæ

Quæ sit pars notabilis. 14. ib.
Peccat mortaliter non recitans Litanias in die Rogationum, & S. Marci. 16. 193
Omittens totum officium unius diei, quot peccata committat. 17. 193
An servare formam Breviarii, & applicatam ad tale tempus sit in præcepto. 19. 193
An ægrotus teneatur partem officii recitare. 9. 563
An Prælati Regulares possint cum suis subditis dispensare super recitatione Breviarii. 10. 564.
Beneficiatus audiens socios canentes, & submissa voce suos recitans versus satisfacit præcepto. 23. 194
Sed non potest distributiones percipere. ib.
Horæ Canonicæ voce sensibili debent recitari. 24. 194
Non peccat mortaliter, qui statutis horis officium non recitat. 25. 194
Quid agendum Confessario cum eo, qui se accusat non recitasse divinum officium. 28. 195
Qui non potest recitare totum officium, tenetur recitare illam partem, quam potest. 4. 562
Causæ excusantes à recitandis horis canonicis. 2. 561
Materia præcepti de recitando officium est divisibilis. 4. 562
Carens Breviario tenetur recitare partem officii, quam tenet memoria. 5. 6. 7. & 8. 562. sq.

## Hostia.

Sub eorite consecrata est Corpus Christi. 6. 334
Non consecrata pro consecrata non potest sumi. 4. 386

## Hypocrisis.

Est species simulationis & mendacii. 29. 384
Quando sit mortale. 30. ib.

## Jactantia.

An sit species mendacii. 31. 384
In quibus casibus sit mortale. 32. 384

## Jejunium.

Est duplex naturæ, & Ecclesiæ. 2. 96
Quot ad substantiam Ecclesiastici jejunii concurrant. 3. ib.
Duo præcepta includit. 6. 97
Dispensatus ad edendas carnes, an teneatur jejunare. ibid.
Quomodò abstinentia à carnibus sit de essentia jejunii. 7. 97
Comedens carnes in die jejunii, & multipliciter se reficiens duo peccata committit. 8. 97
Toties peccat, quoties cibos prohibitos sine justa causa edit. 9. ib.
Tenetur jejunare, qui in manè sumit jentaculum, & ignorat esse diem jejunii, si postea advertit urgere præceptum. 13. 98
Quid, si tunc cibos prohibitos comederit. 14. ibid.
Dispensatus in esu carnium peccat comedendo carnes nocivas. 23. 100
Decretum Clementis XI. de qualitate carnium, &c. ib.
Quanta debeat esse quantitas cibi in refectiuncula serotina. 15. 98
Et quinam cibi possint in ea sumi. 16. ib.
An Chocolata frangat jejunium. 17. 99
Jejunare tenetur in die Nativitatis Domini qui singulis sextis feriis vovit jejunare. 19. 96
Qui integro mense vovit jejunare, tenetur secundum partem, si non potest pro toto mense. 20. 100
Vovens jejunium debet abstinere à lacticiniis. 35. 633
Vovens jejunare tenetur ad jejunium, licèt non impleverit annum 21. ætatis. 3. 185
An Advocati, Procuratores, & Concionatores teneantur ad jejunium. 6. & 7. 185. sq.
Quid Confessario agendum cum eo, qui se accusat super fractione jejunii. 22. 100

Jejunium naturale prærequitur ad communionem. 19.569
In aliquibus tamen casibus potest à non jejuniis sumi Eucharistia. 21.570

## Ignorantia.

VIncibilis, & invincibilis. 2.614
Vincibilis, crassa, seù supina, & affectata. 3.615.
Alia antecedens, concomitans, & consequens 4. ibid.
Ignorantia juris, & facti. 10.243
Ignorantia non excusat à pœna debita peccatis 17.625
Benè verò à censuris. 29.588
An ignorantia excuset ab obligatione voti. 63. 465
Non potest dari ignorantia invincibilis Dei. 4. 622
Ignorans mysteria fidei divinæ non est capax absolutionis, 15.352
An ignorantia sit peccatum mortale. 166.155

## Immunitas.

QUid sit immunitas Ecclesiastica. 24.54
Quibus immunitas Ecclesiæ non suffragetur. 25. ib.
Violantes immunitatem Ecclesiasticam sunt excommunicati. 33.55
Facientes statuta, quibus Ecclesiastica libertas læditur, sunt excommunicati in Bulla Cœnæ. 111.74
Violatores Immunitatis tempore Jubilæi non absolvi possunt. 34.55

## Impedimentum matrimonii.

IMpedimenta non dirimentia. 15.741
Impedimenta dirimentia. 16. ib.
Impedimentum *erroris*. 24.743
Impedimentum *conditionis*. 29.744
Impedimentum *voti*. 31.744
Impedimentum *cognationis*. 37.745
Impedimentum *criminis*. 51.749
Impedimentum *disparitatis cultus*. 52. ib.
Impedimentum *metus*. 58.751
Impedimentum *ordinis*. 64.752
Impedimentum *ligaminis*. 66. ib.
Impedimentum *publicæ honestatis*. 71.753
Impedimentum *affinitatis*. 73.754
Impedimentum *impotentiæ*. 74. ib.
Impedimentum *clandestinitatis*. 78. ib.
Impedimentum *raptus*. 104.763

## Impudicitia.

QUid sit. 8.731

## Indulgentia, & Jubilæum.

INdulgentia, quid sit. Quid ejus effectus. Quid importet Quarantena. Quid significet illud dictum: *Indulgentia tantùm valent, quantum sonant.* Et illa clausula: *Indulgentiam, & remissionem peccatorum concedimus.* 3.4.6.198.sq.8.9.& 199.sq.
In quo Indulgentia plenaria differat à Jubilæo. 12.200
An ad Indulgentiam lucrandam sit necessaria actualis confessio. 13. ib.
Confessio debet fieri apud Confessarium ab Ordinario loci approbatum. 6.77
Opera injuncta præstanda sunt in eadem hebdomada. 17. & sequen. 201
Qui vult Indulgentiam lucrari, jejunat, licet ad jejunia Ecclesiæ non teneatur. 22.202
Superior debet eleemosynam dare pro suis Religiosis. 26.203
Facultas competens Confessario electo per Bullam Jubilæi. 27.28.29.30.31.p.203.sq.
Qui tempore Jubilæi oblitus est petere commutationem voti, non potest deinde extra Confessarium obtinere. 33. ib.
Cùm Bulla negat facultatem commutandi votum castitatis, intelligitur de voto castitatis perfectæ. 34.& 35.204
Vovens servare castitatem ad certum annos, non petit commutationem. 40.204
Ab hæresi, Apostasia à fide & schismate non absolvitur vigore Jubilæi. 42. ib.
Ab hæresi nec tempore Jubilæi absolvit Confessarius ordinarius. 29.266

Bulla intelligitur tam de voto solemni, quàm de simplici. 41.204
Virtute Jubilæi non potest absolvi excommunicatus denunciatus, parte non satisfacta. 43.205
Quando non potest satisfacere ante absolutionem, quid agendum. 44.ib.
Quid Confessario agendum cum eo, qui secunda hebdomada omnia opera fecit, sed die Dominico non potest communicare. 45.ib.
Confessarius etiam ultima Dominica potest commutare omnia opera injuncta. 46.ib.
Potest prorogare confessionem, & communionem pœnitenti, & quando. 47.ib.
A quibus, Jubilæo transacto, possit Confessarius absolvere. 48.&49.205
Clausula hæc: *Indulgentia potest applicari per modum suffragii animabus Purgatorii*, quid significet. 50.206
Indulgentiæ concessæ pro defunctis, an eis infallibiliter prosint. 51.ib.
Liberatur determinatè anima illa, pro qua celebratur Missa in altari privilegiato. 52.ib.
Jubilæum unica tantùm vice obtinetur, licèt sæpius opera injuncta repetantur. 54.207
Idem est de Indulgentia affixa diei determinatæ. 55.ib.
Quid dicendum de Indulgentia Portiunculæ. 56.ib.

*Infidelis.*

INfidelis, Lutheranus v. g. non credens veritates fidei Catholicæ ductus opinione minus probabili, non excusatur à peccato. 1.280
Si prudenter dubitet de veritate suæ sectæ tenetur procurare certitudinem fidei Catholicæ. 2. ib.
Infidelis materialis in quo differat à formali. 3.281
Datur differentia inter Paganismum, Judaismum, & hæresin. 4.281.

*Inimicus.*

UNde colligendum, quòd ex charitate non diligatur. 10.307
An peccet, qui inimicum non alloquitur. 14. 309
An sit debitum orandi pro inimicis. ib.308
Inimico veniam petenti est remittenda injuria. 16.310
An sit condonanda satisfactio, etiam justa, &c. 17.310

*Instructio.*

SCribendi ad Sacram Pœnitentiariam. 108. 764

*Intentio.*

INtentio est actus voluntatis. 87.644
In ministro conficiente Sacramenta est necessaria intentio *saltem faciendi, quod facit Ecclesia.* 84.643
Objectum hujus intentionis quodnam sit 85.643
Intentio triplex. 87.644
Actualis, alia directa, reflexa altera. 88.644

*Interdum.*

QUid, & quotuplex sit. 3.242

*Invidia.*

QUid sit. 25.108
Quomodo differat ab odio. 21.311
Dantur ejus filiæ. 36.538.sq.
An sit ex genere suo peccatum mortale. 25.108

*Ira.*

QUid sit. 153.151
Fit mortale per accidens. 152.150
Opponitur mansuetudini. 154.151
Quando ex parte objecti sit mortale. ib.
Ira per zelum bona. 153.151

*Irregularitas.*

COntrahitur etiam sine culpa. 60.121
Quid sit, & an sit censura. 12.2
Distinctio irregularitatis ab excommunicatione, suspensione, & interdicto. 13.244
Incurritur à Clericis, etiam in bello defensivo. 58.120
Et si alium occidant ad sui defensionem. 60. 121
Incurritur etiam sine peccato. ib.

Procedentes ad bellum ex dispensatione Papæ non fiunt irregulares. 62.122
In articulo mortis nequit Sacerdos dispensare super irregularitate. 46.250
Sacerdos irregularis, licèt absolutus ab excommunicatione, qua ligabatur, peccat mortaliter, si celebrat. 51.251
Vide verb. *Clericus.*

## *Irrisio, seu derisio.*

QUid sit. 35.508
An sit mortale deridere res sacras. 36.509
Et deridere aliquem causa recreationis. 37.509

## *Judæus.*

CHristianis non licet uti opera medici Judæi. 15.340
An possit cum Judæis celebrari contractus. 16.341
An liceat cum Judæis disputare de rebus fidei. 17.341
Non licet uti pileo flavo, quo Judæi utuntur. 12.339

## *Judex.*

JUdex non potest recipere quidquam pro ferenda sententia. 2.& 3.168
Acceptum restituere tenetur. 4.169.
In ferendo judicio tenetur sequi opinionem magis tutam, probabiliorem. 4.275
Si cognoscat probationes utriusque partis esse æquales, peccat, si potius uni, quam alteri adjudicet. 5.275
Judex quomodo debeat instrui à Confessario, quando per testes criminis reus convincitur, & ipse privata scientia scit, eum esse innocentem. 2.274
Non potest reum damnare, si privata scientia sciat esse reum, dum hoc juridicè non probetur. 3.274
Tenetur ad restitutionem, si secundùm legem non damnat reum ad pœnam pecuniariam applicandam Fisco, vel aliis. 7.275
Judex Laicus trahens personam Ecclesiasticam ad suum tribunal est excommunicatus in Bulla Cœnæ. 111.74
Quando interroget secundùm formam juris. 43.364

## *Judicium temerarium.*

QUid sit. 48.636
Est ex genere suo mortale. 49 ibi.
Suspicio describitur. 50. ibi.

## *Juramentum.*

QUid, & quotuplex sit. 2.356
Dantur conditiones necessariæ, ut sit licitum. 3.4.& 5.356 seq.
In juramento assertorio non datur parvitas materiæ. 6.356
Nec in promissorio. 7.8. ibi.
Jurans sine animo jurandi mortaliter peccat. 12.357
Jurans facere aliquid, quod secundùm unam partem est possibile, & secundùm aliam impossibile, tenetur adimplere, quoad partem possibilem. 16.359
In omni juramento, quæ conditiones subintelligantur. ibi.
Peccant mercatores, si contra veritatem jurant. 17. ibi.
Juramentum extortum vi, & metu est servandum. 19.359
Princeps Christianus petens juramentum à Rege idololatra an peccet. 27.361 & 48.366
Conditiones necessariæ ad juramentum. 3.355
Agitur de juramento Aulicorum. 15.358
Et de illo filiorum, & uxorum. 38.359
Per se non datur obligatio jurandi. 45.365
Irreverentia per jurio Deo irrogata. 47.366
Obligatio juramenti promissorii variis modis tollitur. 56.366
Obligatio implendi juramentum unde sit. 58.369
De Juramento facto meretirici. 58.371. seq.
Promittens cum juramento redire post tale tempus ad Turcas, ubi erat captivus, debet exequi. 28.361
Promittens cum juramento, & dubitans, an habuerit intentionem se obligandi rem promissam, dare debet. 30. ibi.
Jurans se ducturum uxorem, peccat, sed non tenetur juramentum servare. 32.362.

Jura-

Juramentum factum per errorem, an obliget. 44. 364
Promittens cum juramento ducere in uxorem eam, quæ sibi sui corporis usum concessit, tenetur eam ducere. 26. 382
Jurans solvere usuras mutuanti, tenetur illas solvere. 23. 496
Qui est assuetus indifferenter jurare, tam verum, quàm falsum, peccat quoties jurat. 13. 11 & 15. 604
Sciens sub secreto, etiam juramento aliquem esse hæreticum, tenetur ipsum denunciare. 6. 21
Variæ formulæ jurandi. 34. usque ad 41. 362
Quis relaxet juramenta. 41. 364. 54. 56. & 57. 367. seq.
Veritas *dicti* in juramento non est dispensabilis. 57. 368

## *Legatum.*

Quid sit. 2. 226
Quid legatum pium. 3. ibi.
Negligentes implere legata peccant. 4. ibi.
An relictum pro maritandis puellis possit dari monachandis. 19. 727
Vide verb. *Fratr. Minores.*

## *Lex.*

Quid, & quotuplex sit. 2. & seq. 181
Lex humana obligat in conscientia. 6. & 7. 182
Lex pœnalis duplex. 8. & 9. ibi.
Peregrini tenentur legibus specialibus locorum, per quæ transeunt. 11. 183
Fruuntur privilegiis locorum, nisi accedant in fraudem. 14. ibi.
Legibus Ecclesiasticis an teneantur pueri, adepto usu rationis. 19. 184
Lex æterna innotescit independenter à quacumque lege positiva. 2. 631
Lex canonica corrigit civilem. 17. 66

## *Libertas.*

Sine libertate non peccatur. 626
Ad merendum requiritur libertas à necessitate. 2. ibi.
Votum non stat sine libertate. 3. 651
Quanta libertas ad vovendum requiratur. 4. ibi.

## *Libri prohibiti.*

Libri prohibiti sunt in duplici classe. 2. 260
Quinam dicantur de Religione tractare, vel hæresim continere. 3. ibi.
Qui hos legit, ligatur excommunicatione in Bulla Cœnæ reservata. 4. ibi.
Legens librum prohibitum, qui agit de Religione, vel hæresim continet, ligatur duplici excommunicatione. 7. 261
Ad eam incurrendam sufficit legere manuscripta. 8. ibi.
Et fragmenta, ac folia in librum non congesta, 9. 10. 261. seq.
Non excusatur à censura legens ob solam curiositatem, aut ad confutandos hæreticorum errores. 14. 264
Nec qui librum oculis percurrit, & mente considerat contenta in eo. 15. 262.
Nec legens, & non percipiens, quod legit. 16. 267. seq.
Nec excusatur audiens legere. 17. & 18. 263
Parvitas materiæ aliquando excusat ab incursu censuræ. 19. ibi.
Legens libros Grammaticos, Poëticos, &c. hæreticorum, ligatur censura non reservata. 20. 264.
Qui legit Biblia sacra idiomate vulgari peccat mortaliter. 21. ib.
Sed quid de legente Talmud Hebræorum, vel Alcoranum Turcarum. 22. & 23. ibi.
An legens libros Astrologiæ Judiciariæ, scripta Geomantiæ, &c. incurrat excommunicationem Bullæ Cœnæ? 24. & 25. 264. seq.
Legens libros prohibitos non tenetur denunciare se ipsum. 27. 265
Contra quam virtutem peccent, retinentes, & legentes libros prohibitos. 32. 267

## *Lucrum.*

Damnum emergens, & lucrum cessans quid. 4. 219
Lucrum receptum ob homicidium non potest retineri. 64. 464
Nec pro sententia justa, vel injusta. 2. 3. & 64. 464.

An lucrum alearum ludo quæsitum possit retineri. 62.463
Meretrices possunt retinere lucrum. 58.461
Facientes excommissas cum certa scientia lucrum recipere & retinere non possunt. 79.464

## Ludus.

AN in ludo transferatur dominium. 62.463
Qui Clericis prohibeatur. 71.435
Fingens se ad ludendum imperitum debet restituere, si victor sit. 67.465
Acquisitum ex ludo cum Religiosis retineri nequit. 69.465
An qui per ludum prohibitum Alearum, & Taxillorum aliquid lucratur, retinere possit. 70.433
Lusor quando censeatur uti fraudibus illicitis contra leges ludi. 71.433
An possit absolvi, qui conduxit, & tenet domum ad ludum. 19.613
An ludens cum fure, possit retinere, si vincat. 70.&71.466
Vide verb. *Usura.*

## Luxuria.

QUid sit. 2.529
In Confessione explicandæ sunt species luxuriæ. 7.531
Luxuria est peccatum mortale ex sua natura; nec ex parvitate materiæ fieri potest veniale. 9.&10.533. seq.
An peccet venialiter maritus cognoscens conjugem ad solam incontinentiam vitandam. 13.533
Super quo est interrogandus à Confessario pœnitens, qui se accusat habuisse cogitationes impuras. 23.535
Motus venerei quando censeantur esse mortalia. 25.536
Assignantur species luxuriæ. 4.540

## Maledictio.

QUid, & quotuplex sit. 38.509
An maledicere creaturis irrationalibus sit læthale peccatum. 40. ibi.
Qui unico actu integræ familiæ maledicit, tot peccata patrat, quot sunt illius personæ 41.509.seq

## Matrimonium.

BOna ipsius. 2.295.&2.541
Consideratur ut contractus, & ut Sacramentum. 2.737
Ejusdem materia, remota, & proxima: Forma, & Minister. 3.4.5. ibi.seq.
Matrimonium contractum coram Parocho per vim adhibito, & etiam contradicente, est validum. 10.11.739.seq.
Sufficit Parochus viri, vel mulieris. 13.740
Et ille domicilii, vel habitationis. 80.754
Ante annos pubertatis matrimonium contrahi non potest. 41.660
Est validum contractum coram Parocho excommunicato. 96.759
Et coram Parocho, cui Episcopus prohibuit assistere. 97.759
Non verò coram Parocho publico hæretico. 102.761
In locis, in quibus est publicatum Tridentinum, etiam si sint loca Hæreticorum matrimonium debet celebrari coram Parocho, & testibus. 101.761
Præsentia Parochi debet esse physica, & moralis. 67.716
Copula non est de essentia matrimonii. 7.738
Celebratum sine præsentia Parochi, & Testium non ratificatur per copulam subsequentem. 88.756
Esto contrahentes allegarent se ignorasse esse necessarios. 83.755
An sit validum contractum coram Parocho nondum Sacerdote. 85.755
Parochus non potest delegare Clericum ut assistat. ibi.
Parochus non potest dispensare in denunciationibus. 89.757
Quid dicendum de casu infirmi volentis ducere concubinam. 90. ibi.
Polygamus, etiam mortua legitima uxore, eget dispensatione, ut aliam ducat. 91. ibi.
Juste damnatus ad mortem ducit meretricem, quam alias non duceret, an validè. 62.&3

Abutens filia Petri eam ducit ob metum à Petro incussum, an validè. 63. ibi.
Ad celebranda secunda vota requiritur certitudo de morte prioris viri. 67. 752
Trahitus ad secundas nuptias absque sufficienti notitia de morte prioris conjugis non est licitus. 69. ibi.
An adulterium cum uxorem dirimat matrimonium posteà contractum. 14. 544
Gradus consanguinitatis usque ad quartum est impedimentum dirimens matrimonium, & cur. 50. 748
Valet matrimonium cum serva, quæ putatur libera. 28. 744
Item, si servitus sit nota. 29. ibi.
Cur error circa personam matrimonium annullet, non verò circa qualitatem. 61. 743
Fornicatio matrimonium non dirimit. 7. 543
Matrimonium legitimè contractum est perpetuum. 1. 737
Conjuges quoad thorum separari non possunt sine judicio Ecclesiæ. 25. 547
Peccat simulans matrimonium contrahere. 17. 389
Matrimonium contractum cum dispensatione denunciationum consummari non debet, priusquam denunciationes fiant. 89. & 90. 757
Matrimonium nullum à principio ex defectu consensus non inducit impedimentum publicæ honestatis. 92. 758
Quæ servanda in matrimoniis militum. 98. 759. seq.
Pœnæ Sacerdotum tam Sæcularium quam regularium assistentium matrimoniis sine licentia. 84. 755
Cautæ pro Matrimoniis vagorum. 90. 757
Cajus, mortua Camilla uxore, potest ducere Terentiam uxorem relictam à patre Camillæ defuncto. 100. 761
Ad vitanda incommoda hujus vitæ non licet matrimonium simulare. 17. 389
An etiam ex Matrimonio nullo inducatur impedimentum publicæ honestatis. 93. 758
Matrimonium inter raptam, & raptorem. 104. 763
Infirmus non est impotens ad matrimonium. 76. 754
Tres species clandestinitatis. 86. 756
Concubinarius infirmus metu inferni contrahit matrimonium, an validè. 61. 751
Ad matrimonium est necessarius consensus. 8. 739
Quid, si sit conditionatus. 9. ibi.
Turca conversus ad fidem potest aliam ducere, si prior uxor nolit cum eo cohabitare. 53. 749
Si habeat plures uxores omnes retinere non potest. 54. 749
Potest post conversionem retinere eam, cum qua prius contraxit in gradibus solùm lege canonica prohibitis. 55. 749 sq.
Judæus post conversionem debet retinere uxorem, quam in Judaismo repudiavit. 57. 750
Mulier ob hæresim mariti, ipso vivo, non potest alium ducere. 56. ibi.
Praxis Confessarii cum pœnitente laborante ignorantia invincibili circa impedimentum dirimens matrimonium. 4. 296. & 106. 763
Error circa personam matrimonium invalidat. 25. 743
Junctis in matrimonio datur bimestre ad deliberandum, an velint Religionem ingredi. 33. 744
Matrimonia Senum, non verò illa Spadonum, sunt valida. 20. 302
Quæ impotentia dirimat matrimonium. ibi.

## *Medicus.*

NOn potest dare infirmo medicamentum, quod probabiliter putat minus profuturum, eo relicto, quod probabilius prodesse censet. 13. 277
Neque ei dare illud, de quo æqualiter judicat, quod possit prodesse, & nocere. 14. 277
Observanda à medicis in visitatione infirmorum. 6. 80
Et in concedendis licentiis comedendi cibos prohibitos in diebus jejunii. 23. 100
Non licet Catholicis uti opera medici hæretici. 59. ad finem. 372

## *Mendacium.*


QVid sit: quotuplex sit: omne ex suo genere est peccatum. 2.3.4. 373
Jocosum, & officiosum transeunt in perjurium, si juramento firmentur. 5.&6. 374
Est perjurium jurare falsum cum restrictione pure mentali, seu cum locutione amphibologica. 8. 375
Malitia mendacii. 9. ibi.
An cum ea restrictione possit respondere Confessarius, si interrogetur de auditis in confessione. 14. 377
Non mentitur homo, cùm in Epistola, quam mittit ad alium, se subscribit: *Osculor tuas manus, &c.* 24. 381
Etiam factis quis mentiri potest. 28. 383
Mendacium, cum sit malum, pro nullo bono potest consuli. 4. 373
Mentiri in confessione, quando sit mortale. 15. 48


Vide verb. *Restrictio.*

## *Meretrix.*


UNde dicta. 3. 213
An liceat locare domum meretrici. 18. 217
An possit retinere lucrum ex meretricio. 13. 319. & 58. 461
Praxis Confessarii cum meretrice. 18. 82. & 13. 568


## *Metus.*


AB intrinseco, & ab extrinseco incussus. 5. 652
Quæ vota vi metus facta teneant. ibi.
Metus cadens in virum constantem, quinam. 59. 751
An teneat matrimonium per metum contractum. 61. 752


## *Missa.*


MIssa mali Sacerdotis ex opere operato, non valet minus, quàm illa innocentis. 36. 692. seq.
Celebrans sine notitia rubricarum peccat mortaliter. 11. 211.
Diaconus, & Subdiaconus inservientes Missæ in peccato mortali peccant mortaliter. 42. 694
Religiosus applicando Missam contra voluntatem Superioris an peccet mortaliter. 24. 43
Cujusnam valeat applicatio. 25. ibi.
In Missa sunt sex actiones. 28. 691
Datur præceptum de audienda Missa in die festo. 18. 536
Quid sit Missam audire. 19. 536
Qui toto Missæ tempore scriberet, &c. præcepto non satisfaceret. 21. 537
Quænam attentio requiratur ad implendum præceptum. 22.&23. 537
Mulier nequit omittere auditionem missæ, etsi prævideat, aliquem ipsam amarutum esse. 39. 113
An sit peccatum celebrare, maturino non recitato. 10. 210
Missa celebranda est in Altari consecrato. 55. 693
Licitè non celebratur in Ecclesia polluta. 56. ibi.
Celebrandū est cum vestibus benedictis. 59. ibi.
Extra diem Nativitatis non celebrantur plures missæ. 58. ibi.
Extra Ecclesiam non celebratur sine licentia Episcopi. 57. ibi.
In Oratoriis privatis celebratur ex privilegio Papæ. 56. ibi.
Exponuntur illa verba, *libera, &c. de pœnis Inferni*, &c. posita in missis defunctorum. 48. 696
Omittens partem notabilem Missæ peccat mortaliter, & quæ dicatur pars notabilis. 24. 25. 538
Qui audit duas, vel plures partes Missæ à pluribus simul, vel successivè, non satisfacit præcepto. 26. ibi.
Satisfacit, qui tempore auditionis Missæ recitat divinum officium, &c. 28. ibi.
Qui tempore auditionis confitetur Sacramentaliter, non satisfacit. 29. 538
Qui dubitat, an hodie urgeat præceptum audiendi Missam, veritatem inquirat. 30. 538
Dantur causæ excusantes ab auditione Missæ. 34. 560

### *Monialis.*

NOn potest virtute Jubilei eligere Confessarium approbatum, non pro suo Monasterio: immo nec pro suo, nisi fuerit deputatus. 10.78
Negans in Confessione esse monialem, peccat. 12.721
Moniales non excusantur à privata recitatione Horarum. 11.12.564
Monialis ascendens supra tectum violat clausuram. 42.58
Et quando ponens se in Rota. 44.58
An quotidie communicandæ. 27.573

### *Monopolium.*

QUid sit: & an sit licitum. 94.476
Si plures conveniant non vendere, nisi pretio rigoroso justo, peccant contra charitatem, & contra justitiam. 96.477
Quid dicendum de eo, qui ignorando monopolium vendidit pretio currente. 95.476

### *Munera.*

DAntes, vel recipientes munera pro obtinenda gratia à Sede Apostolica excommunicantur. 7.169
Quid Confessario agendum cum eo, qui se accusat illa hoc fine dedisse, vel recepisse. 9.170
Ad censuram prædictam incurrendam, non est necesse, quòd gratia in effectu obtineatur. 13.170
Qui hoc modo officium, vel aliud obtinuit, an illud exercere possit. 10.170
An præbens munera Concubinæ Judicis peccet. 6.169
Et an famuli ipsius munera recipientes. 5. ibi.

### *Mutuum.*

APparato dare ad usuram potest mutuum peti. 44.115
Contractus mutui debet esse gratuitus. 23.446.seq.
Periculum sortis est mutuo intrinsecum. 32,490
Quomodo differat à commodato, & locato, &c. 24.222.&28.449
Quæ res sit materia mutui. 26.222
Cur ex usu domus locatæ, & non pecuniæ mutuatæ possit aliquid justè accipi. 25.222
Quando peccet, qui mutuum accipit sub usuris. 40.41.42.225
Vide verb. *Usura.*

### *Necessitas.*

PRoximi necessitas triplex. 5.315
Necessarium ad salutem necessitate medii quid: & quid necessarium necessitate præcepti. 6.346
In homine non est necessitas ad peccandum: 2.&seq.626

### *Obedientia.*

INclinat ad Superiorum mandata exequenda. 65.124
Obedientia filii erga Parentes in quo consistat. 12.329
Quando quis sit formaliter inobediens præcepto. ibi.

### *Obligatio.*

PArochorum, Confessariorum, & Prædicatorum. 12.349.17.618
Obligatio præcepta in edicto S. Officii. 19.618
Illa mutuatarii. 29.449.seq.
Et illa Commodantis. 39.450.
Et illa Commodatarii. 31.ibi.
Et Locatoris. 32.451
Et Conductoris. 33.ibi.
Et illa Depositarii. 37.453
Et illa ejus, pro quo fidejubetur. 49.456

### *Occasio proxima.*

OCcasio peccandi duplex. 2.606.seq.
Periculum proximum peccandi, quid. 3.607

An, qui est in occasione proxima peccandi, possit absolvi. 5.6.7.& 608
Dantur remedia à Confessario præscribenda pœnitenti, existenti in occasione proxima involuntaria peccandi. 8.9.10.609.& 13.611
An sit in occasione proxima peccandi, qui retinet Domi mulierem, cum qua solum quater in Anno peccat. 16.612
An sit in occasione proxima peccandi, qui exercet artem licitam, sed est illi occasio committendi quamplurima peccata. 18.612
Qui voluntariè se exponit occasioni proximæ peccandi, an debeat hoc aperire in confessione, si in ea constitutus non peccat. 21.614

## Odium.

QUid sit. 22.170
Quomodo differat ab invidia. 21.311
Odium aliud abominationis, aliud personæ. 24.107
Odium Dei, non admittit parvitatem materiæ. 12.288
Odium Dei non potuit non prohiberi. 6. 622. seq.
Odio habere peccatum non est malum. 25. 630. seq.

## Onera.

ONera Missarum quando sint nimis multa. 18.42
Quantum tempus importent illa verba: *infra modicum tempus.* 19. ibi.

## Opinio probabilis.

QUid sit opinio probabilis, & quid probabilior. 2.3 171
Alia est probabilis speculativè, alia practicè. 5. & 6. ib. seq.
Non est idem opinio tuta, & probabilis, & tutior, ac probabilior. 7.172
Non licet sequi opinionem probabilem, relicta probabiliore, 27.175
Inter formidinem remotam, & prudentialem adest differentia. 29.176
Cùm agitur de valore Sacramentorum, nefas est uti opinione probabili, & minùs tuta, tutiore, & probabiliore relicta. 1.268
Quæ dicatur minus, vel magis tuta circa eorundem valorem. 4.269
An attritio sufficiat in articulo mortis? 7. 271
Opinio affirmans attritionem conceptam ex metu pœnarum temporalium sufficere ad Sacramentum, est minus tuta, & ea uti non licet. 8.271
An Confessarius teneatur, sequi opinionem probabilem pœnitentis, relicta sua tutiore, & probabiliore. 15.278
Ex quibus quis possit moveri ad rationabiliter dubitandum de probabilitate alicujus opinionis. 2.279
An in aliquo casu liceat sequi opinionem tenuiter probabilem. ibi.
Operans juxta opinionem certò probabilem, prudenter operatur. 27.175
Probabilitas non facit evidentiam. 17.401
Licet operari juxta opinionem probabilissimam. 10.628
Non deducitur licitè ad praxim opinio speculativè probabilis, &c. 63.700

## Oratio.

POnere vim in numero Orationis superstitiosum. 99.133
Oratio Dominica ab omnibus addiscenda. 13. 617
Per Orationem profiteri ur Deo indigere. 6. 123
Fructus orationis duplex. 14.
Oratio Dominica continet septem petitiones. 12.349
Alia formula Deum, alia Sanctos orare. 11.653. seq.

## Ornatus.

MUlieris, quando peccaminosus. 36.97. 112. & 12.201

*Ordo.*

DEfinitur. 1. 612. septem communiter numerantur. 733
Effectus Sacramenti Ordinis 4. ib.
Ordines majores sunt impedimentum dirimens matrimonium contrahendum. 46. 752
Promotus ad majores, uxore non consentiente, tenetur debitum ipsi reddere, sed exigere nequit. 65. 752
Quinam censeantur exercere Ordines ex officio. 9. 735
Assignatur materia, & forma omnium Ordinum. 14. 736
Ordinati extra tempora sunt suspensi. 16. ib.
Ordinatus in Sacerdotem, duplicem potestatem Ordinis recipit. 15. ib.
Promotus non baptizatus non est validè ordinatus. 7. 734
Non confirmatus licitè non promovetur. 8. 735
An ordines tam minores, quàm majores sint Sacramenta. 12. 735
A quo ordinario Seculares sint ordinandi. 15. 736

Vide verb. *Clericus.*

*Oscula.*

ALiqua sunt licita: aliqua verò sunt mala ab intrinseco. 5. 549. sq.
Ex osculis oritur duplex delectatio. 2. 211

*Pactum.*

TAcitum, & expressum cum Dæmone quid sit. 11. 24. & 70. 126
Regulæ dignoscendi quando operatio sit cum pacto implicito. 80. 127

*Papa.*

ESt de fide Clementem XI. esse Summum Pontificem. 19. 17
Papa est supra Concilium Generale. 90. 645
Quando Papa loquatur ex Cathedra. 101. 648
Est infallibilis Judex controversiarum fidei. 101. 648
Pacta super morte, & electione Romani Pontificis sunt nulla, & pacisentes, auxiliantes, & mediatores excommunicati. 73. 467
Habet potestatem supra Ecclesiam universalem. 90. 645
Licitè adoratur genuflexione. 73. 640
Alexander VII Innocentius XI. & Alexander VIII. quando damnarunt propositiones, locuti sunt ex Cathedra. 110. 650
Ecclesia Catholica habet pro capite Romanum Pontificem. 93. 646

*Parentes.*

QUando peccent erga filios. 13. 328
Obedientia filiorum erga parentes. 12. ib.
Peccant optantes grave malum filiis. 14. 329
Et an nolentes filium alloqui, possint absolvi. 15. 309
Debent filiis necessaria relinquere. 25. 728
Nequeunt eos privare legitima. 23. ib.
Causæ, propter quas possunt filios hæreditate privare. 26. 729
Non possunt instituere hæredes filios spurios, sed debent alimenta ministrare. 25. ib.
An possint de propriis bonis plus uni filio, quàm cæteris relinquere. 34. 730

*Parochus.*

EJus partes quæ. 12. 617. & 17. 674
Tenetur ex justitia sacramenta administrare. 16. 674
Non potest pretium recipere, ut baptizet. 13. 513
Tenetur ex justitia populo sacramenta ministrare. 17. 18. 515
Tenetur divino præcepto certis diebus celebrare pro suis Parochianis. 14. 40. sq.
Tempore pestis non potest suam residentiam relinquere. 18. 674. sq.
Peccat omittens in baptismo solemni ceremonias. 16. 678
Suspensus à Divinis baptizans solemniter extra casum necessitatis, fit irregularis. 15. 677
Dimittens Parochiam, eget nova approbatione pro excipiendis confessionibus. 5. 77
Extra Diœcesim non potest suum Parochianum absolvere. 4. 76
Est testis publicus assistens matrimonio. 6. 738
Non est dominus bonorum Ecclesiæ. 40. 114

## *Parvitas materiæ.*


NOn datur in peccatis contra virtutes Theologicas. 11.104
Nec in juramento assertorio, &c. 11.104. & 6.356
Neque in conferendis, & recipiendis Sacramentis. 13.273
Neque in odio Dei. 12.288
Benè verò in peccatis filiorum erga parentes. 11.328
Nec in Simonia. 29.518
Nec in irrisione rerum sacrarum. 36.509
Nec in Luxuria, & delectatione venerea. 9. 10.532


## *Peccatum.*


QUid: & quotuplex sit. 1.& sq.101
Unde cognoscatur peccatum esse de natura sua mortale. 4.102
Distinctio numerica peccatorum, ex quo sit. 12.105
Quæ peccata specie distinguantur. 15.105
Ex qua præceptorum diversitate colligatur specifica diversitas peccatorum. 17.106
Peccata dubia spectant ad integritatem materialem Confessionis. Et quomodo confitenda. 8.& 9. 45
Sunt materia necessaria, non sufficiens. 4. 574
Non quovis peccato deperditur fides. 30. 631
Quodnam sit materiale, & formale. 6.617
Peccatum ex genere suo veniale potest per accidens esse mortale. 7.105
Non omnia mortalia possunt ob parvitatem materiæ fieri venialia. 10.104
In quibus non detur parvitas materiæ. 11.ib.
Minus malum nunquam est consulendum. 41. 114
Peccata mortalia sunt septem: & cur dicantur capitalia. 51.638
Peccata mortalia sunt materia remota, necessaria confessionis. 2. 73
Numerus peccatorum aperiendus in confessione. 12.46
Non omnia opera infidelium sunt peccata. 24. 630
Peccatores publici, quomodo, ut tales cognoscantur. 12.568
Per contritionem perfectam extra Sacramentum non remittuntur peccata, nisi sub onere subjicienda ea clavibus. 574
Peccatum Philosophicum quomodo distinguatur à Theologico. 7.613
Idem peccatum, quod est Philosophicum, est etiam Theologicum. 8.ib.
Peccatum Philosophicum est offensa Dei. 9. ibidem.
Violans legem naturalem, Deum offendit. ib. 12.614
Peccato Philosophico correspondet pœna æterna. 16.615
Multa, quæ per se, non sunt mortalia, fiunt talia per accidens. 19.606
Venialia sunt triplicis generis. 8.103


## *Pecunia.*


HAbet duplicem valorem. 15.445
Diversis modis potest moneta adulterari. 84.470
Expendens, monetam defectuosam tenetur damnum compensare. ibid.
Valor pecuniæ attenditur pro tempore, quo res emitur. 85.471
Præsens non est pretiosior numeranda. 2.479.sq
Valor monetæ crescit, & decrescit Domino. 6. 481
Pecunia pro re spirituali data, sive ut pretium, sive ut incitamentum, aut ut gratuita compensatio semper concludit Simoniam. 2. 510


## *Pœnitentiæ Sacramentum.*


DEscribitur. 1.716
Ejus forma: materia duplex: proxima, & remota: remota, item duplex, necessaria, & sufficiens. 2.573
Materia proxima sunt actus pœnitentis. 6.574
Impositio, vel executio satisfactionis à Confessario non est pars essentialis Sacramenti pœnitentiæ. 3.64
Satisfactio duplex, in re, & in voto. 3.ib.
Actu exhibita est pars integralis Sacramenti pœnitentiæ. 4.ib. 38.634


Pœni-

Pœnitens tenetur acceptare pœnitentiam, tum præservativam, tum satisfactoriam. 6. 84. sq.
Non potest imponi pro peccatis sub hac dispositiva: per se, vel per alium. 9. 85
An Confessarius B. possit commutare pœnitentiam impositam à Confessario A. 10. & seq. 85. sq.
Ad quid teneatur, qui obliviscitur pœnitentiæ. 14. 86

*Pensio Ecclesiastica.*

DAtur propter Officium 79. 64
Reservare pensiones ex Beneficio quando sit simonia. 82. 64
Exigens pensionem alteri resignatam committit Simoniam. 94. 69
Pensio agri locati ob sterilitatem minuitur. 34. 451

*Percussio.*

PErcutiens Clericum mortuum non est excommunicatus. 20. 246. sq.
Mandans percussionem Clerici non potest absolvi. 26. 247
Quid dicendum de inveniente Clericum cum matre, &c. 23. 246
Et de fœmina honesta à Clerico ad malum provocata. 24. 246
Ratam habens percussionem Clerico ligatur censura. 69. 62
Quæ percussio levis, mediocris, & gravis. 48. 60
De quo verificetur manus violentas in Clericum injicere. 45. 59
Rapiens Clericum est excommunicatus. 71. 62
Casus excusantes ab incursu censuræ. 52. 60
Quæ violentas manus in Clericum ponit, excommunicatur. 58. 60
An Superior castigans Clericum sit excommunicatus. 29. 247
Quid per violentas manus intelligatur. 48. 59
Spoliantes, mutilantes, &c. commentantes in Curia Romana sunt excommunicati in Bulla Cœnæ. 105. 72
Item vulnerantes, &c. Romipetas. 106. 72
Item interficientes, mutilantes, &c. Cardinales, Patriarchas, &c. 107. 73
Explicatur, quid sit percutere, carcerare, vulnerare, &c. ibid.

*Possessor.*

QUisnam bonæ fidei, & quis malæ fidei possessor reputetur. 10. 416
Dubitans, an res sit aliena, & an Dominus possit illam vendere, est possessor malæ fidei. 11. ib.
Possessor malæ fidei quid restituere teneatur. 19. 418
Confessario quid agendum cum hæredo, qui reperit bona accepta non esse defuncti testatoris. 58. 429.

*Præceptum*

PRæcepta Decalogi à fidelibus retinenda memoriæ. 12. 349
Præcepta Ecclesiæ obligant sub mortali. 1. 550. & 13. 617.
Præcepti materia duplex, divisibilis, & indivisibilis. 3. 561
Aliquando peccatur cum contemptu formali legis. 17. 555
Adest præceptum profitendi exterius fidem Catholicam: & est duplex. 2. 335. sq.
Quando per se obliget. 3. 336
Interrogatus à persona, etiam privata, tenetur fidem fateri. 4. 336.
Negans apud Hæreticos se esse Papistam peccat. 5. 337
Omittens signum assumendum jussu Principis infidelis ad distinguendos Catholicos, à non Catholicis, peccat. 9. 338
Præceptum negativum, & affirmativum Fidei. 11. & 12 3
Et illud Spei. 19. 6
Et illud Charitatis. 27. 8
Hominibus est datum præceptum speciale Fidei, Spei, & Charitatis. 4. 5. & 62. seq.
In præceptis non licet sequi opinionem minus probabilem. 30. 176. sq.
Non licet Catholicis uti infidelium vestibus, protestativis fallæ sectæ. 11. 339
Disputare de rebus fidei cum infidelibus quibus prohibitum. 27. 348
Praxis Confessarii cum pœnitente, exponente se cum Infidelibus esse conversatum. 15. 342

Datur

Datur præceptum erogandi eleemosynam. 2. 314

*Præsumptio.*

QUa ratione dicatur peccatum contra Spem 21. 6
Quæ præsumptio sit filia superbiæ. 32. 538

*Pretium.*

LEgale, & morale, seù naturale : hoc, infimum, medium, seù summum. 82. 469
Pecunia habet duplicem valorem. 15. 443
Pecunia præsens non est pretiosior futura. 2. 479
Vendens rem pretio currente non peccat. 89. 473

*Privilegium.*

PRivilegia data Regularibus fuerunt moderata, & aliqua revocata. 3. 196
Privilegiis à Tridentino revocatis non possunt Regulares uti. 1. 195
Quando expresè revocentur. 4. 96
Per privilegiorum confirmationes, non reviviscunt. 5. 6. 7. ibi.
Sed quid, si non apponatur clausula revocatoria : *non obstantibus, &c.* 8. ib.
An Regulares possint uti suis privilegiis in locis, in quibus non fuit receptum Triden. vel Bulla revocatoria. 10. 197
Praxis Confessariorum in hac materia. 11. ibi.
Per generalem confirmationem privilegiorum, &c. non innovantur Indulgentiæ revocatæ. 2. 198

*Prodigalitas.*

PEr excessum opponitur liberalitati. 15. 105
Fit mortale per accidens. 19. 606.

*Professio.*

EMissa à Laico in Ord. Frat. Min. de Obser. ante 20. Annum ætatis, est valida 24. 656
Formula professionis, quæ emittitur à Fratribus Min. 10. 653
Professio in Religione approbata dirimit matrimonium contrahendum. 34. 745
Etiam contractum non consummatum 33. 744
Emissa à personis sæcularibus de Tertio Ordine, non continet obligationem voti. 28. 657
Quid ponderandum ab allegantibus contra validitatem professionis. 6. 652
In dubio, quod professio sit emissa per metum possessio stat pro professione. 6. 653

*Prudentia.*

QUid? cur dicatur virtus moralis. 172. 156
Vide verb. *Virtus moralis.*

*Puella.*

PEccat mortaliter, si se præbet conspiciendam adolescenti, à quo credit turpiter concupisci. 3. 212
An sine peccato possit habere amatorem. ib.
Quæ post occultam defloration obtinuit Dotem virginibus debitam, non potest eam retinere. 30. 537

*Propositum Emendationis.*

PRopositum, quid, & quid promissio. 2. 600
Ad validam absolutionem requiritur in pœnitentem propositum non peccandi. 6. 601
Sed sufficit virtuale. 7. 602
Confessarius colligit ex circumstantiis, an pœnitens habeat verum propositum 9. & 10. 602 sq.
Qui confitetur aliquod veniale, debet habere propositum illud iterum non committendi. 6. 605.
Differentia inter propositum, requisitum ad remissionem mortalis, & necessarium ad remissionem venialis. 17. ib.

*Quadragesima.*

NEc etiam in Dominicis, est interdictus esus ovorum, & lacticiniorum. 2. 3
Dispensatus à lacticiniis non potest carnibus vesci. 6. 188
Et licentiatus ad cibos vetitos, nisi unicam commestionem in die potest sumere. 6. 96
An Catholicus existens in locis Hæreticorum possit in quadragesima comedere cibos prohibitos. 7. 188
In quadragesima dispensatus à carne, non potest illis, aut lacticiniis uti in diebus Sabathi, & quatuor temporum. 8. & 9. 188

Qui

Qui per totam quadrageſimam non jejunat, quot peccata committat. 10. 189
Hiſpanus peccat, dum extra Hiſpaniam interiora animalium comedit. 12. 183
Idem dicitur de Mediolanenſe, exiſtente Romæ primis 4. diebus quadrageſimæ, & non jejunat. ibi.
Peregrinus primis quatuor diebus quadrageſimæ poteſt Mediolani non jejunare. 14. ibi.
An delectari de eſu carnis in quadrageſima ſit peccatum. 17. 534
Vide verb. *Jejunium.*

*Regula.*

DUplex in operando. 18. 173. & 3. 619
Regula ad dignoſcendum, quando peccatori ſit neganda communio. 11. 567
Regula ſervanda in commutatione votorum. 35. 204
Regula *melior eſt conditio poſſidentis.* 14. 300

*Regulares.*

AN in vim ſuorum privilegiorum poſſint abſolvere à caſibus contentis in decretis Apoſtolicis. 23. 53.
Ut virtute Jubilæi abſolvantur à reſervatis, debent confiteri Sacerdoti approbato ab Ordinario loci. 8. 77
Religioſus indiget licentia ſui Superioris ad eligendum Confeſſarium extra Ordinem. 9. 77
Approbatus ab Ordinario invalidè excipit confeſſiones, ſuo Superiore invito. 12. 78
Sacerdos Regularis, ſine Epiſcopi approbatione, quorum Confeſſiones audire poſſit. 13. ibi.
Contra intentionem Prælati non applicat ſacrificium. 14. 41
In Conventibus deputandi ſunt Confeſſarii pro reſervatis. 11. 720
Notitia ex confeſſione habita ad externam gubernationem non adhibenda. ibi. 721
Religioſus extra Ordinem, non bene confitetur Sacerdoti non approbato ab Epiſcopo. 15. 79
Superiores Regulares non poſſunt abſolvere ſuos ſubditos à caſibus Bullæ Cœnæ. 28. 19
Regulares poſſunt aliqua vota commutare: & quæ ſint neceſſaria. 58. 59. 664
Poſſunt diſpenſare ſuper privatione juris petendi debitum conjugale. 60. ibi.
Caſus apud Regulares debent reſervari in Capitulis Generalibus, vel Provincialibus. 10. 720
An poſſint ordinari extra tempora. 9. 197
A quo Epiſcopo ordinandi. 18. 736
Indulgentiæ datæ Regularibus revocantur, & aliæ conceduntur. 1. 198

*Reſtitutio.*

REſtitutio quid ſit: eſt neceſſaria ad ſalutem neceſſitate præcepti: & ſtatim facienda eſt. 2. 3. 4. 413. ſq.
An quis teneatur reſtituere cum gravi damno ſui ſtatus. 6. 414
Quot ſint radices reſtitutionis. 7. 414

Qui fructus percepti ex re aliena restituendi. 16.417. sq.
An, qui rem alienam bona fide possedit, teneatur eam restituere, statim ac cognoscit esse alienam. 12.416
Si eam consumpsit, tenetur restituere id, in quo factus est ditior. 13.416
Quis censeatur, factus ditior ex re aliena. 14.&15.416. sq.
Possessor malæ fidei quid restituere teneatur. 19.418
Quid, si res in manu Domini non fructificasset, quantum fructificavit apud possessorem malæ fidei. 20.418
Et quid, si res furata meliorata sit apud furem. 21.22.23.419
Qui abstulit rem valentem tria, quæ, cum est restituenda, valet quatuor, an debeat restituere quatuor, vel tria, 24. &25.419. sq.
Confessarius, quomodo se gerere debeat cum eo, qui se accusat combussisse segetes proximi. 26.420
Et cum eo, qui accepit rem alienam, quam certè alii surripuissent. 27. 420
An teneatur restituere, qui accepit rem alienam, quæ sine sua culpa periit, & periisset etiam apud verum Dominum. 29.30.31.421
Res aliena in quo loco Domino restituenda sit. 35.&36.422
Cujus expensis facienda sit restitutio in alio loco, vel creditoris, vel debitoris, 38.39.&40.422.sq.
An debitor teneatur ad novam restitutionem, si res, quam Domino misit, pereat. 41.42.423.sq.
An nova restitutio sit facienda ab eo, qui rem furto sublatam, misit Domino per Confessarium, & ipse rem sibi usurpat. 43.424
Quid dicendum de eo, qui de consilio Confessarii distribuit pauperibus rem furto sublatam. 44.425
Et de Confessario, qui talem distributionem consuluit. 45.425
An pecunia aliena, ita cum propriis commista, ut decerni non possit, sit restituenda. 46.426
Et quid dicendum de rebus bona fide à fure acceptis, & cum propriis commistis. 47.48.&49.426
Cuinam restituenda sit res bona fide à fure empta. 50.427
Et quid, si talis res alteri vendatur, & deinde Dominus compareat. 51. 427.sq.
Cui restituere teneatur, qui plures damnificavit, & nescit, quinam sint. 53. 428
Quid agendum Confessario cum Pœnitente se accusante, possidere agrum cum dubio, an sit suus. 54.55.&56. 428.sq.
Qui per plura furtula ad notabilem quantitatem pervenit, est obligandus ad restitutionem. 61.62.63.64. 65.430.sq.
Restituere tenentur cooperantes furto. 66.
An omnes teneantur in solidum, vel pro parte. 67.432
Qui ex errore inculpabili consuluit alicui furari ab aliquo, tenetur ad restitutionem, si furtum committitur. 68.433
Restituere an teneatur, qui iniuste damnum proximo, quod non intulisset, si majorem diligentiam adhibuisset. 72. &73.434

Con-

Confessarius quomodo se gerere debeat cum gravato onere restitutionis, 74. 435
Præcipuè, si pœnitens exiitit in periculo mortis. 75.436
Falsam monetam scienter accipiens non potest eam expendere. 59.60.430
Possidens villam ad quòd teneatur. 17. 418
An res cum melioramento restituenda sit. 21.419
Quid proximum occidens vel mutilans debeat restituere. 13.395
An talis teneatur restituere expensas funeris, & debita solvere. 16. & 17. 395.sq.

*Restrictio.*

ALia purè mentalis, seù interna, & alia non purè mentalis, seù sensibilis, & externa. 9.375
Quæ sit purè interna. ibi. & sq.
Ejus usus prohibitus. 9.sqq.375.sq.
Restrictio non purè mentalis quæ. 13. 377
An Confessarius possit respondere cum restrictione mentali. 14.377
Quid de reo non juridicè interrogato. 15. 377
Et quid de legato Principis. 16.378
An licitus usus restrictionum non pure mentalium. 17.378
Causæ reddentes illum licitum. 19.379
Interrogatus de fide nequit respondere cum restrictione etiam non pure mentali. 19.379
Idem de pœnitente interrogato à Confessario. 379
Et de reo juridice interrogato. ibi.
Et de celebrante contractus. ibi.sq.
Et de promovendo ad Ordines. 21.380
Et de promoto ad Prælaturam. 23.381

*Revelare in vim monitorii.*

POtest quis excommunicatione compelli ad revelanda furta. 53.54.55. 252
Sciens tenetur revelare, licèt probare non possit. 57.ibi.
Revelare non tenentur illi, quos Judex verisimiliter non intendit obligare, & quinam sint. 59.252
An, qui audivit ab alio, revelare teneatur. 60.252
An Confessarius possit absolvere ab excommunicatione contracta à sciente, qui non revelavit. 61.253
Vide verb. *Sigillum.*

*Reus.*

INterrogatus ab Judice, an teneatur veritatem fateri, & jurare, si juramentum exigat. 42.364
Quando censeatur interrogari secundùm formam juris. 43.364
Non potest ad infirmandum testimonium testium crimen falsum objicere. 12. 394
Reus jurans redire ad carceres, tenetur. 28.361

*Rubricæ.*

ALiæ sub præcepto, & aliæ sub consilio. 10.210
Celebrans sine notitia rubricarum peccat mortaliter. ibid. 39.693

*Sacerdos.*


NOn approbatus invalidè absolvit, licèt ex communi errore reputetur approbatus. 16.79

Validè absolvit in mortis articulo. 14. ibi.

Ut Sacerdos absolvendo non peccet, qualem debeat habere cognitionem de dispositione pœnitentis. 10.272

In ordinatione duplicem potestatem recipit. 11.585

Irregularis, & excommunicatus non potest licitè celebrare, licèt absolutus ab excommunicatione. 51.251

Non potest absolvere promotum ad beneficium per simoniam. 37.594

Sacerdos consecrans non loquitur in persona propria, sed Christi. 28.691

Illicitè consecrat unam speciem sine alia. 30. ibidem.

In Missa potest privatim orare pro infidelibus, hæreticis, & excommunicatis non toleratis. 51.697

Existens in mortali debet per se celebrationi præmittere confessionem. 2. 208

Quando censeatur habere necessitatem cebrandi. 3.209

Quando ei censeatur deesse copia Confessoris. 4. ibi.

An excommunicatus celebrans fiat irregularis. 6.209

Celebrans in peccato duo peccata committit. 8.210. & 86.642

An peccet celebrando, matutino non recitato. 10.210

*Quam primum* à Concilio præceptum, quomodò ab eo exequendum. 7.210

An Sacerdos plures communicans, & existens in mortali plura peccata committat. 82.642

Celebrans sine notitia rubricarum peccat. 39.693

Sacerdos denunciatus excommunicatus nec in articulo mortis potest à peccatis absolvere. 96.759

Celebrans in Ecclesia polluta non est suspensus. 54.698

Simplex Sacerdos non potest absolvere à venialibus. 11.78

Sacerdos existens in mortali tenetur celebrationi præmittere Confessionem. 1. 208

Quando reputetur adesse necessitas celebrandi, & deesse copia Confessionis. 3.4.209

Urgente necesfitate celebrandi, si sit ligatus occulta excommunicatione reservata debet confiteri, &c. 5.209

Tunc celebrando, non fit irregularis. 6. ibi.

Sacerdos cognoscens sororem nuptam, nondum à viro cognitam, quatuor peccata committit. 14.159

Illud, *quam primum*, præceptum à Concilio, quomodo intelligatur. 7.210

Quot peccata committat Sacerdos celebrans in mortali. 8.210

Quid, si celebrat, ligatus majori excommunicatione. 9. ibi.

Quid ei agendum, priusquam absolvat ligatum censura reservata. 10.598

Quid importet illud debeando mandatis Ecclesiæ. 15.12

Administrans Sacramentum pœnitentiæ in mortali, tot peccata committit, quot pœnitentes absolvit. 15.585

Sacerdos in articulo mortis non potest absol-

absolvere à suspensione, nec dispensare super irregularitate. 46. 250. sq.
Sacerdoti peccanti contra castitatem satest, ut dicat se esse sacris initiatum. 12. 159

## Sacramentum.

Definitur. 2. 670
Sacramenta novæ legis conferunt gratiam *ex opere operato*. 4. 671
Sacramenta mortuorum sunt illud baptismi, & pœnitentiæ. 7. 671
Sacramenta vivorum aliquando possunt conferre primam gratiam. 8. ibi.
Sacramenta præter gratiam habitualem conferunt auxilia gratiæ. 6. 672
Non licet de formis Sacramentorum aliquid addere, vel tollere. 12. 972
Ut minister licitè conficiat Sacramenta, debet esse in statu gratiæ. 13. 673
Quando licet petere Sacramenta ab existente in mortali. 14. ibid.
In conferendis, vel accipiendis Sacramentis, non licet quid minimum omittere, requisitum ad valorem. 13. 273
Sacramenta sunt sex. 5. 671
Sortilegia cum abusu Sacramentorum, & Sacramentaliũm. 15. 25
Fideles debent credere Sacramenta esse à Deo instituta. 11. 348
Non potest dari Sacramentum validum, & informe. 19. 577

## Sacrilegium.

Eius explicanda species sacrilegii, 221. 14
Quid sit. 120. 140
Quæ peccata in Ecclesia commissa sint sacrilegia. 123. 142
Regula in hac re à Confessario ponderanda. 123. 142

## Sacrificium.

Quid sit, 24. 690
Soli Deo offertur. 72. 359. 25. 690
Sumptum pro actione sacrificandi essentialiter consistit in consecratione. 28. 690
In Missa offertur Deo verum Sacrificium. 26. 690
Sacrificium Missæ describitur. 27. 690
Missæ Sacrificium est propitiatorum, satisfactorium, & impetratorium. 2. 3. 4. 38.
Quare fructus dicatur ex opere operato. 5. ibid.
Sacrificium Missæ remittit pœnas existentibus in Purgatorio, pro quibus offertur. 34. 692
Quid sit applicare Sacrificium. 35. 692
An applicatio sacrificii debeat fieri ante consecrationem. 43. 694
An intentio applicativa debeat esse actualis. 44. 695
An fructus Sacrificii sit infinitus. 46. 695
Pro damnatis sacrificium applicari non potest. 47. ibi.
Nec pro hæreticis. 49. 697
Nisi indirectè. 50. ibi.
Idem de excommunicatis non toleratis. ibi.
Potest applicari pro existente in mortali. 53. 698
Fructus Sacrificii triplex. 34. 692

Sacrificia Veteris Legis, quæ. 23. 689
Crematio thuris, &c. non est sacrificium. 38. 693

*Sancti.*

SAnctorum Imagines adorandæ. 59. 638
Ex Sanctorum picturis multum commodi provenit. 58. 638
Adorandæ sunt Sanctorum Reliquiæ. 69. 639
Nullus potest publico cultu adorari nisi sit à Papa Canonizatus, vel beatificatur. 70. 640
Templa Deo in honorem Sanctorum eriguntur. 71. 640
Deo sacrificia offeruntur in honorem Sanctorum. 72. 640

*Satisfactio.*

EXecutio ipsius non est pars essentialis Sacramenti. 51. 637
Nulla imponitur per peccatis remissis in baptismo. 43. 635

*Scandalum.*

QUid sit. 33. 110
Multiplex est. 34. 111
Scandalum pusillorum quando mortale. 35. 111
An mulier se ornans, rea sit scandali. 36. 112

*Schisma.*

QUid sit. 14. 16
Schismatici duplicis sunt generis. ibi.
Schisma est ex genere suo mortale. 32. 110

*Scientia.*

HAbita ex confessione non utendum. 23. 304
Scientia necessaria in Confessario 14. 585
Sciens aliquod factum non potest de eo excommissas facere 79. 468
Scientia legis necessaria ad incurrendam censuram 23. 588

*Secretum.*

NAturale justa causa potest revelare. 97. 477
Nunquam illud Confessionis. 98. 478

*Sepultura.*

VEndi non potest. 36. 593
Vendens committit Simoniam. ibi.
Uxor potest sibi eligere sepulturam. 38. 731
Filius pubes potest sibi eligere sepulturam. 39. ibi.
Quinam Ecclesiastica sepultura non gaudeant. 42. 731
Ultimum *Vale* dandum à Parocho in quo consistat. 43. ad 4. 732
Parochus non potest ingredi Ecclesias Regularium cum stola, & Cruce. ibi.
Corpora restituenda sunt Ecclesiæ, in qua fuit electa sepultura. 10. [illegible] & 42. 731
Pro sepultura nihil potest exigi. 40. 731

*Sigillum Confessionis.*

QUid sit. 7. p. 12. & 2. 717
Ex Confessione non Sacramentali non oritur obligatio sigilli Confessionis. 7. 22

Sub

Sub sigillo cadunt omnia, quæ reddere possunt confessionem odiosam. 59. 168
Sigillum frangit Parochus, sciens ex sola confessione Sacramentali impedimentum dirimens matrimonium, & non assistens. 23. 304
Nunquam licet uti scientia ex confessione acquisita. 14. 525
In fractione sigilli non datur parvitas materiæ. 2. 717
Sigillum frangitur, etiam non expressa persona. 6. 718
Cautela Confessarii, dum eget consilio pro peccato audito in confessione. 7. 719
De scientia pœnitentis potest quis extra confessionem loquide auditis in confessione. 8. 719
Elector sciens ex confessione indignitatem eligendi, non potest ei negare suffragium. 14. 525
Usus scientiæ ex confessione acquisitæ à S. Sede prohibetur. 15. 526
Episcopus non potest ordines denegare irregulari ex sola confessione cognito. 16. 526
Confessarius nequit vitare quem ex confessione tantum novit esse excommunicatum. ibid.
Superior regularis non potest ab officio removere subditum ob delictum sibi ex Confessione notum. 16. 526
Magister novitiorum nequit denegare votum Novitio propter indignitatem ex confessione habitam. 16. 527
An ad vitandam propriam mortem possit Confessarius uti scientia ex confessione acquisita. 19. 527
Et ad removendam occasionem proximam peccandi. 21. 528
Confessio verbis, & signis revelari potest. 4. 713
Præceptum non loquendi de auditis in confessione est negativum. 3. 717
Sigillum frangens plura peccata committit, ibi.
Obligatio non loquendi de illis est ex jure naturali, & divino. 2. 717
Et ex præcepto Ecclesiastico. 4. ibi.
Obligatio sigilli Sacramentalis est in honorem Sacramenti 5. 718

## *Simulatio.*

Quid sit. 2. 385
Duplici simulatione potest delinqui in administratione Sacramentorum. 3. 335
Non est licitum ad vitandum scandalum dare hostiam non consecratam loco consecratæ. 4. 386
Nec ad vitandam mortem, licet proferre verba consecrationis sine intentione consecrandi 7. usque ad 11. 387
Nefas est simulare pœnitentem absolvere. 11. & sequen. 388
Quando confessio reputetur simulari. 33. 37

## *Simonia, & confidentia beneficialis.*

Quid sit. 75. 63
Quid veniat nomine rei spiritualis. 77. 63

Quotu-

Quotuplex sit. 44. 65
Serviens Episcopo, intentione, ut in mercedem sibi conferatur beneficium, Simoniam committit. 88. 67
Tribuens pecuniam familiari Episcopi, hac lege, ut commendet suum filium apud Prælatum, ad effectum, ut conferat filio beneficium Ecclesiasticum, quod de facto confertur, Simoniam committit. 7. 511
Filius, sic provisus, tenetur beneficium resignare, statim ac cognoscit se illud via Simoniaca recepisse. 7. 512
An teneatur cum beneficio restituere etiam fructus. 8. 512
Episcopus conferens beneficium suo familiari propter servitium sibi præstitum committit Simoniam. 88. 67. & 9. 512
Quando famulus censeatur adhibere obsequium Episcopo ad finem obtinendi beneficium. 10. 512
Simoniam committit, qui alterum sic alloquitur: *gratus tibi ero, si mihi conferas, vel procures beneficium* 11. 513
Simonia confidentialis quando committatur. 90. & 91. 68
Plures casus, in quibus committi potest Simonia circa beneficia Ecclesiastica. 84. & 87. 65. sq.
An quis absque Simonia possit dare pecuniam Sacerdoti nolenti baptizare puerum morientem. 13. 513
An Pater possit ab eo Sacerdote aquam emere, si non adsit alia aqua. 14. 14
Cur absque Simonia non possit vendi beneficium Ecclesiasticum. 80. 64
Sacerdos potest absque Simonia recipere pretium pro celebranda Missa. 6. 38 & 85. 65
An Sacerdos possit licitè accipere aliquid pro labore insumpto in administratione Sacramentorum, celebratione, Concione, &c. 19. 515
Sacerdos recipiens pecuniam, ut pœnitentem non absolvat, Simoniam committit. 22. 516
An sit Simonia conferre pauperi eleemosynam, ut pro aliquo oret. 23. 517
An Simonia committatur, si aliquid recipitur pro ingressu in Religionem. 24. 517
Simoniam committit vendens Agnum Dei benedictum. 25. 517
Licet Sacras Reliquias ab Infidelibus pretio redimere. 27. 518
Simonia est ex genere suo peccatum mortale. 28. 518
Non potest esse venialo ex parvitate materiæ, 29. 518.
Cui restituenda sit pecunia accepta pro re spirituali, 30. 518
Beneficium, & dignitas Ecclesiastica accepta Simoniacè, resignanda, & dimittenda est. 31. 519
Quid, si quis ignorans Simoniam, beneficium recepit, vel fuit electus ad Prælaturam. 32. 519
Simonia inducit excommunicationem, Summo Pontifici reservatam. 33.
Non revelantes Simoniacos, non possunt absolvi. 34. 520
Ut Simonia incurrat excommunicationem, an debeat esse realis ex utraque parte. 35. 520
An eam inducat Simonia mentalis 36. 520
An hæc inducat obligationem resignandi beneficium, & restituendi rem acceptam pro eo 37. 521

Ven-

Vendens Sepulturas, vel Cappellas Ecclesiæ committit Simoniam. 36. 593
Quando redimere vexationem non sit Simonia 87.66

## *Solicitare.*

QUid sit, ubi plures casus referuntur. 1. & 2.28
In crimine solicitationis non datur parvitas materiæ. 23.36
Solicitatio pluribus modis contingit. 2.29
Denunciandus est Confessarius, in Confessionario pœnitentem solicitans, licèt ejus Confessionem non audiat. 3.30. sq.
An denunciandus sit Confessarius Monialium solicitans ad Crates Parlatorii communis. 5.31
Est denunciandus solicitans, licèt statim pœniteat. 20.33
Sciens sub secreto jurato Confessarium solicitasse aliquem in confessione, tenetur eum denunciare. 21.34
Ab onere denunciandi non excusatur fœmina, quæ Confessario solicitanti consentit. 24.35
Signa, quibus præsumitur confessio simulata. 33.37
Ante denunciationem non præmittitur correctio fraterna. 22. 4
Clausula *simulans*, *ibidem*, &c. 34.37
Nec excusatur, licèt timeat sibi, marito, aut filiis grave damnum. 32.37
Nec tempore Jubilei potest absolvi non denuncians. 25.35

## *Somnium.*

ORiri potest à causa interna, & externa. 110.136. sq.
Somnia à Deo immissa quomodo discernenda. *ibidem*. 11.137
Quæ somnia rejicienda. *ibi*.
Mulier somnio abutens in ludo sortium Januensium. 109.136

## *Sponsalia.*

DEfiniuntur. 20.741
Celebrans Sponsalia cum duabus, debet primam ducere. 21.742
Dantur causæ dissolvendi Sponsalia. 22. *ibi*.
Sponsalia ab initio valida, & postea dissoluta etiam mutuo consensu, inducunt impedimentum publicæ honestatis. 71.753
Post Sponsalia celebrata oritur inter Sponsos impedimentum dirimens. *ibi*.
Sponsalia nulla ex alia etiam causa, quàm defectu consensus nullum impedimentum inducunt. 93.758
Sponsalia confundi non debent cum matrimonio. *ibi*.

## *Stipendium.*

LIcitè etiam à Sacerdote divite accipitur pro celebratione Missæ. 6.39
Quodnam reputetur justum. 7. *ibi*.
Sacerdos etiam pauper, non potest plura stipendia recipere, & unica Missa satisfacere. 8.39



Si ac-

Si acceptum ab uno, non est justum, non potest Sacerdos tantùm ab alio accipere, quantum sufficit ad justum, & unica Missa utrique satisfacere. 9. *ibi.*
Non potest Sacerdos à Tribus, tria stipendia recipere & unica Missa omnibus satisfacere, uni applicando fructum satisfactorium, alteri propitiatorium, & alteri impetratorium. 10. *ibi.* sq.
Non potest Sacerdos aliquid accipere pro fructu Sacrificii proveniente ex opere operantis. 11. 40
Sacrificium non potest applicari pro eo, qui eleemosynam quamprimùm dabit. 12. *ibi.*
Non potest Sacerdos dare Missam alteri dicendam pro minori stipendio, quàm ipse recepit. 13. 40
Sacerdos, accepto stipendio, ut Missam determinatè celebret in tali Ecclesia, peccat graviter, si ibi non celebret. 15. 16. 41
Peccat, & tenetur ad restitutionem, si, accepto stipendio, pro Missa celebranda ad impetrandam gratiam aut sanitatem, tamdiù differt celebrationem, ut gratia aut sanitas non possit amplius obtineri. 17. 42
Recipiens stipendium pro legenda Missa in Altari privilegiato pro anima alicujus defuncti, an satisfaciat, si ibi legat Missam de Sancto. 20. & sequen. 42.
Stipendium receptum pro celebratione Missarum non potest retineri in compensationem antiqui debiti. 63. 100
Etiam si recipiens animum contrarium haberet. 64 *ibi.*
Quid, sublato capitali, vel diminuto, ut fructus non sufficiant ad justum stipendium, sit à Sacerdote agendum. 64. *ibi.*

## *Superbia.*

Quid sit. 163. 164
Vitia, quæ ex superbia derivantur. 32. 538
Est ex genere suo mortale. 39. 539

## *Superstitio.*

Quid sit. 66. 124
Quid Idololatria. 68. 125.
Quid divinatio Dæmoniaca. 70. 125
Quando fiat pactum expressum cum Dæmone, & quando tacitum. 70. 126
Quid sit præstigium. 71. 126
Quid divinatio somniorum necromantica. 72. 126
Quid ars notoria. 73. 126. & 96. 132
Quid necromantia. 74. 127
Quid divinatio Pythonica. 75. 127
Quid Geomantia. 76. 127
Quid Hydromantia. 76. 127
Quid Aeromantia. 78. 127
Quid Pyromantia. 79. 127
Quid Auruspicium. 80. 127
Sortes divinatoriæ prohibitæ. 85. *ibi.*
Consultoriæ quando.
Et divisoriæ, quæ exigant, ut sint licitæ. 86. 129
Purgatio vulgaris quid. 87. 130
Thesautos, absconditos per arboris incisionem designare ubi sint; prohibitum. 87. 105
Quid sit magia superstitiosa. 90. *ibi.*
Quid maleficium. 91. 131

Male-

Maleficium maleficio curari non potest. 92. *ibi.*
Quid sit vana-observantia. 93.132
Res aliquando ut signa, aliquando ut causæ ad effectus adhibentur. 94.132
Differentia divinationis à vana-observantia. 95.132
Quando peccetur in vana-observantia sanitatis. 98.132
Imagines Astronomicæ sunt superstitiosæ. 99.133
Dubitanti, an res virtutem habeat ad effectum producendum, quid agendum. 100. *ibi.*
In observantiam futurorum eventuum quis delinquere reputetur. 101.134
Et qui in observantia dierum faustorum. 102.134
Et qui in observantia Sacrorum. 105.135
Protestatio in facto ex natura operis pactum inducens non excusat à peccato. 107.136
A peccato non excusat, quod plures vanis observantiis utantur. 108.136
In sortibus Jantensibus peccari potest. 109. *ibi.*
Quando delinquatur exigendo à muliere Egyptiaca prædictionem futurorum. 112.138
An qui exercuit opus superstitiosum absolvi possit ab ordinario Confessario. 113.138
Et, an si de eo dubitet. 114.139
Pulvis sympathicus est superstitiosus. 38.594
In inferentibus ex se, & ex natura operis pactum cum Dæmone protestatio non excusat à peccato. 107.136
Item, quando probabile est, quòd actus sit superstitiosus. 38.594

*Susurratio.*

QUid sit: ejus differentia à contumelia, & derisione.

*Symbolum Apostolorum.*

QUid sit. 13.350
Notitia articulorum fidei est cuilibet fideli necessaria. *ibi.*
Brevis ejusdem expositio. 14.350.sq.
Est explicitè credendum. 11.348
Et recitandum minimùm sexies in anno. 14.352
Quid significet *Sanctorum communio* 14. ibi super X.

*Tactus.*

ET oscula prohibentur Sponsis. 22.535
Facti cum uxorata habent malitiam adulterii. 8.531

*Testator.*

EJus dispositio implenda, sive per scripturam, aut verba disponat. 15.725
Habens filios ei necessaria debet relinquere. 25.728
Prius debet restituere aliena, quàm filiis providere. 30.729
An carens filiis possit extraneum hæredem instituere omissis consanguineis. 33.730.

*Testamentum.*

EJus discrimen à Codicillo. 9.723
Et à Fidei-commisso. 10.724

Valet, factum non servatis solemnitatibus juris. 5. 227 & 11. 724
Etiam quoad causas non pias. 14. 724
Ob mortem imperfectum est exequendum quoad pia legata. 6. 227
Non habet vim nisi post mortem. 9. 723
Secundum revocat primum. 3. 6. 730
Vide verb. *Legatum, & voluntas.*

### *Testes.*

Occidi non possunt ad removendum ipsorum testimonium. 11. 394
Nec eis potest obiici falsum crimen. 12. 394

### *Vasa, & Vestes Sacræ.*

Calices, & Patenæ, quando consecrationem amittant. 61. 699
Quando Vestes benedictionem perdant. 60. ibid.
An calix consecratus vendi possit. 15. seq. 514

### *Timor.*

Quadruplex: *Mundanus, servilis, filialis, & initialis* 33. 632.
Timor Gehennæ regulatus lumine fidei est supernaturalis. 32. ibid.

### *Vendere.*

Venditor debet aperire defectum occultum suæ mercis. 19. 407
Uti in venditione fraudibus est mortale. 20. 407
Quando invitus emptor reputetur. 21. 407
Famulus recipiens rem à Domino, ut vendat pro decem, si vendat duodecim, non potest sibi excessum retinere. 25 408
Quid sit emptio, & venditio. 80. 468
Tabernarius non potest vendere ad pretium vini ordinarii vinum generosum, redactum per aquam ad statum vini ordinarii. 85. 471. sq.
Vendens tenetur emptori de evictione. 92. 474

### *Verba turpia.*

An turpia loqui sit mortale. 5. 212
Turpes comœdias exhibere est mortale. ibid.
Verba consecrationis proferri debent cum intentione consecrandi. 7. 387

### *Victoria.*

An liceat gaudere de Victoriis Christiani Principis. 24. 312
Et an tristari de illis Turcarum. 25. & 26. 313

### *Vigilia.*

Quot peccata committat frangens jejunium vigiliæ cadentis in quatuor temporibus. 22. [illegible]
An vovens jejunare in vigilia S. Augustini, teneatur alia die jejunare, si in ea omittat. 31. 658
Vide verb. *Jejunium.*

### *Virtus moralis.*

Quare virtutes morales dicantur Cardinales. 28. 106

Vir-

Virtutes ad justitiam reducibiles. 64.122
Quæ ad temperantiam reducantur. 143. 148
Quid sit abstinentia, ejusque discrimen à sobrietate. 143. 148
Actus contra castitatem sunt ex sua natura mortalia. 149. 149
Quid sit pudicitia. 150. 150
Quid mansuetudo. 152. 150
Quid clementia. 155. 151
Quid Modestia. 158. 152
Quid sit humilitas. 161. 153
Quid studiositas. 164. 154
Quid sortitudo. 127. 143
Quid magnanimitas Christiana. 132. 146
Quid magnificentia Christiana. 135. 145. sq.
Ejus distinctio à prodigalitate, & libertate. 136. 146
Quid sit patientia. 138. 146
Quid perseverantia. 140. 147
Quid studiositas. 164. 154
Quid sit Eutrapelia. 168. 155
Et an obligent sub mortali. 169. ibi.
Quid sit prudentia. 172. 156
Quæ virtutes de natura sua obligent sub mortali. 173. 156
Contra quam virtutem peccet, qui legit libros prohibitos. 31. 267
Contra eandem virtutem vitia specie diversa. 530

*Vitia.*

Capitalia septem. 31. 538
Quæ opponantur Fidei. 19. 107
Spei opponitur præsumptio, & desperatio. 20. 107
Odium opponitur charitati. 21 ibid.
Quid sit discordia. 26. 109
Quid contentio. 27. 109
Quid rixa. 29. ibid.
Quid seditio. 31. 110
Quid sit scandalum. 33. 110
Scandalum Pharisaicum, & pusillorum. 34. 111
Scandalum pusillorum quando sit mortale in ponente actionem, ex qua pusilli sumunt occasionem peccandi. 35. 111
An omnia vitia capitalia sint ex genere suo mortalia. 38. & sequen. 539
Quæ vitia ex Avaritia procedant. 33. 538
Quæ ex ira. 34. 538
Quæ ex Invidia. 36. ibid.
Quæ ex gula. 35. ibid.

*Voluntas.*

In voluntate est triplex actus: primo-primus: secundo-primus: & sequens perfectam advertentiam. 9. 103
In testamentis voluntas Defuncti pro regula habenda est. 7. 227
Fides proponit voluntati objectum, circa quod debeat ipsa supernaturaliter operari. 4 354
Voluntas ab astris non cogitur, nec necessitatur. 19. 27
Voluntas manifestata coram Parocho, vel alio implenda est. 15. 725
Voluntas istis verbis declarata: *voglio lasciare la mia roba*, &c. concludit dispositionem factam. 17. 726

*Votum.*

Definitur. 2. 657
Non constituitur solo proposito. ibid.
Quomodo promissio, & propositum distinguantur. ibid.

Quando votum vi metus factum sit validum. 5.652
Vota soli Deo fiunt. 9.653
Materia voti quæ. 12.654
Votum contrahendi matrimonium non tenet. 15.655
Qui post votum Religionis uxorem ducit, ea mortua, tenetur votum implere. 10. 299
Qui vovit Religionem ingredi, peccat nubendo, & consummando. 12. 299
Vovens audire Missam die festo, & non audiens duplex peccatum committit. 18.655
An vovens Religionem teneatur omnes adire, ut admittatur in aliqua 21.656
Qui pluries vovit castitatem, non tenetur id explicare, dum contra castitatem peccat. 9.158
Sed votum debet aperire, dum contra ipsum peccat. 8.158
Vovens jejunare tenetur abstinere à lacticiniis. 35.659
Parentes possunt irritare vota emissa à filiis ante annum pubertatis. 38.660
Ratificans tempore pubertatis votum simplex castitatis, factum anteà, non contrahit licitè matrimonium 41. ibi.
Superior potest irritare vota Religiosorum. 45.661
Et Abbatissa illa Monialium. 46.661
Maritus non potest irritare omnia vota uxoris. 48.661
Quid possit uxor circa illa viri. 49.661
Differentia inter irritationem, commutationem, & dispensationem. 54.662
Quinam possint in votis dispensare, & ea commutare. 57.663
Votum castitatis emittitur expressè, & implicitè. 63.665
Votum simplex, & solemne castitatis differunt specie morali. 10.158
Cur solemne, & non simplex dirimat matrimonium contrahendum. 31. & 32.744
Quæ veti obligatio transeat ad hæredes. 64.667
Sæpè Fiscus tenetur implere vota realia Rei. 66.667.seq.
Adstrictus voto Religionis, si contrahat, mortuo conjuge, tenetur votum implere. 68.668
Votum simplex castitatis privat jure petendi debitum. 10.299
Vovens determinatè rem aliquam dare, non tenetur conferre eam, si pereat, 71.668.seq.
An Vovens ingredi religionem, mortuo marito, teneatur ad ingressum. 68. ibi.
Professio religiosa.

## Usura.

Quid sit, & quotuplex. 2.3.218
Recipere aliquid ultra sortem ratione lucri cessantis, & damni emergentis non est usura. 4.219.& 18.486
Quid, si mutuans habeat alias pecunias, quas possit negotiationi exponere. 5. 219
Licitum non est exigere totum lucrum cessans. 6.219
Mutuans accipit pignus in assecurationem mutui, an licitè accipiat fructus pignoris. 11.12.230
Est usura ob anticipitam solutionem minoris emere rem justo precio. 22. 487.seq.
Et carius ob dilatam solutionem emere. 21.488

Quan-

Quando venditio cum pacto retrovendendi sit usuraria. 28.489
Officialis conferens militibus victualia usuram in eo potest committere. 29. 489
Suscipiens in se periculum sortis censetur id agere ad palliandam usuram. 33. 490 sq.
Mercator tradens ministris necessariis loco mensttui stipendii tempore exendas non evitat usuram. 34. 491
Requisita, ut titulo damni emergentis possit juste aliquid supra sortem exigi. 39. 493
Et ea ad accipiendum juste titulo lucri cessantis. 40. 493
An pactum legis commissoriæ sit usurarium. 14. 183. 36. 492
Usurarius est, qui mutuat rustico, ut pecuniam solvere teneatur tempore messis in frumento, pretio tunc currente. 16. 221
Ratione periculi, aliquid ultra sortem accipere non licet. ibi. 30. 490
Vendens carius ob solam expectatam solutionem, vel emens vilius ob solutionem anticipatam usuram committit. 27. 221
Emere frumentum in Majo, consignandum in Augusto pro pretio, quo in Augusto valebit, non est usura. 20. 222
Usura est mutuare cum pacto, ut mutuatarius tempore messis vendat triticum mutuanti. 22. 222
Usurarius tenetur restituere usuras. 29. 31. 223
Hæredes tenentur restituere usuras à defuncto relictas. 33. 224
Si usurarius ex usuris emit agros, & prædia, tenetur ea vendere, si non habet, aliam pecuniam ad satisfaciendum. 35. 224
Sed quid, si prædia vendita, vel donata sint tertio. 36. ibi.
Usurario usuras non restituente, tenentur ejus Ministri. 38. 225
Recipientes eleemosynas ab usurario tenentur eas restituere, si propterea usurarius non habet, unde restituat. 39. 225
Mutuatarius tenetur solvere usuras, si juramento promisit. 23. 496
An usura sit dare in Novembri mutuò quatuor rubia frumenti, ut mutuatarius vel ipsa, vel pretium reddat in Augusto. 4. 480
Usura est aliquid accipere, ex quo mutuans se obligavit, non repetere mutuum, nisi transacto Anno. 5. 481.
An dans mutuò centum *Luigi d' Oro*, dum valor cujuslibet est ad triginta Julios, possit sine usura tempore restitutionis exigere centum, si tunc quilibet Ludoviceus sit ad triginta duos Julios. 6. 481
Usura est obligare mutuatarium, ut solvat in meliori pecunia, quam acceperit. 8. 482
Usura est vendere agrum pro mille, & recipere fructus ex eo pro parte pretii non soluti. 9. 10. 482. sq.
Usurarius ex pharmacopola locans Tabernam, medicamenta, & Vasa cum pacto, ut conductor pro quolibet centenario pretii solvat decem annua, & in fine omnia restituat ad Taxam ejusdem pretii. 11. 483
An sine usura possint emi pro minori pretio chyrographa debitorum. 15. 485.

Usura

Usura est locare v. g. centum oves; ea lege, ut accipiens singulis annis pro fructu solvat viginti aureos, & finita locatione numerum locatum reddat. 19.486

Mutuatarius lucratur centum ex mille, mutuò à Cajo receptis, qui, dum reddit capitale, dat Cajo triginta ob gratitudinem beneficii, an possit Cajus ea recipere? 21.487

Super quo interrogandus est pœnitens aperiens in Confessione se recepisse aliquid ultra sortem ex mutuata pecunia, ratione damni emergentis, vel lucri cessantis. 22.495

Vide verb. *Lucrum Usurarium.*

## *Uxor.*

INconsulto marito non potest eleemosynas facere. 22.321

Uxor erga Maritum quando peccet mortaliter. 16.339

Confessario quid agendum cum Uxore, quæ marito non vult obedire, licèt minima illi imponat. 17.330

Quomodo se gerere debeat Confessarius cum Uxore Zelotypa erga Maritum. 19.331

Vir erga uxorem quando peccet mortaliter. 18.330

Uxor non potest retinere lucrum ex adulterio. 14.319. & 9.543

Nec debet illud tradere Marito. 10.543

Adultera non potest negare delictum cum mendacio. 18.378

Non potest alteri commisceri, etiam viro consentiente 3.541

Potest sibi erigere sepulturam. 38.431

## *Xenia.*


QUæ dicantur. 8.169

FINIS.




UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Th
2179
UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN